PANOPLIA
EVANGELIC

VVILHELMVS LINDANUS Dordracenus. S. Th. D. Palatij Haghēsis Decanus, Catholicæ atq; Apostolicæ Christi Iesu Ecclesiæ Matri dulcißimæ cùm pietatis, tum gratitudinis ergô faciebat, atque in subsidium oppugnatæ, laboranti, & exagitatæ adferebat. Cuius iudicio vniuersa & dicta & indicta summissa sunto.



Quid Lectori pio & candido, nulláque antiquæ opinionis pertinacia præfracto hac ex Panoplia [illegible] multò vberrimi iuxtà ac saluberrimi petendum & capiendum, post epistolam nuncupatoriam, ad Lectorem præfatio docebit.

OGDOASTICHON IN LAVDEM
Authoris huius libri.

Si laudem is mereat, monstrum qui conficit vnum,
Qua laude hic tandem non quoque dignus erit?
Dogmata qui penitùs hîc tot monstrosa refellit,
Ingenij mira dexteritate sui.
Hec studiose tibi viridanti præstitit æuo
Lector, & ingenio contulit ista suo.
Annos dent illi tantùm pia numina multos,
Cætera ab ingenio nam capit ipse suo.

Corn. Fuscus Nuportanus facieb.

IN COMMENDATIONEM Euangelicæ Panopliæ D. Vvilhelmi Lindani Dordraceni, Doct. Theolo.

Heus tu, relligio cui vetusta
Christi iam satis & satis probata,
Sed nunc temporis impetita multis,
Est cordi, precor, huc lubens adesto.
Hîc nam conspicis, vt tuetur illam
Nobis fortiter ipse Guilielmus
Lindanus satis & satis disertè.
Ictus sic vafer hostium repellens,
Sic se, sic sua scripta muniénsque
Scriptura Synodis, Patrúmque dictis
Qui ante secula multa claruerunt:
Vt iam sit nihil hostibus relictum
Nostris, dicere quod queant in illa,
Omni ni vale dixerint pudori.
Ergo huc, relligio cui vetusta
Christi iam satis & satis probata,
Sed nunc temporis impetita multis,
Est cordi, precor, huc lubens adesto,
Et me nocte diéque lectitato.

SERENISSIMO ET A DEO CORONATO CATHOLICO PRINCIPI

atque Domino, D. Philippo Austriaco, Hispaniarum, Neapolis, Ierusalem, &c. Regi, Belgarúmque Domino, &c. Domino atque Principi suo clemētissimo, omne felicitatis genus à Christo Iesu.



Ominē à natura ita comparatum videre est, Serenissime Rex, nō vt bello gerēdo sit idoneus, sed perpetuus vt pacis custos concordiam tam corporum quàm animorum colat. Cùm enim variis animantium generibus varia quasi instrumentorum bellicorum, sic membrorū arma dede-

Deus optim⁹ cur omne animantum genus suis quasi instruxerit armis, homine vno inermi relicto.

rit, quibus ſe aut ad abarcẽdas propulſandáſve iniurias tueantur, aut hoſtem, ipſis alioqui vel inſidiantẽ, vel machinantem vlciſcãtur: at vni tamen homini hæc in vniuerſum omnia negauit. Siquidem Elephãto ſuam largitur proboſcida, dentéſque immanes, quibus ſuæ gentis hoſtes aut arceat, aut ſaucios propellat. Aquilam vnguibus armauit aduncis, roſtróque hamoſo, vt ſuã ſalutem à Draconis iniuria ſibi aſſerat. Turturi ſuum exacuit roſtellũ, quo ſuã ſibi innocentiam ab Ignaria hoſte vindicet. Araneum videas ſuo armatum aculeo, ne à Stellione deuoretur impunè. Leonem denique ceu quendam animalium omnium regem omnibus terribilem, toruo finxit vultu, oculis igne micãtibus, pedibus vngue adunco ceu harpagone horridis, roſtro ſerratis

Elephantus. *Aquila.* *Turtur.* *Araneus.* *Leo.*

dẽtibus formidabili, rugitu etiã horribili, qui ſua occulta vi tãtùm cęteris incutit trepidi metus, vt timore exanimati vel ſæui lupi ſeſe leuare, nedum loco mouere non ſuſtineãt, quem ille ſua, veluti circino, aut ſceptro potiùs regio cauda circumſcripſerit. Hæc atque id genus innumera cùm illis donaſſet natura, vni inter animantes omnes tamen negauit homini, quo eum pacis (vt ita dixerim) mancipium & concordiæ cuſtodem, humanitatis quoq; omnis cultorem creatum eſſe admoneret. Vnde ei nec acuminatum caput, quod ictus facilè decuteret inflictos: nec globoſum dorſum, quod iactus eluderet: nec manus vngulatas, quæ aduerſarium læderent: nec cutem deniq; aut ſetis hirtam, aut corio duram, nec villis hirſutam, nec ſquamis contextã, ac quaſi

Homo inermis factus, vt ſe pacis cuſtodem meminerit.

ferruminatam dedit, quæ ad pugnã animaret vel inferendam, vel etiam illatam ſuſtinendam. Hæc vbi quis ſecum tacitus rectè, ac ꝑ eo vti par eſt, conſiderarit, mirabitur fortaſsis ecquid nobis in mentem venerit, quòd hominibus pacis perpetuæ cultoribus, eíſdemque Chriſtianis, hanc ſcripſerimus Panopliam, qua veluti inſtructi & armati, ſuæ, ad quam & naturâ facti ſunt, & à Chriſto Domino informati, pacis obliti, bellum meditari ac gerere adeò aggrediantur? Equidem, Sereniſſ. Rex, cùm nulla de cauſa (quod ſapientiſsimè iuxtà atq; præclarè à doctiſſimo perindè ac eloquentiſsimo Latinorum omnium Philoſophorum facilè principe M. Tullio Cice. lib. 3. de Rep. ſcriptum eſt) nullum bellũ optimæ ciuitati ſuſcipiendũ ſit, niſi aut pro fide, aut ꝑ ſalute: mihi quo-

Quonam conſilio hæc Panoplia Euãgelica Chriſtianis pacis cultoribus ſit inſtructa.

Duabus tantùm de cauſis bellũ ſuſcipiẽdum opt. ciuitati, ait Cicero.

Cic. lib. 3. de Repub.

Augu. de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 6.

que nulla de re quacunque alia bellum meditandum fuit perſuaſiſsimum, niſi aut religionis auitæ eiuſdémque Catholicæ propugnandæ, aut ſalutis illius æternæ tuendæ gratia. Hanc igitur cùm omnibus, quibus ferè queat, modis viderẽ dolens ac gemens, pro eo atque pium matris Eccleſiæ Catholicæ eheu nimiũ dilaniatæ filium decet, noſtra iſtac ætate oppugnatiſsimam, in animũ ſubiit mihi primùm ipſi quoddam quaſi armamentarium inſtruere ac comparare, vnde ſi quando res ita poſtulare videretur, arma expedirem, quibus inſtructus, ſi non aduerſarios, inter quos verſandum eſſet ſtatim profligarem, haſtíſq; armentatis validè contortis & vibratis internecioni darem: at me tamen ipſe illis eiſdem Orthodoxæ veritatis quaſi cuſpide præfixis armatus, à ſa-

Panoplia hæc authori fuit initiò enchiridij vice aduerſus quotidianos Euangelicorum in via, in curru, in naui graſſantium inſultus.

gitta (vt ille ait) volante in die & negotio perambulante in tenebris ſaltem tueri valerem atque defendere. Hoc quidem meũ fuit principiò cõſiliũ, ſimulátq; me poſt guſtata Philoſophiæ artium omniũ matris atq; altricis ſtudia ſacroſanctæ deuouiſſem, mãcipaſſémq; Theologiæ. Cuius penetralia cum ſuis quaſi gradibus ingrederer penitiùs (licet amicis alia ad ſtudiorum genera inuitantibus, pręclaráq; pollicẽtibus) cœpit & ipſa ſuum iam benigniùs complexa alumnũ incomparabiles ſuarũ opũ ſua pro dignitate paucíſsimis, proh dolor & pudor, ſatis cognitarũ theſauros eminùs oſtentare, tenuémq; licet guſtulũ, tamen nectare quouis odoratiorem, ambroſiáq; nouies, ſi credas Ibyco, dulcedine mel ſuperãte ſuauiorẽ, & vt ille de cæleſti ait mãna Angelorũ eſca πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύ-

νοντα, καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν omne delectamẽtum in ſe habẽtẽ, omniſq; ſaporis ſuauitatẽ: ſiue, quæ ad omnem valebat voluptatem, & omne genus delitias, vniuerſúmq; præſtabat saporẽ cuiuſq; palato cõgruum atque exoptatum. Quibus illecebris vtblãdiſsimis, ita corporali iſtac omni fellea voluptate multò ſuauioribus tandem ſemel illectus, vbi me non mihi ſoli natum, ſed patriæ, ſed Eccleſiæ cum primis Chriſti Catholicę dulciſsimæ matri meminiſſem, optatum illum Theologiæ ſocium ſacerdotium Chriſtianum amaſiæ caſtiſsimæ iuxtà ac dulciſsimæ, cordíſque mei delitiis maritandum & coniugãdum meo perſuaſi animo.

Nemo ſibi natus, ſed Eccleſiæ Chriſtè Catholicæ propagandæ.

Iam ſatis de exareſcentibus vltrò prophanarum (ſic enim illam diam meam Theologiã mecum expoſtulãtẽ mihi audire videbar) literarum

fonticulis haustum, iam satis līguarū exoticarū mediocritatem gustatā tempus iam appetere, quod Christus Dominus meus suo prior exēplo, & DD. eius pòst Apostoli suo præscripsere decreto aliis docendis atque à lata illa eheu nimium trita via (qua fratrum plurimos videre erat præcipites ruere in illud gehēnæ barathrum) in angustam vitæ Christianæ semitam reuocādis idoneū. Quod dum nostra pro virili interdū conabamur, tyrociniúmque exercebamus, en laudatissima illa Louaniensis Academię cōsuetudo annua mecum suo pro iure opt. expostulabat, publicè dicendum forę in auditorio illo, quod maximo cum ingeniorum omnis generis emolumento quotannis cōfluit numerosissimè ad quæstiones, quas de argumēti, quod sibi quisque sumat per-

Occasio & origo huius operis ex quæstionibus, quas Louanij dicunt Quodlibeticas.

tractandum, libertate dicũt Quodlibeticas audiendas, atque cohonestandas. Huc cùm me iteratò viderem pertrahi, nec superesse honestã effugitandi rationem, volui toto ex animo suscipere, quod cùm ratio suaderet, tum maiorum etiã imponeret imperium. Hic iam cõsultanti, quá nam de re tãto auditorio digna potissimùm foret dicendũ, quę & cœptum studiorum cursum promoueret, simul & haud mediocre afferret auditoribus operæpretium, tandem in mentem venit, nihil horum temporum calamitati mitigãdæ accõmodatiùs, nihil tempestati tot quęstionum quasi vndis Christi nauiculam iactanti sedandæ salutariùs posse admoueri, quàm totã de verbo Dei quæstionem à variis variè adeò exagitatam à capite accessere, & ab ipso (quod dicitur) ouo

exordiri, eiúſque naturam, quoad eius liceret, penetrare, indolémque perſpicere, quo hinc & aliis omnib⁹ faceremus conſpicuum, qúęnam ſit indubitata fidei Chriſtianæ regula, ad quam dogmata ad vnum omnia nunc in controuerſia poſita expenſa, vel approbentur gniſia atque germana, vel reprobentur adulterina atque ſuppoſititia. Hãc in rem tum tẽporis collegimus, quod ſolenne illud trimeſtre ſtudiũ ſuggerebat, vnde ſuo poſteà die de memoria prõpſimus, quantum geminatæ ex more clepſydræ ſpacio dicere licebat. Procedente porrò mihi tempore cúm animus hanc in cogitationem ſemel fuiſſet demerſus, longè quàm anteà vnquã odorata dudum quaſi Euangelij veſtigia perſequi cœpit acriùs, penitiorémque eius in adyta ingreſſum moliri. Cùm enim ani-

maduerterem, ſingulari capitalis illius infeſtiſsimíque omnium noſtri hoſtis diaboli ſtudio & veteratoria fallendi arte, qua ei vt manus callo, ſic animus verſutia occalluit, vulgò ea contentiſsimè vigere ſtudia, quibus Dei Optim. Maxim. Fides religióque labefactaretur, & Chriſti Domini Euangelium illius per organa quàm plurima oppugnaretur, ſed hominum prætextu, quaſi humanam Monachorum (quod aiũt) aut Paparum doctrinam, non Dei fidem aut Chriſti Euangelium vexare aggrederentur (vti olim Spiritus ſancti deitatẽ per Eunomium, non ceu Chriſti fidem, ſed Baſilij aut Nazianzeni errorem & figmentum) altiùs illud Euangelicę doctrinæ pelagus petendum videbatur, quò mihi liqueret ſemel, ecquid Apoſtoli hiſce de rebus nunc in

Satanas nũc fidei dogmata, vti & olim, quaſi humanã oppugnat doctrinam.

Vide D.Baſil.de Spir.S. cap.30.

Controuerſiæ omnes huius tempeſtatis hoc opere ad Apoſtolicã reuocantur doctrinam.

cõtrouerſia poſitis Eccleſiæ Dei catholicæ initiò tradidiſſent. Quod dum niſi ſtudio prolixo ac indefeſſo confici non poſſet (cùm id nõ ex recentioribus Theologis, ſed vetuſtiſsimis tantùm ante annos mille clariſsimis Patribus demõſtrare eſſet animus)maximè tanta in veterũ Scriptorum inopia,qua Belgiũ noſtrum omnium infeliciſsimè laborat,in eam toti incubuimus cogitationem, vt noſtra pro mediocri tũ virili,tum ingenio,ſi non quod vellemus,certè quod per temporis, ætatis,opum & librorum facultatem liceret, efficeremus. Hanc verò ſtudii noſtri contentionem cùm Reuerendiſſ. in Chriſto Pater, mihi planè immortali colendus animi gratitudine atque obſeruantia D. Ruardus Tapperus Louanien. Decanus, & Academiæ Cancellarius, Theologo-

Theologorum huius memoriæ facilè princeps (quo cùm per id temporis suauiss. degebã discendi causa conuictor) haud infrequẽter admiraretur, cœptúmq; laudans cursum, applauderet, conatum suo quidem iuuabat suffragio: sed labyrinthum, quam eram ingressus imprudẽtior, ceu veteranus huius belli antesignanus, me longè habens magis perspectam ac pertentatam, totum solebat dicere huic rei vni perficiendæ non sufficere septennium: quod vt tunc præ adolescentiæ calore, ac sua, qua teste Aristotele, laborat præcipiti imprudentia, haud ita existimabam difficile, nunc certè post quintum in illam rem exantlatum studiorum annum re ipsa experior verissimum. Cæterùm hoc viri doctissimi iuxtà ac religiosissimi præiudicio etsi interdum languidior,

Vide 2 Rhetor.

nunquam tamen fractus, ab inchoato præclaræ, vt videbatur, rei cursu intereà desistendum sui ratus. Cùm paulatim enim alia atque alia pertinaci studiorũ peruigilio sese offerrent dogmata, quæ ex liquida Apostolorum doctrina videbãtur probe demonstrata & cõfirmata, adeò mihi animus laboribus impensis nõ languescebat, vt ad altiora semper procurreret alacrior.

Cæterùm vbi iam opus nostrum de verbo Dei Euãgelico libris quinque instructum, diutina simul & non mediocri lucubratione ad vmbilicum suo pro modulo perduxissemus, amicíque nos non precibus modò, sed asperioribus etiam verbis ad manum de tabula tollendam hortarẽtur, ij etiam inuulgationem imperitarent, quorum vel recusasse imperium duxerim nefas, tãdem

precibus votíſque piorum victus, iuſſóque obſecuturus in animum induxi meũ, vt hic ingenii mei fœtus, nobis, vti diximus, initiò peculiariter conceptus ac informatus. Reip. commodi cauſa, quod hinc illi pollicebantur non vulgare, edere in lucem. Verùm cùm mihi conſcirem probè, nos hoc inſcripto belli telam aduerſus omnes in vniuerſum Euangelij Orthodoxi germaníque hoſtes fuiſſe exorſos, nóſque tot cum hoſtium infeſtiſsimorum copiis congredi longè fore impares, ni belli nobis ſocios perſtrenuos, imò duces quęreremus inuictos, diu multûmque fuit conſulto opus, eccuius tandem auſpiciis fretus, hãc aleam (quod dicitur) auderem iacere, méque in arenam dare tot cum Goliathis concertaturum? Hîc vbi varia ſeſe offerrent conſilia, &

alios alij nominis nostri perstudiosi amici suis cùm verbis, tum literis proponerent Reges, quorum sub clypeo ac defensione me traderem, Panopliámq; Euangelicam illis cõmendatam inscriberem, eò denique varia ob causarum momenta mei animi inclinauit statera, vt vestræ Maiestatis sub signis stipendia facerem, méque totum vnà cum Panoplia mea Euangelica aduersus omnes ad vnum Euangelij hostes belligeratura vestrum sub præsidium omnium, vt videbatur, tutissimum collocarem. Cùm enim isthîc defensionem prorsus herilem ob natiui iuri solíque paterni prærogatiuam (de qua non mediocriter mihi gratulans, Dei Opti. Max. immortales habeo gratias, quòd in Catholica Principis regione natus atque educatus, tot salutis æternæ

Cur Regi Philippo hæc Panoplia inscripta.

periculis ſum ereptus, alibi tot miſeris natalis ſui ſoli tantùm infelicitate hodie diſpereuntibus) mihi planè pollicerer inter alia non pauca, nec ea tenuia, illud cùm primis ſeſe offerebat, quod apud eum nobis multò ſecuriſsimum foret propugnaculum, tutáque principia, qui non appellatione ſolùm dicatur, *REX Catholicus & Fidei defenſor*: ſed re quoque ipſa iam dudum orbi Chriſtiano, immortali cum gloria id feciſſet omnium illuſtriſsimè conteſtatum.

Ad hæc & illud momenti non minimum appendebat, quòd repurgato Angliæ regno ceu Augiæ ſtabulo, quò pridem errones omne genus numeroſiſsimè vndique confluxerant, ab omnibus ſemel quaſi fimis, ſic errorum, venenorum, atque peſtium non vnius generis inue-

Eximia Regis Philippi in Catholicæ fidei inſtaurationem pietas.

ctarum ſordibus, ac opinionum monſtris repurgato, priſtinámque in tranquillitatem ac puritatem vindicato, omnem non ingenij modò, ſed iſtius etiam potentiæ regiæ curam, ſtudium, & operã indefeſſam ponere deſinas nunquàm in vero Dei Opt. Max. cultu inſtaurando, religione conſtituenda, ſartis denique Eccleſiæ tectis conficiendis & abſoluendis. Quàm id verò pulchrè iuxtà atque feliciter ſucceſſerit, orbi toti eſt notius, quàm hîc vt ſit prædicandum verboſiùs. Sanè Rex ſereniſſ. tua vota Chriſtus Ieſus Chriſtiano de pectore fuſa exaudire non eſt dedignatus, quod equidem ſemper tibi Catholicæq; Eccleſiæ gratulatus ſum, & mihi perſæpè gauiſus. Qui enim Deus Opt. Max. optata iſthæc potuiſſet aut ſurdus negligere, aut non benigniſsimus exau-

Singularem in Catholiciſmi inſtaurationem zelum Regis Philippi Deus manifeſto adiuuat nutu.

dire, quæ luculentum nõ minus atque eximium, imò singularẽ prorsus præ se ferebant Christianismi & conseruandi & propagandi zelum? Quàm enim iste ardenti flagrarit Dei Opt. Max. amore zelus, qui Mai. T. Catholicam præsentissimum, & vt plerique ominabantur, inauspicatissimum corporis salutísque periculum subire, suscipere atque adoriri adeò coëgit? Sed scribendo panegyrico hîc non est locus opportunus, quem aliis perlibenter cõcedo ingenii dexteritate & huius faciundi arte instructoribus. Vnum illud silentio vt præteream, facere nequeo (quod autenticè ex aliis me audire dudum memini) flagrantissimum istum catholicismi zelum nulla posse pro eo, atque par est, oratione prædicari: nullis Panegyrici luminibus, vti dignum est,

illuſtrari: nulla deniq; humanà eloquentia ſuo pro merito celebrari. Quis enim mortalium omniũ, Rex Sereniſs. tuum iſtum flagrãtiſsimũ pectoris verè Catholici zelum verbis idoneis, ac rei hui⁹ adeò præclaræ Maieſtate dignè aggrediatur celebrare, quo inflãmatus, aliud te illis in nuptiis Anglicanis nihil ambire, nihil quærere, nihil ſpectare, ſacroſanctè profitebaris tuis literis ad D. Carolum Auguſtum patrẽ datis, quàm religionis Catholicæ illic demolitæ atq; euerſæ inſtaurationẽ? Iſtud tuæ literæ nunc quidem orbi Chriſtiano diſertè loquuntur, magnúmq; tibi apud pios vbiq; omnes pariunt immortalitatis nomẽ, ſumma cum pietatis verè Chriſtianæ laude coniunctum: ſed illo in die idem multò glorioſiùs apud illum omnium æquiſsimum iudicẽ Chri-

Cur Rex Philippus Anglicanas ambierit nuptias.

ſtum Ieſum teſtabuntur, quando præclarum iſtud in ipſius Eccleſiam ſtudium ſempiterna remunerabit immortalitatis beatæ gloria. Porrò ſyncerum iſthac in re adipiſcẽda & adminiſtranda collocatũ ſtudium, nec quod alij fortaſsis (ſi hæc ingenio metiamur humano) ſpectaſſent M.T.cõſideraſſe, ipſa rerum euenta effectáq; Solis luce declarant liquidiùs, vt hîc de illo nihil habeamus neceſſe dicere fuſiùs, ne quid auribus M.T.dediſſe videamur. Proinde Rex Sereniſs. cùm M.T.in Catholicam Chriſti fidem pietas ſingularis, orbi toti Chriſtiano tam ſit clara, quàm conteſtata, optimo ſanè merito iſthuc nobis Catholiciſsimum V.hiſce libris propugnantibus concedendum videtur, vbi defenſionis heroïcæ, atque ſubſidii verè principalis inueniamus plurimũ. Regius

enim ille Titulus *CATHOLICVS*, auito ex ſtemmate fluens, Catholici nominis hominibus omnibus tutiſsimũ iſthic pollicetur præſidium, quotquot piæ aliquid opis ſibi deſiderant, nedũ implorant. Hunc igitur noſtri ingenii fœtum ſi non elaborãdo, at lambendo tamen vtcunque, ni nos amor fallit, formatũ, Catholicæq; Chriſti Ieſu Eccleſiæ cõſecratum (in cuius vnius gratiam in lucem edimus) vnà nobiſcum tuã in protectionem aduerſus diros Sycophãtarum morſus vndiq; inhiãtes, atrocéſq; hoſtium ſemel omniũ impreſsiones infeſtiſs. ſuſcipere ne dedigneris, rogo atq; ſupplico, ſanctúmq; tuum per Catholici Regis nomen tibi hæreditarium obteſtor atque obſecro.

Cætera verò, Rex Catholice, quæ res præſens tuis conuenienter titulis

cuiquam efflagitare videatur am-
pliùs,aut cum pio Lectore tranſiget
operis præfatio , aut nos loco tēpo-
ríque indulgentes , ſilentio ſepelire
maluimus. Vale , Rex Sereniſsi. &
me veſtris omnibus in Chriſto Ieſu
obſequiis deuotiſsimum cliētulum
vnà cum Panoplia hac Euangelica
in veſtra defenſionis Catholicæ ca-
ſtra allegere, in matriculámq; aſcri-
bere obſecro ne recuſes,quò veſtris
ſub ſignis militans , veſtro etiã claſ-
ſico ad nobiliora aliquando ſtrata-
gemata in Euãgelij, veſtræque Ca-
tholicæ fidei hoſtes edenda excita-
tus accingar . Levvardiæ Friſonicæ
ex ædib⁹ noſtris,anno 1559.Kal.Iulij.

Catholicæ T.M.

deuotiſsimus

VVilhelmus Lindanus

Dordacenus.

PRAEFATIO IN QVINQVE LIBROS DE VERBO DEI EVANGELICO.

CHRISTIANO LECTORI

Euangelicæ veritatis, atque Apostolicæ doctrinæ Studioso vnam in Christo fidem, vitámque Christianam, Vvilhelmus Lindanus Dordracenus.

Nostri seculi ærumnosissimi calamitates authorem ad remedia meditanda instigarunt.



NTER complures istius tempestatis calamitates, quibus populus Christianus, verum Dei Opt. Max. peculium, miserabiliter hodie vexatur, simul & pernitiosè dilaniatur, non alia vlla ita certò illi est perniciosa, quod equidem arbitror, atque pestilens isthæc nouorum dogmatum lues: quæ verbi Dei simulachro personata, atque Euangelij prætextu quasi stybio quodam præstigioso fucata, incautos verisimilitudine captos illaqueat: imperitos noui Euangelij admiratione stupefactos mentis cæcutientia perstringit: Semidoctulos vana illius falsi

nominis ſcientiæ opinione deceptos, à recto Euangelicæ veritatis tramite ſeducit. Quàm longè miſerrimam Chriſtiani populi vicem ſæpè multúmque vbi mœſtiſsimus doluiſſem, in mentem mihi percrebrò venit, pium noſtra pro virili (ſiquidem Deus Opt. largiretur) iuuãdi ſtudium, quo dulciſsimos Catholicæ Chriſti Eccleſiæ matris chariſsmæ filios, fratres germanos aut ab erroribus, quibus captiui tenentur, aberrantes, in rectam Euangelicæ doctrinæ viam quaſi poſtliminiò reuocaremus: aut in vnius illius Apoſtolicæ fidei ſinceritate conſtantes, aduerſus graſſantes paſsim non minùs ſæuè quàm numeroſè hæreſes velut amuleto præmuniremus: aut ambigentes denique, atque nutantes in monſtrata doctrinæ certò Catholicæ ſemita, quaſi fulcro ſubdito confirmaremus, & porrecto velut ſcipione, ne prolapſi peſſum eant, ſuſtentaremus.

1. Tim. 6.

Quiſnam totius operis ſcopus.

Hîc igitur cùm me varia animi, modò in hoc, modò in illud conſilium pro varia momentorum ratione exæſtuantis cogitatio diu admodùm detinuiſſet ſolicitum, nihil præ cæteris omnibus vt firmiorem, ita compendioſiorem, quoque Catholicæ doctrinæ defenſionem ſic certò polliceri videbatur, quàm eiuſdem ex antiquiſsima ſimul & veriſsima Apoſtolorum doctrina, conſtabilitio atque confirma-

Vnde certiſsima ſimul & ſolidiſsima fidei Chriſtianæ confirmatio.

tio. Nam quod nonnullis probatum video consilium, Scripturarum videlicet meris testimoniis hæreses esse refellendas, nobis sanè seu sacrum quoddam Thesei filum, quod dicitur, ad explicandos labyrinthorum istorum vniuersorum errores sufficere, isthac sanè tempestate, minimè videbatur: quòd quæstionis omnium ferè aliarum principis, de Scriptura nimirùm, an ad dogmata omnia astruenda & corroboranda sufficiat, necne, status in controuersia in primis sit positus. Huc accedit, quòd Catholicæ Fidei isti aduersarij (qui dici, quàm esse malunt Euangelici) si apertioribus Scripturarum locis vrgeantur preßiùs, quàm quos aut ineptè detorquere, aut sacrilegè corrumpere, aut peruersè deprauare pro suo commodo queãt ipsam quidẽ Scripturam aut planè non recipere, vti Iacobi epistolam Lutherus, Pauli ad Hebræos Pomeranus, Ecclesiasticum Caluinus: aut si recipiant, alienam à vero sententiam vel ex Græco, vel Hebraico, vel etiam Latino tropo (vt Caluinus illud de merito operum apud Ecclesiasticum, de gratia nobis cooperante, de Baptismi aquæ neceßitate, aliisque inuehere malunt, quàm à sua isthac semel anticipata, & non ex Scripturis hausta, sed eò adducta animi sententia discedere. Taceo quòd nulla Scripturæ testimonia (quæ, vt

Scripturis solis cur nequeant ætatis huius hæreses confutari & profligari.

Aduersariorũ artes ad eludendos, quibus capiantur Scripturarum laqueos.

Luth. præfa. in D. Iacob epist.

Calui. in Institut.

vulgò videre est, ob facilem ipsius in varias sententiarum formas flexum, rectè naso fuit aßimilata cereo) ad quæstiones nunc orbem propè vniuersum perturbantes definiendas ita vix proferas aut perspicua, aut efficacia, quibus non oppositionum aliquot plaustra aduersarij opponāt, vt eorum aut obfuscent claritatem, aut infirment veritatem. Quemadmodum enim Arrhiani illi innumera sacrarum literarum ad fidei veritatem exagitandam compilabant fragmenta: Ita nostri isti ingentes mutilorum locorum aceruos hinc inde corrasos accumulant, ad Catholicæ Fidei claritatem toto planè orbe illustrißimam, quasi nubibus quibusdam obscurandam. Verùm enimuerò quis vel communium rerum mediocriter peritus, miretur meritò istorum hominum centones variis Scripturarum tanquàm panniculis consutos, vni illi Apostolicæ Fidei ceu vineam aliquam hirtis velleribus obductam obiici, qui Osidium illum Getam ex Virgiliano opere Medæā Tragœdiā meminerit plenißimè expreßisse? Aut Probā nostrā Falconiā de Homeri, simul & Virgilij poëmate Euāgelicā Christi historiā copiosißimè descripsisse? Quis enim nesciat, quàm nullo planè negotio Scriptorū verba in aliū atq; aliū rapiātur, flectantur, torqueantur sensum, quàm ab illis vel

Scripturas imperitè cumulāt aduersarij ad veritatem obruendam.

Nullo negotio verba Scripturæ à genuino deprauantur sensu.

Vide apud Tertull.

dicebantur, vel scribebantur? Hîc igitur immensus aduersariis cùm ad effugitandum, tum ad cauillandum patet tempus, vbi Scripturarum sensus, haud semper liquidò perspicuus, tantisper illis est aut incertus, aut ambiguus, dum aliquem vel noua cudendo, vel vetera recudendo effinxerint, qui aut vetera dogmata non adiuuet, aut sua ex priscis putidísque errorũ lacubus renouata in speciem adiuuet. Hinc illud tandem efficitur, vt vtrísq; lignea, quod vetus habet prouerbium, fatigatis serra, nullus sit elusionum finis, nullus responsionum terminus, nullus denique Apologiis vtrinque scriptitandis modus.

1.Tim.1. 1.Ioan.2. *Vndenam sarcienda controuersiarum omnium concordia.*

Verùm si doctrina certò Apostolica nouis istis siue heterodidascalis, vti Diuus Paulus suæ tempestatis hæreticos notabat: siue Antichristis, vti Diuus Ioannes, opposita obiiciatur, non habent refractarij, quod præfractè reiiciant: non habent pertinaces, quod mordicùs obtineant: non habent hæretici, vbi diutiùs hæreant: nisi cum doctrina Apostolica Apostolos simul ipsos vnà cum Christo ipso Apostolorum (vt ita quis dixerit) Catechista & Pædagogo, atque Spiritu sancto eorum & ductore & doctore semel abiiciant, semel conculcent, semel de medio tollant. Quod mortalium nemo, nisi impiissimus quispiam Lucia-

Ioan.10.

nius, aut Apostata Iulianus, vt non in animum inducat suum, ita nec sectis factionibúsque condendis est idoneum. Si suam igitur ad originem reuocetur dogma, quod in controuersia est positum, haud sanè aliter, atque rectus à Sole radius splendet illustriùs, riuúsq; rectà fluit à fonte puriùs, perspicuam veritatis lucem inde sibi aut hauriat, aut si ignorantiæ erroríue obfuscatum fuerit nebulis, recuperet. Verissimè iuxtà ac grauissimè namq; est à D. Cecilio Cypriano literis proditum: In compendio esse apud religiosas mentes & simplices, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatem. Nam si ad diuinæ Traditionis caput (inquit epistola ad Pompeium) & originem reuertamur, cessat error humanus, & Sacramentorum cælestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperiatur. Si canalis aquæ, qui copiosè priùs & largiter profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrúmue crescentibus venis, in capite siccauerit, an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? At si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quò minùs aqua perseueranter continua ac iugiter flueret, refecto ac confirmato canali ad vsum atque potum ci-

Qua via ad perspiciendā doctrinæ Catholicæ veritatem certò nitendum.

Facillimū esse dogmatum in controuersia positorum veritatem cognoscere.

Ratio expugnādarum hæreseon semel omniū certissima, et

pendiosissima & facillima.

uitatis aqua collecta, eadem ubertate atque integritate repræsentatur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta diuina seruantes, ut in aliquo si nutauerit, & uacillauerit ueritas, ad originem Dominicam ac Euangelicam & Apostolicam Traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit.

Viam hæreseon refutandarũ ab apostolicis Scriptoribus ostẽsam nos ingredi constituimus.

Proinde hanc confirmandæ doctrinæ Christianę rationem, semper mihi omnium firmissimam habitam ingredi uidebatur consultissimum, quò uerè Euangelicæ doctrinę, atq; Apostolicę disciplinę sententia nobis posterísq; sarta tecta perstaret. Hoc consiliũ enim Scriptoribus peruetustis & Apostolico illi seculo uicinis quàm probatissimum, atq; fructus simul & compendij plenissimum uisum fuisse animaduertimus: quod uidelicet ad refellendas reuincendásq; hęreses, populum quoq; aduersus diras errorum pestes muniendum singulariter ualere fuerit creditum.

Vide Dialo. 1. Theodor.

Anno domini 70. D. Ignatius Ecclesias munit aduersus hæ-

D. ille Ignatius, ὃς διὰ τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, *qui test. D. Theo. 1. Dia. Magni illius Petri dextra Archiepiscopatus gratiam suscepit, cùm eius temporibus unà cum grauissima Traiani persecutione nouella pullularent errorũ plantaria,*

haud quidem alia ratione Christianum populum arbitrabatur aduersus illorũ venena præmuniendum, quàm si salutarem doctrinam liquidò Apostolicam nouis horum commentis obiiceret. Asiam enim ad bestias Romæ damnatus præteriens, adhortationibus (ait Eusebius) Parochias corroborabat, vt cum primis hæreses recèns exortas, & emersas magnoperè cauerent, & Apostolorum Traditioni indiuulsæ adhærerent, admonebat, quam & cautionis gratia scripto testaturus, scribere necessarium iudicauit.

reses doctrinam ab apostolis traditã in memoriã reuocans.

Vide Euseb. libr. 3. cap. 35

Sic Agrippa ille cognomento Castor Theologus cùm primis nobilis, atq; apud priscos olim ob eruditionis præstantiam clarissimus, licèt nunc ob dolẽdum maximè lucubrationum eius interitum obscurus & propè ignotus, aduersus illius Simonis Magi discipulos Basilidem & Saturninum περιφιλακτικὰς ἐφόδους, *id est, præseruatiua præcepta ex Apostolicis dogmatibus conscripsit: quibus Christiani populi pectora veris Euangelicę doctrinę opinionibus quasi Antidotis ita semel imbueret, vt à Pseudoapostolis illis Gnosticis falsa Euangelicę disciplinę specie sese per orbem Romanum venditantibus, non esset iustum fraudis hęreticę, nedum pestis, periculum.*

Anno domini 80. Agrippa Castor Christianos aduersus hæreseon virulẽtiam præmunit Traditionibus Apostolicis.

Diuus Egesippus etiam Apostolicorum,

ait Hieronymus, vicinus temporum, Traditiones Apostolorum, teste Ioanne Zonara Tomo secundo, in scriptum redegit aduersus exitiales illas Christianæ religionis, Christiano sub nomine pestes Saturninum, Basilidem atque Carpocratem.

Vide Catalogum eius. Anno Domini 100. D. Egesippus Christianis Antidotũ ex Apostolorũ Traditionibus cõtra hæreses conficit.

Ad eundem planè modum & D. Irenæus ὁ φωστὴρ τῶν γαλατῶν ἑσπερίων, ait Theodor. Occidentalium Galatarum lumen, cùm iam Occidens caliginosis errorum nebulis obduceretur, & D. Clemens Alexandrinus Orientalis Ecclesiæ lucidißima fax, cùm illic hæreseon nox aterrima Euangelij lumen videretur obscuratura, ille ad Martianum fratrem, teste Diuo Hieronymo, de Apostolica scripsit prædicatione, atque Apostolorum Traditiones singulari congeßit industria: quò isthac ratione ille quidem per Occidentem, hic verò per Orientem teterrimas pestilentium errorum tenebras doctrinæ liquidò Apostolicæ sole illustratas depellerent.

Vide Dialo. Theodor. Anno Domini 150. D. Ireneus Gallos tuetur doctrina Apostolica. Anno domini 180. D. Clemẽs Alexandrinus Orientales defendit aduersus hæreticos doctrinæ Apostolicæ clypeo.

Cæterùm ingrauescente mundi istius suo non tam ætatis, quàm flagitiorum nostrorum pondere onusti senio, dum vniuersa in peiùs retrò collabuntur, atque in deteriùs perpræceps ruunt (quia ipsa quoque Christiana fides mundi istius domicilium penè vniuersum aliquando desertura, haud sanè exiguum vna cum

Apostolicis dogmatibus nõ scriptis cur nunc temporis Catholica veterum Patrum doctrina copulãda. Fides Christiana vnà cũ

mundi ruina perpetitur ſui detrimentum) altero prætereà videtur habere nunc opus fulcro quàm priſcis illis ſeculis, Apoſtolicæ ſolius doctrinæ teſtimonio: Catholico, inquam, veteris illius originalis Eccleſię conſenſu. Non quaſi Apoſtolorum diſcipuli atque ſucceſſores, vt ætate poſteriores: ita authoritate etiam inferiores, aut certiùs, aut pleniùs de vera Euangelica doctrina teſtari poſſe credendi ſint: Sed quòd Apoſtolorum de dogmatibus hodie controuerſis teſtimonium (quod rectè veréque à Diuo Cyrillo Fidei appellatur ſigillum) ſuis omnes concorditer vocibus ita certò & ſimul diſertè confirment, atque conteſtentur Apoſtolicum, vt de illo citra impudentiæ ſummæ, aut delirij veriùs notam nemo ſanus porrò addubitet, aut mentis ſuæ compos illud in poſterum meritò repudiet. Quod ſanè minùs foret neceſſarium, niſi iſtius noſtri temporis ingenia quædam, fanatico dicam an rabido ſpiritus illius diſſentionum authoris, non tam dicti quàm prædicti œſtro percita, non minus ſacrilegè, quàm audacter doctrinæ indubitatò Apoſtolicæ impias manus adferre conentur. Verùm iſtos mores conſeneſcens mundi huius ætas expoſcere cuiquam fortaßis videatur. Siquidem haud aliter atq; ſenibus noſtris ſilicerniis vſuuenit, vt cùm ætate decrepita & mens elan-

iſto mũdo cõſeneſcit, tandem cum illo propè interitura.

Apoſtolicam doctrinã non ſcriptã conſenſus veterũ Scriptorum & Eccleſiarum teſtatur liquidò Apoſtolicam.

Seneſcentis mundi ætatẽ iſtas deliras hominũ phanaticorũ nobis parere opiniones ab Apoſtolorũ doctrina abhorrentes.

Fides certè Euangelica quibuſdam ſui partibus nunc accidit, vti inveteratis corporis vires, et animæ facultates.

guida suis destituatur facultatibus, & corpus effœtum suis deficiatur viribus (quò fit, vt illam quidem errores nullo ferè negotio fœdè occupent, dubitationes vel de certissimis olim, cognitissimísque exagitent, stultáque suorum deliriorum pertinacia diuexent: hoc verò infirmitates sonticę, valetudinésque immedicabiles miserabiliter inuadant, oculos caligantes cęcitas opprimat, auréſque obaudientes surditas obsideat) Ita ipsi quoq; mũdo olim futurũ nisi iã nũc veriùs hoc ipsum agitur si quis Prometheus diuinet nõ fuerit fortassis perabsurdũ vt videlicet saluberrima illa doctrinę liquidò Christianę, atq; indubitato Apostolicę medicina, de cęlesti illi Dei verbi Narthecio omnibus in vniuersum hominibus certissima, adeóq; vnà animarũ salus deprompta, nefario quorũdam studio corrupta atque vitiata, nec in dubitationem modo à deliris reuocata, sed repudium adeò ab insanis perpessa, hominum vitio effœta reddatur, atque scelerum merito elanguida, atque inutilis efficiatur. Hoc siquidem Christus, ipsissima Dei Optimi Maximi sapientia & veritas erroris omnis nescia futurum fortè prędicebat, vbi Apostolos suos, quibus docendæ atque tradendæ Fidei minas maximo cum fœnore repetiturus crediderat, vsurarum suarum ex Fidei, alio-

Luc. 18.

Matth. 22.

rúmque donorum mutuo repetundarum, solicitus rogabat, num ad nos cælitùs suo olim tempore, vt futuri certißimo, ita ipsius articuli incertißimo reuersus, fidem in terra reperiat? Quod quidnam sibi obsecro vult aliud, quàm impietatem, ἀπιστείαν, atque infidelitatem plerosque omnes sub mũdi interitu inuasuram? cuius rei, si vnquàm aliàs adhuc, iustus metus pios perculit, in præsentiarum certè iustißimus. quemadmodum & mundi interitum nunc iustioribus de causis, quàm anteà sæpißimè, vti sub Seuero A. 1. Iudas ille Danielis interpres sub annum Domini ducentesimum, quòd magnitudo persequutionum præsentem mundi minabatur occasum, teste Diuo Hieronymo. Sic 2 Cyprianus epistola 3. libr. 2. Anno Domini ducentesimo trigesimo: 3 Basilius, item sub annum Domini trecentesimum septuagesimum, 4 Ambrosius propter Gothorum furores sub annum Domini 400. Italiæ Romæque capiendæ imminentes, & Longobardos suæ Insubriæ impendentes. Iam vulgò non infrequenter hac de causa est trepidatum, vti apud Sigebertum est legere ann. Domi. 673. Rursus 793. & per Galliam sub annum Domini millesimum ex millenariorum fortè reliquijs, vnde & tot illa regione existimant viri quidam rerum communium haud imperiticõdita fuisse

Fidei deliquiũ atque Eclipsis sub mundi interitũ futura.

1 Vide Catalogum.

Frequenter mundi interitum olim Sancti diuinabant sibi impendere, sed nũquàm iustiùs quàm hodie.

2 Quia iam secundus aduentus nobis appropinquat.

3 Vide epistol. 71.

4 Vide orationem funebrẽ in Satyrum: Raptus est, ne totius orbis excidia vel mũdi finem videret.

illo seculo Monasteria, ubi sese impendenti illi diei Domini præparent aptius. Nunc, inquam, iustioribus de causis breui lapsuras, mundi istius pereuntis quis haud improbabiliter coniiciat ruinas, quàm anteà, quum ex aliis non leuiter isto alludentibus, alibi copiosiùs explicandis, tum ex comminato nobis in primis à

Hebr.3.
Luc.18.

Christo ipso Fidei Apostolo. Euangelicæ atque Apostolicæ fidei excidio: quod tot hodie, eheu, nimiùm variæ & numerosæ commoliũtur hæreses. In hoc enim vsque seculum vnum ferè aut alterum Apostolicæ fidei dogma ab hæreticis illis priscis vt multo eruditioribus, ita longè quoque modestioribus in dubium vocabatur. At ista porro ætate semel in vniuersum propè omnia non in dubium modò reuocantur, sed exibilantur, sed exautorantur, sed profligantur.

Mores nostri seculi ad D. Pauli prophetiã perbellè congruunt.

Verum quánam rogo via & ratione? Tanta certè animorum & contentione & impudentia, vt isthac ætate si vnquàm anteà illud Paulinæ Prophetiæ expleri videatur: Quòd illam doctrinam Apostolicam, prophetabat, Christiani non sustinerent, rectam nimirum

1.Timot.4.

veri Euangelii doctrinam impiis nouorũ dogmatũ opinionibus deprauantes, sed iuxta suas quisque cupiditates & libidines sibi coaceruarent Magistros, magno videlicet numero,

atque inter se quoque ipsos toto diametro dissidentes, nullo doctrinæ nouæ delectu habito, modò illam hæterodidascaliam, id est, aliud ab illa Catholicæ Christi Ecclesiæ doctrina doceant. Iam illud adiecit, quàm bellè in nostros, Deum immortalem, congruit mores? A veritate, inquit, auditũ auertent, auribus prurientes. Quid hoc quæso aliud, quàm quòd veritatem vetustate corroboratam, suis vitiis asperam, moribúsque inimicam perosi noua dogmata audiendi pruriant libidine? quæ videlicet latam illam sempiternæ mortis viam cõtra angustias Euãgelici itineris salutariter arctas, malè suauiter dilatent? An non istas Paulinæ Prophetiæ notas in nostræ tempestatis Euangelicorum (quos sese ipsi dicũt) moribus agnoscas? qui quid aliud quotidie nouos quæritando magistros, quàm vt aurium pruritum expleãt? Hoc est, vt aurium doctrinæ istius in speciem nouæ pruritu lasciuientium libidini fiat satis? nihil pensi habentes, quid doceant, modò doceant noua: nempe, qui ipsis, vti Diuus Esaias de suæ ætatis moribus locutus, de nostris prophetabat, loquantur placentia. Esa.30.

Quare nos ætati isti nostræ multò infelicissimæ salutariter consultum exoptantes, non vt prisco illo seculo vetustissimi Theologi. Diuus Ignatius, Agrippa Castor, Egesippus, Diuus

Necessariò Apostolicæ doctrinæ non scriptæ nunc sociãda Ca-

tholica veterum Patrum & Ecclesiarum concors sententia.

Irenæus, & Clemens Alexandrinus Apostolica tantùm doctrina contenti esse potuimus, ad hæreses nostra hac tempestate grassantes refutandas: Sed illi Catholicam vetustißimorum Christianæ religionis Scriptorum doctrinam, Apostolicæ illi quasi succenturiatam, adiunximus sociam. Si enim quæpiam rabidis istorum nostri seculi hæterodidascalorum furoribus, aut fanaticis delirijs, aut impotentibus cupiditatibus incommodius explendis doctrina Apostolica videatur alicubi obsistere, quæ ipsorum aut deliria castiget, aut doctrinæ mendacia emendet, aut errores refutando furores sanet, hanc toto licèt orbe Apostolicam in confesso semper habitam, vetustißimi prætereà vnius aut alterius Apostolorum successoris etiam testimonio contestatam, atque confirmatam, mendacij impudentißimè notare, atque veluti adulterinam, supposititiam, & commentitiam repudiare nequaquàm dispudet: nihil minori sanè sacrilegio, quàm olim diuini Prophetæ ab impijs mendacij suggillabantur, si quando improbis eorum studijs pugnantia, prauisque cupiditatibus aduersa concionabantur. Quemadmodum enim illi vel vni Esaiæ, vel vni Hieremiæ verbum Domini annuncianti obstrepentes, aut impiè ceu fabulam delu-

Apostolicæ doctrinæ nũc vsu venit, quod olim propheticæ, vt repudietur quasi humana, et mẽdacii atque adulterij accusetur.

Esa 28.
Hierem.4.
Threno.3.

debant, aut sacrilegè mendacium appellabant: sic sanè isthoc seculo impij (nisi quòd tantò atrociore seipsi contaminant sacrilegij scelere, quantò pluribus indubitatis Euangelicæ testibus impiè audent obniti) verbum Dei Ecclesiis indubitatò per orbem terrarum vniuersis olim per Apostolos annunciatum in fabulam conuersum, aut irreligiosè subsannant, aut sacrilegè mendacij notant. *Voces aduersariorũ, quibus doctrinã Apostolicam Ecclesiis Catholicè traditam eleuare, atque falsitatis accusare conantur.*

1 Quod (inquiunt) aut ille, aut ille vetustissimorum Patrum testatur ab Apostolis vel dictum vel factum, ex vulgi errore dictum est: magis receptos, quàm probatos vulgi mores laudabant. Quòd breui tempore ante eorum ætatem in vsum obrepserat nimia facilitate, sine ratione, aut iudicio secuti sunt. Quòd Apostolis Patres vetustißimi accepta ferunt, quæ vulgò recepta ignotæ erãt originis. 2 Multa ad eos publica, sed incerta fama, nomine Apostolorum relata sunt, quæ alij de Apostolis, vt essent plausibiliora, confinxerint. Quòd ex persuasione, quæ temerè inualuerit Babylon apud Diuum Petrum, Romam allegoricè vocari finxerunt (3 ait Caluinus) Papiam Apostolorum discipulum notans, & D. Hieron. Oecumeniũ, &c. 4 Quòd incommodos sermones de sacrificio, de Sanctorum inuo-

1 Sic Caluinus Antidoto in Concil. Trident.

2 Brentius Apologia Cõfessio. Vuirtembergẽsis.

Apostolorũ discipulos multa finxisse sub Apostolorũ nomine, aiũt Euãgelici isti, vt sic suos tueãtur errores.

3 Caluinus in epistol. Petri *4 Philippus Melancht.*

catione, de fundendis pro mortuo precibus, à populo veteres Scriptores mutuati sint. O impietatem sacrilegam, ô nefariam audaciã atque inauditam, quàm nihil piget, nec quicquã pudet: quasi oculos mundo confixerit, ita impudenter simul & superciliosè de toto vetustißimorum iuxtà ac sanctißimorum Patrum choro censet. Scilicet istos penes Areopagitas, vt personarum omnium præ se nimiùm contẽptores, ita suarum quoque tenebrarum nimiùm præposteros amatores, arbitrium esto, de germana Apostolorum doctrina, qui isthoc mundi senio nati, aut vti Pythagoras in Euphorbum, ita hi in Vuicleuum aut Hußium quempiam, imò Iouinianum atque Vigilantium renati, & rerum temporibus obliteratarum imperitia impediti, suo quisque mendacij Spiritu Apostolicam metiuntur doctrinam: qui isthac illius tessera indubia sese piis omnibus manifestò produnt Antichristos. Siquidem aliam atque aliam non modò à suis mutuò dogmatibus, sed à sua quoque ipsorum, doctrinam isti hæterodidascali subinde in orbem euomentes, illum contentionis, blasphemiæ, atque dissentionis singularem magistrum dissentanea exprimentes ad viuum doctrina (vt ingenuos quoque et minimè degeneres agnoscas discipulos) priscam illam doctrinam à nouis suis, imò ex vete-

Areopagitæ olim de nocte densissimis in tenebrisius dicebant.

Fallacis angeli illius sese in lucis angelũ trãsformãtis tessera, dissentiones & dissidia, liquidò apparet istis in Euãgelicis.

-ribus potiùs hæresibus recoctis cõmentis alienam, vtut cum illa veteri Apostolica vnam atque eandem, humanam, Papisticam, adeóque Satanicam faciunt: suam verò licet à veritate alienissimã, licet cum Euangelio re quidem ipsa pugnacissimã, licet denique ab Apostolorum dogmatibus diuersissimam, at veram tamen Euangelicam, & Apostolicam iactare audent, imò, si superis placet, verbi Dei titulo insignire verentur nihil. Atqui istum in modum pro callida ingenij vafritie sese solet astutus ille veterator infestissimúsque salutis humanæ hostis Satanas in Angelũ lucis trãsformare, vt faciliùs pro prisco impotenti illo suo surripiendi diuini honoris studio, etiamnùm hodie sibi suísque veritatem arroget, germanísque veritatis filiis suam mendaciorum falsitatem tribuat. Proinde & sua ob rerum veritatem nomina in alios prior conuitiando transfert, vt in ipsum minùs hærere videantur, quòd posteriùs dicantur. Quemadmodum enim priscis illis seculis Catholicæ atque Apostolicæ fidei propagatores, simul & propugnatores DD. [1] Zephyrinum Roma. Episcopum, [2] Basilium, [3] Nazianzenum, [4] Ambrosium, [5] Hieronymum, [6] Augustinum hæretici calumniabantur Apostolicæ doctrinæ [7] corruptores, [8] hæreticos, [9] Manichæos, [10] Homousionistas,

Hæreticorũ inter ipsos dissentio, eos diaboli discordiæ magistri arguit discipulos.

Cur Diabolus sua vera nomina piis Dei filiis semper per hæreticos affingat.

1 Theodorus Bizantius apud Nicephorum.

2 Vide epist. Basil.

3 Vide epist. Nazianz.

4 Iouinian' Manichæum Augu. de nuptiis, 2. c. 5. & 23.
6 Pelagiani, vide homil. 14. de verbis Apost.
7 Vide 1.
8 Vide 6.
9 Vide 4.
10 Vide Aug. collat.
11 Vide Aug. de nuptiis 2. cap. 23.
12 Vide epi. Nazianz.

11 Sabellianos, 12 Basilianistas: sic illorum successores eiusdem planè fidei Apostolicæ, & auitæ doctrinæ professores hodie accusare non verentur Apostolicæ fidei violatores, Satanicos atque Papistas, aliisque honorariis ornare titulorum elogiis, quæ quotidie vera in pietate proruentes, ad popelli plausum confingunt.

Aduersarij vera vtūtur Sophistica quia sophista veritatis fur Aristoteli.

Quare istis sophisticis imposturis (est namque Sophista veritatis fur, si hac in re Aristoteli credatur; teste Clemente Alexandr. in 7. Stromatum) fraudulentisque illusionibus, quibus imperitæ plebeculæ fucum facere aduersarij cōnituntur, Apostolicam simul & Catholicam Christianæ Ecclesiæ doctrinam opposuimus, quasi clarißimum atque leuißimum disciplinę liquidò Euangelicę speculum, vt ex Catholico veterum Ecclesię Christianę Patrū cū Apostolica doctrina consensu omnibus fiat luce ipsa Solis meridiana manifestius, nouam aduersariorum doctrinam cum vetustißima veri Euangelij Christiani Apostolica, simul & Catholica ex diametro toto pugnare doctrina. Quinimò & illud hinc omni constabit Christiano orbi perspicuè demonstratum, illa aduersariorum emblemata Cæsareę Maiest. aliisque Germaniæ nostræ Principibus nō rarò obtrusa, vanitatis impudentißimę haud esse expertia, quę paßim suis istis Confeßionibus

Euangelici isti omnes cū Euangelica, Apostolica, Catholica pugnāt doctrina.

& Apologiis iactāter infarciunt: Nouos tātùm abusus (inquiunt in Confess. August.) sustulimus, qui contra veteres Canones, contra veteris Ecclesię exempla, sine vlla certa authoritate vitio temporum recepti sunt. Itē sub finē Confess. August. In doctrina & cęremoniis, inquiunt, apud nos nihil est receptum cōtra Scripturā, aut Ecclesiam Catholicā, quia manifestum est, nos diligentissimè cauisse, ne qua noua & impia dogmata in nostras Ecclesias serperent.

Confessionis August. & Apologia vanitas quanta hinc liqueat.

Quę ipsorum asseueratio an veritati affinis sit, an ab ea longè absit, potiùs maluimus tuo, cādide Lector, relinquere arbitrio diiudicādū, quàm nostro quasi pręiudicio tuas aures, mentém ve aut pręoccupare, aut pręgrauare. Prudenti enim atq; attēto Lectori aut fuerit sanè difficile, perspicuùm hîc cernere, penes vtrósnam doctrina certò Apostolica, & indubitatò Catholica constet sarta tecta: An eos, qui veterē Ecclesiā insequuti, sese pręscribūt Catholicos an eos veriùs, qui dogmatū dissentionem sectati, sese aut Protestātes nominăt, aut dicunt Euangelicos? Quod qui hîc perspicuùm agnoscat, quámnam obsecro, Lector Christianę, sibi aliam meritô exoptet Fidei re ipsa Christiane, & certô Euangelicę, indubitatóque Catholicę ex vetusta ipsius antiquitate

Ex Panoplia hac liqueat, penes quos vera sit Euāgelij & Apostolorū doctrina.

confirmandæ rationem? si modò mansuetū sese Euangelio præbeat discipulum, nec contentiosum, sed ex animo veritatis Christianæ studiosum, & si vnicam illam studij Theologici

Eccl. 5. & 8.

probè à Spiritu sancto singulari veritatis Doctore didicerit normam, Esto mā suetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas. Porrô eos qui ex contentione sunt, moramur nihil: quicquid illi aduersus manifestam adeô veritatem insanis maledictorum clamoribus obstrepunt: quicquid tinnulis blandæ illius in speciem libertatis Euangelicæ voculis obgāniunt: quicquid canoris humana ex sapientia nugis obmurmurant, scimus ex Apostolorum prædictionibus, scimus exitiales esse Satanæ hostis insidias, pernitiosas humanæ salutis prestigias, detrimentosa denique Euangelicæ sementis zizania.

Diaboli fraudes à fide Apostolica & Catholica aut cantus non melius quàm surda euitātur aure.

Proinde pia Christianorum pectora serpētinæ illius Euangelicæ prudentiæ æmula ad hæc, tanquàm Syrenum illarum cantus, blandáque Circes carmina illas animi sui aures occludere, periculíque metu obuallare est consultißimum, vt surda, quod dicitur ante hæc in speciē tempe amœnißima pertransire queant. Si enim illi prisci nostri omniū deceptoris serpentis sibilo, prima quidem fronte blando, sed venenato atque aculeato aurem præbere consilium

filium est, tam est hodie fraudulentus, plausibilis, & in speciem veri similis, vt nisi magno cum prodigio illæsus, virulentóque anhelitu nõ aliqua ex parte afflatus nõ discesseris: quod vel doctißimi plurimi nostra hac ætate viri lugendis suis demonstrẽt exemplis. Verùm Catholicos Lectores omnes apud Deum Opt. supplicibus optarim votis in dãnatis aduersariorum legẽdis libris esse Prometheos, quàm Epimetheos.

Cauendum omnibus perstudiosè à dãnatis aduersariorũ scriptis, quòd lectoribus magno cũ periculo suũ afflent virus.

Quò enim magis magísque nostræ istius ætatis tempora cogito, mores animaduerto, studia cõsidero, hoc mihi magis persuadeo, illum propemodùm diem miseris illucescere mortalibus, quo Draco ille serpẽs antiquus (qui est diabolus & Satanas, vt ait D. Ioannes Euangelista in sua rerum in Christi regno gerẽdarum prophetia) ad ãnos mille, hoc est, plurimos, sed incertos in abysso ligatus, ne ampliùs gentes seduceret, nunc temporis dissoluta catena illa magna, id est, Dei nostris omnium sceleribus immodicis meritò iratißimi impedimẽto paulisper semoto, in mundum iteratò ingreditur pristino illo, nimirùm fallendi atque in errores illiciendi, functurus officio. Ita namque illius dißentionum atque schismatum artificis singulari studio & opera, cùm veteres illæ quidẽ

Nostræ ætatis calamitas vnde.

Apoc. 20. Diabolus olim ligatus, nunc videtur abysso emiss⁹ iuxta pphetiam Apocalyp. 20. Priscarũ hæreseon repullulatio ex Diaboli zizaniis. Matth. 13.

hæreſes iam pridem conſopitæ reuiuiſcũt, tum nouellæ toto paßim orbe expullulant, atque cõgerminant, vt Apoſtolici illius ſeculi (niſi equidem multũ fallor) faciem ad viuum agnoſcere mihi propediem videar: quod ſanè per Diaboli ſtudium illud noxium attinet. Zizania illa noua dico, quæ inimicus homo, vt eſt apud Matthæum, agricolis & Chriſti miniſtris nimis altùm dormientibus, & profundè nimium alienis ab ſuo quibúſque ferè officio, curis demerſis, bono illi, vt peruetuſto, ita viuido etiã Apoſtolicæ doctrinæ ſemini inſparſit: quæ tantò vereor ac metuo (vtinam vanus ſim vates) fertilius malè prouenient, quantò glebam ſibi nacta ſunt nimis idoneam.

Agricolæ et Chriſti vinitores ſupini plerumque dormiunt.

Quid enim noſtris poſteris polliceamur, ſi iſtam germinum illius fœcunditatem, prô nimis felicem, prudenter animo contemplemur, quæ ſubitanea quaſi lue ex illa ollæ ab Aquilone igne iræ Dei ſuccenſæ incendio profecta & orbem propè omnem peruagata, numeroſiſſimam hãc Aquilonis gentem, hominum olim vaginam veteribus meritò dictam, iam nunc depaſcitur atque depopulatur? quæ Occidentẽ non leuiter aduſtulauit? quæ Meridiem grauiter ſauciauit? quæ Orientem denique exitialiter deuaſtauit? Verùm in hoc plus quàm

Ierem. 1. Vide Iornãdem de Gothorum historia. Ollã illã furoris Domini apud Ieremiã igni hæreſeon ſuccẽſam, ab Aquilone nũc flagrantẽ ebullire.

Tragico exitialis incēdij spectaculo dum mecum tacitus reputo, ecquid factu sit opus, an otiosum me cum plerisque exhibeam spectatorem, an pias potiùs manus isti flammæ vndique accensæ adhibeam extinctorias? arcto atque solutu perdifficili me vtrinque constrictū video neceßitatis nodo. Illud enim me manifestißimæ arguat impietatis, socordisque ignauiæ, imò atrocis veriùs iniuriæ, cùm citra piaculum parricidale maternas Ecclesiæ Christi Catholicæ conflagrare quis videre nequeat ædes, ni omne sua pro virili attulerit subsidium: hoc verò magnæ fortaßis me apud quosdam censorios notabit temeritatis, quòd maius huius ætatis viribus attentarim onus suscipere. Sed quia & in magnis voluisse sat est, nec suo apud Deum Optimū prę clarum piæ suam in Ecclesiam conseruandam voluntatis studium caret fructu atque adeò præmio, hanc in partem peccandum arbitrabar satiùs, quàm illius culpæ vlla ex parte vel videri affinis: maximè cùm & nos Dei Opt. dignatio ad custodiendas sua super familia excubias vocare non sit grauata, aliisque collegis strenuam hāc in rem aßiduè operam tolerantibus adferendam, si quam poßumus, auxilij opellam inuitantibus. Ne igitur illis desimus & nos ad opus accingere fuit animus.

Tragicū istius incendij spectaculū pios omnes ad auxiliū Ecclesiæ laboranti ferēdū inuitat.

Istarū hæreseon flamma omnē propè orbem Christianum exitialiter depascitur.

Fons errorũ omniũ huius tempestatis, ꝙ Scriptura sola est verbũ Dei, hoc opere obstruitur, & obturatur.

Quare cùm omnis hydræ istius Lutheranæ virulẽtia multò pestilentissima, simul & præsentissima, quæ per orbem Christianum, eheu dolor, latè iuxtà ac dirè peruagata sæuit, in verbo Dei scripto (quod duntaxat, non item doctrinam Apostolorum traditã & non scriptam, verbi Dei appellatione dignatur) ceu capite suo lateat recõdita, nullum planè aliud aduersus sonticum istud malum existere videtur remedium aut salutarius, aut præsentius etiam, quàm vera illa non iam fabulosa Herculis claua, sed Christi Iesu machæra bicipiti: verbo, inquam, Dei scripto, & non scripto, verissimæ istius hydræ caput illud principale semel demetere atque præscindere: quo depurato reliqua omnia errorum capitula, toto eius passim corpore, Stolonum instar, temerè stultéque propullulãtia, vltrò emori est necesse, haud aliter atque illi Lerneæ vsu euenisse fabula veritatis inuolucro tecta habet. Quod vt efficiamus faciliùs, & assequamur feliciùs (quãtam quidem nobis per ætatis tãto sanè negotio imparis immaturitatem, & ingenioli rebus adeò arduis minus idonei, eruditionísque rerum digna cognitione nõ satis instructæ mediocritatem licebit) quæstionem nobis pertractandam sumpsimus, vt plerisque omnibus vsu protritam, ita prorsus omnibus cognitu necessariam:

Nisi aduersarios cogas verbũ Dei Agraphon, atq; nõ scriptum sed traditũ recipere, tantundem profeceris, quantum si hydrã illã Lernæã saluo capite prĩcipali oppugnare pergas.

An verbi Dei nomine sola Scriptura sacra sit Christianis accipienda? Quæ quidem quæstio, si quis accuratam seculi istius nostri secum ineat rationem, quò veterum ferè omnium hæreseon camerinæ rabidis quorundam studiis perturbatæ, in Catholicam Christi Ecclesiam funestas sæuissimásque denique pestes exhalant, haud sanè facilè explicarit, quantũ ea & vtilitatis necessariæ, & necessitatis multò vtilissimæ contineat inuolutum. In ea namque totus Christianæ nostræ religionis cardo vnicè singularitérque versatur. Christiana enim fides cùm tota verbo Dei, ceu basi sua fixa nitatur, hîc si dubius ambigas, quid nam sit verbum Dei, quis non videat, vniuersa nostræ religionis firmamenta semel labefactari, suo gradu deturbari, pessundari, euerti, profligari? Quare si fortunas aliquis nostras aut dolo, aut stellionatus astutia ereptum eat, aut auito fortassis fundo nos exturbare conetur: si existimationi, si honori, si libertati quis insidias struat, eius profectò studiis, quibus liceret cùm viribus tum opibus obuiam iremus. Quid hoc igitur in loco faciũdum credas, Lector Christiane, vbi de salutis æternæ possessione lis intẽtatur? vbi de auito Christianæ religionis fundò disputatur? vbi de Apostolica cælestis Euangelij hæreditate controuersia tractatur?

Verbũ Dei an solã cõtineat Scripturam.

Fidei Christianæ basis est verbum Dei.

Quàm eximia & propè singularis huius cõtrouersiæ vtilitas.

Quãti intersit cuiusque Christiani hãc cõtrouersiã, Quidnã sit verbũ Dei Euangelicũ, cognoscere.

Cùm igitur piorum erga ſuos parentes filiorum amor nequaquàm ſuſtineat fundos auitos à Maioribus vſque traditos nullo pacto ſibi, aut eripi, aut accidi, quis noſtrum, Lector, qui vero Catholicorum nomine ſeriò gloriamur, quis noſtrum, inquam, æquo ferat animo (niſi paternarum opum ignauiſsimè negligens) auitum noſtrum patrimonium, ſingulare illud Chriſti noſtri peculium, Apoſtolorúmque depoſitum nobis per manus à Maioribus hucuſque & traditum, & concreditum, ſibi de manibus cum nominis infamia excuti? aut intolerabiliter cum poſterorum iniuria accidi? aut miſerabiliter cum irrecuperabili ſalutis iactura dilaniari? Proinde improbis iſtis Diaboli hoſtis nobis infeſtiſsimi machinationibus, callidiſsimiſque cuniculis, quibus vix aliàs vnquàm obliquioribus ad impiũ illũ ſuũ Athëiſmum conabatur redaperire viã, heroica Chriſtiani pectoris fortitudine eſt obnitendum, ne verum Dei verbũ Germaniæ noſtrę iam olim hæreditariũ ab Auis, Proauis, adeóque Apoſtolis ipſis D. Thoma, D. Creſcente, & aliis traditum, nec fruſtulatim accidi, nec partim eripi patiamur.

Diabolũ hac de verbo Dei controuerſia viam ſibi ad Atheiſmum moliri.

Vide Hier. 1. Catalog. et Epiphan.

Licèt enim antehàc varia in fidei Chriſtianæ interitum ſit commentus conſilia, quæ vniuerſa cùm fruſtrà eſſe videat, factus iã in-

Diabolum nunc callidius ſimul

festior, in nos Apostolici illius gregis reliquias insurgit callidior, ijs tamen, quæ nunc sub mũdi finem molitur, nunquàm anteà conabatur sanè aut perniciosiora, aut diriora. Olim enim vbi per Tyrannos illos Nabuchodonosor, & Diocletianum frustra sese sacrarum literarum interitum agnosceret fuisse molitum, aliud inire consilium lædendi nostri studio coactus, longè illo & callidius & noxium magis excogitauit machinamentum, quo illas vel partim saluas, si non perderet, at sanè affligeret tamẽ. Itaque in Italia per Theodotianos Legem & Prophætas, in Ponto omnia Christianæ historiæ Euãgelia, præterquàm D. Lucæ, conabatur per Marcionem sublegere, in Syria per Alogos illos Apocalypsin, in Grecia per Seuerianos acta Apostolica, & per Helcesaitas D. Pauli epistolas moliebatur inducere atque delere. At nunc sub mundi finem, si non ætatis senio emorientis, at nostris saltem sceleribus labascentis, non partem modò aliquam verbi Dei, sed totum planè ipsum Dei verbum pijs Christianæ doctrinæ filijs, fidísq; Apostolici depositi custodibus studet surripere: dum videlicet scriptum Dei verbum, si literas numeres, sartum tectum sese simulat callidus impostor relinquere: sed si penitiorem eius intueare naturã, re vera illud totũ conatur sublegere, atq; funditùs per-

& infestiùs Catholicam oppugnare Ecclesiam, quàm anteà vnquàm.

Vide hac de re Nicepho. Tertull. contra Marcionem.

Epiphaniũ in Alogis. August. de heresibus.

Diabolusnũc totũ Dei verbum conatur semel subuertere atque perdere, quia scripturis certum sensum ex Spiritus s. magisterio traditum studet eripere.

dere. Quia enim illud scriptũ Dei verbũ claro certóq; Apostolicæ Traditionis sensu vt obscuret, spoliat: quia illud viua Apostolorum voce traditis vnà cum illo dogmatibus, vt laceret, expilat: nunquàm sanè antehàc nec callidioribus vsus machinis, nec astutioribus fretus consiliis, nec formidabilioribus instructus artibus in Catholicam Christi Ecclesiam aut incubuit infestior, aut insultauit perniciosior. Verùmenimuerò si tantùm veritati Scripturarum obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptor stylus, vti rectè à Tertulliano dicebatur, quid de isthoc Diaboli veteratoris stratagemate cẽsendum, quo non solùm verum Apostolorum sensum illis conatur detrahere, sed adulterum etiam molitur inuehere? Ergóne vnà cum Apostolici sensus mutilatione certißimum Scripturis ipsis dirum vafer moritur interitum?

De præscriptionibus.

Si semel igitur totum Dei verbum indubitatò constitutum fuerit, & determinatè finitũ, omnes in vniuersum istæ errorum præstigiæ (quibus nunc temporis complures, proh dolor, perstricta mentis acie à recto Euangelicæ veritatis tramite aberrantes, sese in certißimum sempiterni exitij barathrum dant præcipites) adeò non euanescent modò, vt penitùs deletæ vltrò quoq; semel intereant, verámq; Apostolicæ doctrinæ custodem Ecclesiam Catholicam

Certißima istas dogmatũ controuersias conciliãdi ratio ex verbi definitione.

mirificè suo interitu gloriosam, singulariterq; illustratam reddant. Nec enim aliud futurum mihi persuaserim, si inter diuulsas Ecclesiarũ istarum factiones, Catholici nominis vt vere expertes, ita vere quoque, sed frustrà, æmulantes, vt olim Arrhiani, semel nobiscum concorditer conuenerit, quidnã sit verbũ Dei, quàm quod in teterrima noctis caligine vsu eueniat, si lucudißimus Sol subitò exortus horridis depulsis tenebris omnia clarißime suo lumine collustret, quo tota rerũ vniuersitas, in suo quodque ordine & natura, plane inspiciatur, quid solidum, quid inane: quid viuum, quid adumbratum: quid natiuum, quid fucatum: quid purum putum, quid miscellaneum: quid denique verum, quid adulterinum.

Quantoperè exoptãdum, vt inter omnes constet, quidnam sit verbũ Dei.

Vide Victorem Africanum de persecutione Vuãdalica. lib. 2.

Frustrà istas sectas Catholicis suum nomen Catholicũ inuidere, vti olim & Arrhiani.

Proinde cùm tanta vberrimorum fructuum & eximiorum commodorum copia ex vna hac questione pendeat, vt nostrûm fuerit, ne hiulca orationis methodus ratum aptúmque disputationis filum obscuret, néue Lectoris attentionem inepta rerum series frustretur: ita tuũ erit, Christiane Lector, vt anticipatę opinionis sententia paulisper deposita, ę qui iudicis personam indutus, animi quidem attentionem in cognoscendo, ęquitatem verò in diiudicando adhibendam, obnixè oro, atque tuam te per salutem obsecro memineris, ne aut illa

Admonitio ad Lectorem candidum.

præoccupatus, frustrà legendo fatigeris, aut hac destitutus aliter quædam tibi videantur dicta, quàm vel pia instituti nostri ferat ratio, vel sacrosancta rerum veritas patiatur.

Lectori candido quid ex huius operis lectione expectandum.

Cæterùm quò planè omnium vberiùs seruiremus commodis, magis rerum, quàm verborum studiosi, vtilia potiùs, quàm plausibilia sectati sumus, quæ non inania tibi Lector vocularum molliusculo tinnitu aures ferientium adferant oblectamenta: sed quæ salubriora dogmatum Fidei Catholicæ præbeant emolumenta, quæ cùm mentem fructus suauitate demulceant, tum animum Christianę religionis pietate imbuant, pectus denique veritatis certò Euangelicę sanctitate impleant.

Hęc autem dixerim de dogmatibus hodie in controuersia positis, & si certè non omnibus, at plurimis tamen, iisdémque capitibus, atque aliorum fontibus, quę aut diffusè, aut restrictè, quod alij nostrę ætatis Theologi copiosissimè sint persequuti, petractare nobis cura fuit, pro eo atque nostrę Panoplię ratio postulare videbatur. Quibus si minùs aut per ętatis iudicium, aut veterum Patrum studium fuerit factum satis, pius, rogo, boni consulatur iuuandi animus: cui si aut facultas desit, aut effectus, certè voluntas non defuit, aut affectus De illorum equidem numero me in primis pro-

fiteor ingenuè, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.

Apoſtolicam itaque ſimul & Catholicam de dogmatibus hac extrema mundi pereuntis hora controuerſis doctrinam perſpicuè ſub omnium oculos proponere conabamur, ac ſimplici ſanè contenti fuiſſemus veritate, nullam ne leniculæ quidem offenſionis, nedum iuſtæ indignationis, occaſionem mortalium cuiquam daturi, ſi res ita ferre poſſe fuiſſet viſa.

Cur quorundam errores hîc nominatim refellendi.

Vnde & ab aduerſariorum omnium nominibus perlibenter temperaſſemus, vt ſententiæ ſententiis oppoſitæ abſque vlla omninò perſonarum inuidia placidam loquerentur veritatem, niſi huius faciendi neceßitas iſthuc nos prorſùs adegiſſet inuitos. Non enim illorum verba huc transferre licuit acephala, ne falſam calumniam ſtruxiſſe videamur, quam nos fidem in eis perſæpè deſideramus. Proinde ſtrenuam dedimus operam, vt ſententiis duntaxat eorum ſyncerè & optima cum fide recitatis non conuitia conuitiis etiam retunderemus, non maledicta maledictis reponeremus: ſed veritati Euangelicæ ſtudentes, Euangelicam quoque illam Chriſti Ieſu manſuetudinem pro noſtra infirmitate imitabamur, quæ maledicentiam omnem vel laceßita exhorreſcit, non in Euangelico modò

negotio, sed in omni planè vita Christiana, vt non audiamus in re sacra, quod prophanus ille in re prophana verissimè exclamat: ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν αἴσχιστον νόσον.

Quibus armis hic pugnandum ex hostiũ præscripto.

Illud postremo loco admonitũ velim, Christiane Lector, nos in aduersariorum gratiã non planè omnium, neque omnibus omninò veterũ Patrum testimonijs esse vsos, quæ causam nostram aut instruere locupletiùs possent, aut manifestiùs confirmare: sed ex istorum sanè præscripto illos duntaxat Patres veteres in Apostolicæ doctrinæ certò demonstrandæ testimonium asciscimus, quos vel ipsi veterum prorsus omniũ Aristarchi audacissimi, vt iniquissimos non dixerim, aut iniustissimos, ad sua isthæc noua dogmata statuenda adducere non dubitant. Magnum sanè præiudicium armis ex hostium quasi arbitrio præscriptis tantùm pugnare: cùm verissimè illud vsurpare liceat, Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Verùm præclara huius causæ bonitate cõfisi, ac perspicuè omnibus, qui æquum adhibeãt arbitrium, confirmatæ satis supérque veritatis Catholicæ confidentia freti, legem ab aduersarijs præscriptam non inuiti patimur, nihil causæ nostræ, quod equidem arbitror, detrimenti allaturi: ni in detrimento quis habendum censeat, quòd causam non tam adiuuet, quàm exornet. Qua-

re ita nos instruximus, vt veterum Scriptorũ neminem ad Fidei Catholicæ dogmata constituenda aduocauerimus testem, qui nõ ante annos iam mille suis in publicum editis libris, toti Christiano orbi effloruerit. Porrò ea quæ aut in τῶν ἀδήλων, id est, incertorum calumniam, aut ἀποκρύφων, id est, occultorum notam incurrãt, prudenter hac in arena prætериuimus, nisi quæ aduersarij suis præiudicijs rectè aduersum se ipsi valere iudicarunt, dum hæc ipsa ad sua isthæc noua dogmata stabilienda recitãt. Illos proinde Apostolorum Canones in præsenti tãtùm mihi recitandos atque vrgendos credidi, quos illa totius orbis Concilia suis testimonijs quasi sigillis genuinos consignare non dubitarunt: quósque apud Epiphanium clarißimum scriptorem, D. Carolum Magnũ, Burchardũ, alιósque eiusdem notæ extantes quasi disiectas in deploratißimo Apostolicæ illius Politiæ naufragio tabulas collegimus.

Veterũ Scriptorũ qui ante annos mille floruere, testimonijs tantùm hac in Panoplia vtendum.

Alia verò similis notæ antiquitatis Christianæ monumenta non adhibuimus, nisi quorum, vti diximus, fragmentis ipsi Aduersarij clarißimum Catholicæ doctrinæ Solem quasi nubibus quibusdam operire conantur: quæ cùm ipsi ad Catholicæ fidei oppugnationem valere prǽiudicarint, æquißimum quidem fuerit, vt eadem ad eiusdem propugnationem valere cõ-

cedant: qualia sunt, quę Telesphori, Anacleti, aliorúmq; vetustißimorum Scriptorum titulis extantia non infrequẽter aduersus Catholicos retorquent. Quæ si cuipiam morosiùs censenti minus ad authoritatem facere videbuntur, ad antiquitatem saltem non leuiter pertinere demonstrabũtur. Quare hanc in rem seduli incubuimus, vt intra quingẽtos illos à Christo nato annos tota nobis decurreret veterũ Scriptorum recitatio, quò doctrina ex purioribus illis Christianæ Ecclesiæ fontibus hausta, faciliùs istud ex dogmatum discordia incendiũ pridem natum, dudum accensum, breui (eheu vereor) manifestum in orbis totius rogum, pyrámq; inflãmandum restinguat, verósq; Euangelij Christiani studiosos vberrimis disciplinæ certò Apostolicæ fructibus feliciùs cumularet, pios deniq; in vniuersum omnes verè Euangelicæ pietatis atq; Catholicæ pacis amatores suauiùs refocillaret. Quare ne qua in re nostro instituto defuisse cuiquam videamur, Gręcas ferè Græcorum Patrum adiecimus sententias, quos quidem aut ipsi legere, aut dolenda librorũ penuria impediti per alios consulere potuimus: cùm vt Latina Gręcis collata significantiùs authorum sensa exprimant, tum ne in veritatis Catholicæ præiudicium aut minus aut plus, quàm res habet, conuertẽdo dixisse vllã suspicionem

cuipiam daremus: quod Aduersarios nostros in veterum PP. sententijs, in historijs, in Sacrosanctis adeò Scripturis persæpè facere breui mundo demonstrabimus.

Proinde, vt ad rem accingamur, disputationis quidem nostræ ea erit series, vt initiò, quidnam sit verbum Dei, peruestigetur: quam inuestigationem vera deinde verbi Dei definitio excipiet. qua constituta, veras verbi Dei partes restrictè explicatas tractabimus, dogmatáque Christianæ Ecclesiæ nunc propè omnia in controuersia posita ex verbo Dei confirmabimus. Aduersariorum denique oppositiones ad Euangelicæ veritatis libram expensas, vanitatísque conuictas, vltrò euanescere monstrabimus.

Propositio cum distributione.

Lib. 1, 2, 3, 4, 5

Quem laborem Christe Iesu tuæ vnius gloriæ illustrandæ, Catholicæque illi tuæ veræ Ecclesiæ propugnandæ singulariter desudantem, quàm possum impensissimè supplex oro, atque obnixiùs obsecro, vt dignanter suscipias, nostrique misertus, tuo illo cælesti auxilio hanc ingenij infirmitatẽ adiuuare, mentis imprudentiam tuo consilio gubernare, ætatísque imperitiam tui spiritus vnctione, afflatu, atque illustratione docere digneris. Te enim CHRISTE testor in animam meam, nos amanter magis quàm audacter labores

Nuncupatio operis huius Christo Iesu cum inuocatione.

Ita D. Ambros. de Fide. Sic & D. Fulgentius.

hosce in publicum dare: non cuiusquam suggillandi libidine, sed sanandi fratres desiderio, atque confirmãdi: non de aduersarijs, quos nequaquàm exacerbatos, sed sanatos optamus, victoriam, sed contra mendacium quęrentes veritatem: contra noua nouatarum ex veteribus hęreseon dogmata antiquitatem: contra Antichristorum omnium pseudoeuangelium veram tui Euangelij sinceritatem.

Aetiologia in lucē edita huius Panopliæ.

Voluimus pręterea hasce laborum quinquennalium opellas (ô vtinam tibi Christe Iesu gratas, tuęq; Ecclesię conducibiles) in quinque tomos secare, vt quinque fortassis minarũ tibi gratiarum omnium, quibus tuum Ecclesiæ corpus exornare nunquam desinis, liberalissimo dispensatori obnoxij quinque istas ex ter quinque annorum hisce in studijs exactorũ sudoribus atque algoribus, si non cum frugi illo seruo libras: at cum puero illo Euãgelico panes saltem hordeaceos offerremus: qui populũ tuũ ouium pastoribus destitutarum more dissipatum, dilaniatum, conculcatum, lugendáque illa verbi Dei fame laborãtem vel tenuiter reficiant, vel famis malum leuiter saltem depellant: quibus etsi melius & elaboratius quicquam pręstare modò non possumus, negare tamen eos nequaquàm vlterius audemus. Veremur enim,

Cuique sua mina Euangelica vsuras iustas parere debet.

Ioan.5.

mur enim, ne imprudentes aliquando tua illa die, quam seruus negligens non sperat, aut hora, quam nescit, oppreßi, bonarum iustarúmq; vsurarum deprehendamur steriles, atque cum hypocritis miserrimã illam sortem nacti, malè in æternum viuentes moriamur. Luc.12.

Ad hæc & illud accedit, quòd tacuisse interdum veritatem, est prodidisse: quod si vnquam aliàs in dogmatum tuæ Fidei cõfeßione locum habuit, nunc certè vel maximè: idq; potißimùm, si locum cogitem, in quem tua me vocatio apertis adeò argumentis ex altißimo discendæ veritatis otio est euocare dignata. Reticentiæ periculum hoc tempore.

Deterruit subinde suscepti operis difficultas, sed perseuerantiæ stimulos addidit aduersariorum improbitas, atque vana de Euangelica veritate tua, quasi dudum expugnata, victoriæ ante triumphum gloriatio, quam paßim sibi nec vendicare, nec iactare desinũt: simúlque tristißima isthæc fratrum Christianorum calamitas, vt paßim orbe toto, ita in vicinia omni graßans, qua qui non ab angusta Euangelij veri semita deturbantur, non leuiter sanè aut offenduntur, aut perturbantur.

Deterruit similiter à tanto bello suscipiendo huius ætatis infirmitas, quæ vix dum circulatis digitis mihi supputans annos, sibi de

iusta virium tantarum paritate diffidit: sed indubitata tui subsidij fiducia velut classicũ canens, ad congressum adhortabatur.

Deterruit denique præ cæteris hisce omnibus rudem Tyronem huiuscemodi velitationis inexperientia: sed extimulabat eximiè certum propriæ salutis periculum, quod ex ignauo spectatoris tantùm otio bellicis istis tempestatibus vehementer adeò vbique perstrepentibus mihi creaturus formidabam: quipe qui tecum non colligit, dispergit, & qui tecum non est, contra te est. Qui enim nondum scalmũ in lacu regere satis didici, quo nam ausim pacto Euxini furientis me credere fragoribus? quos tam vehementes video maledictorum ventis excitandos, vt sæuissimæ tempestatis procellam non immeritò exhorrescam. Verùm tuo vnius Christe fretus gubernaculo, iubẽte charitate, quæ omnia potest, tuæque nauiculæ Epibatis imperantibus vela ventis tradere cogor, Spiritúque tuo sancto auram prosperrimam afflãte, bonum mihi tutæ stationis locum securus polliceor, vtrinque mihi certissimum habiturus solatium.

Si enim ad optatos portus, vbi Christianũ gregem vero Euangelij tui pabulo aut recreare, aut educare liceat, appulero, non gubernator modò habear, sed mihi tum demùm seriò

optata gratulaturus crediderim: sin inter asperos orationis anfractus & argumentorum scopulos, densasque obscurissimæ ob vetustatem veritatis tenebras, nebulosasque illas, quibus apprimè gaudet, caligines, vel imperitus sermo substiterit, vel animi mens tenebricosa, minúsque perspicax impegerit, iustam fortè quis efflagitet virium facultatem, haudquaquàm tamen piam meritò exposcat voluntatem, Ecclesiæ tuæ Catholicæ iudicio in omnibus non subditam: cuius promissa abs te Christe Iesu merces vel sola me semel pro votis bearit. Interim nostri misertus Christe, pius adsis atque benignus: tuámque causam meo agere ore, inuictóq; patrocinio tueri ne dedigneris, supplex oro, atque obsecro.

LECTORI CANDIDO, Euangelij verè Christiani studioso.

HInc tibi liqueat, Lector Christianæ, veram Euangelicæ doctrinæ vocem in Catholica Christi Iesu Ecclesia, quæ Romanum Pontificem suspicit, atque veneratur illius Vicarium, in hunc vsque diem personare claram, erroribus incontaminatam, adulteriisque impollutam, quod ad Fidei dogmata attinet. Agnoscas enim hîc dogmatum nunc tempestatis in controuersiam ab aduersariis sua ex veteri illa hæreseon olim damnatissimarum sentina reuocatorum capita vniuersa ab illa Fidei Apostolicæ vnitate variantia, ex doctrina liquidò Catholica, certóque Apostolica funditùs subuersa ac profligata, stirpitúsque reuulsa & eradicata, ídque ex optimis quibusque Scriptoribus iuxtà ac vetustissimis, qui ante annos mille floruêre. Vnde aduersarios tam Anabaptistas & Zuuinglianos, quàm Lutheranos, atque adeò Euangelicos istos ad vnum omnes perspicias doctrinam Ecclesiasticam Catholicè adhuc obtinentem nō nefariè modò atque sacrilegè calumniari humanam, Monasticam, Papisticam, aut denique Diabolicam: sed frustrà etiam ad purioris Ecclesiæ Patres prouocare.

Vale, & nos Euangelio collaborans ardentibus adiuua precibus.

Ecclesiastici VIII.

Non te prætereat narratio Seniorum: Ipsi enim didicerunt à Patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

D Ioan. Euangelista epist. II.

Hoc est mandatum, vt quemadmodum audiuistis ab initio, in eo ambuletis. Multi enim seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.

CHRONOLOGIA SANCTISSIMORVM ECCLESIAE CHRISTIANAE PATRVM

ſcriptorúmq; clariſſimorum iuxtà ac vetuſtiſſimorũ, quibus teſtibus verbum Dei Euãgelicum in Panoplia noſtra Euangelica eruitur, enucleatur, atque explanatur: accurato admodùm ſtudio cõcinnata, in aptúmq; annorũ ordinẽ digeſta, atq; in ſeculorũ ſeriẽ diſſerta.

Per Vvilhelmum Lindanum Dordracen. Sac. Theolog. Doctor.

Primum Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculum, quod veteribus dicebatur Prima Apoſtolorum ſucceſsio, Euſebius lib.2.cap.23.

Anno domini Chriſti Ieſu à Natiuitate.	*Anno ab aſcẽſione.*	
42	9	Matthæus Euangeliſta.
45	12	Marcus.
50	16	Lucas.
		Paulus.
		Petrus.
66	33	Ioannes Theolog. Euangel.
		Iacobus Apoſtolus.
		Iudas Apoſtolus.
50		Apoſtolorũ Canon. certò Apoſt.
		Martialis vnús ex 72. diſcipulis.
		Abdias.
		Dionyſius Areop. Archiepiſcop. Athenienſis à Paulo creatus.
		Demophil. Therapeutes.
		Clemens Romanus.
60		Euodius Petri ſucceſſor Antiochiæ primus.
		Polycarpus.
70		Papias D. Ioãnis Euãg. auditor.
		Ignatius Petri ſucceſſor tertius Antiochiæ.
80		Caſtor Agrippa.
		Quadratus Athenienſis.
90		Egeſippus.
		Brutius hiſtor.
		Iudas Danielis interpres.

Secundum Ecclesiæ Christianæ seculum, quod ex Apostolorum schola natum, meritò dixeris martyrum seminarium.

Anno à Christi natiuit.	100	Alexander Roma. martyr.
		Sixtus Roman. martyr.
	110	Tertullianus.
	120	D. Iustinus Philosophus martyr.
		Tatianus eius discipulus.
	140	Dionysius Corinthius.
		Apollonius.
		Policrates Ephesius.
	150	D. Irenæus Lugdunensis Episcopus.
	170	Serapion 7. Antiochenus Episcopus.
	180	Clemens Alexandrinus.
		Victor Romanus.
		Zepherinus Romanus martyr.
	190	Rhodon.

Tertium Ecclesiæ Christianæ seculum, quod martyrum messis iure appelletur.

Anno à Christi natiuit.	200	Minutius Felix.
	210	Hippolitus Episcopus.
	220	Origenes.
		Dionysius Alexandrinus.
		Gregorius Neocæsar.
		Thaumaturgus.
		Vrbanus Romanus martyr.
		Pontianus Romanus martyr.
		Antherus Romanus martyr.
	230	Cyprianus Carthaginen.
		Fabianus.
		Cornelius Romanus martyr.
		Stephanus Romanus martyr.
	250	Pontius Cypriani diacono.
	270	Arnobius.
	280	Methodius Eubulius.
	290	Alexander Alexad.

Quartum Ecclesiæ Christianæ seculum, quod florentis Ecclesiæ hortum rectè dixeris.

Anno à Christi natiuit.

300 Dydimus Alexandrinus.
Eusebius Cæsariensis.
310 Lactantius Firmianus.
320 Reticius Augustodun.
Eustachius Antiochenus.
Iuuencus.
Victorinus Picta.
Apollinarius.
Hilarius.
324 Primum Concilium Nicænum.
330 Athanasius.
Eusebius Emissenus.
Theophilus Alexandrinus.
Nectarius Constantinopolitanus.
340 Chrysostomus. Basilius.
350 Nazianzenus.
Dorotheus Tyrius.
Optatus Mileuitanus.
Gregorius Nyssenus.
360 Aurelius Prudentius.
Ambrosius. Philastrius.
Damasus. D. Ephrem.
Euagrius.
Secundũ Concil. Cõstantinopolit.
370 Epiphanius.
Heraclides Cappadoc.
Palladius. Victorinus.
Siritius Romanus.
380 Hieronymus. Palladius.
Proclus Constantinopolitanus.
Hesychius.
Pont. Paulinus Nolan.
Ioannes Cassianus.
Vigilius Tridentinus.
Sulpitius Seuerus.

Quintum Ecclesiæ Christianæ seculum, quod Ecclesiæ adultæ germen dicas.

Anno à Christi natiui.

400 Augustinus.
Petrus Diaconus.
Maximus Taurinensis.
Cælestinus Romanus.
Innocentius primus.
410 Claudius.
Marius Victor.
Prosper Aquitanus.
Primasius.
Iunilius Africanus.
Vincentius Lyrinensis.
425 Tertium Concilium Ephesinum.
Leo Magnus.
Cyrillus.
430 Proba Falconia.
Theodoretus.
455 Quartum Concilium Calchedon.
470 Petrus Chrysologus.
Alcimus auitus Viennen.
480 Fulgentius. Monimus.
Gelasius Romanus.

Sextum Ecclesiæ Christianæ seculum, quod non tam illustribus Scriptoribus, quàm piis, Deóque Opt. Max. gratissimis fæcūdum viris, doctrinam Euangelicam satis supérque confirmatam, Martyrum nepotibus per manus traditam, in hæc vsque tempora inuiolatā incorruptámque prodidit atque transmisit.

Anno à Christi natiui.

Anastasius Antiochenus.
500 Boëtius.
Victor Africanus.
Iustinianus Imperator.
Faustinus Episcopus.
Cassiodorus Romanus.
Arator Subdiaconus.
550 Gildas Britannus Monachus.
555 Quintum Concil. Constantinopoli.
Liberatus Archidiaconus Carthag.

Appendicula Scriptorum vetustissimorum Græcorum Theologorum, quorum ætas adhuc certa nobis N.L.

Procopius Gazeus.
Olimpiodorus.
Nonnus Panopolitanus.
Eustachius Thessalonic.
Photius.
Gennadius.
Oecumenius. Euthymius.
Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus.
Dorotheus Tyrius.
Michael Syngelus Ierosolymitanus.
Euodius Diaconus.
Photius Patriarcha Cōstantinopolitanus.
Pachymeres.
Cyrus Prodromus.
Leontius Cyprius.

Ex Photij Patriarchæ Constantinopolitani lectionibus antiquis.

Theodorus Presbyter, & alij quidam Theologi.
Dionys. Areopag. interpres.

Appendix Scriptorum, qui intra annos mille Euangelicam exornarunt atque puram putam propagarunt doctrinam.

553 *Quinta Synodus.*
6[illegible] *Euodius Ticiuenn.*
677 *Sextum Concilium.*
700 *Theophilactus.*
793 *II. Nicenum Concil.*
Ioannes Damascenus Chrysora.
780 *Alcuinus Albinus.*
Angelomus.
Rabanus.
1000 *Lancfrancus Archiepiscopus.*
Guitmundus Auernēnensis Archiepisc.
Algerus Leodiensis.
Carolus Magnus.
800 *Coolfridus Abbas.*
Beda Anglo Saxo.
Haymo.
Vsuardus Presbyt.
Amalarius Treueren.
Vualafridus.
Vilramus.
1100 *Rupertus Tuitiensis.*
1150 *D. Bernhardus.*
Pothio Prumien.
1439 *Consilium Florentinū.*
Bessarion Cardinalis.
1200 *Hugo Eterianus.*
& alij.

Eusebius Cæsariensis.
Ioannes Antiochenus.
Marcellinus Comes.
P.Orosius.
Sozomenus.
Ioannes zonaras.
Prosper Aquitanicus.
Theophanes.
Suidas.
Nicephorus.
Socrates.
Eutropius.
Seuerus Sulpitius.
Paulus Diaconus.
Polybius.
Gotofridus Viterbien.
Iornandes.
Vvilh. Malingberien.
Luitprandius Tici.
Victor Africanus.
Aelius Lampridius.
Am. Marcellinus.
Gildas.
Beda.
Sigebertus.
Marianus Scotus.
Helmoldus.
Martinus Polonus.
Freculphus Lixo.
Cælius Rhodog.
Palmerius.
Platina.

Philosophi & Hæretici, quorum testimoniis Euangelij veritas hîc aut confirmatur aut illustratur.

Basilides.
Carpocratici.
Proclus Origenista.
Arrhius.
Eunomius.
Philostorgius.
Auxentius Mediol.
Iulianus Apostata.
Porphyrius.
Sabinus Macedonianus.
Petilianus Episcopus Donatista.
Iulianus Episcopus Pelagianus.
Maximus Medaurensis.
Faustus Manichæus.
Pelagius Gallus.
Arrhiani in Africa.
Cælestius.
Iouinianus.
Vigilantius Gallus.
Ioannes Hußius.
Martinus Lutherus.
Philippus Melanchthon.
Seruetus.
Caluinus, & alij.

Finis Catalogi Authorum, quos nobis quidem isthac in librorum vetustissimorum penuria ac fame agen-

tibus consulere dabatur: quorum sententiis sanè perspicuis Doctrinam, toto passim orbe Christiano adhuc obtinentem, contestatam facere studebamus, atque demonstratam hisce quinque, de Verbo Dei Euangelico, libris, verè Catholicam esse atque Orthodoxam, nobísque hactenùs putam putam fuisse perpetuò Maiorum sensu atque consensu proditam. Adeóque non esse humanam aut diabolicam, vt re vera sit illa cælestis ac diuina, ipsissimáque adeò Euangelica per DD. Christi Iesu Apostolos Ecclesiæ Christianæ per orbem conditæ principiò clarissimo viuæ vocis præconio Euangelizata ac promulgata, miraculis cælestibus confirmata, Martyriis heroicis obsignata, & semel Catholicè in manus tradita, in finem vsque istius pessum euntis mundi posteris prodenda.




LIBRI PRIMI DE VERBO Dei Euangelico Methodus atque Argumentum.

VEra fidei Christianæ regula inquiritur methodo horistica seu definitiua, num ea sit Scriptura sola. Ideò illud aduersariorum axioma, Nihil credēdum, quod non est scriptum, variis argumentis cōfutatur, ac Brentij, Melanchthonis, atque Buceri suffragiis, qui ad Traditiones non scriptas, tanquàm ad asylum, confugere in statuendis fidei suæ dogmatibus compelluntur, funditùs euertitur. Aliam igitur oportere esse fidei Christianæ regulam, quàm solam Scripturam, quæ vt constet certa & indubitata, enucleatur verbi Dei Euangelici, quòd Fides ceu obiectum spectat, natura: vbi eius origo & indoles ex Prophetis & Apostolis ostenditur & declaratur, quòd esset viua Christi Iesu noui legislatoris voce promulgandum, & Apostolorum prædicatione in viuis humani cordis tabulis depingendum. Veram itaque fidei Christianæ regulam esse, quod Apostoli à Christo Domino, eiúsque Spiritu edocti, Ecclesiam Christianam docuêre, siue id in Scripturas fuerit relatū, siue minùs. Mox cur Apostoli quædam scripserint: cur non vniuersa fidei dogmata literis incluserint. Denique vniuersam illorum doctrinam, siue per epistolas, siue per sermonem, verámque vocem Ecclesiæ initiò traditam atq; assignatam ipsis adeò Apostolis pro germano Dei verbo Euangelico fuisse habitam.




EIVSDEM LIBRI PRIMI CAPITA.


POst totius operis de verbo Dei Euangelico propositionem, distributionem atque inuocationem, nobile illud aduersariorum Catholicę Christi Ecclesiæ axioma, Nihil credendum esse, quod non sit scriptum, refutatur variis rationibus. *Scripturam sacram solam non esse verbum Dei.*

Caput I.

1 Quòd Asystaton.
2 Quia Symbolum Apostolorum præscribunt plerique suis credendum, ceu ab Apostolis compositum.
II. 3 Quòd alia Symbola Conciliorum suis aduersarij Ecclesiolis proponunt credenda.
4 Quòd ad Traditiones non scriptas refugere cōpelluntur in statuendis Euangeliorum libris, numero, & authoribus.
III. Ioannis Brentij tergiuersationem videas interceptam, qua contendebat, Non esse disputandum de ea Traditione, quæ nobis Scripturas tradidit: sed ea ceu fundamento certo & firmo iacta, de aliis, quæ dogmata quædam non scripta habent, agendum.
IIII. Brentius seipse iugulare demonstratur.
V. Traditiones esse fidei fundamentum:
VI. Aliæ illius axiomatis confutationes.
5 Quia virginitatem perpetuam virginis matris ex scripto Dei verbo non possunt statuere.
6 Quia Baptizatos ab hæreticis doceant, aut rebaptizandos, aut non: neutrum verò ex scripturis confirmare queant.
7 Quia imagines quidam eorum retinent sine scripto verbo. Quòd in Baptismo plurimas retinent cæremonias, & eas non scriptas, quódque suis vniuersi diem Dominicum tradunt sine verbo Dei scripto esse colendum in Sabbathi locum. Rursus quòd festos dies plurimos temerè præscribunt obseruandos.





EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO,

Liber primus

Authore D. Vvilhelmo Lindano Dordraceno, S. Th. Doctor. & Professore.

Verbum Dei non esse scripturam solam.

Cap. 1.



Vò de præsenti igitur negotio dicamus aptiùs, præcipuum illud controuersiarum propè omnium istius tẽpestatis caput nostræ faciendum videbatur orationis exordium, quòd miro inter ipsos consensu, aliàs inter se ipsi magis quàm nobiscum dissidentes, docẽt Catholicæ Christi Ecclesiæ aduersarij, Verbum Dei solis sacræ Scripturæ limitibus esse comprehensum, finibúsque inclusum: nec quicquam præstereà pro verbo Dei Christianis agnoscendũ, quod non sacris in literis contineatur. Quod initiò à veritate lõgè esse alienissimum demonstrabimus, verámque Fidei Christianæ regulam & credendi normam necessariò aliud esse constituendum, sicuti & hactenus à Patribus.

Axioma aduersariorum, Nihil credendum, quod non est scriptum, refutatur.

Priſcis, Theologiſquē omninò omnibus, quàm ſolam Scripturam ſacram. Mox ad perueſtigandam atque enucleandam verbi Dei Euāgelici naturam, verúmq; Chriſtianæ fidei Canonem oſtendendum, tranſibimus.

Axiomatis illius origo, repullulatio ac interpolatio. Itaque dogma illud, ne quis hîc mihi aduerſariorum miretur ingenium, non ab eis primùm eſt inuētum, aut recèns ortum, ſed vti pleraque iſtorum omnia, ex veteri Priſcarum hæreſeon lacuna hauſtum, ad imperitæ plebeculæ fucum faciliùs faciendum adhibetur. † Annis enim abhinc circiter quadringentis, obſcuriſſimū quempiam erronem habuit in Occidente quidem authorem. Poſt annos verò quinquaginta à nobili illo Vváldone Lugdunenſi ciue, Vvaldenſis tragœdię chorago renouabatur, iámque tertiùm poſt annos trecentos in lucem ab orco reuocatum interpolatur, adeòque pro Euangelio, ſi Superis placet, à compluſculis aliquot nouatoribus ſuſcipitur.

† Vide Hugonē Eteria. lib. de Animabus, vbi & cōfutatur capite 14.

Prima illius axiomatis confutatio, quia Aſyſtaton. Porrò quàm non Euangelicæ modò veritatis, ſed humanæ etiam rationis ſit prorſus expers, nullo negotio fuerit cognoſcere, modò animum ſeriò aduertere non grauemur. Non eſſe credendum, inquiunt, quod non eſt ſcriptum. Quod cùm generatim de omnibus in vniuerſum non ſcriptis intelligendum volunt, perſpicuè ſe primò ipſum, vt viperarum filiæ matrem, enecat. Nam aut verum affirmat, aut falſum, iſthæc ſententia. Si verum quidem, efficit vel inuita nec ſeſe veram eſſe, cùm nuſquàm ipſa in ſcripto Dei verbo reperiatur: quos enim huc detortos trahunt locos, pro nobis ſtare, inferiùs Solis luce clariùs 1 demonſtrabitur. Sin falſum, vera ea reliquit omnia, quę ſua aſſertione conabatur delere. Quatenùs nāque iſthæc ſententia ſui internetione falſa eſſe deprehenditur, ea ſanè tenùs vera eſſe omnia demonſtrantur, quæ falſi crimine attentata de medio tollere moliebatur. Qua igitur ratione dogma iſtud ſtabiliunt aduerſarij, quod ſui confirmatione ſeſe omnium primò ipſum labefactat, euertit, delet?

1 Lib. 5. ca. 5.

Epoche Pyrrhoniana ſe ipſa iugulat. Quemadmodum olim Pyrrhonianis illis ſuam illam ἐποχὴν aſſenſus remoram ſeu aſſenſionis retentionem aſtruentibus, qua, Nihil eſſe firmum atq; ſtabile, nihil

item ſeſe diffinire, ſibi inſanientes perſuadebant, vſu e- uenire ſolet, quando de iis acutiùs interrogati, reſpondere argutiùs aggrediebantur: ita prorſus & iſtis euenire videas Euangelicis, vt videlicet in iſtius dogmatis ſui cõfirmatione, ſeſe primùm ipſi cõfirmando infirment, aſtruendo deſtruant, atque ſtabiliendo euertant.

Sed vt ſuo ipſorum gladio demus non eſſe iugulatos, agè videamus, quónam pacto læthali ſeſe ipſi imprudẽtes porrò ſauciant vulnere in cõſtituendo noui ſui iſtius Euãgelij Catechiſmo. Non enim aut ſuæ fidei elementa, aut Euangelij rudimenta, nedum primaria doctrinæ ſuæ capita, ex ſcripto Dei verbo queãt vnquam demonſtrare. Tantùm abeſt, vt aduerſus hoſtium tela valeant illa aut tueri, aut propugnare.

Apoſtolorum namque Symbolum, vt ab aliis hactenùs omnibus totius orbis, quaquà verſum latiſſimè patet, Eccleſiis, ita & Proteſtantium ferè omnium conſenſu roboratum, qua obſecro Scriptura aut Caluino 2 dubitanti, aut Brentio 3 tergiuerſanti, aut Anabaptiſtæ cuipiam neganti ſuadeant eſſe verbum Dei? Vbi enim locorum ſcriptum eſt, hanc Chriſtianæ Fidei normam, quam nobiſcum cõcorditer, ceu Apoſtolorum, ſuis plerique credendam proponunt, vti Argentinenſes in ſuæ Eccleſiæ Catechiſmo, & Confeſſio Vvirtembergenſis, Apoſtolos aut edidiſſe, aut compoſuiſſe?

II. *Confutatio, quia Apoſtolorum Symbolũ ſuis præſcribunt credendũ ab Apoſt. cõditũ.*

2 *In Catechiſmo.*

3 *In magno Catechiſmo.*

Iam alia Symbola, Nicenum, inquam, & Athanaſianum, quæ ſimiliter tanquàm Fidei amuſſes ſuis præſcribunt, Confeſſio Auguſtana Proteſtantium, Vvirtembergenſis poſteà, & Saxonica, quid commemorem? cùm ea extra ſacras literas ſint collocata: quæ ſi ad viuum excutiamus, non pauca fidei dogmata, & magna quidẽ, perſpiciamus ab aduerſariis imperito popello iuxtà ac miſero quaſi verbum Dei obtrudi: quæ tamen ipſa nec aperto, nec expreſſo verbi Dei ſcripti teſtimonio, queant præfractioribus ingeniis atque anticipatæ opinionis pertinacioribus comprobari aut confirmari: qualia ſunt homouſion illud Nicenum, ſiue conſubſtantiale, magis ex Apoſtolorum Traditione, quàm ſcripto Dei verbo, vti Actis ipſis Nicenis, & PP. teſtimoniis 1 demõſtrabi-

III. *Confutatio, quòd alia Conciliorum & Athanaſ. Symbola ſuis obtrudunt credenda.*

Homouſion.

1 *Lib 2. ca. 6*

tur inferiùs, Apostolorum Symbolo adpositum. Rursum quòd Patrem docent ingenitum, 2 quónam obsecro sacrarum literarum corroborent testimonio? vbi omnia excusseris, illud tandem respondendum erit, quod sui quondam seculi hæreticis D. ille Sixtus Romanæ Ecclesiæ Episcopus post D. Petrum sextus, 3 Patrem in diuinis literis ingenitum propriè positum, nec legere possunt penitùs, nec probare.

2 Sic & in Symbo. Athanas. quod suscipiunt. *3. Epist. ca. 5.* *† Pater ingenitus.*

Isthæc quidem Symbolorum dogmata Patres ex Scripturarum testimoniis doctos, & authoritate instructos exposuisse atque explicuisse contra Hæreticos contendunt 4 aduersarij, quò nihil à suo illo axiomate dudum commemorato facere videantur alienum: Verùm istam eorum asseueratione cum ipsa rei veritate, ex ipsis Conciliorum actis, & Patrum vetustissimorum testimoniis, infrà 5 suis locis commodiùs demonstrabitur pugnare. Sicuti & illud in alium aptiùs reponatur locum, quòd alio hic dolo vtatur malo Aduersarij, tria illa sese suscipere, profitentes Symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasij: Patrum etiam in Cõcilio Niceno, Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano de fidei articulo expositiones. Hîc enim clanculùm & illum Fidei articulum, qui tot Tragœdias Latinæ Ecclesiæ cum Græcis peperit, Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere, inuoluunt: cùm iste non ab illis quatuor magnis Cõciliis, sed diu admodùm posteà sit Symbolo Apostolico 6 insertus, putà secundo Constantinopolitano, & secundo Niceno, annis post illa circiter trecentis.

4 Confess. Vuitemb. *5 Lib. 2 ca. 6* *6 Vide Session. 7. Cõcilij Florent. & Palmerium.*

Cap. II.

IIII. Cõfutatio. Aduersarij ad Traditiones non scriptas refugere cõpelluntur in statuẽdis euãg. lib. num. et auth.



CÆterùm quàm futiliter istud axioma ab Aduersariis statuatur, vnũ hoc omnibus perspicuum efficiat, quòd vnicam illam sacram anchoram Catholicæ Dei Ecclesiæ semper peculiarem, Traditionem dico Ecclesiasticam, præ naufragantis Euangelij sui noui ex ipso vixdum portu soluentis metu, in subsidium sibi vsurpare cõpellantur, si fidei suæ istius nouæ vel rationem exposcãtur, vel confirmationem. Nam si Anabaptistarũ quispiã acutior hunc eos

in modũ percunctetur, cur viri Euangelici (inquiat) quatuor Christi Euangelia cum Papistica, quã dicitis, retineris potiùs Ecclesia, quàm cum 7 Ebionitis vnicũ D. Matthæi Euangeliũ? Aut cum Marcionistis vnicũ D. Lucæ? Aut cũ Nazaræis 8 vnicũ illud secundũ Hebræos dictũ?

Cur nõ tantùm duo, Marci & Lucæ 9 cum aliis, repudiatis Ioanne & Matthæo: Aut cùm 10 Alogis cur non tantùm tria, reiecto Ioannis Enangelio? Cur rursus quatuor duntaxat cum illa cõcorditer, Christianæ historiæ suscip itis Euangelia, quàm aut cum Gnosticis 11 etiam illud D. Philippi, & aliorum aliquot discipulorum Euangelium? Aut cum Manichæis 12 secundum Thomam? Aut cum Priscilianistis 13 celebratam illam Apostolorum memoriam?

Quãnã de causa Lucæ potiùs Discipuli à Christo quõdam Apostatæ, si Epiphanio creditur in Alogis, quàm Bartholomæi à Christo nunquàm desciscẽtis Apostoli?

. Quare item Marci potiùs recipitis Euangelium, qui Christi nunquàm, sed Petri duntaxat auditor fuit, si Papias ille 1 vetustissimus fidem meretur, & Hieronymus 2 (licet vt de Luca, sic & de marco sentiat Epiphanius 3) quàm Thomæ, aut Matthiæ, qui rebus omnibus à Christo gestis præsens adfuit? cur Ioannis Euangelistæ Apocalypsin potiùs, quàm Diui Pauli reuelationem, qua nitebantur 4 Prisci illi hæretici, Fidei vestræ confirmãdæ idoneam censetis? Qua etiam de causa non omnes Diui Pauli epistolas, cũ 5 Seuerianis, aut etiã Acta Apostolica reiicitis? Aut cum Basilide 6 & Marcione ad Timotheũ vtrámq;, & ad Hebræos, & ad Titum? Cur, inquam, ista omnia cum Romana, quam Papisticã appellatis, potiùs aut suscipitis, aut retinetis Ecclesia, quàm aut cum veteribus hæreticis partim non reiicitis? aut cum nostris in Morauia 7 Anabaptistis vtrunque testamentũ scriptum non repudiatis? cùm neutrum ex scripto Dei verbo, testificationem accipere possit. Qua denique Scriptura illos certò iudicatis, adeóque creditis, Canonicos? Aut hos meritò reiicitis Apocryphos? Cur cum Luthero 8 vestro & Brentio 9 Iacobi non repudiatis Epistolam? cum Pomerano ad Hebræos? Aut 10 Caluino Ecclesiasticum, si

7 Tertull. 2. cõtra Marc.
8 Nicepho. lib 3. cap. 13.
9 Vide Philast.
10 Epiph. in Alog.
11 Epiph. in Valent.
12 Concil. 2. Niceph.
13 Orosius Epistol. ad Augustin.
1 Vide Papiam apud Nicephor. li. 3. cap. 20.
2 Catalog. Euangelist.
3 in Alogis.
4 Vide Epiphan.
5 Vide Nicephor.
6 Hieron. præfat. ad Titum.
7 Vide Io. Fab. Episco.
8 Præfat. no. Test.
9 Apolog. Confess. Vuirtember.
10 Institut. cap. 2. 10.

eius authoritate pressus, suo ait, velit vti iure.

Hæc, inquam, si quis Anabaptistarum acutior, apud Euangelicos istos sciscitabundus vrgeat, quídnam illi ex scripto Dei verbo (quo sua omnia, quæ credenda sunt, volunt confirmata) aptè conuenientérque respondeant? Quid hîc obsecro aliud, quàm obmutescant? ac tuto silentio linguam suã contra acutas veritatis sagittas malè armatam coërceant? aut si quam ad extremum vocem edere queant, quid tandem aliud, quàm cum Diuo Augustino, velint nolint, exclament, Euangelio nõ crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret authoritas? quod vt à nobis dicatur aptissimè, ita cõtrà ab istis præter institutũ ineptissimè: quòd cum nobili isto axiomate nihil minùs quàm consistat, nedum congruat.

Contrà epistol. Fũdam.

Cap. III.

Tergiuersatio Brentij et aliorum aduersariorum intercepta.



Eque verò est, quòd sibi Aduersarij persuadeant, sese istius teli, sanè peracuti, aut vim frangere, aut impetum declinare ac subterfugere, si hîc respondeant, hasce Scripturas Euãgelicas per orbem Christianũ receptas & probatas, Catholicis cõcorditer sese suscipere, ac pro Canonicis certóq; diuinis obtinere, quas nemo in dubiũ reuocare apertissimam citra dementiam queat: sed iis de Fidei dogmatibus, quæ passim pro Apostolicis circumferuntur, non tamen ex Scripturis confirmentur, atq; corroborẽtur, esse disceptandũ, vtrùm Fide sint suscipiẽda, nec ne? etsi suscepta, num obtinẽda porrò sint eadẽ prorsus authoritate, qua illa vniuersa, quæ Scripturis sunt cõprobata? Verbi causa de Sacramẽtorũ numero, vi & efficacia. De Sãctorũ imaginibus, cultu & inuocatione. De Quadragesima, de oratione ꝓ defunctis, sacrificio, & id genus reliquis.

Scripturarũ Traditionem agraphã huc etiã reuocandã, nõ solùm dogmatum.

Est quidem isthæc versuta sanè tergiuersatio, quæ imperitis prima sui specie mirificè videatur ꝓbabilis, & ad persuadendũ idonea. Quapropter ne cui infirmiorũ fratrum, aut minùs contra aduersariorum fraudes, quàm par sit, ex Scripturis munito fucũ faciant blanda quidem ista, sed fallaci orationis specie, operæpretium multò

maximũ equidem mihi videor facturus, si hãc diffusiori oratione fuero persecutus. In eius enim labefactione omnis nostræ defensionis positum videtur fundamentum, doctrinæque adeò Christianæ firmamentum, ac singulare prorsus collocatum esse præsidium: quod vti labefactari aut pessundari, nedum euerti nequit; ita stabilitum atque cõstitutum illam aduersariorum sententiam subuertit funditùs, atque semel profligat.

Hìc igitur, hìc pes nobis initiò figendus in hac cum aduersariis istis Euangelicis velitatione, vtrùm & Scripturarum Euangelicarum Traditio, quæ hæc quatuor Euangelia, nõ item alia: has S. Pauli Epistolas quatuordecim, non alias, docet veras esse Scripturas, ad præsentem pertineat quæstionem, nec ne?

Status primarij cõtrouersiarum omnium capitis.

Quòd sanè pertineat, hinc Solis fiat luce clarius, quòd illud aduersariorũ axioma vniuersalẽ habeat vim inuolutam, Nihil esse credendũ, quod non est scriptum. Docẽt igitur prorsus nihil Christiano homini pro verbo Dei agnoscendũ, credendum, aut eadem authoritate suscipiendũ, quod nõ est scriptum, qua quod scriptũ est: cõtrà docemus Catholici multa esse Christianis credẽda nõ scripta: multa esse pro verbo Dei agnoscẽda, Scripturis non cõprehensa: multa deniq; eadem esse authoritate cùm suscipienda, tum obtinenda, qua illa Fidei dogmata literis sacris cõtenta. Hanc igitur Scripturarũ Euangelicarum Traditionem silentio prætereundam, qui velit, vbi de illo disceptatur capite, An credẽda omnia sint Scripturis cõprehensa, perinde mihi equidẽ facere videtur, atq; si de Syderibus disputaturus, an luceãt, nec ne: de Sole iam nõ esse disputandũ excipiat, sed de Polo, de Arcturo, aliisq; minutioribus Stellulis. Illãverò quæstionem alium in locum consultò esse reponendã.

Sic sanè ij, qui hanc Traditionem, quæ citra scriptum nobis tradidit Scripturas, vniuersarum penè Traditionum fontem, ac Solis instar clarissimam inficiantur in dubium vocandã, callidiori certè quã solidiori obnitũtur exceptione. Hoc enim fundamẽto quasi iacto, firma sunt omnia, immota stant omnia, quæ superextruuntur Traditionũ non scripturarũ ædificia. Eodẽ verò posito

& dissimulato, haud fuerit sanè arduum, Catholicam Christi Ecclesiam de Traditionum non scriptarum vi & authoritate diuexare, aliásque Traditiones non scriptas, tanquàm illius stolones à trunco auulsas exagitare, ac veluti adulterinas reputare, abiicere, atque proculcare,

Proinde ipsa Scripturarum Traditio nō scripta cùm huc tanquàm ad fontem sit reuocanda, vtut tergiuersetur Ioannes Brentius, nunc in medium veniant, quę sua præfatione in Apologiam Confess. Vvirtembergensis superiore anno in lucem aduersus Catholicos edidit, ad Euangelicæ veritatis libram accuratiùs expendenda, & consideratiùs trutinanda. Hinc enim futurum confidimus, vt prudens rerū̃ arbiter. Lector æquus & candidus perspiciat Aduersarios vel inuitos nobiscum affirmare, non vniuersa, quæ Fide credimus, esse Scripturis comprehensa.

Expenditur Brentij præfatio in Apologiā Cōfess. Vvirtemb.

Adnotarat in Confessionem Vvirtembergensem clarissimus vir D. Petrus à Soto sacræ Theologiæ Professor, & Cæs. Mai. à sacris confessionibus, Non omnia fidei Christianæ dogmata Scripturis esse comprehensa, sed quædā Apostolos posteris viua voce tradidisse, quæ non minorem, quàm quæ scripta sunt, habeant authoritatem, Traditiones itaque certissimum esse fidei fundamentum: quæ subuertere conabatur Brentius præfatione in Apolog. Confess. Vvirtemberg. quibus autem id Scripturarum quasi arietibus moliebatur, mox dicemus, vbi eius verba de Traditionibus nō scriptis ad veritatis libram pensiculatiùs expenderimus.

Paucula igitur cap. De Traditionibus locutus, vbi Cabalistarum nugas Apostolicis non veretur nugando cōponere Traditionibus, Ac initiò ne quid, ait, ambiguitatis in nomine Traditionis relinquatur, nō loquimur nūc de ea Traditione, qua nobis sacra Scriptura, & quæ in ea continentur, à Maioribus in manus tradita sunt (nam hanc Traditionem affirmamus esse certam, firmā & indubitatam) sed (quibusdam insparsis) loquimur de iis Traditionibus, quas nonnulli Scriptores, & alij, tribuunt Apostolis, quæ tamen ab Apostolis nō sunt scri-

pro mandatæ.

Videbat Brentius, qua eſt egregia animi prudentia, Lectori ſtudioſo, qui hac de cauſa cuperet cognoſcere, in ipſo controuerſiæ quaſi limine ſuboriturum ſcrupulum, qui à recto curſu orationem reuocaret, ac remoræ cuiuſdam modo remoraretur, Ecquo tãdem modo certum cognoſcas, Euãgeliá ne quatuor ſunt, an tria? Matthæi ne potiùs, an Matthiæ Euangelium ſit verè Euangelium? Paulíne ſit epiſtola, quæ ad Hebræos circumfertur, an illa quæ ad Laodicenos? vniuerſam denique ſacram Scripturam, vnde certò ſtatuas, an ſit Canonica, an potiùs Apocrypha?

Hunc ſcrupulũ initiò Brentius, de via ſtudet ſubmouere, vt inoffenſo pede, tota fœliciùs decurreret oratio: Nõ loquimur, inquiens, nunc de ea Traditione, qua nobis ſacra Scriptura, & quæ in ea continentur, à Maioribus in manus tradita ſunt. Atqui totus cõtrouerſiæ ſtatus hac in quæſtione verſatur, án ne ſint quædam nobis ſine ſcripto tradita, quæ eâdem prorſus fide ſunt tenẽda & credenda, qua ea vniuerſa, quæ Scripturis ſunt cõtenta? Hoc enim D. Petrus de Soto in Confeſſionem veſtrã adnotarat: tu ei reſiſtendum iſta præfatione contendis. Cùm igitur hac in quæſtione totus rei huius cardo vertatur, ac ſtatus, quod dicunt Rhetores, cõſiſtat, quónam obſecro pacto, ais mi Brenti, vos nunc non loqui de ea Traditione, qua ſacra Scriptura nobis eſt tradita? Cõſultò ſanè Brẽtius in arenã progreſſus, hîc de ſcãmate fugam apparat, ſed non elabetur, niſi ſeipſe, velit nolit, victum agnoſcat: hoc eſt, niſi disertè confiteatur, quędam non ſcripta, ſed tradita fidei dogmata, eâdem prorſus eſſe fide credenda, quâ ſcripta omnia.

Brentius de ſcammate fugam parans, in arena retinetur.

Caput IIII.



Vid igitur eſt, inquias, quòd Brentius de ea nunc non loquatur Traditione, qua nobis Scriptura eſt tradita? Sanè aliud nihil, quàm quòd Scripturæ teſtimonio confirmari nequeat quatuor eſſe Euangelia: primum illorũ eſſe Matthæi: quartum eſſe Ioannis Theologi Apoſtoli, non

Vide D. Epiphan.

Cerinthi hæretici, quod olim somniabant Alogi: Pauli esse illas quatuordecim epistolas: Apocalypsin non esse Cerinthi, aut Ioannis Theologi, non Apostoli, sed Ioannis Theologi Apostoli.

Quædam nõ scripta, sed tradita fatetur Brentius fide obtinẽda, atque credenda.

Quid tum? inquias: Ista profectò sunt Christiano homini credenda non secùs, nec fide indubitatiori, atque illa, quæ in eadem Euangelicarum literarum Scriptura sunt comprehensa: quod ipsemet confitetur Brentius. Hanc Traditionem sacræ Scripturæ, inquiens, esse certam, firmam & indubitatã, imò vti pòst adiecit, necessariam, ac modis omnibus amplectendam.

Brentius se iugulat.

Proinde si fide est credendũ, quatuor esse Euangelia, eáque nec plura, nec pauciora: Epistolam ab Hebræos esse Pauli: Apocalypsin esse Ioannis Apostoli, est sanè fides de iis, quæ non sunt in Scripturis contenta. Quod si verum est, vt est verissimum, consequitur Solis luce clariùs, quædam esse fide credenda non scripta, sed tradita, quod inficiatur Brentius Cõfessionis Vvirtembergensis propugnator: contrà, quædam ab Apostolis esse tradita, non scripta, quæ non minorem habeant authoritatem, quàm quę scripto sunt mandata, quod affirmat Petrus de Soto Confessionis eiusdem confutator. Hac igitur in lucta vt prima quasi coitione, nẽpe in qua cõtrouersiarum propè vniuersarũ summa est cõprehensa, vide mihi obsecro Lector æquè (Nam tibi vni ceu agonothetæ arbitrij damus partes) vter alterum antagonista vincat, ac superet? an qui de vna capitum, seu articulorum fidei specie vltrò concedit, quod aduersarius particulariter sumpserat: Quædam esse non scripta, sed tradita, fide credẽda, putà quatuor esse Euãgelia, Apocalypsin esse Ioãnis Theologi Apostoli: an ille, qui quod particulariter sumpserat, multis potest & aliis præter illos superiores fidei articulis dare confirmatum? quod in præsentia satis est, vno confitentis Antagonistæ capite fidei esse probatũ. Quod fidei caput, etsi aduersario cõcedat Petrus de Soto, habet tamen alia non pauca, quæ ad idem confitendum adigant Brentium, de quibus nos in præsentiarum laboramus.

Iudicet igitur nunc æquus & bonus Lector veritatis

ſtudioſus, num ſit multò veriſſimũ, quod refutandũ ſibi putabat Brentius, Apoſtolos quædã tradidiſſe non ſcripto, ſed ſermone, quæ non minorem, quàm quæ ſcripta ſunt, habeant authoritatem? Hoc de Euangelicarũ literarum libris, numero, & authoribus, ipſa Brentij ipſiuſmet cõfeſſione diſertiſſima eſt clariùs, quàm vt vlla orationis luce egeat illuſtriore. Hanc igitur (inquit) Traditioné, qua nobis ſcriptura ſacra à Maioribus eſt tradita, affirmamus eſſe certam, firmam & indubitatã, & poſteà iterùm, hæc Traditio eſt neceſſaria, ac omnibus modis amplectenda. Si certa, firma, & indubitata eſt hæc Traditio, án non quædã credas Brenti certò firmiter & indubitanter, imò neceſſariò, quæ nõ ſcripta ſunt, ſed tradita? Non ſcripto teſtimonio cõteſtata, ſed mera ſolius Traditionis robore nixa? An non eadem prorſus fide ac perſuaſione, imò plerophorias certitudine, qua ea omnia quæ in Scripturis ſacris ſunt cõprehenſa? An nõ hîc, Lector candide, ac huius paleſtræ arbiter æque illud agnoſcas, quod dudum monebatur, Brẽtium, velit nolit, hoc in fidei articulo ſeipſum agnoſcere victũ, imò profiteri adeóq; proclamare? Hanc, inquit, Traditionem de ſacra Scriptura à Maioribus traditam nos affirmamus certam, firmam & indubitatam? Quod ſi verum eſt, vti ex aduerſarij etiam voce ac confeſſione luculentiſſima eſt veriſsimum, an illud falſum quis, qui apud ſe modò eſt, aſſerat, Traditiones eſſe certiſsimũ fidei fundamentum? Si Scriptura ſacra certiſſimum eſt fidei fundamentum, vti eſt haud dubiè, án non quod earum eſt fundamentum certiſſimum, ſit fidei quoque certiſsimum fundamentum?

Traditiones eſſe fidei fundamentum.

Iam vti profitetur Brentium, certum, firmum & indubitatum eſt, imò etiam neceſſariò credendum, hanc quam habemus hodie, ipſiſsimam eſſe ſacram Scripturam. Quod niſi velut fundamentum certò iaciatur ac firmiter, friuola fuerit ac futilis harum Scripturarum fides.

Paſtor liber cur apocryphus, et Matthiæ Euangelium.

Quis enim aut paſtori illi credat, aut Matthię Euãgelio? Illa ergo Traditio, quæ Chriſtianis indubitatò perſuadet, hæc quatuor Euãgelia eſſe inter alia ſolùm vera

Euãgelia, epiſtolas verè eſſe Pauli, Apocalypſin Ioannis Theologi Apoſtoli eſſe: an nõ harũ Euangelicarũ ſcripturarũ ſunt fundamentũ? Ea enim ſubtracta, nullus eis credat, aut fidem vllam ipſæ apud Catholicos mercãtur vnquàm. Neceſſariò igitur hinc efficitur, hanc Traditionem certam, firmam, indubitatam ac neceſſariam, eſſe certiſſimum, firmum ac indubitatum, ac inprimis neceſſarium fidei fundamentum: cùm Scripturarum ſacrarum, quarum eſt fides, ſit fundamentum certiſſimum, vti modò eſt oſtenſum. An non igitur ſit longè veriſſimum, quod ille annotauit, Traditiones certiſſimum eſſe fidei fundamentum? quod ipſe Brentius confiteri cogitur, nec obſcurè id de illa ſacrarum Scripturarum traditione profitetur.

Caput V.



Vid igitur eſt, inquiat aliquis, quod adiecit Brentius, hæc Aſotica ſententia de Traditionibus, videlicet eas eſſe certiſſimum Fidei fundamentum, omninò refutanda eſt. Aſoticam ſententiam appellat Brentius, quàm Petrus de Soto propugnandam ſuſceperat: quem pro ſui Euangelij, quod omne conuitium, nedum maledictũ aut lœdorian Chriſtianis interdictum docet, ſpiritu ſcilicet Euangelico Aſotum cognominat: quaſi verò ingenioſum ſit exotica nomina in odioſam, aut execrandam etiam deprauare agnominationem. Quod ſi argutum putat Brentius, magnum ſanè ingenij acuti dedit ſpecimen. Porrò ſi nomina detorta in aliam linguam aliquid indè contrahunt aut fœditatis aut ludibrij, ſi quis Gallus iſtum appellet Brentium, quis neſcit in aula Mompelgardiana quàm oleat benè? Sed ille pius vir ac vitæ verè Euangelicæ, ac longiſſimè, ſi quis alius, à vita, moribúſque Aſoticis alieniſſimus (vtinam & iſti, qui ſuis aqualiculis ſexquipede toto propedentibus vitam profitentur Aſoticam, in illo iudicij die reperiantur) ſibi haud dubium inter alias æternæ gloriæ corollas hanc non infimam ducit, nec extremam, quòd Chriſti nomine cum Apo-

Neuus D. Petro à Soto aſperſus detergitur.

ſtolis hanc infamem ſui nominis,ac famæ haud ſanè ingloriæ dignus habeatur perpeti contumeliam. Quàm enim verè, ſi quis alius, Euangelicè Chriſtum viuat: quàm conſtanter ac Chriſtianè prorſùs dona pecuniaria vel maxima ſpernat: quàm denique Heroicè, imò Apoſtolicè oblatos adeò Epiſcopatus plurimos, & eos opulentiſſimos reiiciat, notius eſt toti orbi, ipſiſquè adeò Aduerſariis, quàm quòd hic in præclari in Caroli A. aula viri Apologiam ſit commemorandum. Sed quid nam eſt, inquias, quòd Brentius illam ſententiam, Traditiones certiſſimum eſſe Fidei fundamentum, omninò contēdit refutandam? certè eam, quòd in Vvirtemberg. Confeſſionis labefactionem, atque refutationem adnotaſſet R. D. Petrus de Soto, requirebat eius, quam in Principis ſui gratiam ſuſceperat perſonæ decorum, vt Aduerſarij tela, qua poſſet arte, quo ingenio retunderet ac propulſaret. Verùm quàm id fecerit hoc in loco infœliciter iuxtà ac futiliter, ex ſuperioribus luce eſt meridiana manifeſtiùs. Suis enim ſe ipſe iugulat verbis, Traditionem illam de ſacra Scriptura affirmans eſſe certam, firmam, atque indubitatam. An non hæc Traditio non ſcripta, quæ nobis ſacras tradit ſine ſcripto literas, eſſe ſuſcipiendas ac credendas, ſit Fidei fundamentum? quo de ſi quis ambigat, eam mihi citra Traditionem indubiam Eccleſiæ cogitet rogo, videat è veſtigio, quàm Scripturæ ſacræ authoritas euaneſcat penitùs, ac in vaniſſimos planè fumos ſoluatur. Sed quid probatione fuſiore habet opus, quod diſertis adeò verbis ipſe proclamat Brentius: Affirmamus, inquiens, hanc Traditionem, quæ Scripturam (ſine Scripturæ teſtimonio) tradit, Fide credendam eſſe, certam, firmam, ac indubitatam, & paulòpòſt, neceſſariam ac omnibus modis amplectendam. Quæ Traditio, cùm ſit Fidei fundamentum, an non ille rectè ſimul & verè adnotarat Traditiones eſſe certiſſimum Fidei fundamentum? quo ſubruto, non vniuerſum modò Scripturarum labefactatur ædificium, ſed vno prorſùs caſu concidit, corruit, collabitur. Sed hac de Traditione, in præſentia ſe loqui inficiabitur Brentius. At de toto Traditionum Eccleſiaſtica-

Brentius ſe ipſe iugulat.

Exceptio Brētij manifeſtiſſimæ arguitur temeritatis, doloq; malo, fuiſſe conficta.

rum corpore ita dixerim, tibi loquendum erat, si instituti modò memor videri velis. Agitur enim de Fidei regula. Hanc Confess. Vvirtemb. asserit vnam esse Scripturam, negat illius refutator Petrus Cæsar. Maiest. Confessarius, sed vnà cum illa Scripturarum Fide, etiam docet Fidei regulam, quæ sine scripto Ecclesiis tradidêre Apostoli credenda.

Quæstionis præsentis statum, inuertit Brentius.

Quàm igitur extra oleas, quod habet prouerbium, currit Brentius, negans sibi hîc loquendum de Traditione, quæ sacram Scripturam nobis tradit. Hoc sanè est quæstionis statum constituere alium, atque præsens disputatio efflagitat. Sed de qua tandem agat Traditione Brentius, nunc audiamus. In pręsentia autem loquimur, ait, de iis Traditionibus, quas nõnulli Scriptores & alij tribuunt Apostolis, quæ tamen ab Apostolis non sunt scripto mandatæ. Si de iis agis Brenti, sanè & illa superior huius est generis. Nam Apostolos quas scripsêre aut Epistolas, aut Euangelia, quis Christianorum ignorat, Ecclesiis eas siue scripto, seu voce viua assignasse? atque pro genuinis ac gnisiis legendas tradidisse? Velis nolis, igitur de illa tibi agendum fuit Traditione, quæ sacram Scripturam nobis tradidit sine scripto credendam, atque eadem authoritate suscipiendam, qua ea vniuersa & omnia, quę illâ sunt contenta. Quæ cùm verissimè cum hac Traditione tua, de qua in pręsens te agere profiteris, sit eadem, quòd Apostolis tribuatur, ac non sit scripto mãdata, profectò effugere non potes, quin de hac quoq; tibi in pręsenti fuerit agẽdũ. Quod igitur callidè simulas, illam Traditionem, quę Scripturam sacram nobis credẽdam tradit, genere quasi toto esse diuersam, cùm sit re prorsus vna ac eadem cum illa, quam dicis, quæ Apostolis tribuitur, non tamen scripto mandata, ad fucum imperito Lectori faciendum est comparatum.

Proindè isthoc Brentij ceu totius in Apologiam præfationis fundamento euerso ac subruto, nunc quibus permotus rationibus, istud persuadere sit aggressus, esset considerandum, nisi huius instituti ratio, atque methodus, eas alium in locum esse differendas præciperet. De iis igitur, lib. 5. ca. 5. erit dicendũ aptiùs, qui totus aduer-

ſariorum argumẽtis, quibus omnia Fidei dogmata ſolis voluñt Scripturis incluſa demõſtrare, refutandis eſt datus.

Iſtum itaque in modum Aduerſarij ad Traditiones non ſcriptas tanquàm ſuæ defenſionis arcem confugere cogantur in ipſa Scripturarum Traditione tam ſtatuenda, quàm tuenda: Rurſus Euangeliorum etiam libris & numero, Epiſtolarum Apoſtolicarum authoribus, imò authoritate confirmanda atque corroboranda, vt ſit multò veriſſimum, Traditiones non ſcriptas eſſe Fidei fundamentum: quia ipſarum Scripturarum, quibus ceu ſua baſi, nititur Fides, ſunt liquidò firmamentum. Adhæc, Traditionem illam, quæ nobis citrà omne ſcriptum tradidit, Quatuor eſſe Chriſtianæ hiſtoriæ Euangelia, nec plura, paucioráue, ac cæteras item Scripturas Canonicas eſſe Canonicas, exiſtere, vti vel ipſe Brentius rei veritate victus profitetur, certam, firmam & indubitatam: imò neceſſariam, omnibúſque modis complectẽdam, pro qua adeò tanquàm pro aris & focis aduerſus omnes Traditionum non ſcriptarum ſacrilegos ſit depugnandum.

Caput VI.



CÆterùm hoc capite ex Brentij aduerſariorum haud ſanè infimi conſenſu, imò veriùs Euangelicorum prorſus omnium (ſiquidem alia aut callidiore aut aſtutiore, atq; ille via iſtud haud temerè ſtatuere conentur) confirmato, nunc ad ipſa Fidei tranſeamus dogmata, quæ adhuc Euangelici, quos ſe dicunt, nobiſcum obtinent indubitata atq; inuiolata. Ad non ſcriptas igitur Traditiones eos neceſſariò confugere in cõfirmandis vel præcipuis Fidei adhuc communis dogmatibus hinc liqueat luce meridiana clariùs, quòd Phanaticis iſtis, qui perpetuã virginis matris Dei genitricis virginitatem ore ſacrilego audent contaminare, quod ex Scriptura reſpondeant, habeant nihil. *V. Cõfutatio axiomatis ex perpetua D. virginis Matris, virginitate aut negata aut aſſerta.*

Quibus ſi conſentiunt iam vnà cum ipſis & eorum auis 1 Heluidio & 2 Iouiniano, vetuſtiſſimam totius Eccleſiæ damnationem ſibi aſciſcunt: Sin reſiſtunt, qui- *1. Hieron. 2. Auguſt. de nupt. 2. cap. 5*

búsnam obsecro scripti verbi Dei testimoniis eam efficient comprobatam?

VI. Confutatio ex eo, quod ab hereticis Baptisatos Aduesarij doceant aut baptizādos, aut non.

Rursus, si Africani illius erroris igniculi dudum è cineribus exuscitati, & magno illo multorum Desiderio plusquàm calentes (de rebaptizandis iis, quos hæretici baptizarint) in flammam aliquam accēsi, Sectarios quosdam inflāmēt: quid hîc obsecro adferant ex scripto Dei verbó, quo aut incendium extinguant? aut non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, quod sine scripto Dei verbo credunt, docent atque agunt quotidie, confirment ac statuant? Quòd si cum illis potiùs sentiendum sibi existiment, mira solertia caueant moneo, ne quid & hîc sibi statuant credendum, quod scripti verbi testimonio confirmare nequeant.


VII. Cōfutatio, ex reseruatis sacris ritibus, aliisq; citra verbum Dei scriptū.

1. In ordina. Eccles. Vuirtemb.

2. Brent. præfat. Apol. Confess.

Sic si & Zuuingliani Lutheranos percunctentur, quónam scripti verbi Dei testimonio Imagines ipsis vera idololatriæ signa in suis templis retinere cum Papistis malint, quàm secum omnes tanquàm pietatis & diuini cultus pestes vndique profligare? Aut cur Vvirtembergenses in Baptismi ritibus Abrenunciationem potiùs seruandam censeant, 1 quàm Exorzizationem? Rursus cur aquam potiùs vino in Cœna Domini 2 admisceant, quàm aquam Baptismatis consecrent, cùm de vtroque tantundem in Scripturis? Quo denique ore nihil credendum, quod non est scriptum, iactitare vlteriùs audeant, qui Catholicis concorditer citrà omne sacrarum Scripturarum testimonium diem Dominicum prædicant Sabbati loco esse colendum? Fidéque indubia credendum, Christiani anni solēnitates, vt Deo Opt. Max. pergratas, ita populo pia in res sacras vocatione ac Sabbathismo verè Christiano venerandas?

Caput VII.



Vòd si hæc fortè cuipiam videantur minutila, agedùm, princeps illud Christianæ religionis caput veniat iam in medium: De infantibus, inquam, baptizandis, in quo firmando atq; tuendo non est sanè magnoperè mirandum idem eis, quod in superioribus vsu euenire. Cùm enim

VIII. Confutatio, quòd Baptisma in

Scripturarum

Scripturarum locos, quos ad Anabaptistarum furorem cohibendum opponunt, haud difficulter isti suo peruicaciæ impudentis quasi scuto, tanquàm tela æquo inualidius torta depellant, quódnam Euangelicis aliud reliquum erat perfugium præter Ecclesiasticam Traditionem? Ad quam ceu vnicam salutę conseruandę atq; tuendæ suæ qualis qualis religionis arcem, quanta cum salutis spe præcipui istius Euangelij propugnatores confugiant, longè maximum facturum me arbitror operępretium, si paucis commemoraro. *fant um Aduersary contra Anabaptistas Traditionibus non scriptis defendunt.*

Philippus igitur, in suis locis communibus, quos (quod multa in eis essent rudiora, & quædam duriora, quæ in suis, inquit, ad Colossenses Commentariis mitigauit) anno 41. tanquàm expolitiores & absolutiores edidit, illo Anabaptistarum argumento: Non extat mãdatum de baptizandis infantibus, egregiè exercitus atq; defatigatus hunc in modum respondere aggrediebatur: Ad totum, inquit, argumentum respondeo: Vniuersalis cõsensus Ecclesiæ omnium temporum est testimonium, quòd hæc ordinatio est Apostolica. Quid igitur Philippe? Ordinatio hæc de baptizandis infantibus, vti affirmas, Apostolica, satis ne tibi roboris continere visa est, vt certè visa est, ad infantium Baptismos aduersus Anabaptistarum tela defendendos? An non pari authoritatis momento & Catholicis ipsis abundè sit argumentorum satis, si suis quoque omnibus vel semel dogmatibus, aduersus infestas vestras argumentorum acies, propugnandis Apostolicæ ordinationis scutum, quasi impenetrabile, quod tu facis, obiiciant? Si irrita est ex Traditionis non scriptæ authoritate dogmatum Fidei confirmatio, quid tibi eã Philippe in tanti momenti dogmate astruẽdo callidè, magis quàm validè vsurpabas? Sin rata, quid ni & Catholici in dogmatibus nobis adhuc à Maioribus vsque omnium Ecclesiarum consensu proditis confirmandis eadem, ceu impenetrabili Aiacis, quod dicitur, clypeo, aduersus omnes omnium Antichristorum sagittas vtamur? Cæterùm ne Philippus scripti quoque verbi Dei testimonio destitutus isthæc asseruisse, quasi sui oblitus, videatur cuipiam, quendam Euangeliorum locum

Philip. Melanch. tuetur se Traditionibus.

† *Epistol. ad Comit.*

Philip. Scripturæ textũ peruertit. & &

adfert, sed cui manus quoq; adfert: at Deus bone, quàm distortum? quàm inuersum? quàm mutilum? Neganda, inquit, est minor. Nam mandatum est vniuersale, Baptizate omnes gentes, ergo & pueros complectitur. Quid hîc Anabaptistæ respondeant, nemo, cui vel oculi sint lippi maximè, non videat. Quod enim isti vrgent, ceu causæ caput, bonus Rhetor callidè dissimulat. Quasi verò nihil ad causam faciat, quod Christus dixerit: Docete omnes gentes, baptizantes eos, & quæ seq. Philipus autem, Baptizate omnes gentes, astutè recitat. Quem deinde corruptelæ fucum bellis in speciem ratiunculis obtegere diligenter conatus, ita subtexuit candida nigris. Si hæc responsio, inquiens, non satisfacit aduersariis Anabaptistis, interrogemus & ipsos vicissim, qua auctoritate, & ipsi improbent vniuersalem consensum Ecclesiæ?

Phi. causæ caput dißimulat, & textũ scripturæ mutilat.

Phil. Anabaptistas Ecclesiæ authoritate nõ scripta vrget, quam ipse respuit.

Rectè id quidem Philippe, à nobis istud tuum tibi, tuísque responderetur. Verùm, cur tui axiomatis immemor & disputationis, quæ in manibus est, statum dissimulans, Anabaptistas vniuersali Ecclesiæ consensu vrges? cur eos verbo Dei non scripto oppugnas, quod ipse alioqui nõ recipis? Cur apud alios eius auctoritatem vis obtinere, quam impotẽtissima animi cõtẽtione detestaris? Sed ita turdus, quod habet prouerbiũ, sibi cacat malũ.


Quem igitur, mortalium hîc istorum non misereat isto scripti Dei verbi titulo sese vanissimè iactantiũ? qui perspicuum videat vel Philippum ipsum nouæ istius fidei specioso Euangelij vocabulo orbi inuectæ, præcipuum propugnatorem eò calamitatis argumentorum pondere ab Anabaptistis imperitis hominibus esse depressum, vt aliam elabendi viam (hostem alioqui subterfugio fallere, non infœliciter callens) inuenire non valuerit vllam, nisi nostris, hoc est, Catholicis, armis sese suis destitutus tueretur? Hoc est, vt apertiùs dicamus, nisi in sacrosancta Catholicæ nostræ adyta fallaciter irrepens, victricem illam omnium planè hactenùs hæreseon macheram, Ecclesiasticam dico Traditionem, atq; non scriptam ordinationem Apostolicam, vsurparet? Haud siquidem aliam dogmatis ab Ecclesia Catholica pridem, desertis cęteris, quę eius palato minùs sapiebant

Phi. Ecclesiæ catholicæ desertor illegitimè illius armis se defendit.

ſublecti callidus vidit confirmãdi rationem, niſi ad priſtinam Dominam, patrocinij cauſa, impudenter recurſitans, eius velut gentilicium familias Symbolum, germanámque teſſeram, ſuo plagio prætexeret.

Philippus Plagiarius.

Caput VIII.



T qui fortaſsis alij (inquias) iſtorum Phanaticorum argumentis aptiùs proverbo Dei reſpondeant. Verùm agè, nobile illud Lutheri, vnius illius Phœnicis Euangelici, quem iacti tant, ſtratagema tibi (Chriſtiane Lector) in ſcenam producemus, quo Anabaptiſtarum cateruas ſemel delere aggrediebatur: vt hinc ſtrenuum Imperatoris iſta factione dignisſimi ſpectes facinus.

Ridiculum iuxta ac inſulſum Lutheri ad Ana. Argu. reſpõſum.

Ab Anabaptiſtis igitur atrocibus aliquot conuitiis laceſsitus Lutherus, quòd paruulos affirmaret baptizandos ſine ſcripti Dei teſtimonio: quum nihil quicquam alioqui credendum vellet, quod ſcriptum non eſſet, audi obſecro, quàm eos acutè refellat: Vos Anabaptiſtæ, inquit libello Germanicè ſcripto, verbi Dei teſtimonium requiritis, quò vobis paruulos eſſe baptizãdos comprobem? Vos contrà potiùs vosipſi, inquam, adferte Scripturam, quæ paruulos non eſſe baptizandos doceat.

Sed iſthac reſpõſione quídnam quæſo dicatur inſulſiùs Quid reſpõdeatur ſtultius? Quid in axiomatis illius Lutherani defenſionẽ adferatur inualidius? Quæ ſi cognita perſpiciatur, quid cũ noui iſtius Euãgelij axiomate cõfirmãdo vel toto, quod aiunt, diametro pugnãtius? quid ad Catholicę poſtremũ doctrinæ dogmata cõſtituẽda validius? Illius igitur Lutheri reſpõſionis, quam neſcias, pudenda magis, an inepta fuerit, quum Bucerum haud meritò puduiſſet, nouum ſuis Symmiſtis commentum configere eſt coactus. Verba proinde Chriſti nouus interpres, vt nouis vetera, ita falſis vera interpretando peruertit: πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα. &c. Profecti (vertit Bucerus) facite mihi diſcipulos omnes gentes, baptizantes eos. †Quæ verborum forma cum frauduléto Buceri conſilio, nondum faceret ſatis, nouum itidem adiecit commentarium.

Bucerus.

Baptiſma infantiũ Traditione nõ ſcripta tuetur.

† Buc.li.2 de vera cœne adminiſt.

Dominus, inquit, iſta de totis gentibus præcepit, non de ſingulis hominibus. Nec iſto contentus ſophiſmate, alteram non minùs captioſam atque abſurdam imaginatur diſcipulorum Chriſti diſtinctiunculam: Iam, inquit, homines bifariàm diſcipuli Domini fiunt: adulti quidẽ, non abſque propria Fidei confeſſione: horum autem infantes Baptiſmate. Verùm ſuis iſtis commentis vel ſe teſte abſurdiſſimis, fluctuat enim ipſis diffiſus, ad Traditionem tandem Eccleſiaſticam, qua infantium Baptiſma ſemel ſtatuat, confugiens addit: Qui docti ſunt, inquit, Chriſti Euangelion, certùm habent & liberos ſuos eſſe Domino ſanctos, eúmque velle & horum ſe Deum, id eſt, ſeruatorem, ac vitæ æternæ largitorem præſtare, ac proinde pertinere & ipſos ad regnum Dei, id eſt, Eccleſiam. Quæ omnia cùm non ſint niſi renatorum, & regenerationis lauacrum ſit Baptiſma, non dubitant & infantes ſuos Chriſto regenerandos offerre, ac deinde quæ mandauit Dominus, omnia ſuo tempore docere, ita vt Apoſtoli Eccleſiis hanc Traditionem acceptam indubiè à Domino & Spiritu ſancto reliquerint.

Non baptizati infantes ſunt, Bucero, Chriſti diſcipuli.


Quæ Buceriana perioche quot non modò habeat paradoxa, verùm etiam mẽdacia, nolumus in præſentia excutere accuratiùs. Sed quod præſentis diſputationis eſt, agentes, illud nunc ex omnibus diſquirendo expendamus, quòd Sophiſtica Buceri diſtinctio habet, Infantes fidelium diſcipulos eſſe Chriſti, adeóque baptizari poſſe ſine doctrina (inquit) præeunte, ad eum ſcilicet, qui baptizandus ſit. Quod nouum diſcipulorum Chriſti genus vt ſtatuat, illam D. Matthei vocem τὸ μαθητεύειν vrget, qua, inquit, Dominus vſus eſt, quę cùm actiuè vſurpatur, vt eam vſurpauit Dominus, ſignificat non docere ſimpliciter, ſed facere diſcipulos, vt eſt Acto. 14. μαθητεύσαντες ἱκανοὺς, quum feciſſet Derbæ non paucos diſcipulos. Vult igitur Bucerus, fidelium infantes licèt non μανθάνειν doceri, tamen μαθητεύειν diſcipulos fieri poſſe. An non hîc Dauid Georgius quiſpiam aut Memno Buceri ludat Sophiſticam, quòd Turcarum, aut Maurorum pueruli eadem etiam facilitate Chriſti fiant diſcipuli, ſi parentibus erepti apud Chriſtianos ſerui educentur? An

Sophiſtica Buceri deteergitur.

non & his Christi Baptisma, vt tu,eius verba torquendo,distinguis,rectè impẽdatur? quum Christiana etiam disciplina sint postea imbuendi. Nihil itaque ad rem præsentem retulerit,sínt ne Christianis,an Paganis nati parentibus infantuli,quò minùs vtrique aut doctrinâ Euangelij ante Baptismũ habeãt opus: aut ab eo pariter sint submouendi: aut denique simili iure admittendi. Quod postremũ si verũ fateris, friuola tua est ista inter Christi discipulos distinctiũcula. Nam quòd D.Matth. aut eius interpres potiùs, si ita videbitur,isthoc loco τὸ μαθητεύειν ἀντὶ τοῦ διδάσκειν,pro docendi voce vsurpauit,nõ vti tu cõmentaris,pro discipulos facere, planè cõuincit, quod subiecit διδάσκοντες τηρεῖν πάντα καὶ docentes eos, vt omnia obseruẽt,&c.quod ad eosdem prorsus,ad quos priora Christi verba pertinere, nemo, nisi aut insanissimus,eat inficias, aut imperitissimus ambigat. Vt igitur ad infantes nequaquàm pertinet mandatorũ Christi ob. seruatio hîc doceri iussa,ita ad eosdem nihil omninò illud τὸ μαθητεύσατε,siue illud cum veteri interprete,& cum Barth. Latomo,vt annotasti hîc ter,quater offendẽte & impingente Docere, siue ex nouo isto commẽto Facere discipulos acceperis.Istud ex D.Marci verbis,qui eandẽ Christi sententiam à D.Matth.per τὸ μαθητεύσατε expressam, per τὸ κηρύξατε Εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, Prædicate siue concionantes annũciate Euangeliũ omni creaturæ, reddit dilucidiùs,quàm vt illustriori luce habeat opus. Cæterùm ne aliquid Bucere superesse credas tuis cõmẽtis patrocinij ex loco illo Actorũ 14.prolato,vbi τὸ μαθητεύειν,vis esse discipulos facere,dabimus istud libẽter tuæ diligentiæ,si discipulos tamen eos dicere non te pudeat, qui Derbæ concionantẽ Paulũ audiẽtes,nõ intellexerũt Euangelizãtẽ.Nam ad suos alioqui puerulos τὸ μαθητεύειν non pertineat. Iam ne quis differentiæ aliquid inter τὸ μαθητεύεσθαι & τὸ μαντάνεσθαι imaginetur,locus ille D.Matthæi disertè aperit:πᾶς γραμματεὺς μαθητευτεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν,Omnis Scriba doctus regni. Vbi nõ potest accipi discipulus,nisi qui prçuia eruditione est insti- »
tutus. Hisce ergo veritatis armis exutus Bucerus,sophi- »
stico illo,quod in clarissimum virũ Bartholomæum La- »

tomum vibrat, telo restat spoliandus, quo sese infantium Baptisma ex scripto Dei verbo euicisse gloriatur impudēter, cùm disertis adeò verbis Apostolica illa Traditione iam nūc præmunierat. Illud, inquit, Baptizantes eos, &c. Dominus de totis gentibus, non de singulis pręcepit hominibus. Quod acutum, & verè subtile argumentum, non video, qua sanè ratione dissoluant Anabaptistę, Sophistices Bucerianæ rudes, nisi illius argutiis redditi acutiores, subtiliter item respondeant, nec ad Bucerum, nec adeò castos illos eius liberos, Christi pertinere baptismū quod non de singulis hominibus (quorū ipse tamē vnus est) præcepit, sed de totis gentibus. Cuius fortassis periculi metuens Bucerus, omnibus istis in speciem robustis contra Anabaptistarum insaniam firmamentis diffisus, ad Apostolicam nostram Traditionem confugere cogebatur, si susceptam illam à se disceptationem vellet contueri saluam: Apostoli, inquit, Ecclesiis hāc Traditionem de infantibus baptizandis acceptam indubiè à Domino & Spiritu sancto, reliquerunt.

Caput IX.



Vis hîc nō planè animo obtupescat, qui infestissimos istos Catholicæ nostræ Ecclesiæ hostes, Melancthonem & Lutherum, Brentium & Bucerū, inuictis Catholicæ Christi Ecclesiæ nostris armis sua noui Euāgelij fundamēta defendere videt Anabaptistarum telis fuisse coactos? Istum quidē ad modū in ipso noui sui Euangelij limine grauiter adeò impingunt, quod vetus habet prouerbiū, vt vel primipilares ipsi suæ religionis ne rudimenta quidē ab Aduersariorū telis illæsa cōgerere queant, ne dū propugnare, nisi nostris armis, hoc est, catholicæ Christi Ecclesię Traditionibus agraphis aut præmuniti aut protecti.

Aliam necessariò esse fidei regulā ac solā Scripturam.

Eo siquidem est ingenio veritas, vt suos hostes, vel inexpiabiles nō rarò, quòd res est, etiā inuitos profiteri cōpellat, vt scilicet dū sua commenta veri in speciem similis tantùm mēdacij fucis illita imperito lectori proveris obtrudere satagunt, suis ipsi mendaciis decepti, veritatē imprudentes confirmare cogantur. O magna vis veritatis, aiebat ille Oratorum Princeps, quæ contra homi-

num ingenia, calliditatem, solertiam, contráque fictas omnium insidias facilè se per seipsa defendat.

Cùm igitur in tot, támque variis adeóque Principibus suę Fidei dogmatibus Euangelici isti cùm priuatim, tum publicè, sese quoque verbum Dei non scriptum pro Fidei suæ regula necessariò sequi rebus ipsis cogantur profiteri, quæ nã obsecro isthæc maligna est morositas, imò rudis imperitia, non permittere aliis, quòd ipse argumentorum pondere pressus, in Fidei tuæ asserendæ vel primarium necessariò aduocas patrociniũ? qua fronte Catholicis concedendum semper nolis, quod pro Fidei tuæ Principe axiomate aliquando indubitatæ veritatis assumis? qua denique ratione, tuis dogmatibus pro arbitrio Euangelij titulum affingas, cùm nostratia quædam non scripta pro animi libidine indubitanter suscipis, quædam fatuè, quod animi palato minùs sapiunt, abominaris? Ad istum siquidem modum & Synodus, si Deo placet, nuper in Vuirtembergha cõflata in Saxonicæ Fidei Symbolo, & Vuirtembergenses in confessione piæ doctrinæ cõgregationi Tridentinæ proposita, quædam Catholicæ Fidei dogmata, nullo prorsus Scripturarum testimonio, quod pertinaces quidem erroris conuincat, corroborata, sed potissimùm Catholicæ nostræ Ecclesiæ Conciliorum authoritate ex Traditionibus Ecclesiasticis prodita suis illis, non tam imperitis atque incautis sectatoribus tanquàm ex Scripturis Fide credẽda clanculùm obtrudunt. Quod insidiosæ fraudis plenissimum, quàm contra bonam Pastorum fidem faciant, inferiùs suo loco efficiemus omnibus palàm. Quid igitur mirum fuerit apud eos, qui ratione à pertinaci partium studio aliena veritatem indagare student, si Catholica Dei Ecclesia in propugnandis suæ Fidei dogmatibus extra scriptũ Dei verbum auxiliares petat copias, cùm eos ipsos, qui sese vnam Scripturam per omnia sequi profitentur, aliud quidem præsidium necessariò quærere videant? Alium idcirco Christianæ Fidei, præter Scripturã solam, esse Canonem atq; regulam, est necessarium, qua ceu Lydio lapillo & dogmatum & librorum Catholicæ Ecclesiæ germana veritas sit explorãda: adulterina item

Lib.2.cap.6.


Fidei regula est Apostolica doctrina, siue Ecclesiastica Traditio.

atque commentitia vniuersa adulterij mendaciíque sui conuicta reprobanda. Ea iustissimis de causis & Latinis & Græcis Theologis omninò omnibus Apostolica doctrina, siue Ecclesiastica Traditio, semper est credita: quã qua perpetuò ratione in agnoscendis genuinis Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, atque Canonicis illis libris ab ipsis statim nostri Christianismi incunabulis semper adhibuerit Respublica Christiana, necessarium planè duximus in medium proferre. Quod vt fiat apertiùs, principiò Euangelicę legis naturam (nam id de veteri quoq; testamento ostendere velle, vt maioris foret negotij, ita hoc loco minus necessarij) ex Prophetarum oraculis delineabimus: ex quorum deinde notis facillimum cuique fuerit, qualénam verbum Dei nouo sit populo credendũ à Deo Opt. Max. propositum intelligere. Mox Christũ Legis Euangelicæ Apostolum, Fideíque Christianæ ἀρχηγὸν, authorem & Principem viua tãtùm voce ad Prophetarum oracula suam orbi proposuisse doctrinam: cuius regulam atq; credendi normam voluit habendum, quicquid Apostoli huius verbi Dei Euangelici administri Ecclesiis tradidissent credẽdum. Deinde doctrinam illam Apostolicam, quæ siue scripta esset, siue minùs, verè fuisse verbum Dei Euangelicum demonstrabitur, & quónam consilio ab Apostolis quædã fuère literis mandata, non autem vniuersa semel & omnia. Postremò quód illam non scriptam Euãgelij doctrinam ipsi adeò Apostoli vrgere solent quasi verbum Dei, eiusdem cum illa scripta authoritatis: ad quod non modò Priscæ illæ collatæ hæreses damnabantur adulterij & heterodidascalias, sed ipsa etiam scripta suis titulis Apostolos adeò ipsos mentita, sunt reprobata, germanáque, quòd cum illa per omnia consentirent, approbata.

Qua methodo verbi Dei Euangelici natura enucleãda atque explicanda.

Caput X.

Actor. 17. Fons verbi Dei Euãgelici ex Prophetica do-



I igitur Euangelici verbi Dei naturam cum Thessalonicensibus illis Christianæ Fidei candidatis, aut saltem Catechumenis ex abditis Prophetarum prædictionibus, accuratiori diligentia studeamus indagare, per-

ſpicuum fuerit omnibus, errorem iſtum Euangelij titu- *ctrina eſt a-*
lo nunc adeò glorioſum atque exultabundum, qui om- *periendus.*
nem Chriſtianam doctrinã arctioribus noui Teſtamen-
ti anguſtiis coactam, atque ſolis literarum Apoſtolica-
rum cancellis vult concluſam, ex craſſiſſima tutiſſimi
Chriſtianæ Reipublicæ theſauri, putà Scripturæ Pro-
pheticæ ignorantia, eſſe natum. Prophetarum itaque o-
racula conſulamus, cuiús nam modi verbum Dei Euan-
gelicum olim futurum tot retrò elapſis ſeculis pręſigna-
rint. In primis D. Ieremias, qui populo Iudaico apud Ba- *Ierem.31.*
bylonios exuli, conſolator diuinitùs contigerat, ne cum *D. Ierem.*
patria dulciſſima ſimul & Fidem ſalutarem deperderent, *depingit ver-*
poſt promiſſum ex captiuitate in patriam reditum (qui *bi Dei Euã-*
totius orbis à Deo vero Apoſtatæ, ad Chriſti conſortiũ *gelici natu-*
redituri fuit typus) nouum pactum Dei cum Iuda veri *ram.*
Dei cultore, & Iſraële idololatra ineundũ prænunciat.
Quod quàm ſit à Moſaico fœdere alienum futurũ, hiſce »
verbis teſtatur: Ecce, inquiebat, dies veniẽt, dicit Domi- »
nus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus no- »
uum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus »
eorum, & in die qua apprehendi manum eorum, vt edu- »
cerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fece- »
runt, & ego dominatus ſum eorum, ſiue vt fortè rectiùs »
ſeptuaginta, teſte Diuo Paulo, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, ego »
neglexi eos, dicit Dominus. †Sed hoc erit pactum, quod » *†Hebr. 9.*
feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus, »
נתתי את־תורתי בקרבם ועל־לבם אכתבנה : Quod eſt: »
Dabo legem meam intra eos, & ſuper corde eorum de- »
ſcribam eam. Quibus in verbis vt priùs illud בקרבם »
calumniã poſſet pati, quod ſignificet, & Dabo inter eos, »
& Dabo eis legem: (quam Amphibologiam prudenter
euitarunt ſeptuaginta, vertentes εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν
in mente eorum) ita poſterius על־לבם nullam omni-
nò admittit dubitatiunculam: In corde, inquit, eorum
deſcribam eam. Vides disertè à Propheta Dei voce præ-
dictum, verbum Dei Euangelicum, quod Diuo Paulo ad
Hebræos Commentatore, eſt fœdus nouum, non in ta-
bula lapidea, Moſaicæ legis modo, non in arido Bethu-
læ libello, non in vili papyro, ſed inviuis hominum cor-

dibus deſcriptum iri אכתבנה inquit צל לבם, in cordibus eorum nouum teſtamentum inſcribam.

2.Reg.25. Quinimò iam pridem anteà egregius Pſaltes Iſraël
Pſalm.94. Rex Propheta Dauid Iudæos ſuos præmonuerat, ne alteras tabellas expectarent, quæ legem Prophetæ illius legiſlatoris à Moyſe promiſſi ex fratribus ſui ſimilis ex-
" citandi continerent deſcriptam, ſed eius loquentis vo-
" cem obſeruantiſſimè aduerterẽt, ne ſi hodie, id eſt, haud ita diu pòſt audirent eius vocem, corda ſua Patrum mo-
Eſa.45. re obdurarent. Adhæc ne Prophetam illum vt Deum, aiebat ille, verè abſconditum, ita legiſlatorem hinc minùs illuſtrem obſcuriùs cognoſcerent, notas planè lucu-
Pſalm.77. lentas addit Dauid, quò Iudæorum nemo nouum illum nouæ legis præconem ignoraret. Ita enim, teſte Mat-
Matth.13. thæo, inducit Meſſiam Iudæos alloquentem: Audite, inquit, populc meus legem meam, inclinate aurem veſtrã
" in verba oris mei. Ne tabellas iterum lapideas vos acce-
" pturos exiſtimetis, audite, inquam, legem meam: non
Exod.19. vos terrebunt, vt olim in Moſaica legiſlatione fulgu-
Chriſti legiſ- rum tonitrua: non illa cæleſtium tubarum horrida au-
latoris oratio dictis taratantara: ſed gratiſſimam animis ſimul & auri-
ad ſuæ ætatis bus meam ſæpè multúmque concionantis vocem: ideo
Iudæos, ex conciones meas diligenter meditatas percogitate. Nam
Pſalm.77. in parabolis aperiam os meum, loquar propoſitiones,
paraphraſti- vel vt ſeptuaginta problemata ab initio; quod Dauid
cos expreſſa. אביעה, inquit, הידות מני־קדם ſeptuaginta verò φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς, noſter vulgatus interpres vulgariter nimis expreſſit, loquar propoſitiones, inquiens, ab initio: quum reddendum fuiſſet aptiùs, eloquar, quæ ab initio abſtruſa latuêre, & hactenùs fuêre pleriſque omnibus incognita. Hũc enim Dauidicæ Prophetiæ ſenſum à ſeptuaginta haud obſcurè indicatum
Matth.13. D. Matthæus ſua veluti paraphraſi (ſi modò nos ſeptuaginta editionem hoc loco legimus. Nam editionem
" iſtam Pſalmorum vulgarem, & Eccleſiis propè omnibus
" vſitatã, à 70. interpretũ authoritate reiicere me cogunt
Problemata loca aliquàm multa, à 70. certò aliter cõuerſa, dequo a-
quid Dauidi liàs) illuſtrauit, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.
Pſalm.77. Eructabo, inquiens, abſcondita à conſtitutione, ſiue pri-

mordio mũdi. Non enim τὰ προβλήματα accipiendũ hoc loco videtur pro vocabulo ſcholarum Dialecticarũ proprio, quod noſter ille ſecutus videri poſſet: ſed pro recõditis atq; obſcuris eloquiis, perplexíſq; ac ænigmaticis religionis Euangelicæ dogmatibus: quibus Chriſtus celebratiſſimam illam Prophetarum ad vnum omniũ aut oraculis promiſſam, aut factorum typis adumbratã (his enim duobus ferè modis, ait Iuſtinus in ſuo Tryphone, Prophetia aſſolet fieri) præſtaret, exprimeret atque impleret Dei Opt. Max. Oeconomiã de vniuerſo hominũ genere, in priſtinam libertatem à Diaboli ſæuiſſimi Domini tyrannide vindicando, & liberali manu afferendo. De Patre item Deo, omnibus planè mortalibus iuſtiſſimo merito iratiſſimo per ipſum reconciliando: de cæleſti, vt in ſumma dicam, regno hominibus hactenùs & perditiſſimè exulibus & miſerrimè exhæredibus recludendo, quod eos & beatiſſimos exciperet Dei opt. filios, & omnibus planè modis feliciſſimos, cùm animarũ corporúmque immortalitate, tum Dei Maximi præſentia ſuauiſſima admitteret hęredes ſempiternos atque perpetuos. Hæc, inquam, taliáque ab initio abſcondita atque reconditiſſima Chriſtus Iudaïco populo erat elocuturus & concionaturus. Quod ex Dauidis verbis fiat planiſſimum אפתחה במשל, inquit, אביעה חירות. In parabolis os meum aperiam, loquor ænigmata: quod eſt, proponã populo meo Iudaïco obſcuratiſſimã & prouerbialẽ, imò ænigmaticã planè doctrinã. Non enim forma ſermonis Chriſti (vt eſt apud Tertulianũ) noua eſt, cùm ſimilitudines obiicit, cùm quæſtiones refutat, aperiã in parabolis os meũ, eloquar problemata, quod eſt, ediſſerã quæſtiones. Si hominẽ alterius gẽtis probare voluiſſes, vtiq; de proprietate loquelæ probares. Ideóq; ſaluator Chriſtus doctrinæ Euãgelicæ myſteria (vt eſt apud Clementẽ Alexandrinum 5. Strom.) variis & Moſaïcæ caliginis, & τῶν ἐγκρυφίων ſubcinericiorum panũ typis olim præfigurata dilucidiùs explicaturus rectè ſuos admonet ſelectiores diſcipulos: Vobis, inquiẽs, datũ eſt noſſe myſteriũ regni cælorũ. Dicit enim de eo Prophetia: Aperiet in parabolis os ſuũ, & eructabit quæ ſunt abſcondita à cõſtitu-

Christi doctrina cur ænigmatica. אר

Lib. 4. cõtra Marcionem.

Clemens Alexan. 5. Stromat.

tione mũdi. Quin & hunc ſenſum à Diuo Matthæo explicatum, etſi Iudæorum Rabbini Pſalmum iſtum ad veterum beneficiorum hiſtoriam cæci diſtorqueant: ſicuti & Chriſtiani aliquot immodicè iudaizãtes: at Pſalmi tamẽ titulus cùm diſertè loquitur, tũ neceſſariò expoſcit: qui eſt ἁρμονικῆς ἱερῆς μελιήδεα ἄσματα Δαβὶδ, id eſt, harmoniæ ſacræ carmina Dauidis melliflua. Habet itaque Pſalmus iſte ſuauiſſima ac prorſus mellita Dauidis carmina de ſacro illo, planéque diuino conſenſu populi videlicet noui cum illo veteri, Chriſtiani, inquam, cum Moſaico. Vt enim Moyſes legiſlator vetus, Chriſti noui legiſlatoris typum ſymbolicôs præ ſe ferebat, ita gẽs illius legi mancipata etiam populi Chriſti legibus ſubditi fuit typus atque figura. Quod D. Paulus ſymbolicæ Theologiæ peritiſſimus artifex expreſsis verbis tradit. Cuius vtriuſque populi diſcrimen ne ſit obſcurius, etiã Dauid haud infrequenter apertis notis diſtinguit. Hinc enim illa toties in Pſalmo 21. de populo, qui creabitur, & illud, Scribatur hæc in gener. altera (ita enim ſingulariter legendum, non ſcribantur: quo loco phraſeos Hebraicæ ignorantia textus ſynceritatem corrupit) & hoc loco, Vt cognoſcat generatio altera, &, Filij qui naſcentur, pro populo Chriſtiano prioris illius Moſaici ſucceſſore ſunt accipienda. Chriſtus itaque nouus legiſlator nouum ſuum populum ad Euãgelicam doctrinam informaturus, hiſce Pſalmi verbis alloquitur: "Audite popule meus legem meam, diligenter obſeruate, "quídnam ſim docturus, attentíſque auribus verba oris "mei auſcultantes, excipite. Conciones ſiquidem meæ variis rerum variarum parabolis atque imaginum ſimilitudinibus frequentes ſcatebunt. Adhæc obſcura quoque myſteriorum ænigmata vobis eloquar, atque proponam. Poſt iſtam Chriſti vocem, qua Euangelicæ legis ingenium atque naturam demonſtrauit, eſſe videlicet viuæ vocis oraculo proponendam atque promulgandam, deinde Chriſtianum populum Dauid inducit de noua Chriſti lege admirabundum: Quanta audiui"mus (inquiunt) & cognouimus, quę & Patres noſtri no"bis narrauerunt? Quàm (inquiunt) ſunt admiran-

Mirus populi noui Euãgelici cum Moſaico illo veteri conſenſus.

Pſal. 21.

Pſal. 105.

Pſal. 77.

Chriſti cõcio apud Danidem explanata.

da nouæ istius legis mysteria, quàm stupenda Euangelicæ doctrinæ dogmata nobis à Patribus tradita? quæ ipsa Patres nostri Apostoli soli omnium prorsus mortalium Euangelicæ Fidei testes à Deo maximo ex omnibus electi, & cæteris omninò omnibus prodẽda olim prædestinati nobis narrârunt, atque viua voce prodiderunt? Quæ Christianæ Fidei dogmata etsi nobis sua voce tradiderint Apostoli, non sunt tamen occulta à filiis eorum in generatione altera, id est, nostros posteros ea ipsa dogmata nequaquam latuerunt. Agnoscentes igitur stupendam nouæ legis naturam, quam sese audita Apostolorum voce sibi gratulãtur didicisse, eam in posteros quoque transmissam prædicant, ne quis eam sine scripto non potuisse perdurare credat. Deinceps porrò Dauid prophetico afflatus spiritu laudes commemorat, quibus Christum apud gentes, Christi iam fide excultas, & institutis formatas, Apostoli essent commẽdaturi olim. Quòd ipsus est, qui incredibilem illã potentiam & admirandam rerum historiam apud Ægyptios olim operabatur, quòd lege Diuini cultus veréque religionis magistra veterem Iudæorum populum & ornarit eximiè, & illustrarit egregiè.

Verùm post notatas veriùs quàm celebratas Christi legislatoris laudes, iteratò Christiani populi inducit admirationem de nouis Euangelicæ legis constitutionibus: quas Apostolis docet à Christo mandatas, vt in discipulorum notitiam effunderent, ne apud posteros in obliuionem, omnibus planè rebus inimicam, abeant: qui & ipsi porrò suis quoque prognatis arcana Euangelicæ illius legis dogmata & mysteria narrabunt, & viuæ vocis interpretatione tradent, vt toti in Deum sperent, memoré{s}que beneficiorum, eius mandata officiosè obseruent, atque sedulò imperata præstent, ne fiant Christiani sicut populus ille prior, qui abiecta fide in Deum syncera, & contorta cordis animíque rectitudine, noluerunt eius legem obseruare: néve operum mirabilium sibi exhibitorum ingrati obliuiscantur vnquàm, quod illi fecêre priores: ne denique Christiani nouam

Christi legem viuo Christi, Apostolorúmque oraculo traditam, adeóque promulgatã, animabus corporibúsque saluandis salutarem Iudæorum more sibi faciãt, aut infidelitate inanem, aut diffidẽtia inutilem, aut morum improbitate, atque transgressione perniciosam.

Caput XI.



Æterum ne Iudæi nouam illam legem, ab omnibus omninò Prophetis semper adeò prædicatam, ac toties promissam suspicarentur vni homini, vt olim Moysi, cæteris tradendam cõcreditum iri, Dauid Psalm. illo, cui initium fecit: Exurgat Deus, qui illustrem promulgandi toti mundo Euangelij depingit Oeconomiam, disertè præmonuit: Deus, inquit, dabit verbum Euangelizantibus צבא רב cum magno quodam præconum numero: quod ambiguè 70. δυνάμει πολλῇ, noster impropriè reddidit, virtute multa. Non vni aut alteri, inquit Dominus, qui olim cælos sui terrore in sudorem vertit, nouæ illi suæ hereditati pluuiam voluntariam, gratissimam scilicet Euangelicam doctrinam animas irrigantem tradet promulgandam, sed multis aliquot concionatoribus: copioso alicui Euangelizantium manipulo atque cohorti. Porrò ne quis nouam illam Dei legem ex Mosaicæ legis ingenio atque indole ignauam imaginaretur, aut non operosam & inefficacem, ideo Ierem. post verba illa nuper commemorata admirandam eius indolem, singulari Antithesi explicat. Non docebit, inquit, vltrà vir proximum suum. Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me. Quod D. Paulus aduertens, legem Euãgelicam ad Roman. legem spiritus vitæ appellat, quòd eam suscipientibus non frigidum incutiat metum, vt illa Mosaica: sed spiritum vitæ, quod est, animum Adæ peccato mortuum Christi spiritu rediuiuum reddat, qui & clara Dei cognitione hominem illustret, viuidóque eius amore informet, recreet, foueat, succendat, adeóque inflammet. Quam Euangelicæ legis Oeconomiam

Psal. 68.
Alia nouæ legis Euãgelicæ nota ex Psal. 68.
Itẽ alia nota ex Ierem.
Ierem. 31.
Aliud Euãgelij ingeniũ ac legis.
Rom 8.
Hebr 8.
Euãgelium cur lex spiritus vitæ.

Christianæ administratio Ecclesiæ hominibus per Adamum perditissimis, quasi postliminiò instaurãdis & saluandis, comparatæ aptè & meritò admodum desiderabat. Alia siquidem erudiendi ratio Iudaicam illam Synagogam, vnicam ex tot hominum populis Dei cultricem: alia Christianam Ecclesiam ex omnibus omninò nationibus toto orbe concorditer dispersam, & dispersè concordem instituendi forma decebat. Illam siquidẽ seu rudimentariam tabella illa alphabetaria, lege Mosaica, quæ prima illa veræ religionis grãmata atque lineamẽta describeret, oportebat erudiri. Vnde ei & spiritus timoris adhibebatur Pædagogus, qui cessatores metu, velut stilo, ad officiũ instigaret: Offensatores gehennæ carnificinam comminatus, ad veniam supplicãdam vrgeret. Hanc verò nostram Christianam nõ ampliùs illa παιδαγωγία, sed πνευματαγωγία, siue vt Ioannes χρισματοδιδασκαλία iuxta Prophetarum oracula excepit magistra. Iam enim annis plùs minùs bis mille verus Dei cultus literis continebatur inclusus. Satis profectò temporis datum fuit, quo Synagoga legis veram Dei religionem præscribentis erudita ad grandiorem diuinæ volũtatis adolesceret cognitionẽ: atq; hactenùs Mosaici νομοδιδασκαλοὶ, vel tandẽ fierẽt Christiani θεοδίδακτοι. Ita enim Prophetico afflatus spiritu Esaias, de admirabili Christianæ Ecclesiæ ornatu inter alia præclara canit encomia, vbi afflictissimam solido delibutam gaudio reddidisset alacriorem. „Lætare, inquiebat, sterilis, quæ non paris, erumpe, exclama, quę non parturis, quia plures filij desertæ, quàm eius, quæ habebat virum: Dilata locum tabernaculi tui, & aulæorum tuorum, semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Tempore modico reliqui te, & in misericordia magna miserebor tui. Paupercula, tempestate conuulsa, absque consolatione. Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & muros tuos lapides electos, וכל־בניך למודי־יהוה, quod vndequaque doctissimi septuaginta interpretes erudititissimè, vt alia omnia, cõuerterunt, filios tuos omnes διδακτοὺς θεοῦ, quod noster vetus Euãgeliorum interpres rudiùs reddidit, Docibiles Dei:

Cur lex populo Mosaico data Pædagogus, non item populo nouo & Euãgelico.

Galat.5.

1.Ioan.2.

Vnctio spiritus Christianos informat.

Esa.54.

Christiani Theodidacti.

1.Thess.4.

Melius alicubi D. Hier. Discipulos Dei: qui videlicet non libros legendo, sed quid nam loquatur interiùs Deus audiendo, ad compendiosissimam Christianismi addiscendi formulam proficerēt. Hæc siquidem Christi Ecclesia, quæ ex Atheis gentibus potissimum esset conuocanda & colligenda, non debuit sanè, nec potuit planè ratione vlla alia ad Dei veri cognitionem vocari, & in legitimo eius cultu institui, quàm ipsorum pater Abraham: qui vt אברהם Abraham, pater multarum gētium, non citra grande venientium rerū mysterium ex אברם Abram, patre excelso, siue nobili & illustri, est dictus: ita eius ad Dei cognitionem cultúmque vocatio & institutio nobis Ethnicis veris Abrahæ filiis planè symbolum fuit atque typus. Quemadmodum enim ille credentium omnium pater Chaldæus, cùm esset idololatra, Mitræ Persici atque Vestæ cultor ex Paganismo veri Dei ignorantia obliterato, atque ex idololatria ad veram viui Dei latriam est conuersus, non scripto Dei verbo, sed mera Dei loquentis atque vocantis voce: ita & nos eadem (inquit D. Iustinus in Dialogo aduersus Tryphonem Iudæorum Ephesiorum, teste Suida, Principē) Dei voce ex vanissimo nostri Vvodæ Germanici (cui & hodie quartum Septimanæ, **den Boenstag** Ethnicè magis, quàm Christianè tribuimus) cultu, aliorúmque mortalium Deorum idololatria ad veram Dei Opt. Max. & cognitionem & religionem conuocati sumus. Quòd si cuipiam insolens atque paradoxum videatur, quòd Abrahamum Patriarcham ex Paganismo ad verā Dei cognitionem cultúmque dixerimus conuersum, is si Græco hominis Græci diligentissimi probatissimíque testimonio, Suidam dico in suo Abrahamo, non est contentus, certè non potest nobiscum non sentire Latini authoris testimonio locupletissimè instructus. D. namque August. libro decimo de ciuitate Dei, cap. vltimo in hunc modum scribit: Abraham, inquit, vt promissionem de semine illo, quod omnibus gentibus salutem pareret, acciperet, iussus est de terra sua & cognitione sua & domo patris sui discedere. Tunc ipse primitùs à Chaldæorum superstitionibus liberatus, vnum verum

Psal. 84.

Abrahæ vocatio typus vocandorum Ethnicorū.

Abraham olim idololatra.

Vuoda Germanis fuit Mercurius. Vide P. Diaconum hist. Longob.

rum Deum ſequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit.

Caput XII.



Porrò nunc ſupereſt, iſthæc à Prophetis diuino afflatis ſpiritu præſcripta nouæ illius legis lineamenta oſtẽdere, à Christo eius legiſlatore & rectè obſeruata, & ſuis ad plenum coloribus eſſe depicta. Quod quidẽ nemini fuerit agnitu difficile, qui vel Iudaica aoraſia, vel Ethnica cœcutientia Euangelij Chriſtiani libellos percurrerit. Videbit enim clariſſimè Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, alterũ illum Moyſen, verum Deuteronomij legiſlatorem, non vt olim ille, alteras proponentem lapideas legis tabellas: ſed ex fratribus ſuſcitatum, vt ille pręmouerat, quod eſt, Hebraica ortum proſapia, nouam legem ad Moyſis typum populo viuæ vocis ſuæ oraculo præſcribentem. Mox Apoſtolos ſuos illos orbis magiſtros peculiari quadam ac priuata erudit inſtitutione, vniuerſa pleniùs illis ediſſerens, quæ de regno Dei, hoc eſt, de nouæ huius legis doctrina apud plebeculam rudiorem craſſiùs expoſuerat: quod de Matrimonij nexu indiuiduo narrat D. Mar.

Chriſtus prophetica noui legiſlatoris lineamenta expreßit.

Deut. 18.

Sic parabolas de illo ſemine, quod eſt verbum Dei Euangelicum Apoſtolis ſolis ediſſerit, quò peculiari largitione eis eſſet à Deo Patre Opt. donatum, vt myſteria regni Dei, ſeu doctrinæ Euangelicæ, multò atq; cæteri diſcerent pleniùs, & haurirent copioſiùs.

Ad eundem modum & aliàs, priuata inſtitutione Chriſtus legiſlator apud Euangeliſtas legitur Apoſtolos erudiiſſe, atque ad nouæ ſuæ illius legis cognitionem ſublimiùs prouexiſſe: adeò vt iam ſub mortis impendentis tempus illis affirmârit: Iam non dicam vos ſeruos, inquiens, ſed amicos: quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autẽ dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Qua Chriſtus Dominus ſententia D. Aug. interprete, Tract. in Ioan. 86. quod facturus erat, ſe dicit feciſſe, tam per

Ioan. 15.

Spiritum doctorem omnis veritatis promissum, quàm
1.Cor.13. per illam sciētiæ plenitudinem, de qua Paulus: Cùm venerit, quod perfectū est, euacuabitur, quod ex parte est.
Ioan.20. Deinde post tot obscurissimorum suorum oraculorum illustrationes, illo toto triennio cum Apostolis cōuersatus, primo suæ à morte resurrectionis die illis mentium oculos clarissimo Euangelicæ cognitionis lumine illustrauit, vt capiendæ regni Dei doctrinæ paratiores essent, atque magis idonei.

Luc.24. *Christus secūdus Adam, Apostolos die Paschæ nouo afflat spiritu.*

Insufflans in eos, ait ille, aperuit eis sensum: quod est posteáquam in Apostolorū faciē, teste D. Euodio Apostoli Petri primo apud Antiochenos successore, epistola, quā τὸ φῶς, id est, lumen inscripsit, diuinū ac vitalem inflasset Spiritum (vt scilicet illius primi Adæ viuente spiritu afflati expleret typum) obtenebratā intelligendi vim eis cælesti illo lumine illustrauit, vt intelligerent Scripturas. Christi ergo rudimentaria eruditione ante passionem instituti, & hac Scripturarū Propheticarum intelligētia præditi Apostoli, nunc demum idonei efficiuntur post illius resurrectionē discipuli, doctrinæ illius verè ac propriè Euangelicæ, quæque ad nouam illā legem toties Prophetarum oraculis promissam peculiariter attinebat.

Acto.1. *Christus dies 40. loquitur Apost. de regno Dei, atque doctrina Euangelica.*

Hoc illud est, quod D. Lucas dissertè annotauit, Christum per totos quadraginta suæ resurrectionis dies, Apostolis apparuisse, ac de regno Dei illis locutū fuisse, aut vt Græcè est, τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, de iis colloquebatur, quæ regni Dei sunt: Quod non aliud est, quàm quòd de regno Dei seu Euangelica doctrina pleniùs Apostolos instituerit, quónam videlicet modo prædicāda in eius nomine Pœnitentia & peccatorū remissio: quibúsq; modis ea hominibus cōtingeret: an sola Fide in Filium Dei pro mundi peccatis mortuum, & in vitam reuocatū? an Fidei adhibenda Pœnitentia vitæ veteris? an his necessariò addendū aquæ Baptisma? Rursus quid cum lapsis à Baptismi gratia foret agēdum. Itē de aliis noui huius testamenti mysteriis, quæ ad perficiendam Christianorum salutem cōducunt. Quid enim
" aliud, ait D. Leo Magnus Epist. 10. dierum quadraginta
" mora gestū est, quàm vt Fidei nostrę integritas, ab omni

caligine mũdaretur? Ideo & clausis ad Discipulos ianuis »
introibat, & flatu suo, Spiritũ sanctum dabat, & donato »
intelligentię lumine, sanctarũ Scripturarum occulta pã
debat. Hunc igitur in modum Christus, teste D. Luca, cum Apostolis per dies quadraginta est conuersatus, de regno Dei loquens, quod ab ipso inchoatum, & plantatum, ac prædicari cœptum, vti Paulus ait Heb. 1. Iam illorum opera pervniuersum terrarum orbem, iuxta Prophetarum prędictiones erat propagandum. Sed hîc maximum sanè fuerit operæpretium animaduertisse, Christum hanc sui regni seu Euangelij doctrinam non omnem Apostolis omnibus promiscuè, sed Petro peculiariter cum Ioanne ac Iacobo Iusto, quos & aliàs, suorum mysteriorum & cõscios fecerat & testes, eximiè impartiuisse, priuatáque eos mystagogia, sicut à veteribus traditum commemorat apud Eusebium Cæs. libr. 2. cap. 1. D. Clemens Alexandrinus. Iacobo Iusto, inquit lib. 7. »
hypotyposeon siue dispositionum, & Ioanni & Petro »
post resurrectionem Dominus omnem τὴν γνῶσιν (quam »
iactabant se Hęretici accepisse, vnde & se Gnosticos ap- »
pellabant superbissimè) cognitionem illam, atque scien- »
tiam mysticam, Euangelicæ doctrinæ tradidit. Illi verò »
reliquis eam Apostolis, qui posteà 70. Discipulis tradi- »
derunt.

Christus nõ omnibus Apostolis omnia tradidit.

Tres illi itaq; Apostoli, Petrus, Ioannes atq; Iacobus Iustus Hierosolymorũ episcopus ab illis creatus, eximiã præ cæteris Apostolis huius doctrinæ Euangelicæ acceperunt doctrinam atq; cognitionẽ ab ipso Christo Domino, antequàm ad cælestia sua regna reditum pararet.

Caput XIII.



Iam igitur intra illos quadraginta dies Apostolis suis certissimam Fidei Christianæ præscripsit regulam, iuxta quam suas formarent conciones, populósque ad Euangeliũ regni Dei vocãdos instituerent. Sic enim disertis verbis Christus in cęlum mox ascensurus eos alloquitur: Euntes, inquiẽs, docete omnes gẽtes, & prædicate Euãgeliũ omni

Fidei Euãgelicæ quænam à Christo regula Apostolis præscripta.

Matth. 28.
Marc. 16.

" creaturæ, baptizantes eos, docentes eos ſeruare omnia,
" quæcunque mandaui vobis, ſeu ἐνετειλάμην, præcepi atque preſcripſi. Quod ergo à Chriſto Dei filio ſingulari veritatis magiſtro didicerant Apoſtoli, eis Fidei docendæ fuit norma, ac doctrinæ Euangelicæ regula: imò verbi Dei Euangelici canon, vt Paulus ad Philip. appellat.

Philip. 3.

Nunc porrò diſſerendum eſt, cur Spiritum ſanctum Chriſtus Apoſtolis promiſerit & doctorem & ductorem, qui nō modò in omnem deduceret veritatem, quā tunc temporis didicerant: ſed illa etiam doceret, quæ nondum portare potuerant.

Cur Spiritus ſanctus Apoſtolis promiſſus doctor.

Proinde ne quid ampliùs Apoſtoli piſcatoria illa ſua ruſticitate impediti, ſuæque ſimplicitatis cùm fraudibus, tum erroribus variis, obnoxiæ ſibi probè cōſcij, de ſua inſtitutione adhuc admodùm tenui diffiderēt, Chriſtus in cælos rediturus Spiritum eis doctorem pollicetur, qui in omnem eos perduceret veritatem: quò videlicet ea, quæ à Chriſto ipſo Iudaicis illis atque craſſis adhuc prępediti mentibus perdiſcere nō poterant, temporis lapſu Iudaicorum typorū, quod eſt, puerilium pietatis, Deíque cultus progymnaſmatum eruditiores facti, pleniùs Spiritu ſancto Magiſtro, Chriſtianæ veritatis non iam adumbratæ, ſed intermicantis, ſenſímque effulgentis dogmata edocerentur. Multa enim adhuc
" habeo, inquiebat, quæ non poteſtis portare modò, ſed
" cùm venerit Spiritus ille veritatis, ille vos docebit om-
" nia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixerim vobis. Quæ promiſſionis Chriſti de mittendo Spiritu ſancto verba nō ad nouos quoſlibet (quod eſt apud Dydimum Alexandr. lib. 2. de Spiritu ſancto) & penitùs gratia vacuos diriguntur: ſed ad eos, qui auditores verborū eius necdum fuerant omnia conſequuti. Quæcunque enim (inquit) ſufficere poterant, tradens eis, in futurum tempus reliqua diſtulit, quæ ſine diſciplina Spiritus ſancti, ſcire non poterant. Hæc igitur Chriſti Spiritum ſanctū doctorem Apoſtolis promittentis verba Solis luce clariùs loquuntur, plurima Spiritu doctore didiciſſe Apoſtolos, antè ignota & incognita, quàm vt vllius Scriptorum veterum interpretationibus ad ſententiam illu-

Iudaici typi puerilia pietatis progymnaſmata.

Chriſtus nō omnia Apoſtolos docuit, ſed quædam Spiritus ſanctus.

ſtrãdam habeant opus. Haudquaquàm tamen duxerim infrugiferum, pauca aliquot D. Auguſtini commemorare verba, quò nihil apud lectoris animum pietatis ac veritatis Euangelicæ ſtudioſum hæreat ſcrupuli. In hæc igitur Chriſti verba ſcribens Auguſt. Tract. 96. in Ioan. Quis noſtrũ (inquit) audeat eorum dicere ſe capacem, quæ illi capere non valebant? Et clariſſimè Tract. 98. Quod itaque ait Dominus, inquit ſub finẽ, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, adiicienda illis fuerunt, quæ neſciebant, non quæ didicerant euertenda.

Sic & D. ille Leo Magnus, omnes qui in Dominum Ieſum crediderant, inquit Serm. 2. de Pentecoſte, infuſum ſibi habebant Spiritum ſanctum: ſed illi perfectioni, quæ erat Diſcipulis conferenda, maior gratia & abũdantior inſpiratio ſeruabatur, per quam & quæ nondum acceperant, ſumerent, & excellentius poſſent habere, quæ ſumpſerant. Propter quod Dominus dicebat: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.

Multa igitur Apoſtoli Spiritu ſancto didicêre Magiſtro, quæ anteà ſcire non poterãt, vt ait Didymus: multa quæ neſciebant, ait Auguſtinus, erant à Spiritu ſancto Magiſtro adiicienda.

Proinde piis Lectoribus dubium fieri nequit, quin Apoſtolos Spiritus ſanctus docuerit plurima, nondum à Chriſto Domino nec audita, nec percepta.

Iam ea omnia quæ Apoſtoli ſiue à Chriſto Domino, ſiue à Spiritu ſancto edocti, Eccleſias Chriſti docuerint, indubitatum fuiſſe verbũ Dei Euãgelicum manifeſtius eſt, quàm vt vllam orationis noſtræ ferat explanationẽ.

Fidei regula, quænam Apoſtolorum ætate.

Proinde liquidũ eſt ex his agnoſcere, quænam Apoſtolorũ ætate fuerit Euangelicæ Fidei regula: nimirùm quod Apoſtoli Eccleſiis ab initio prædicati per orbem Euangelij tradiderunt, atque docuerunt, ſiue id poſteà in literas fuerit relatum, ſiue minùs.

Quod vt ſolis luce demonſtretur clariùs, ipſos verbi Dei Euangelici conſulamus Apoſtolos atque nuncios. D. Petrus inter illos Chriſti dignatione facilè Princeps,

1.Petr.1. de verbo Dei, quo Christiani in immortalitatem renascimur differés, verbis sanè disertis, docet, quódnam sit illud Dei verbum Euangelicum, cuius beneficio istud cõpost hominũ memoriam donum multò maximum cõtigit: Verbum Domini, ait, manet in æternum. Hoc au-
" tem est verbum, quod euangelizatum est in vos, siue vt
" plenius est apud ipsum, τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, hoc est autem illud verbum, quod vobis per Euangelij prædicationem est annunciatum.

D. Petro quidnã verbũ Dei Euãgelicum.

Hîc si D. Petrum roges, quód nam sit verbum Dei Euangelicum? quæ nam Euangelij regula? an tibi respõdeat aliud, atque Spiritu sancto tunc suggerẽte scripsit, τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, quod vobis est Euangelizatũ? quod vobis per Euangelij præcones est annunciatum.

Quicquid igitur tũc temporis Ecclesiæ per orbẽ diffusæ Apostoli, eorúmque discipuli, tradiderant atq; docuerant, id haud dubiè verbum Dei erat Euangelicum.

D. Paulo quidnã verbũ Dei Euãgelicum.

D. Paulus illud electionis vas, eandẽ hãc suis Philippẽsibus præscribit credẽdi normã: qui cùm Pseudoapostolorũ fraude circumuenti aliquãtulum à Fidei illius, quæ vt Deus, ita & ipsa est vna, dissessissent regula, vide mihi quæso, quàm verbis blãdis iuxtà ac amoris philtro
" plenis, eos ad doctrinæ cõcordiam reuocet: Si qua ergo,
" inquit 2. cap. cõsolatio in Christo, si quod solatiũ chari-
" tatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera ac miseratio-
" nes implete gaudium meum, vt idem sapiatis, siue ἵνα τὸ
" αὐτὸ φρονῆτε, vt idem ipsúmque sentiatis, eandem chari-
" tatem habentes, vnanimes idipsum sentientes.
" Iam ne quis ambigeret, quídnã esset indubitatò pro
" vera Apostolorum doctrina sequendũ, subdidit: verun-
" tamen, inquiens cap. 3. ad quod peruenimus, vt idem sa-
" piamus; in eadem permaneamus regula: siue vt hodie est in Græcis, πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Attamen ad id quod assecuti sumus, eadem pergamus, atque procedamus regula, siue Canone, vt idem sentiamus. Quibus verbis, si Theodoreto credimus, iterum de concordia agit, Regulam appellans prædicationem Euangelicam. Præcipit enim ne eos tollerent, qui legalia Euangelio admiscebant. Suffragatur &

Fidei Canõ quid Paulo ad Philip.

Photius apud Oecumenium, Canonem ſiue Regulam hîc Fidem eſſe à Paulo appellatam. Quemadmodum in Canone, inquit, ſeu norma ſiue abſtuleris quippiam, ſiue addideris, totum perdidiſti: ita & in Fide. Rurſus qui aliquid dogmatum immutauit, vniuerſa præcedentia diſſoluit. Sic & Theophilactus. Item eadem regula, id eſt, Fide. Canon enim & amuſſis neque additionem patitur, neque ablationem, neque vos igitur Spiritus mandata alteretis.

Liquet ex iis Pauli verbis, quémnam voluerit Eccleſiam Dei, quę apud Philippenſes erat, ſequi Fidei Canonem ac regulam, non prouocat ad Scripturas noui Teſtamenti, non ad verbum Dei Euangelicum ſcriptum: ſed quid tandem? Verbum Dei Euangelicum pridem annunciatum. Ad quod peruenimus, inquit, & quod pridem ſumus conſecuti Apoſtolorum prædicatione, in eodem prorſus perſiſtamus Canone, atque Fidei regula, vt idem ſapiamus atque ſentiamus.

Galatæ hūc Fidei Canonē violarunt.

Hunc credendi Canonem ſiue amuſſin, quia Galatæ Iudaizantium Chriſtianorum corruptela, vitiati aggrediebantur violare, atque addendo deprauare, vide obſecro, quàm in eos verbis acribus inſurgat D. Paulus. Sed licèt nos, inquiens, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquàm quod Euangelizatum eſt vobis, anathema ſit. Et quaſi hæc vna ſententia non ſatis habeat ponderis apud illos Galatas: Iterum dico, ait, Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Vbi Solis luce clarius vnicam præſcribit Fidei normam, id quod Galatis fuit euangelizatum, ſiue id quod ab Apoſtolis accepiſſent.

Adhæc ne quid ſuperſit tergiuerſationis, vt quis exiſtimet id ſolùm verbi Dei Euangelici nomine ſuſcipiendum, quod ab Euangeliſtis atque Apoſtolis, eſt literis commendatum, ipſe Paulus hîc tergiuerſandi præcluſit diuerticulum. Cùm enim ſuos in Chriſto filios Theſſalonicenſes recèns natos, aduerſus Pſeudoapoſtolorum inſidias munitos cuperet, operępretium eſt aduertamus, quónam eos præmunierit ſcuto: State fratres, inquiēs 2. Theſſalonicen. 2. & tenete Traditiones, quas didiciſtis,

ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: quaſi dicat, Habetis doctrinæ regulam, ait D. Theodoretus, ſermones quos verbis tradidimus, quos & præſentes vobis prædicauimus, & abſentes ſcripſimus.

Caput XIIII.

Scriptores vetuſtiſsimi hāc Fidei regulā agnoſcere.
Cyrillus.



Anc autem Fidei regulam, id eſt, Apoſtolorū doctrinam Eccleſiis prædicatam, ſiue ea in literas fuerit relata, ſiue occultis Traditionibus quaſi per manus, poſteris prodita, veteres noſtri Maiores Catholici Scriptores agnouerunt. D. Cyrillus Alxandr. Archiepiſcopus ſingulare Chriſtianæ " Eccleſiæ columen, de Chriſti diuinitate cum Hermia " diſputans, optimum fuerit (ait 4. lib. Dialog. initio) Her" mia non curare aliorum procacitatem, qui probatam " mentē (ſententiam) nobis auferunt: ſed magis Fidei Canonem rectum, & non peruerſum, hoc eſt, ſermones ab Apoſtolis factos, nec aliis quàm illis ipſis applaudere nos decet, ac dicere: Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris loquitur in vobis.

D. Baſil.
† Sermo de Fidei confeſſione in Aſcetic.
Fides quid D. Baſil.

Eundem in modum & Baſilius ille Magnus optimo merito & habitus & dictus, † Fidei ſuæ cōfeſſionem, exulceratiſſimo illo per Arrianiſmi peſtem ſeculo deſcripturus, de Fidei Chriſtianæ indole paucula præfatus: Fides, ait, ἔστι συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι, hoc eſt, Aſſenſio eſt, atq; approbatio indubia, eorū quæ audiuntur, & Dei " gratia annunciantur cū plena ad veritatem perſuaſione. " Huius exēplum promit Baſilius, quam oſtendit, inquiēs, " Abraham non hæſitans incredulitate atque perfidia.

Qua ex definitione manifeſtum eſt, Fidei regulam Magni Baſilij cenſura eſſe, quicquid Deus loquutus nobis credendum proponit, ſiue per ſeipſe, vti Abrahamo: ſiue per aliorum prædicationem. Iam vtrùm illud Scriptura ſit contentum, nec ne, modò ille proponat credendum, nihil ſanè intereſt. Quod niſi Solis luce eſſet clarius, ex capite vigeſimoſeptimo de Spiritu ſancto exemplis eiuſdem Baſilij demonſtraretur manifeſtiùs, vbi Eccleſiæ doctrinam partim nos ex ſcripto, partim

ex Traditione Apostolorum non scripta accepisse docet, candémq; vtriusque esse vim & authoritatem, ad statuendam pietatem ac firmādam religionē. Sed eo de loco infrà dicetur aptiùs iuxta ac copiosiùs. D. Clemens Alexandrinus varias hæreseon variarum ostendēs causas, & quánam via veritatis studiosus eam assequi certò queat, Necesse est ait 7 Stromatum sub finem, labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulā veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autē sunt huiusmodi, vt qui a recta via exciderint, meritò etiam fallūtur in pluribus singularibus, propterea quòd nō habeāt verorum & falsorum iudicium planè exercitatum in iis, quæ oportet eligere. Si enim haberent, parerent scripturis diuinis. Quomodo ergo, si quisfiat bestia ex homine, similter atque ij qui fuerant infecti venenis, Circes: Ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit Traditionē, & in humanarum hæreseon disiliuit opiniones. Et statim post paucula: Principium enim doctrinæ habemus Dominū, qui & per Prophetas, & per Euangelium, & per beatos Apostolos multifariam multisque modis à principio ad finem deducit cognitionis siue τῆς γνώσεως illius veræ cognitionis (qua sese venditabāt Gnostici) quę veram Dei habet scientiam atque religionem.

D. Clemens Alexandr. Fedei regulā docet Traditionē Eccle.

Cap. XV.



QVibus clarissimis cùm Apostolorum sentētiis ac quasi præiudiciis, tum illustrissimorum Scriptorum testimoniis liquere, nunc equidem arbitror indubitatam credendi regulam siue certissimam verbi Dei Euangelici normam esse, quicquid Apostoli tam à Christo Domino, quàm à Spiritu sancto veritatis magistro docti Ecclesiis Christi credendum annunciarunt, atq; posteris prodendum tradiderunt. Quod quàm sit multò verissimum, meridiana fiet solis luce manifestius, si animum ad promulgatę per orbem vniuersum nouæ huius Euangelicæ legis historiam seriò aduertamus.

Fidei regulā esse quicquid Apostoli Ecclesiam docuere.

Posteaquàm totum triennium Christus Israeliticę gé-

Heb.3. *Mat.15.* *Verbum dei Euangelicum viua tã tùm voce prĩcipiò ecclesiis prædicatum.*

tis Apoſtolus apud Iudæos verbum Dei Euangelicũ docuiſſet, poſt eius in cælos reditum, Apoſtoli omnes cum D Paulo annos (ſi Euſebio Cęſarienſi fides habenda eſt, atq; Theophilacto) totos 8, aut vt alij 15. vti Nicephor. priuſquàm Euangeliſtarum aliquis Euãgelica dogmata in literas retuliſſet, ſuam vbiq; terrarum doctrinam duo decẽnio in Iudæa Iſraelitarum ad Chriſtum conuertendorum cauſa ex Chriſti iuſſione exacto (quod nobis D. Apollonius Senator Romanus teſtatur, vt eſt apud Nicephorum) proponũt, ſuſcipiunt Iudæorum plurimi, ſuſcipiunt Samaritani, ſuſcipiunt toto deinde orbe gentiles noſtri Ethnici: inter quos D. Paulus eximiè prædicat *Philip.1.* Philippenſium Fidem, quod ipſius conciones non vt verbum hominum, ſed quod res erat, vt verbũ Dei ſuſcepiſſent credentes. Hìc igitur perſpicuè videas licet, quàm D. Pauli, aliorúmque Apoſtolorum nihil planè interſit, vt doctrina quępiã verbi Dei nomẽ mereatur, ſcriptáne ſit, an nõ ſcripta, modò à Spiritu ſancto (qui vt per Prophetas, ita per Chriſti Euangeliſtas, verbíque animo diuinitùs afflati adminiſtros loquitur) credenda proponatur. Quemadmodum enim Philippenſibus D. Paulus ſuã de certiſſima ſalutis æternæ per Chriſtum ratione annũciatam doctrinam nondum vllo ſcripto comprehenſam verbi Dei titulo dignatur, atque exornat: Ita haud dubiè & Apoſtoli alij invniuerſum omnes ſuam ſimiliter gentibus aliis expoſitam doctrinam verbi Dei nomine honeſtabant & prædicabant. An non & ſinguli illud Paulinum omnibus de Apoſtolicæ doctrinæ veritate ſubdubitantibus obieciſſent: An experimentum quæritis loquentis in me Chriſti? An non & D. Petrus ſingulari illa miraculorum facultate à Chriſto dotatus, vt vel ad eius vmbram omnia morborum genera curarentur, Romanis ſuis diu ante Pauli epiſtolam ad eos ſcriptã in Chriſti religione à ſe inſtitutis (vt mihi authores ſunt Clemens Romanus lib. 6. Diſpoſ. Papias Hieroſolymitanus D. Theodoretus in Epiſt. ad Rom. Tertulianus, aliſque ſexcenti, quos ſuo infrà loco commemorabimus aptiùs) meritò ſuam doctrinam Pauli Epiſtola approbatam & cõfirmatã verbi Dei elogio exornarit, quam Deus Max.

Act.5. *D. Petrus ante Paulũ docuit Romanos.* *Lib.4.* *Vide D. Egesippum.*

vt quotidianis, ita ſtupendis miraculis veriſſimam conteſtabatur? An verò Romanos ſuos diſcipulos D. Petrus minorem æternæ fœlicitatis ſpem ex tradita à ſe doctrina Euangelica cõcipere iuſſerit, atq; illos Ethnicos, Chriſti cognitione ſua opera per Põtum, Galatiam, Cappadociam, & Bythiniam illuſtratos? quos Epiſtola ad gẽtes (vt veteres teſte Iunilio Africano vocabant) Romam, vnde cum Symone Mago à Nerone dudũ expellebatur, reuerſus, hiſce verbis ad traditã à ſe Fidem conſeruandam hortabatur: Qui, inquit, in virtute Dei cuſtodimini per fidẽ in ſalutem? Sed ne per ſingulos Apoſtolos nobis exſpatiandum ſit, quódnam illo Apoſtolorum ſimul omnium, vniuerſorúmq; preſbyterorum ac fratrum, vnà cum illis Hieroſolymæ prima Synodo congregatorum decreto deſideretur, aut apertius teſtimonium, aut firmius huius rei argumentum? Viſum eſt, inquiunt, Spiritui ſancto, & nobis: quibus verbis, quum grauiſſimas illas quæſtiones totius Eccleſiæ perturbatrices de ſuſcipiendis ad Chriſti religionem citra circunciſionem gentibus, ſiue Ethnicis, de legis obſeruatione nequaquàm ampliùs neceſſaria definirent, vides qua freti authoritate, id ſtatuant: Viſum eſt, inquiunt, Spiritui ſancto & nobis. Non hîc illud Euàngelij audis accidens Scripturam, ſed eius naturam. Quicquid enim Spiritus ſanctus eis dictabat Magiſter, id haud dubiè verbum Dei erat Euangelicum.

Libr. de lege Diui. *Vide Nicephorum.* *Act.15.*

Caput XVI.



NEq; ſanè mirãdũ fuiſſe deprehẽdet, Apoſtolos illis Spiritus ſancti primitiis locupletos, Spiritúq; Chriſti magiſtro fretos ſuam vbiq; gẽtium doctrinam omnibus pro verbo Dei proponere, qui ſedulus cogitet, quánam ratione iidem ſuos olim Fidei Catechumenos atque Neophytos in tradita ſemel Fide Euangelica confirmarint atq; corroborarint. Cùm enim eos Fidei pridem traditæ veritatem pleniùs diſcere, atque aduerſus Pſeudoapoſtolorum fraudes, & errores veritatem nouæ doctrinæ mendaciis quaſi nebulis obſcurantes, vt ſe muniant, hortãtur, non iam ad ſcriptum duntaxat Dei verbum remittunt, vnde ſingula

Rom.8. *Apoſtoli Eccleſiã aduerſus hæreſes muniũt, doctrina nõſcripta.*

capita depromant confirmata: sed vt doctrinam dudum traditam ceu Fidei Euangelicæ normam retineant inuiolatam, indeprauatam, atque indeflexam.

1.Ioan.2. *Sic D.Ioannes Theologus Euangelista.*

Hunc in modum præter cæteros eximiè D.Ioannes Euangelista Epistola 1. Christianos ad vnum omnes aduersus grassantes passim Antichristorum siue Pseudoapostolorum pestes præmuniturus, efficacissimum quod habuit aduersus hæreticorum toxicum, porrexit antidotum. " Nunc Antichristi multi facti sunt, inquit, vnde " scimus, quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt, " sed non erant ex nobis, & quæ seq. sed vos vnctionẽ ha" betis à sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis, quasi " ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. Et " paulò infrà: Vos quod audistis ab initio, in vobis per" maneat, quia si in vobis permanserit, quod audistis ab " initio, & vos in Filio & in Patre manebitis. Et sta" tim adiiciens: Hæc scripsi vobis de his, qui vos se" ducunt. Et vnctio, quam accepistis ab eo, maneat in vo" bis. Et vos non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Quæ D.Ioãnis Theologi & Euangelistæ verba si ad viuum expendantur, mirum quantum clarissimæ lucis nostro affundant instituto. Duo enim in primis hinc mihi effici posse videntur. Principio hinc perspicuum constat, D.Ioan. Euang. Christianos homines iam non veritatem Euangelicam ignorantes, sed eam, inquit, sciẽtes, imò omnia cognoscentes, hortari, vt illam Spiritus sancti vnctionem, siue vt ipse vocat, chrisma, eos omnia docentem, cælestémque magistram piè obseruent simul, & studiosè conseruent, quò in ipsis permaneat: quæ ita opulenter & copiosè etiam instituat in omnibus Fidei verè Euangelicæ dogmatibus, dudum viua Apostolorũ voce ipsis traditis, vt nõ necesse habuerint, vt aliquis eos doceret.

Deinde iisdem ex D.Ioannis Euangelistæ verbis, manifestò patet, Euangelicam Christianæ Fidei doctrinam Apostolos aduersus illos heterodidascalos atque hæreticos, qui sub Christi nomine, ceu idoneo ob nouitatem suarum imposturarum inuolucro, perniciosas obtegebant opiniones non aliter fuisse tutatos, quàm origina-

lem illam atque puram putam principiò traditam Fidei doctrinam, velut germanum Christi Iesu Euangelium, nouis heterodidascalorum dogmatibus opponendo, ac eandem subinde Christianis hominibus in mentem reuocando. Ad quem modum D. Ioannes impios illos Ebionitas, & impuros Gnosticos à Christianorum auribus hoc in loco amolitur, Vos quod audistis, inquit, ab initio, in vobis permaneat. Quo in loco illud tunc temporis ab Hæreticis exagitatum dogma de Christi Iesu Theologia, vt veteres loquuntur, siue diuinitate, quòd naturâ Deus simul & homo esset, vide mihi obsecro, quá nam ratione Christianis hominibus confirmet: An ne verbi Dei testimonio? certè, sed quô nam? An illo, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Atqui nondum fortassis, quod equidem arbitror, in Scripturas erat relatum. An ex veteri testamento suæ Fidei firmamenta petat? Huius nõ meminit. Vnde igitur? An sine verbo istud asserat? minimè verò. Sed quónam? Vos quod audistis, inquit, ab initio, in vobis permaneat. Illam igitur Christianæ Fidei doctrinam semel ab initio sine scripto traditam retinere, quanta cum salutis suæ necessitate debuerint Christiani, statim adiiciens docuit, Quia si in vobis permanserit, inquiens, quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Quasi dixerit, si constanter retinere perseueratis traditam vobis dudum Euãgelicę Fidei doctrinam, in Patre & Filio vobis propitio permanebitis, non minùs Filium quàm Patrem, verum esse Deum credentes. Quæ confirmandæ Fidei Christianæ ex tradita dudum Euangelij doctrina ratio, quam & Apostolis cæteris fuerit habita multò firmissima, fusiùs paulò demõstrandum est, vbi alterum ex eodem Theologo Euangelista prompserimus testimonium. Is igitur eos in vniuersum omnes, siue Apostoli fuerint, siue discipuli, pro alienis à Christo habendos pronunciat, qui hanc, inquit, doctrinam non attulerint. Quámnam obsecro? an eam modò, que de Christi est diuinitate? Sanè de hoc Fidei dogmate ibi laborat solicitus: quanquàm in vniuersum de toto Euangelicæ doctrinæ corpore paululùm supra

Christi deitatem Ioannes confirmat, doctrina non scripta.

2. Ioan. 1.

fuiſſet locutus. Valde gauiſus ſum, inquiens, quòd inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus à Patre. Et paulò póſt, Hoc eſt enim mandatum, quemadmodum audiſtis ab initio, vt in eo ambuletis. Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum. Quales autem ſeductores iſti Electæ Dominæ, eiúſque natis pro temporis & loci ratione monuerit cauendos, atque deuitandos, ſpeciatim commemorat ſe eſſe ſolicitum de Ebionitis, & Gnoſticis, ſimilibúſque eius tempeſtatis peſtibus: Qui, inquit, non confitetur Chriſtum veniſſe in carnẽ, hic eſt ſeductor & Antichriſtus. Quod igitur pro loci illius ratione, vbi Catholicis Ebionitæ in primis inſidiabantur, dicebat Ioannes, haud dubium de aliis in vniuerſum omnibus heterodidaſcalorum generibus fuiſſet dicturus, ſi ita tuliſſet occaſio. Quod ex verbis eius ſubſequentibus, quę generatim omnes & hęreticos & heterodidaſcalos perſtringũt, liqueat, Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Proinde quod in Ebionitas propriè iaculatur Excommunicationis telum, in omnes ſemel heterodidaſcalos ab eodem vibratum intelligatur. Si quis, inquit, non adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domũ, nec Aue ei dixeritis. Cui interpretationi noſtræ, doctiſſimus ille Theophilus Alexandrinus in epiſtola ad †D. Hieronymum ſuffragatur, Quamobrem cauete, inquiens, & effugite huiuſmodi homines (Origenis Sectatores, & qui occultè ſubruunt veritatem) iuxta quod ſcriptum eſt, Si quis non affert ad vos Eccleſiaſticam Fidem, huic nec Aue dixeritis.

†Vide eam inter epiſtol. D. Hieronym.

D. Petrus item Chriſtianos munit doctrina tradita pridem.

Pari planè conſilio & D. Petrus cùm epiſtolam illam, vti diximus ex Iunilio Africano, ad gentes veteribus dictam, clauderet, coronidem addidit, qua totam Chriſtianæ doctrinæ ſummam eſt complexus: Breuiter, inquiens, ſcripſi vobis conſecrans, & conteſtans, quoniam hæc eſt vera gratia Dei, in qua & ſtatis. Quod corollarium quid ſibi quæſo aliud, quàm vt fratres illos à Paganiſmo ad veram Euangelij doctrinam conuerſos, in tradita ſemel doctrina conſtabiliret? Et apertiùs in fine ſecundæ epiſtolæ ad eoſdem ſcriptæ: Vos igitur fratres,

inquit, præscientes custodite, ne insipientium errore »
traducti, excidatis à propria firmitate. Quam autem in- »
telligat, dubium esse nequit, qui illud, quod adiecit, co- »
gitet, Crescite verò in gratia & in cognitione Domini »
nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

Similiter & D. Iacobus.

D. Iacobus quoque ille primus Hierosolymorum Episcopus in sua item Catholica (quę Ecclesiasticis Scriptoribus est, quæ secularibus encyclica quasi circularem dicas, non vni ciuitati, sed toti alicui genti scripta) Iudæos suos ad Christum pridem conuersos hortatur, »
vt omnium sordium puri, & à contentionibus alieni »
mansuetè suscipiant τὸν ἔμφυτον λόγον, verbum insitum, »
quod potest, inquit, saluare animas vestras.

Verbum insitum D. Iacobo quid.

Verbum insitum vocat, quod iampridem eorum pectoribus per Apostolos, aliósque Euangelij ministros fuerat viuæ vocis insitione implantatum. Hoc enim est, quod dicit τὸν λόγον ἔμφυτον: qua vocula non aliud D. Iacobus suos illos duodecim Tribuum in dispersione agentium Iudæos voluit admonitos, quàm vt plantaria doctrinæ ab Apostolis olim sine scripto traditæ, animísque ipsorum feliciter insitæ, retineant inconuulsa, seruent inuiolata, tueantur salua & incolumia.

†Sic & D. Iudas Apost.

†Similiter & D. Iudas Iacobi frater, Christianos in vniuersum omnes sua quoq; epistola ceu quodam pharmaco, aduersus varias illius ætatis pestilitates præmuniturus deprecatur, vt traditæ semel Sanctis Fidei supercertare, siue ἐπαγωνίζεσθαι decertare pro ea conseruanda studeant.

D. Paul. Ecclesiæ pastorem Timotheum admonet doctrina non scripta.

Sed quid hac in re comprobanda beneuolum fatigamus Lectorem, cùm D. Paulus suum Timotheum tot locis aduersus grassantes hæreseon & heterodidascalias venenatæ pestes crediderit plus satis præmunitum, vbi eum traditæ semel doctrinæ, ceu præsentissimi antidoti commonuisset? Tu verò (inquit) permane in his, quæ didicisti, quæ credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris, & quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem in Christo Iesu. Quæ didicisti, inquit, & credita sunt tibi: quod rectè quidem considerantibus geminum doctrinæ Euangelicæ genus de-

Bipartitum doctrinæ Euangelicæ genus, Paulo.

monstrat. Vnum publicum illud, & Christianorum omnium commune, cuius primo capite meminerat: Formam, inquiens, habe sanorum verborum, quæ à me audisti in Fide & dilectione in Christo Iesu. Alterum verò genus quod sequitur, habet: Quæ credita sunt tibi, sciẽs à quo didiceris. Hoc veterum Commentarios sequutus ad reconditiorem atque secretiorem mysteriorum Fidei doctrinam equidem pertinere crediderim: quemadmodum & illud: Tu ergo Fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Constans esto & robustus (inquit Ambr.) in docendo gratiam Dei, quæ data est in Christo Iesu, & non solùm in gratia, sed etiam in mysteriis, quæ sunt de Christo. Arcana, fidelibus & dignis tradi, vult, qui alios possint docere, non passim vulgaribus & negligentibus. Hæc ergo secretiora mysteriorum arcana non dic, vt est apud Chrysost. sed commenda veluti thesaurum regium, qui tuto loco deponitur. Commenda, inquam, hæc fidelibus hominibus, videlicet Episcopis & Presbyteris, vti Photio apud Oecumenium placet. Verùm hac de re alibi profusiùs. Iam quid aliud sibi vult, quod suum admonet Timotheum D. Paulus extrema epistola post tot, támque pias ac verè paternas doctrinæ Apostolicæ obtinendę adhortationes: Timothee depositum custodi, scilicet, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, serua depositum? Sanè aliud nihil mihi intellixisse videtur, quàm quòd vetustissimus annotauit Tertull. de pręscrip. Traditiones, inquit, per viuam vocem doctrinæ Ecclesiasticæ appellat Apostolus depositum. Ad hæc D. Paulus Princeps ille Euangelicæ doctrinæ aduersus infestas hæreseon cateruas propugnator, tantum irrefragabilis prorsus authoritatis hoc argumentandi genus continere censuit, vt nullum planè sibi crediderit superesse firmius aut efficacius, quo Galat. in suscepta dudum Euangelij doctrina retineret: adeò vt non Angelos modò, si aliud à tradito haud ita pridem Euangelio annunciassent, anathemati subiecerit: Verùm se ipse quoque execrandum deuouerit: Sed licet, nos, inquit, aut Angelus de cælo

Non omnia Fidei mysteria omnibus Apostoli tradidêre, sed Episcopis & Presbyteris.

Depositum Paulo quid.

Galat. 1.

lus de cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Et iterum, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Hiſce commemoratis Apoſtolorum D. Ioannis Theologi, D. Petri, Iacobi, D. Iudæ fratris, ac D. Pauli teſtimoniis effectum, opinor, videbitur Euangelicam Apoſtolorum doctrinam nondum in Scripturas, niſi partim ac quaſi fruſtulatim redactam, ſed toto terrarum orbe in Eccleſiis diſſeminatam, non modò verbi Dei nomen & meruiſſe & habuiſſe, atque pro germano Chriſti Ieſu Euangelio, vtut nequaquàm ſcripta eſſet, illos Chriſtianis Eccleſiis rememoraſſe: verumetiam eandem tantæ ab Apoſtolis habitam fuiſſe authoritatis, licèt non ſcripta eſſet, vt illa vna, quaſi antidoto præſentiſſimo, Chriſtianas Eccleſias contra omnes omnium cum heterodidaſcalorum, tum hęreticorum peſtes crediderint communitas. Quin & illud eiſdem ex teſtimoniis, luce meridiana illuſtriùs demonſtratum eſt, traditam Euangelicæ Fidei ſine ſcripto doctrinam eo authoritatis loco habitam, & maieſtatis ſede ab Apoſtolis collocatam, vt pro vera adeò Chriſti gratia (vt Petrus & Paulus loquuntur) hoc eſt, vera Chriſtiana doctrina, Eccleſiis eam commendare non dubitarint, adeóque Fidei regulam cùm demonſtrare, tum appellare, in qua & ipſæ perſiſterent conſtantes, & alios in eadem ſic mero vocis oraculo tradita prodendo inſtituerent.

Epilogus cum tranſitione.

Caput XVII.

POſteà igitur quàm demonſtratum eſt, nouam illam noui legiſlatoris Chriſti Ieſu legem Euangelicam, iuxta Prophetarum præſentiones non in tabulas inciſam, aut in libris fuiſſe delineatam, ſed Spiritus ſancti magiſterio in cuiuſque Chriſtianorum corde ceu tabula carnea depictam, nunc porrò vt exponatur ordo efflagitat, quo tandem Apoſtoli conſilio, ſua quædam literis conſcripta ediderint, nobíſque reliquerint. Quod preſtabitur, ſimulátque fuerit expoſitum, quando & quo inter ipſos

Cur Apoſtoli quædam ſcripſerint, & quo ordine.

ordine DD. Euangelistæ sua Christianis scripserint Euangelia. Apostoli igitur Christi Iesu cùm Euangelij vniuerso mundo annunciandi Prouinciam suscepissent, suo quidem munere perstrenuè sunt defuncti. Non enim perpetuò in Iudæa constitêre, sed vbi ouiculas illas domus Israël toto duodecennio, vti ex D. Appollonio Romano Senatore retulimus, congregassent Pastori Christo, visum est Spiritui sancto, eosdem ad gentes etiam Christo colligendas alium aliò abducere. Huc vsque igitur, hoc est, ad annum Domini 42. †si Eusebio atque Theophylacto habeas fidem, aut si Nicephoro ad annum 48. sacrosanctum Iesu Christi Euangelium citra literas omnes in hominum cordibus duntaxat fuit descriptum.

Annis minimum octo Euangelium sine literis mortuis vixit, viuis piorum cordibus inscriptum.
†Euf. chron. Theophyl. argu. in Euãge. Niceph. 3.

Primus D. Matthæus post tot iam annos ferè totos octenos secundum Eusebium in Chron. atque Theoph. argumento in Euang. aut quindenos secundum Nicephorum à Christi morte scribere aggreditur: licèt D. Irenæus lib. 3. eum scripsisse asserat seriùs, Petro & Paulo, inquit, in vrbe Roma Euangelizantibus. Post hunc D. Marcus secundum plerosque (licèt D. Clemens Alexandrinus in Stromatibus testetur, Lucam ante D. Marcum Euangelicam Christi historiam literis mandasse) suum Euangelium Romæ scribit, sub annum ab Ascensione decimum, teste Theophylacto, argumento Euangel. siue anno Domini 45. antequàm in Ægypti Alexãdriam cõcederet. Quod cum Epiphanio aptè congruit, qui in Alogis testatur, Diuum Marcũ statim post Matthæum scripsisse. Tametsi Diuus Irenæus apud Eusebiũ lib. 5. cap. 8. asserat, post Petri Paulíque mortem scripsisse D. Marcum. Cæterùm D. Lucas circiter annum Domini 50. suum, aut potiùs Pauli, conscripsit Euangeliũ, quemadmodum est apud Theophylactum, loco nuper commemorato. Porrò D. Ioannes ille Theologus, & idem Euangelista, diu post suam in Pathmo Apocalypsin sacrum scripsit Euangelium omnium nouissimus, quod & Hieronymus in Catalogo Euangelistarum testatur. Iam verò an post Christi assumptionem anno trigentesimo sexto, id est, anno Domini 69. vt

Primus Euãgelij scriptor D. Matth. Anno Domini 42.

D. Marcus anno 45.

D. Lucas anno 50.

Apostolos necessitate cõpulsos quædã scripsisse.
D. Ioan. anno Dom. 66.

Nicephoro placet, an potiùs in ipsa Pathmo circiter ab Ascensione tricesimo secundo, id est, anno Domini sexagesimo sexto, vti narrat Dorotheus Tyrius argumento suo, in Ioannis Euangelium, cui Alcuinus suffragatur, etsi de loco dissentiat cum Hieronymo, scripserit néc ne, alibi licebit accuratiùs perscrutari: quemadmodum & illud, quod est apud Clementem Alexandrinum & Diuum Irenæum, an Diuus Marcus post Petri mortem Euangelicam contexuerit historiam. Hîc de Paulinarum epistolarum & cæterarum temporibus dicendum esset, nisi præsens institutum digressionis impatiens aliò nos vocaret.

Ostenso igitur quém nam Euangelia temporis ordinem habuerint edita, paucis de consilio, quo adducti Euangelistæ sua in lucem dederint scripta, nunc est disserendum. Quod eò accuratiori nobis studio agendum duximus, quòd Aduersarij isto prætextu imperitis fucum facere magis conantur, vt eis persuadeant, Apostolos Spiritus sanctj afflatu impulsos ita animum ad scribendum appulisse, vt vniuersam Euangelij doctrinam scriptis suis complecterentur. Proinde nos ex clarissimis veterum Scriptorum, & summæ eorundem authoritatis monumentis demonstrabimus, illos non vt aliquam totius Euangelij Methodum informarent, non vt Christianæ Fidei summam conscriberent, ad scribendum accessisse: sed vt historiæ rerum à Christo gestarum summam hominibus iam pridem Christiana Fide imbutis contexerent. † Verissimè à D. Chrysostomo obseruatum est, puram adeò oportere hominum fuisse vitam, vt literarum auxilio ad veritatem discendam opus haberent nihil, sed earum loco Spiritus sancti gratia vterentur, vt quemadmodum libri atramento inscribuntur, ita hominum corda cælesti illius vnctione delibuta claris salutarium rerum notionibus depingerentur. Iustissima igitur eius est conquestio de hac Scripturarum sacrarum necessitate, qua Dei benignitas improbæ nostræ ignauiæ, & torpidæ oscitantiæ, consulere est dignata.

Consiliū quo Apostoli sua scripserunt Euangelia.

† Præfat. in Matth.

Scripturas nostra peperit ignauia.

D. Chrysost. querela, quia Scripturis indiguerimus.

Posteà enim quā nos familiari & assiduo Spiritus sancti

alloquio fecimus per flagitia indignos, nostri tamen studium atque curam, quæ ipsius est in nos pietas, non abiecit, sed alteram quasi nauiculam nobis parauit, qua vecti, ad pristinum salutis portum rediremus incolumes. Sicut ergo primi illi veræ in Deum pietatis cultores, & iidem mundi recèns creati incolæ, abundè satis de indubitata Dei Optimi Maximi voluntate, Spiritu sancto eorum corda vnctionis suæ penicillo conformante instituebantur, tantisper, dum Iudaïco populo in vitiorum ima delapso, tabulæ Dei legis doctrices atque pietatis in Deum admonitrices scribebantur: ita & Christiani alterius illius à Prophetis adeò prædicati orbis per Christum instaurati, & renouati cultores atque incolæ, primi quidem illi, non legem vllam accepêre scriptam, verùm pro literis, Spiritus sancti gratia eis vitæ Dux promittebatur, & veritatis omnis
" magistra: Ille vos, inquiebat Christus, docebit omnia.
" Hinc egregius ille nouæ legis Præco Paulus, se legem accepisse gloriabatur, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordibus carnalibus. Cæterum quia temporis lapsu, quidem propter dogmata, alij propter morum improbitatem impegerunt grauiter, iteratò literis opus fuit mutis magistris, quæ homines sui admonerét officij. Quod ex doctissima facundissimi Chrysostomi prima in Matthæum, homilia delibatum, quàm sit multò verissimum, nemo qui sanum sapiat, inficias eat. Hominum igitur infirmitas, vt quod leuissimum est, dicamus: Scripturarum causa fuit, qua coacti Euangelistæ, illa Spiritus sancti dogmata in literas referre satagerunt, quò huic malo in primis adferrent remedium. In ea namque (vti Chrysostomus homilia prima in Acta Apostolorum admonet) Euangelistæ incubuerunt semper, quæ magis vrgebant. Siquidem non parùm multa & absque scripto tradiderunt. Consulamus igitur, si videtur venerandam Ecclesiæ Christianæ antiquitatem, vt ex ea verum Apostolorum consilium perdiscamus, quo adducti, animum ad scribendum appulerint.

Cur literis mutis magistris opus fuerit Christianis.

Absque scripto, multa tradidêre Apostoli.

Imprimis Eusebius Cæsariensis celeberrimus Chri-

ſtianæ Scriptor hiſtoriæ recitabitur, qui hunc in modum ſcribit: Igitur ex ipſis (inquit) Diſcipulis Domini Matthæus tantummodò & Ioannes ad ſcribendum appuliſſe animum traduntur, neceſſitate quadam in hoc ipſum prouocati, quod Matthæus ad Ethnicos parans profectionem, Iudæis ſuis prædicati Euangelij Mnemoſimon reliquerit. Ioannem verò tradunt vſque ad vltimum penè vitæ ſuæ tempus abſque vllius Scripturæ indiciis, Euangelium prædicaſſe: Sed cùm tribus illis Euangeliis ſcriptis quædam deeſſe animaduerteret, voluit ſuo teſtimonio confirmare, quæ ab initio Chriſtus geſſerat. Huius tamen cauſam Sophronius, vt nonnulli ſuſpicantur, apud D. Hieronym. magis neceſſariam exponit in ſuo Ioanne Euangeliſta, quòd rogatus ab Aſiæ Epiſcopis aduerſus Cerinthum, alióſque hæreticos, & maximè contra Ebionitarum dogma tunc exortum ſcripſerit. Quod ex ipſis Euangeliſtæ verbis eſt clariſſimum. Hæc ſcripta ſunt, ait cap. 20. vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Vnde liquet de vno hoc Fidei articulo confirmando, in primis laboraſſe Ioannem, vt contra Ebionitarum furorem plus quàm fanaticum doctrina eius cæleſti rebus ſtupendis ac prorſus diuinis, hominíſque facultatem excellentibus confirmaret, Ieſum Nazarenum verum eſſe Chriſtum, verúmque Deum Dei filium. Sed ille profectò ſcrupulus hoc loco videatur rudioribus eximendus, quòd Euſebius refert ex Diſcipulis Domini, Matthæum tantummodò & Ioannem neceſſitate quadam adactos ad ſcribendum appuliſſe. Verùm id neminem meritò perturbet, quaſi alij duo Euangeliſtæ ad ſcribendum plenam abſolutámque Euangelicæ doctrinæ hiſtoriam acceſſiſſe ſint exiſtimandi. Nam Euſebius non inuſitato loquendi more Diſcipulos Catachreſticôs vocat, quos ferè Apoſtolos dicimus. Reliquum itaque fuerit Lucam & Marcum ſimili quoque fuiſſe neceſſitate ad ſcribendum Euangelium compulſos, demonſtrare. Lucas igitur hanc ſcribendi neceſſitatem ſuo Euangelij argumento diſertiùs deſcripſit, quàm quæ clariori noſtræ

Matthæus cur ſcripſerit.

Cur Ioannes ſcripſerit.

Lucas cur ſcripſerit.

orationis luce habeat opus. Plures, inquiens, de quibus certò ipse edoctus esset rebus, temerè scribere ausos fuisse, se autem dubiis ancipitibúsque libris reiectis, & sermonum veritatis certitudine percepta illorum colloquiis & familiari consuetudine à Christo gestis adiutum, qui illis adfuerant præsentes, necessarió ad conscribendum Euangelium adductum esse. Cæterum Diuus Marcus, quemadmodum Clemens Romanus in dispos. teste Nicephoro, lib. 2. cap. 45. & Papias Hieropolitanus cõtestantur, quum Diuum Petrum ex Oriente Romam ad profligandas Simonis Magi præstigias profectum comitaretur, à Romanis Petri auditoribus rogatus, vt doctrinam viua Diui Petri voce traditam, literis memoriæ alumnis commendaret. Quorum pium simul & iustum populi Romani desiderium Diuus Petrus vbi intellexisset, beato Marco Euangelium à se dudum publicè doctum scribendum dictauit, scriptúmque approbauit, atque in Ecclesiarum Synaxibus legendum mandauit. Quibus in verbis vt Diui Marci & D. Lucæ scribendi consilium perquàm luculenter sese prodit, ita aduersariorum oscitantia turpi sese contaminat inscitiæ nota. D. enim Lucas disertè sese scripturum pollicetur, non quæ mysteriis peragendis sunt idonea, non quæ arcanis Sacramentorum ritibus sunt veneranda, non quæ silentio tanquàm venerationis conciliatore sunt sacrosancta: sed ἀνατάξασθαι διήγησιν (inquit) περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, quæ in nobis, inquit, gesta sunt ordine, commemorare. Pari modo D. etiam Marcus ea tantùm in literas referre est aggressus, quæ, inquiunt Clemens & Papias, Diuus Petrus Romæ vt summa auditorum cum gratia ille docuisset, ita summo admirationis desiderio grata isti percepissent. † Hunc in modum & doctissimus ille Albinus, cognomine Alcuinus, de vera Scriptorum Euangelicorum causa disserit. Ex quo intelligi datur; inquiens Præfatione in Euangelium Ioannis, si diligenter aduertas tres Euangelistas temporalia facta Domini & dicta, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maximè valerent, copiosiùs persequutos, circa illam Actiuam fuisse ver-

Marcus cur Euãgeliũ scripserit.

† Albi. Alcuinus præfa. in Ioan.

ſatos. Ioannem verò facta Domini multò pauciora nar- *Chryſo. Homil. in Mat.*
rantem, dicta verò eius, ea præſertim, quæ Trinitatis
vnitatem, & vitæ æternæ fœlicitatem inſinuarent, dili-
gentiùs & vberiùs conſcribentem in virtute contem-
platiua commendanda, ſuam continuationem atque
prędicationem tenuiſſe. Nihil igitur de Catechiſmi ru-
dimentis, nedum de myſteriis Chriſtianæ religionis,
ſummo ſemper ſilentio traditis, ſcribere voluerũt Euã-
geliſtæ.

Caput XVIII.



Vod ipſum & de Apoſtolorum epiſto- *Epiſtolas aliquot cur Apoſtoli ſcripſerint quibuſdam.*
lis hic locus commonſtrãdum admo-
net, eos videlicet non alicuius Metho-
di informandæ gratia, aut vt ſummam
totius Chriſtianæ Fidei cõplecteren-
tur, has ſcripſiſſe: ſed vt ſuos iam pri-
dem ante annos aut 15. Epheſios, & Coloſſ. Paulus: aut
25. vt Paganos ad Chriſtũ cõuerſos in Ponto, & Bythi-
nia Petrus: aut multò anteà, vt Iudæos in diſperſione
agentes, Iacobus: omniúmque nouiſſimè, vt arbitror,
Chriſtianos in vniuerſum omnes, D. Iudas Thadæus,
aduerſus pullulantes paſſim hæreſeon peſtes quaſi anti-
doto ſaluberrimo præmunirent, vel agentes inter graſ-
ſantia adulterinę doctrinæ venena, quaſi porrecto Thi-
riaco illæſos cõſeruarent. Præterquàm enim quòd ple-
ræq; omnes omnium Apoſtolorũ Epiſtolæ, ex ipſo ora-
tio nis filo ad fortem in ſuſcepta dudum Euangelica do
ctrina conſtantiam exhortantur, aduerſus ſeductores
etiam heterodidaſcalos, atque hæreticos interdũ obli-
què, interdum aperto Marte belligerantur. Hoc ipſum » *Apoſtoli*
D. Petrus diſertiùs teſtatur, quàm vt fuſiori explicatio- » *Eccleſiam*
ne opus habeat. Hanc ecce vobis chariſſimi, inquit, ſe- » *aduerſus*
cundam ſcribo Epiſtolam, in quibus veſtram excito per » *ſuæ ætatis*
cõmonitionem ſynceram mẽtem, vt memores ſitis eo- » *peſtes lite*
rum, quæ prædixi, verborũ à ſanctis Prophetis, & Apo- » *ris munie*
ſtolorum veſtrorum, pręceptorũ Domini & Saluatoris. » *bant, non*
Hoc primùm ſciẽtes, quòd venient in nouiſſimis diebus » *catechi-*
illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes. » *zabant.*

Et paulò inferiùs, Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his. Ad eundẽ modum & Diuus Ioannes Euangeliſta, Hæc ſcripſi, inquit, vobis, de his qui vos ſeducunt.

Iam quid fuſiùs commemorem alias Apoſtolorũ Epiſtolas, partim, aut eſſe conſolatorias, partim, vt officium faciant Chriſtiani, exhortatorias? Vt ad Timotheum atque Titum. Rurſus quorſum prolixiùs exponatur, quaſdam propter domeſticas turbas & quæſtiunculas Chriſtianorum inter ſe fuiſſe ab Apoſtolis ſcriptas? In quo genere, vtramque Corinthiis ſcriptam plerique verſari contendunt.

Ad Romanos epiſtola, cur ſcripta.

Cæterùm de epiſtola ad Romanos data, paulò fuſiùs dicendum, quòd eam aduerſarij totius Euangelicæ doctrinæ ſummam eſſe volunt, in eáque Paulum Chriſtianæ Fidei Methodum præſcripſiſſe contendunt. Verùm enimuerò quanta hîc peccetur oſcitantia, nemini ignotum ſit, qui vel perfunctoriè cogitet, quídnam D. Paulus apud Romanos iam pridem circiter annos, vt pleriſque veterum viſum eſt, decem aut duodecim, à D. Petro in Fide Chriſtiana optimè ſiquidem informatos atque eruditos agere inſtituerit. Nemo quidem, qui eam attẽtus perlegerit, dubitare poteſt præter vnum, aut ſummum alterum quoque Fidei Chriſtianæ caput de Iuſtificatione, an per operum merita, an Fidem potiùs in Chriſtum Ieſum cõtingat, tractare propoſitum eſſe nihil. Reliqua enim poſt difficiles Iudaicæ reprobationis explicatus fuſiorem habent ad obedientiam magiſtratui ciuili exhibendam, vitámque Chriſtiano nomini conſentaneè inſtituendã exhortationẽ, quod nos fuſiori oratione efficeremus illuſtrius, niſi de tuo (cãdide Lector) diffidere videremur iudicio. Hic igitur iſtorũ fraus manifeſtè deprehenſa detegitur, quaſi iſta de Iuſtificatione diſputatione totam vniuerſæ Euangelicæ doctrinæ ſummam ſit complexus, aut informarit Methodum D. Paulus. Quandoquidem igitur nec catechiſmi Chriſtiani meminerit (quippe qui iam pridẽ baptizatis ſcripſerit) nec Sacramentorum, præterquam Baptiſmi obi-

Paulus Romanis annos minimũ decẽ Chriſtianis ſcripſit.

Argumẽtũ epiſtolæ ad Roman. perſtrictum.

Paulũ epiſt. ad Rom. non informare doctrinæ Euãgelicæ Methodum.

ter, nec aliorum, quæ Christiana habet doctrina pluri-
ma Fidei capita, quónam quæso pacto Methodum Euá-
gelicæ doctrinæ informasse est censendus? Aut Fidei
summam esse complexus? Quod vt scribenti Paulo erat
superuacaneum (quod iam annos minimùm totos decẽ
per Petrum aliósque in Euangelica doctrina fuerant ad
plenum instituti) ita secundum istorum commentum
quoque foret necessariũ, dum vniuersæ doctrinæ Chri-
stianæ Methodum eum scribere asserunt. Illud quidem
ex variis huius Epistolæ locis euincatur, potissimùm ex
cap.15. Certus sum autem fratres mei, inquit, & ego ipse
de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti
omni scientia, ita vt possitis alterutrũ monere: audaciùs
autem scripsi vobis fratres ex parte, tanquàm in memo-
riam vos reducẽs, &c. Hoc autem ex epistola Hebræis
scripta citra omnem ambiguitatem cuilibet in promptu
est discere. Hìc enim Paulus ipse disertissimè admonet,
sibi non esse iterum Christianæ Fidei fundaméta de in-
tegrò iacienda, id est, non esse Iudæis dudum in Euan-
gelio institutis Catechismum à se tradendum de prioris
vitæ pœnitudine, abrenũciatione, Baptismo, manuúm-
que posteà impositione, & aliis Fidei dogmatibus pòst
paulò explicãdis: sed ad perfectiora Fidei dogmata, quæ
non lactis, sed solidi cibi rationem habeant, sibi esse
transeundum: qualia sunt, quæ ibi pertractat de Christi
maiestate ácsacerdotio, Christianę religionis sacrificio,
nouíque testamenti præ illo veteri excellẽtia atq; præ-
stantia. Ad eundem igitur modum & ad Romanos scri-
benti elementaria illa Christianæ Fidei dogmata extra
controuersiam posita, silentio erant transilienda. Pro-
inde luculenter satis demonstratum equidem arbitror,
eodem planè consilio Apostolos, vt epistolas aliquot
conscriberent, fuisse adductos, quo superiùs Euange-
listas ostendimus impulsos: non scilicet Methodi ali-
cuius de tota Euangelica doctrina informãdi causa, aut
summæ dogmatum fidei alicuius comprehendẽdæ gra-
tia scripsisse: verùm vt illi historiam rerũ Christi Euan-
gelicam, quò Discipulorum pridem Christianorũ me-
moriæ cõsulerent: ita hi Christianos dudum in doctri-

Quid ad informandam Fidei Methodũ in Roma. epistola tractatũ fuisse oportuisset.

Rom.15.

Romanis nõ fuit opus Paulino Catechismo, sicuti nec Hebræis.

Hebr.6.

Apostolos necessitate compulsos quædã scripsisse, alioqui nõ scripturos.

na Fidei institutos, eruditos, & prouectos partim aduersus hęreses munirent: partim quædam Fidei dogmata enodatiùs explicarent: partim vt afflictos consolarentur, aut domestica discordia dissidentes, ad animorum in Fide discordiam exhortarentur.

Non omnia fidei dogmata sunt ab Apostolis literis mādata.

Quis porrò igitur adeò sit animi cæcus, qui existimet vniuersa Christianæ Fidei dogmata in literas esse relata? Cùm vel meridiana quauis luce manifestiùs sit declaratum, nullum prorsus Euangelicæ doctrinæ libellum non nisi Christianis iampridem in Christi doctrina & eruditis & institutis, esse ab Apostolis conscriptum? Illa ergo Fidei dogmata, quæ initio pro Catechismo ceu Euangelij fundamento iaciebātur, vbi nam obsecro inuenias in Apostolorum literis conscripta? Ea quidem D. Paulus scribens subindicat, sed apertè pronuntiat alterius hæc esse aut loci aut temporis.

Caput XIX.

Aliter scripturos fuisse Apostolos, si nōdū Christianis aut Catechizatis scribendum fuisset.



Vare lōgè aliter scripturus fuisset Paulus, cæteríque Apostoli, si rudibus Christianæ religionis hominibus scribendum fuisset, quàm eos modò scripsisse cognoscimus. Quamobrem mirum nemini meritò videatur, Apostolos haud vniuersam Euangelicę Fidei doctrinam suis illis vt paucissimis, ita breuissimis quoque libellis comprehendere atque includere voluisse. Fuisset hoc siquidem non minùs intempestiuum, quàm superuacaneum: non minùs à re sibi proposita, quàm à natura mysteriorum Fidei silentio veneranda alienum. Quò igitur & tempori, quo scribebant, & Christianis, quibus scribebant, percommodè inseruirent, ea duntaxat suis in scriptis rememorabant, atque pertractabant Fidei dogmata, quæ in pręsentiarum iudicabant, vel commemoratu, vel explicatu necessaria. Taceo, quòd haud infrequenter pręcipua aliquot Fidei capita non scripto explicare, sed viuo vocis oraculo exponenda reseruare ipsis visum sit. Quod statim efficietur dilucidius, vbi Apostolorum Catechismū restrictè admodum in medium attulerimus, vt ea ex re

Cur nō omnia Fidei dogmata scriptis suis Apostoli inclusserint.

omnibus indubitatum fiat, qualinam consilio suas Apostoli scripserint epistolas: ne posthac quispiam, qui modò apud se sit, meritò ambigat, an Apostoli omnia illa Euangelicæ Fidei dogmata in Scripturas contulerint, atque concluserint. Apostolos igitur quædam alia Fidei capita suis in Christi Euangelio Catechumenis erudiẽdi causa præscribere fuisse solitos, quàm quæ apertis Scripturarũ verbis explicata cõtineantur, vnus D. Paulus ad Hebræos locus omnibus, qui sine pertinaci partium studio Euangelicam discere connituntur veritatẽ, Solis luce demonstrarit clariùs. Locus sic habet: " Quapropter intermittẽtes inchoationis Christi sermonem, " ad perfectionem feramur, non rursum iacientes funda- " mentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad " Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoq; manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Quo in loco D. Paulos disertè cõmemorat, se propterea, quòd Iudæis dudũ in Christiana schola eruditis scribat, sermonem inchoationis Christi, id est, doctrinam Elemẽtarem, qua Catechumeni ad mysteria nostra erudiebãtur, cõsultò prætermittere. Quæ quidẽ elemẽtaris in Christi religione institutio, qualia fidei dogmata habuerit, subindicat, sed ex parte tantùm. Nõ enim existimandũ nullam præcessisse solere informationẽ seu mystagogiam de Eucharistia, quãdo Cãdidati ad eius illactenùs nondũ visæ, nedum gustatę aut cognitæ, Cõmunionem essent admittẽdi, sicut & ante Baptismũ Cõpetẽtes, id est, Catechumenorũ selectiores ad Baptismum suscipiendũ præparati, in istum à D. Paulo modum partim expressum informabantur. Hæc ergo Fidei capita, quorũ obiter D. Paulus meminit, inter alia Cõpetentibus Baptizandis proponebãtur: quæ quòd clarioris aliquid lucis propter sui obscuritatẽ desiderare videantur, ea ex veterũ Cõmentariis dabimus illustriora. Chrysostomus in hunc locũ scribens, Sicut eum, inquit, qui ad doctrinam literarum inducitur, Elementa oportet primùm audire: sic & Christianum hæc scire integrè, & nihil dubitare de istis. Si autem opus habuerit horum doctrina, necdum fundamentum habet, firmum enim

Apostolorum Catechismus quæ nam nõ scripta habuerit dogmata.

Heb. 6.

Catechismi Apostolicè capita, Paulus consultò præterit.

Vide Michã. Syngelũ enco. Dionys. Areopag.

Candidatorũ Catechismus ad Eucharistiam.

Competentũ Catechismus ad Baptismũ

" oportet & fixum esse, & stare, & non transferri. Paulò
" pòst, quia enim Fides fundamentum est, cætera verò, su-
" perædificationes, aduerte ipsum dicentem: Ego funda-
mentum posui, alius superædificat. Fundamentum igi-
tur Chrysost. Fides est, atque Fidei doctrina ante Baptis-
mum tradita: cuius fundamenti lapides aliquot gran-
diores, id est, partes aliquot Fidei magis præcipuas Pau-
lus commemorat, quales sunt Pœnitentia ab operibus
mortuis, Fides in Deum, manuúmque impositio, iudi-
cium atque resurrectio. Vbi Pœnitentiæ nomine, non
dolor tantùm de priore vita impiè ac sceleratè gesta ve-
nit accipienda, sed vti Photio, Gennadio, aliisque placet,
etiam Abrenunciatio illa Ecclesiastica, qua Baptizandus
solenni ritu in Catholica Christi Ecclesia Sathanæ ab-
renunciat, omnibùsque eius operibus. Eam porrò apud
Catholicos ex certa Apostolorum Traditione obseruari,
suo inferiùs loco cõfirmabitur copiosiùs. Quod dein-
de sequitur, Fides in Deum, quid aliud nobis significet si
Apostolicos illos sacri Baptismatis ritus reputamus,
quàm Symbolum in primis Apostolicum? quod olim te-
ste D. Hiero. ad sua vsque tempora non scriptum trade-
batur Baptizandis. Quod non aliis atque Apostolis ipsis
citra sacrilegium ascribi posse, infrà suo loco monstra-
bitur. Cæterùm hoc in loco manuum impositio quor-
sum pertineat, ex veterum Commentariis non erit ob-
scurum cognoscere. Licèt enim in varios pateat explica-
tus, secundum Scripturæ sacræ vsum, vt quæ interdum
non Baptizatis adhibebatur, vti Paulo ab Anania, inter-
dum infirmis, vt conualescerent, interdum aliis alias ob
causas: hîc tamen impositionis manuum doctrina (quip-
pe hæc vox ad singula hyperbati huius Paulini cola est
repetenda) accipienda est, quę expectandam post Baptis-
mum Spiritus sancti gratiam per manuum impositio-
" nem, quam hodie Catholici Confirmationem dicimus,
" tradebat. Sic enim Chrysostomus, aliique veterum in-
" terpretantur: Spiritum sanctum accipiebant (ait, de Ba-
" ptizatis loquens) imponentes eis manus. Et clariùs apud
" Oecumenium Gennadius. Vult autem dicere, inquit,
" quòd nunc primùm ad Fidem accedentibus harum rerũ

Fundamẽtũ Fidei est Catechismus.

Pœnitentia quid Paulo, ad Hebreos.

Abrenunciatio ab Apostolis adhibita.
Lib. 4.
Symbolum Apostolicum.

Lib. 3.
Manuũ impositio Paulo quod hodie confirmatio.
Act. 9.

doctrinam, tanquàm fundamentum, proponimus, meritò ipsos primùm adhortantes, vt à mortiferis operibus resipiscant: resipiscentes autem, in Deum credant: credentes verò baptizentur: Baptizati autem seipsos subiiciant impositioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus: quam ex Apostolicarum manuum impositione consequebantur Baptizati, quemadmodum docent Theophylactus, Oecumenius, & D. Theodoretus. Istorum itaque Fidei dogmatum, ceu fundamenti, hoc in loco D. Paulus obiter meminit, quæ quidem de multis pauca esse nemo ambigat, qui vel veteris Ecclesiæ, ante annos mille trecentos tempore Hieronymi & Ruffini mores cogitet, vel sacros Baptismi ritus certò Apostolicos in illis Christianismi initiis obseruari solitos expendat: quos suo posteà in loco congruenter Catholicæ doctrinę ab Apostolis esse traditos ostendemus.

Spiritus sancti participatio, alia per manuum impositionẽ Episcopi datur, quam in Baptismo.

Lib. 4.

Hoc in præsentiarum satagimus, vt Catholicæ Fidei studiosus Lector, vel vnum dogma agnoscat ab Apostolis olim fuisse Baptizãdis traditum, quod in scripto Dei verbo non continebatur expressum. Vt igitur Symbolum Apostolicum demus in præsentia omne ex Scripturis comprobatum: at solennem tamen illam Sathanæ Abrenunciationem ante Baptismum esse adhibendam vnde comprobetur? Similiter post Baptisma expectandam esse per Episcopi manuum impositionem Spiritus sancti gratiam, ab ea quæ in Baptismo donabatur & diuersam & copiosiorem? Ea propter hæc Fidei dogmata de illlorum haud dubiè sunt numero, quæ Apostoli solo viuæ vocis oraculo, suis ipsi in Christo filiis tradidêre primi, & eorum deinde filiis suis viua quoque voce Nepotibus sine scripto prodidêre. Quod nunc rerum series paucis demonstrandum flagitat.

Caput XX.



Apostolos itaque præcipua quædam Fidei capita noluisse papyro & atramento peritura credere, sed fidelibus Christianorum cordibus perpetua committere, D. Ioannes Euangelista vel solus testatum faciat; Plura habens vobis scri-

Apostoli quædam scribere noluerũt, sed ea potiùs viuæ vocis ora-

calo tradiderũt Ecclesiæ. bere (inquit, de Fidei mysteriis loquens, & sublimioribus Christianismi dogmatibus) nolui per chartam & atramentum (multa additurus, quæ deerant, si Oecumenio creditur) Spero enim me futurum ad vos, & os ad os loqui. Sic & Caio scribens, Multa habeo, inquit, tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi, spero autem protinùs te videre, & os ad os loquemur.

Idipsum & D. Paulus priore ad Corinthios epistola apertiùs pronunciat, quàm quod dubitationem aliquam apud ingenium non Academicum recipiat. De grandi enim illo Cœnæ Dominicæ Sacramento, aliísque non minimis Fidei mysteriis locutus, coronidis loco subtexuit: "Cætera cùm venero, inquiens, disponam." Quod non solùm, vt vulgò ferè assolet, de externis ritibus, vel Sacramenti cæremoniis, atque vsibus, dictum intelligimus: †sed generatim (D. Ambrosium secuti) de iis in vniuersum omnibus accipimus, quæ vel Fidei ipsorum deerant corrigenda, augenda, atque perficienda: "quod animales essent ac paruuli in Christo, lacte, id est, rudiore doctrina indigentes, vel politiæ quoque Ecclesiasticæ deerant constituenda." De iis, inquit Ambrosius, quæ ad Ecclesiæ ædificationem pertinent, sua præsentia ordinaturum promisit. Et Theodoretus: "De omnibus, inquit, non poterat, sed cùm de magis necessariis scripsisset, reliqua præsentiæ suæ conseruauit." Eundem locum & Photius interpretans: "Aut de hac re, inquit, hoc dicit, tanquam Dominica Cœna in aliis quoque capitibus correctione egeat: aut de alia re, in qua non opus sit verbis, sed ipsius præsentia." Quid quod D. Paulus tam solicitus suum Timotheum admonet, vt formam illam sanorum verborum, quæ ab ipso audierat, siue hypotyposin atque informationem, arcana Fidei dogmata secundum Ambrosium continentem, firmiter aduersus heterodidascalos retineat inconcussam, atque omnibus suis numeris integram? quid quòd eadem Christi mysteria, atque religionis nostræ arcana, "non vulgaribus atque plebeis hominibus, ait Ambrosius, sed fidelibus atque ad docendum idoneis eidem præcipit commendenda:"

† Ambrosius comm. in ep. ad Corin.

Ambrosius.

Theodoretus

Photius.

atque veluti thesaurum Regium, teste Chrysostomo, deponenda? quare cùm ostensum sit, non omnia Fidei dogmata Christianæ Ecclesiæ ab Apostolis tradita in Scripturas esse relata, sed quædam de composito atque data opera fuisse suppressa, quædam viua voce explicanda fuisse reseruata: iam porrò superest confirmandum, omnia in vniuersum Apostolorum Fidei dogmata, siue scripta, siue agrapha, & non scripta, eiusdem prorsus esse & authoritatis & maiestatis, hoc est, omnia verbi Dei & nomen meruisse, & authoritatem habuisse.

Cap. XXI.

Apostoli suã doctrinã non scriptam, vt verbũ Dei, habendam volunt.



Oc quidem multò esse verissimum nemo suę mentis cōpos meritò inficias iuerit, qui modò aduertat Apostolos ipsos suã illam Christianæ Fidei doctrinam non iam literis descriptam, sed in primis διὰ λόγου, id est, sermone, ac viua voce Christianis hominibus propositam, haud infrequēter pro germano Dei verbo, ita vrgere solitos, vt isthoc argumento, ceu firmissimo totius Euangelicæ doctrinæ Epichiremate suos illos discipulos in accepta dudum Fide retinere ac confirmare studuerint. Nisi enim D. Paulus vtrúmque illud verbi Dei genus cùm scriptum, tum non scriptum, eiusdem prorsus & indolis & authoritatis, & diuinæ pariter maiestatis habuisset, non ita disertis verbis ad Fidei, Christianæque doctrinæ constantiam fuisset adhortatus: State, inquiens, fratres, & tenete Traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quid námque sibi vult illud εἴτε διὰ λόγου siue per sermonem: Quod indubiè τῷ δι᾽ ἐπιστολῆς, id est, scriptæ doctrinæ opposuit, nisi vtrúmque planè ad doctrinam Christianæ Fidei confirmandam idem omninò habuisset & momenti & roboris? De quo nemini mortalium dubitandi relinquatur locus, qui illas voces prioris ad Thessalonicenses secundo capite diligenter reputet: Nocte & die, inquit Paulus, oramus sedulò, vt videamus faciem vestram, & impleamus, quæ desunt Fidei vestræ. Hìc mihi attende, Lector, Diuum Paulum desiderasse, vt Thessalonicensium diligenter admodum à se

2.Thess.2. Eiusdem authoritatis D. Paulo fuisse doctrinã scriptam, & non scriptam.

dudum in Christiana doctrina institutorum, Fidem cōpleat, siue vt ipse loquitur καταρτίσαι, id est, omnibus semel absolutæ doctrinæ numeris consummet, atque perficiat. Cœperat ergo complura Christianæ Fidei dogmata tradere, sed nondum eam tamen absoluerat, quod se cōpleturum pollicetur. Altera igitur epistola id quodamtenùs præstiturus, grauiter admodum suos adhortatur, vt inuiolata atque incorrupta perseuerantes, constantèsque obtineant vniuersa, quæ siue per epistolam, siue viua eius voce didicissent. Quòd si de Antichristi aduentu, tyrannide, atque immanitate in Christianos D. Paulus suam non scriptam doctrinam æquali authoritatis momento cum scriptis dogmatibus pōderet, atq; exæquet adeò, cur non & ea quoque dogmata, quæ non venientium, sed præsentium rerum, atque adeò quæ in quotidianum Christianorum vsum incurrunt, eodem authoritatis diuinæ gradu collocētur? An nō illud, quod ad Timoth. suū Paulus aduersus omnes nymbosos procellosæ illius hæreticorum tempestatis iamiam impendentis ventos communiturus scribit, facilè ostēdat, atq; communicat etiam, quanti nō scripta doctrina piis omnibus sit semper æstimanda? Mali, inquit, homines & seductores proficiunt in peius errantes & in errorem mittentes: Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & quæ credita sunt tibi. Rursus, Formam habe sanorum verborū, quæ à me audisti. In quem locum Chrysost. non modò per literas, inquit, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dictauit: quod plurimis & aliis in locis ostendit, dicens, siue per verbum, siue per epistolam, quasi per nos missam: hoc & hîc multò magis fecit: ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi ad memoriam reuocans dicit, Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Quid autem hoc sibi vult? Pictorum, inquit, more, imaginem tibi virtutis impressimus, & omnia quæ Deo grata sunt, veluti normam, primitiuámque formam tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habe firmiter, & siue de Fide, siue de charitate, siue de castitate, opus sit aliquid loqui ac definire, inde ibi exemplaria accipe, non tibi necesse

Plurima absque scripto tradidit Paulus Timotheo

ceſſe erit ab aliis mutuari virtutis imaginem, cùm intra te poſita omnia ſerues.

Sic & D. Iudas Iacobi Hieroſolymorum Epiſcopi frater in epiſtola Catholica, qua vniuerſos per orbem Chriſtianos contra ingruẽtes hæreticorum cateruas defenſurus, hortatur traditæ ſemel Fidei vt velint ſupercertare, atque in tradita dudum ab Apoſtolis Fidei doctrina, aduerſus exortas nouorum dogmatum hæreſes conſtanter pugnare: in memoriam reuocantes, quæ pridem ab Apoſtolis viuæ vocis præconio didicerant. Vos, inquit, chariſſimi memores eſtote verborum, quæ prædicta ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et paulò poſt. Superædificantes ſanctiſſimæ veſtræ Fidei. Ad quem modum & D. Iacobus Iudæos ad Chriſtum conuerſos in Chriſtianiſmi conſtantia hæſitabundos ſuffulturus monet, vt inſitum illud verbum, verbum, inquam inſitum, non ſtilo inſculptum, aut archetipo impreſſum, ſed ſatore per Apoſtolorum ora Spiritu ſancto in illorum cordibus depangente implantatum: quod vtut non ſcriptum, ſaluare tamen poteſt animas veſtras. Hũc quidem in modum Apoſtoli doctrinam Euangelicam non ſcriptam vrgebãt à ſuis mordicùs retinendam, & immutabiliter conſeruãdam. Quid verò de iis ſcripſerint, qui iſtam Fidei doctrinam non ſcriptam aut non retinuerũt firmiter, aut temerè immutarunt, vnus D. Petri locus, & item alter D. Ioannis clariſſimè prodat. Ille enim obſcœnos Borboritas, atque Gnoſticos ſemel profligaturus, Melius erat, inquit, illis, non cognouiſſe viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato, qua voce Hebræorum more vniuerſam legem atq; doctrinam Euangelicam eſt complexus. Hic verò omnes in vniuerſum hæreſes ſemel à piorum animis propulſaturus, generatim pronũciat: Omnis qui recedit, & non permanet, inquiens, in doctrina Chriſti, non habet Deum: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. Quãtoperè autem deuitandos Chriſtianis cauerit, qui traditam ſemel Fidei doctrinam immutarint, verba ſubſequẽtia produnt: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctri-

D. Iudas Christianos ad traditam pridem doctrinam prouocat.

D. Paulus in daos monet, vt verbũ euãgelicum pridem inſitum obtineant.

Apoſtolorum cẽſura de iis, qui Fidei dogmata tradita abiiciũt, aut deſerunt.

nam non adfert, nolite recipere eũ, nec aue illi dixeritis.

Caput XXII.

Verbum Dei Euãgelicum, cur non Scriptura metiẽdũ, sed ex doctrina Ecclesiis initiò tradita æstimãdum, atque colligendum.



Roinde, cùm Apostoli quidem ipsi doctrinã illam suam Euangelicam nusquàm vt scripto comprehensam, sed vbique vt semel Ecclesiis traditam, cùm apud Discipulos, vt retineatur tum aduersus hæreticos ne varietur, neu aliud doceatur, grauiter valdè vrgeant, quàm fuerit dementissimæ insañiæ omne atque integrum Euangelicæ doctrinæ corpus ex solis illis Apostolicis atramento scriptis literulis ęstimare petendum? Siquidem diuersum nihil ab illo facere videatur, qui totam vniuersi fabricam vno rerum sensibilium vocabulo insanus dicat contineri: aut cęlum stellas de die non habere, quod numerosissimas de nocte demùm videas. Quis igitur profligata adeò fuerit audacia, qui tot luculentis admodum testimoniis cõuictus, etiam porrò omnia Euangelicæ doctrinæ dogmata in literas sacras esse coacta, pertinax audeat affimare? Cùm non parum multa, vti demonstrauimus, & sine scripto tradiderint Apostoli credenda, & non nisi necessitate quadam coacti, ista nobis scripta censuerint relinquenda. An ea igitur inferiori authoritatis ac Fidei loco nobis habenda sunt atque ducenda, quæ nulla adducti occasione, nulla coacti necessitate, in Scripturas redigere noluerunt? quòd quàm impio cum sacrilegio, quámque atroci Spiritus sancti blasphemia, ingentiq; Apostolorum cum iniuria sit coniunctum, haud facilè humana cogitatio concipiat, nedum lingua eloquatur vel Ciceroniana. Haudquaquàm igitur vniuersum Apostolicæ doctrinæ corpus ex pusillo noui Testamenti libello, sed ex latissimè quaquà versum diffusa Christi Ecclesia per vniuersum terrarũ orbẽ ab Apostolis constructa: sed ex conseruata per illorum legitimo ordine successores doctrina: sed ex cõsentanea deniq; apud omnes Dei Ecclesias cõcorditer toto mundo dispersas veterum Patrum Traditione est colligendum atque æstimandum.

Vniuersũ dei verbum euãgelicum, non ex scriptura, sed doctrina Ecclesiis tradita colligendum.

Apostolicæ doctrinæ corpus totum vndénam colligendum.

Quænam igitur isthæc fuerit dementia, vnam Apostolicæ doctrinæ partem verbi Dei nomine dignati, al-

teram eiuſdem tamen & authoris ſancti Spiritus & doctoris Apoſtoli, eo indignã cenſere? Quis hîc aliud in aduerſariis præter ſanæ mentis arbitrium deſideret? Cùm enim aurum, vt ſignatum, ita & in maſſam conflatum, adeóque in terræ venis deliteſcens nondum effoſſum, auri & nomen habeat, & valorem teneat: quidni & Spiritus ſancti eloquium apud vniuerſam Chriſti Eccleſiam ab Apoſtolis concorditer in fidelium cordibus, tanquàm Euangel. margaritæ illius ſcrinio, depoſitum atque viua voce conſignatum, verbi Dei nomen re ipſa mereatur & obtineat, ſicut illud eiuſdem authoris dogma iuſto conſilio in mortuas, imò occidentes adeò literas relatum?

Caput XXIII.



Æterum, vt quod ad præſentem de verbi Dei Euangelici natura diſputationem, cur nam à ſcripto, literiſque mortuis abhorrens, in Scripturas ſit redacta, attinet, concludamus, reſtat huius rei actus vltimus, qui nobis viua hypotypoſi ob oculos exhibeat, quónam tandem pacto factum ſit, vt pauciſſima illa Apoſtolorum ſcripta, Canonicam in Eccleſiis meruerint authoritatem. Qua ex re, multò vberrimum, Chriſtiane Lector, referas licebit fructum, quò ſcilicet auguſtam illam oraculo traditæ, non atramento ſcriptæ, doctrinæ Euangelicæ maieſtatem pleniùs perſpicias, atque perfectiùs pernoſcas. Hinc enim manifeſtiſſimè illam Fidei Chriſtianæ certiſſimam regulam videas ab ipſis Apoſtolicę Eccleſiæ crepundiis vnam fuiſſe illam per Apoſtolos proditam piis doctrinam: cui quod reſponderet ſcriptum, pro germano atque genuino agnoſcebatur & approbabatur: Rurſus, cui quod repugnaret, adulterinum reprobabatur. Quod vbi de vno, aut altero, ex clariſſimis veterum teſtimoniis fuerit confirmatum, de omnibus in vniuerſum: in procinctu fuerit animaduertere, eſſe intelligẽdum. Diui Marci igitur Euãgeliũ quánam ratione Canonicã authoritatẽ in Eccleſiis Chriſtianis meruiſſe exiſtimas? an quod eius nomine fuerit inſignitum? Et D. Pauli epiſtolas quónam

Doctrinam non ſcriptam lapidem Lydium fuiſſe priſcæ Eccleſiæ, ad quam libri etiam Apoſtolorum nomĩe inſcripti explorabantur.

pacto agnitas fuisse opinaris genuinas? Diui Lucæ quoque Euangeliũ, an proptereà habitum credas fuisse germanum, quod eius nomen præ se ferret inscriptum?

Quē enim antiquitatis Ecclesiasticæ studiosum lateat, quàm innumera fuerint furta illa, atq; supposititia, & ab hęreticis miris fallaciarũ strophis conficta? imitationes Euãgeliorum, Apocalypseon, Actorúmque Apostolorũ? Quinetiam epistolarum adeò Paulinarum? ita vt Paulus ipse certis notis suas literas communire, ac quodam veluti amuleto contra hæreticorum præstigias præseruare sit coactus. Propter interpolatores (vt habet in eum locum Ambrosius) & adulteratores Scripturarum semper se manu sua in omni epistola sua salutationem subscribere testatur. Multò itaq; alia nota quàm titulorum inscriptionibus aut prænotatis authorum nominibus Catholica Christi Ecclesia suos Christianæ doctrinę libros veros à cõfictitiis, genuinos ab adulterinis, germanos à nothis internoscebat, atq; intercernebat: doctrina nimirùm Ecclesiastica, Christianorum mentibus per Spiritũ sanctum viua Apostolorum voce inscripta: ad quam ceu Lydium lapidē & libri & dogmata simul omnia mutua quadam inter se conspiratione veluti attrita atq; collata, aut probantur, aut reprobantur: cui, quod congrueret verũ: quod dissonaret, supposititium iudicabatur. Quòd quàm sit multò verissimum, ex veteribus repetendum erit altiùs, qui obscurę alioqui obvetustatem veritati suo testimonio lucem adferant clariorem, ne veterum suffragio destituta, minùs æquo apud cuiusquam animum inueniat roboris. Tertul. itaq; nobilis admodum author, Euangelium quoddam à Marcione nullius titulo prænotatum pro Dei verbo Christianis obtrusum refutaturus, Constituimus, inquit, inprimis Euangelicum instrumētum Apostolos authores habere, quibus hoc munus promulgandi ab ipso Domino sit impositum: sed & Apostolicos, non tamen solos, sed cũ Apostolis, & post Apostolos: quoniam prædicatio Discipulorũ suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non assistat illi authoritas magistrorum. Imò & Christi, qui magistros Apostolos fecit, & paulò post: Etsi sub ipsius Pauli nomine Euãgeliũ Mar

2. Thess. 3.

Quę nota libri genuini, à supposititiis olim intercernebantur.

Euangelij codex requirit patrocinium atq; testimoniũ Catholicæ ecclesiæ.

cion intulisset, non sufficeret ad fidẽ singularitas instrumẽti destituta patrocinio antecessorũ. Exigeretur enim id quoq; Euãgelium, quod Paulus inuenit, cui fidẽ dedidit, cui mox suũ cõgruere gestiit. Siquidẽ, ꝑpterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos, & consulendos, ne fortè in vanum cucurrisset, id est, ne non secundum illos credidisset, & non secundum illos euangelizaret. Igitur, si ipse illuminator Lucæ Paulus, authoritatem antecessorũ & Fidei & prædicationi suæ optauit, quantò magis eam Euangelio Lucæ expostulẽ, quæ Euãgelio Magistri eius fuit necessaria? Vides ex Tertulliani verbis & Euãgelio Lucæ & Pauli, si edidisset, patrociniũ Magistrorum & authoritatem Antecessorum necessariã fuisse, vt verbi Dei Euãgelici nomen tueri posset. Quod & Serapion ille doctissimus in Antiochena Ecclesia à D. Petro octauus Episcopus, suo facto mirificè illustrauit: qui cùm Euãgelium quoddam sub Petri titulo euulgatũ à Nazaræis, quod Theodoretus testatur, Christianis apud Roson Ciliciæ vrbem de gentibus pro genuino legendum approbasset, posteà deprehendens suppositiuum esse, mirùm sanè, qua id nota reprobatum damnauerit. Nos enim fratres, inquit Serapion ad Eusebium, & Petrum, & alios Apostolos recipimus, sicut & Christum. Quæ autem sub eorum nomine, falsa ab aliis conscripta sunt, velut gnari eorum sensus ac sententiæ declinamus: scientes, quòd talia non sint nobis tradita. Quis hinc nõ perspicuum videat vel Apostolorum quoq; scripta in Canonicorum librorum authoritatem tum demùm apud omnes vbiq; Dei Ecclesias fuisse suscepta, vbi ad veram Apostolicæ illius Fidei doctrinam Christianis vbique omnibus eandem planè traditam responderent?

Euangelium Petri qua nota fuerit apocryphum.

In fabulis hæret. lib. 2.

Vide Eus. li. 6. cap. 9.

Penes Episcopos figẽdi ac refigendi potestas.

Caput XXIIII.



EX iis, quæ huc vsque, Lector candide, disseruimus ostensum, arbitror, videbitur, Verbũ Dei non esse Scripturam solam, aut totum literis sacris inclusum, nec verbi Dei Euangelici regulam esse vnam Scripturam, sed doctrinam Apostolicam Ecclesiis abs sui exordio semel traditam: quòd

Epilogus li. primi.

Mat. 28.

1. Petr. 2. *2. Thess. 3.* hanc Christus in cælos ascensurus indubitatum præscripserit Fidei Canonem, & Apostoli hoc esse verbum Dei docuerunt, quod Ecclesiis fuit euangelizatum: quæ tanta vel apud Apostolos ipsos in authoritate fuit, vt eam licèt non scriptam pro verbo Dei cùm habendam, tum credendam, populis Christianis proposuerint, in eadem constantes persisterent, fuerint adhortati: eadémq; vna adeò salua ceu antidoto præsentissimo illos contra omnia omnium hæreseon venena censuerunt satis supérq; præmunitos. Hanc prætereà non scriptam, sed traditam Ecclesiis doctrinam Lydij lapidis vice semper fuisse, ad quam Euangelia adeò ipsa Apostolorum nominibus inscripta fuêre explorata, ac quòd cum illa per omnia concorditer consentirent, approbata. Quare ordo rerum efflagitat, vt temporis seriem secuti, iam demonstremus *Parasceue ad lib. 2.* hanc Euangelicam doctrinam Ecclesiis à sui primordio semel per Apostolorum voces consignatam, semper exinde etiam pro indubitato Dei verbo apud omnes vbiq; gentium Christi Ecclesias fuisse habitam, cùm ad Fidem Christi propagandam, tum ad hæreses adeò & pullulantes euellendas, & inualescentes profligandas. Quod, ne liber hic modum excrescat, in alterum consultò distulimus. Ad eum igitur, Optime Lector, interiecta quiete post labores gratissima refocillati transeamus: qui vt fastidium tuum ex prioris prolixitate, ob rerum obscuritatem, necessaria fortè contractum leuet, eum amœnissimi in modum hortuli variegatã ex vetustissimorum SS. Patrum scriptis pulcherrimarum sententiarum ceu flosculorum pictura excolere studebamus, vt ex eo quilibet Euangelicæ veritatis ex animo studiosus amœnissimos, eósdemque vtilissimos, iuxtà ac vberrimos doctrinæ verè ac certò Euangelicæ referat fructus.

Finis libri primi de Verbo Dei Euangelico.

LIBRI SECVNDI DE Verbo Dei Euangelico Methodus atque argumentum.

DOctrinam Apostolicam tam non scriptã, quàm scriptam consequentibus ætatibus fuisse priscis illis PP. creditam verè Euãgelicam, non modò in priuata Fidei apud suos prædicatione, aut apud exteros propagatione: verùmetiam publica vel contra hæreticos adeò disputatione hic liber demonstrat. Quod vt Solis luce clariùs omnibus ad veritatem persuadeatur, iuxta seculorum Ecclesiæ seriem texitur catalogus, qui suo quemque seculo clarißimos illos Fidei nostræ tùm propagatores, tum propugnatores exhibeat spectandos, quantum quisque authoritatis locupletißimæ ac irrefragabilis, maiestatísque prorsus diuinæ Traditionibus non scriptis crediderit insidere. Quinimò tantùm vel hæreticis ipsis visum fuisse Traditioni non scriptæ inesse authoritatis solidæ, vt ea vna fuere cõtenti suum dogma oppalliasse. Neque id à singulis modo Orthodoxis PP. priuatim fuisse iudicatum, sed & ab vniuersa adeò Christi Ecclesia publicè in Conciliis. Vbi ostenditur, Patres Catholicos in Concilio Nicæno, Gangrensi, & aliàs, non tam Scripturis, quàm Traditione non scripta nixos, aboleuisse noua hæreticorum dogmata.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Caput I.

Verbũ Dei Euãgelicum primitiuam Ecclesiã credidisse doctrinam Ecclesiasticam per singula demõstratur secula.



QVia hoc libro demonstrandũ est priscos Orthodoxę Fidei Scriptores verbum Dei Euangelicũ credidisse, quod mera fuit Traditione posteris proditum, post præfatiunculam, longus texitur Catalogus, qui Patres illos Catholicos suis verbis exhibet profitentes, suo quemque seculo hanc fuisse Fidem Catholicam, Multa non scripta dogmata esse Fide credenda, eósque in verbo Dei Euangelico habuisse, quicquid ab Apostolis semel accepissent, eóque vsos in Fide tam vbique gentium propaganda, quàm aduersus heterodidascalos propugnanda.

II. Quod quia & Dionysij Areopagitæ testimoniis, vti & aliàs eius sententiis nobis vtendum duximus, erit corroborandum, antè ostenditur, argumentis haud sanè futilibus, ea quæ illius titulo circumferuntur opera esse natiua ac germana, nihílq; minùs quàm supposititia: nẽpe cuius sentẽtiis recitatis veteres Scriptores in suis monumẽtis posteritati reliquis sæpè ac multùm vsi legũtur.

Diuerticulum hoc Catalogus priscorum PP. Orthodoxorum excipit, qui ita est distributus, vt singulis seculis, id est, centenariis, suum dederimus siue caput, siue pericopen.

Anno L. III. Primum igitur seculum hosce habet Apostolicos Scriptores, qui ante annum Domini centesimum, Euangelium illustrarũt, Dionysium Areopagitam, Ignatium, Papiam, Polycarpum.

Anno C. IIII. Iam secundũ sequitur, quod eorum continet Scriptorũ testimonia, qui post annum Domini centesimum vsque ad ducentesimum, Christianam exornarunt Ecclesiam, Alexander Romanus, Sixtus, Diuus Irenæus Lugdunensis, Serapion Antiochenus, Tertullianus Aphricanus, Clemens Alexandrinus.

Anno CC. V. His succedunt, qui tertio Christianę Ecclesiæ secu-

lo in illorum accreuêre & locum & Fidem, Origenes Adamantius Alexandrinus, Stephanus Romanus Martyr, D. Cyprianus Carthaginensis.

VI. Proximum seculum eos complectitur, qui intra annum Domini quadringentesimum, Christianam Ecclesiã & propagarunt, & propugnarũt, PP. Nicæni Cõcilij. *Anno CCC.*

VII. Dolus malus Lutheranorum detegitur, quo imprudentibus Concilia pro Conciliis obtrudunt.

VIII. Transitio ad nouum Diaboli bellum, Traditione item non scripta, sedatum, vbi Nazianzeni Monomachia spectanda venit, Traditionibus non scriptis egregiè instructa.

IX. Basilius Magnus maximá vim Traditionibus non scriptis insidere persuasus eisdem, hęreses abolere est aggressus: vbi & à Brentij calumnia, imó sycophantia defenditur.

X. Sequuntur, qui eadem & consequuta ætate illorum Christi Martyrum Discipuli florentem exornarunt Ecclesiam, Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Diuus Hieronymus, Proclus, Augustinus. *Anno CCCC.*

XI. Dogmatibus non scriptis tantùm apud priscos insedisse authoritatis locupletissimæ, vt vel hæretici prisci noua sua somnia satis supérque credidêre corroborata, si ea Traditionis Apostolicæ titulo palliata imperitis venditarent.

XII. Neque hunc in modum priscis Orthodoxis Patribus solùm priuatim fuisse visum de irrefragabili dogmatum Fidei non scriptorum authoritate, diuináq; maiestate: verùmetiam ipsi toti adeò publicitùs Ecclesiæ Christianæ in Conciliis vniuersalibus: vbi demonstratur Catholicos Patres in Concilio Nicæno, Gangrensi, & alibi, non tam Scripturis, quàm Traditionibus non scriptis, priscas hæreses euertisse, atque profligasse.

XIII. Epilogus libri secũdi, cum Parasceue ad tertium.

EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO, Liber secundus.

Authore D. Vuilhelmo Lindano Dordraceno, S. Th. Doct. & Professore.

Caput I.

Eccles. I. Dei sapientia super omnia effusa, in temporis natura splẽdet.



Agnus ille ac verè Sophus Iesus Syrach non ea sapiẽtia, quæ apud Deũ est stultitia, sed illa cælestiũ thronorum parædro atque assessore magistra imbutus Dei Opt. sapientiam prædicat super omnia effusã: quę magno serio animaduersa istam innatã nobis misellis homunculis stultitiã omni ex re castiget: ruditatem quauis ex occasione erudiat: imperitiam deniq; nostram vndequaq; doceat. Sic igitur diuinã prouidentia comparatum esse videre videor, vt veritati, licet obscurissimę, nonnihil tamen lucis multò clarissimæ affulgere possit, si hanc Dei Opt. Maxi. sapiẽtiam in rebus non modò consistentibus, sed quod multó est admirabilius, ac diuinæ prorsus potentiæ propius, id non existentibus etiam inuestigemus. Ex ipso itaque tempore (aliis omnibus quæ doctrinæ dudum ostensæ veritatem cõfirment omissis) quod rerum ferè omnium minimũ videri possit, cùm nihil sit eius, præter quod nũc est, elapso pridem & pręterito, nostro huic instituto ad peruestigandã verbi Dei Euangelici veritatẽ non parùm accedat & fructus & illustrationis: si nimirùm, Lector cãdide, cogitemus, quà nam ratione verbum Dei Euangelicum posteà

quàm DD. Apostoli suis (vti de Dauide per D. Paulũ loquitur Spiritus sanctus) inseruiissent tẽporibus Dei voluntati, ac in Domino dormiissent, ab illorũ exinde Discipulis, successoribus, ac posteris omnibus fuerit inter infestas hæreticorum oppugnationes defensatum, inter assiduas Philosophorũ & Dæmonum insidias propagatum, inter sanguinarias denique Tyrannorum persecutiones, exitialésq; conatus, sartum tectum conseruatum. *Actor.13.*

Hoc quidem rerum nunc ordo exposcit, vt postquàm primo libro est demonstratũ, verbum Dei nõ esse solam Scripturam, sed Apostolos adeò ipsos suam illã Ecclesiis semel, non quidem scripto tantùm, sed voce quoq; viua traditam doctrinam semper, vt Christiani obtinerẽt inuariatã ac integrã vrgere fuisse solitos: iam hoc secundo ostendatur volumine, Apostolorum quoq; Discipulos, Successores, atque posteros iisdem, quibus illi vestigiis ingressos nõ censuisse Fidei Christianæ regulam, vnam esse Scripturam: quasi hæc in vniuersum omnia Fidei dogmata sit complexa, nihílve sit credendum, quod non sit scriptum: sed doctrinam illam Christianis Ecclesiis per Apostolos, à primordio viuis semel verbis traditam, semper post hominum Christianorum memoriam fuisse à verè Christianis, imò hæreticis adeò, pro verbo Dei habitam. Quod vt demonstretur manifestiùs, ne quid apud Lectorem veritatis Euangelicæ ex animo studiosum relinquamus scrupulorum, temporis seriem secuti ex optimis quibusque, iisdémque clarissimis nostræ religionis Antistibus, quos quidem nobis in hac præstantissimorum authorum penuria consulere dabatur, loca aliquot ceu ex amœnissimis hortis flosculos delibabimus: quibus gratissimam pietatis Euangelicæ studioso conseramus corollam: quæ sano imposita capiti suauissimum nascentis, pubescentis, atque florentis Ecclesiæ de genuino verbo Dei Euangelico fragrantissimè spiret consensum. Hoc igitur in loco infaustissimus ille Theologorum Scriptorum interitus esset lugendus, si quid aut voto inani, aut luctu tristi proficeretur. Quare illo in alium locum & tempus depulso, Catalogum sententiarum nuper memoratum contexere ordiamur.

Transitio ad 2. librum cuius hic summa est perstricta.

Caput II.

Dionysii Areopagitæ opera suo authori vindicantur.



Erùm quia à magno illo Dionysio Areopagita non inconsultò exordium nobis capiendum duximus, tum quòd magni Apostoli Pauli Discipulus ab eodem sit creatus Atheniensium Archiepiscopus, si Dionysio illi Corinthio epistola ad Athenienses data, quam Nicephorus libr. 4. cap. 8. recitat, fidem quis habendam arbitretur: tum quòd primitiuæ illius Ecclesiæ Christianæ iam pubescentis faciem, ornatum, ac totum propè sacrorum rituum atque cæremoniarum mundum plusquàm graphicè delinearit, atque depinxerit, in ipso, quod dicitur, limine libri Dionysio Areopagitæ huc vsque inscripti à temeraria quorundam calumnia suo authori sunt vindicandi, atque ab adulterij suspicione, qua apud multos laborãt, in herilem ingenuitatem asserendi. Non quòd cum illis in præsentiarum profusiùs sit agendum, cùm per instituti nostri rationem nequaquàm hîc liceat; sed certissimis tantùm Scriptorum veterum testimoniis confirmandũ, germanos, miniméque suppostitios, illius Dionysij ex clarissimo Areopagitarũ Senatu ad obscurissimã Christiani tum temporis popelli Ecclesiam Paulo Oratore detracti, esse libros, qui de Hierarchia Ecclesiastica, Angelica, diuinísque nominibus, aliíque eius nomini circumferuntur inscripti. Quod vt faciamus accuratiùs & vberior confirmandæ Ecclesiasticæ doctrinæ nos inuitat fructus, & certior aduersariorum prauis opinionibus adhibenda suadet medela. Quantò enim aduersarij germana D. Dionysij Areopagitæ impotentiùs execrãtur opera, vt serpentes Libanotita: tantò ea nobis & obseruanda sunt impensiùs, & colenda obsequentiùs: hoc scilicet plus ex illis antidoti nobis sperantes, quò suis illi venenis præsentiorem inde horrent interitum.

Eos igitur libros, qui de cælesti, Ecclesiasticáque Hierarchia, de diuinis item nominibus, atque epistolarum Dionysij Areopagitæ titulis vulgò circumferun-

tur insigniti, esse Dionysij illius Pauli Discipuli, quem
Athenis Christo ab idololatria adduxit, illud argumen-
to haudquaquàm obscuro fuerit æquo rerum arbitro,
quòd stylus is planè est, quem in Dionysij Areopagitæ
scriptis existere testatus est grauissimus veterũ Scripto-
rum censor Suidas, in doctissimis illis suis Commenta-
riis, verísque antiquarum lectionum monumentis. τῆς δι-
γ σοφίας αὐτοῦ, καὶ τῆς εὐγλωττίας ἔνδειξις ἀκριβὴς ἡ τῶν παρ' »
αὐτοῦ γεγραμμένων βίβλων ἀνυπέρβλητος φράσις. Porrò sapien- »
tiæ illius, ait, & eloquentiæ argumento sit certissimo »
phrasis, atque orationis dictio librorum ab eo conscri- »
ptorum eximia, adeóque inimitabilis. Et statim post: »
εἰ γάρ τις ἀπίδοι πρὸς τὰ κάλλη τῶν αὐτοῦ λόγων, καὶ τὰ βάθη »
τῶν νοημάτων οὐκ ἀνθρωπίνης φύσεως ταῦτα νομίσοι γεννήματα. »
ἀλλά τινος ἀκηράτου καὶ θείας δυνάμεως. Nam si quis illustria »
verborum eius consideret ornamenta, altissimúmque »
sententiarum illius profundum, haudquaquàm humanę »
illa censeat esse fœtus naturæ, sed Angeli cuiuspiam di- »
uini & immortalis.

Suidas in Dionysio.
Hebr. 6.

Ad hæc sententiarũ grauitas, vt nihil de rebus, quas
ratione plusquàm humana & propè diuina pertractat,
dicam, atque maiestas quædam Apostolica, án non di-
scipulum item arguant Apostolicum? Rursus illa rara &
propè singularis apud hunc Scriptorem sacrarum lite-
rarum interpretatio, clarissimáque explanatio, & illa
supra modum admiranda testamenti veteris Allegoria-
rum explicatio, quæ Paulinam prorsus sapiunt erudi-
tionem, diuinámque spirant ingenij Apostolici subli-
mitatem, quó nam obsecro digna censeantur, rectè ac
iudicio hæc perpendentibus, authore, nisi quopiã Areo-
pagita? qui Platonica Philosophia (cuius & loquendi
formulæ, & orationis facies hîc relucet) imbutus ac exi-
miè informatus, Euangelicam Christi Iesu doctrinam
collophonis loco, quod dicitur, Sapientię omnibus suis
numeris absoluendæ imposuerit. Quis autem prisco il-
lo inter Scriptores Ecclesiasticos extitit vnquàm secu-
lo, cui isthæc sententiarum grauitas verè Areopagitica
aptè tribuatur, conuenientérque vindicetur? Quis non
præter vnum fortassis Nazianzenum, atq; alterum Ba-

Nõ esse Dionysii Corinthij scripta, vti quidam suspicantur.

ſilium ab hac ſententiarum maieſtate abeſt longiſſimè? Quod verò Dionyſius ille Corinthius horum librorũ pondus ferre, ac quaſi Solis quendã fulgoré nequeat ſuſtinere, illa epiſtolarũ eius fragmenta, quæ partim apud Euſebium, partim apud Nicephorũ extant recitata diſertiùs pronunciant, quàm vt apud Grçcè peritos vllus ſuperſit ampliùs dubitandi ſcrupulus.

Scripta Dionyſii Corinthij quibus emblematibus ornata.

Nihil hîc de ſanctiſſimi huius Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi dicam erroribus, quos Magnus ille Baſilius epiſt. 41. ad Maximum Philoſophum data recenſet, qui cum noſtri Dionyſij ſcriptis ex diametro pugnant: nihil de eo, quòd omnia Dionyſ. Corinth. ſcripta veteres Theologi non ſunt admirati: nihil quòd nimio vincendi ſtudio impij illius Sabellianiſmi ſemina imprudens in orbem ſparſerit: nihil denique de illo, quòd de eius quædam Theologi veteres penitùs abrogarint.

In hunc noſtrum autem Areopagitam nihil vnquàm tale aut fuit à priſcis Theologis annotatum aut obſeruatum, ſed omnia illi ſanæ Fidei Apoſtolicæ cõſentientia, omnia ab errorum næuis quàm longiſſimè aliena, & remotiſſimè ſubmota.

Proinde cùm in libris etiamnum Dionyſ. Areopag. titulo inſcriptis deſignata illa per Suidam orationis agnoſcatur facies, illuſtri verborum decore exornata, & ſententiarum põdere auguſtæ cuiuſdam maieſtatis plenè grauiſſima (vt de eo putem veriſſimum, quod de Naziãzeno ſuo Hieronymus ſcribit diſcipulus, quòd apud Latinos ſui eſt impar, hoc eſt, vt equidem intelligo, qui incommodè in aliam transfundi linguam queat) atque interpretationum dignitas, & allegoriarum veterum maieſtas planè Apoſtolica, rerúmque Theologicarum ſcientia prorſus diuina, mihi equidem perſuaſiſſimum habeo, libros ſuprà commemoratos Dionyſij illius eſſe Areopagitæ, quem D. Paulus Athenis non modò fecit Chriſtianum, ſed Chriſtianæ adeò Eccleſiæ Dei ſpiritu ibidem congregatæ Archiepiſcopum, ſi modò fidẽ habeas, vti diximus, alteri illi Dionyſ. Corinthio, atque Michaeli Syngelo Hieroſolymitano in D. Dion. Areopag. encomio.

Porrò priùs hanc nostram veterum Scriptorum testimoniis, quàm corroboremus opinionẽ, illos Aduersariorum submouendos duximus scrupulos, quos friuolis coniectatiunculis collectos, in planissima via cõsentaneis veterum sententiis quasi strata, imperitis Lectoribus in offendiculum obiicere non verentur. Prisci, inquiunt, Scriptores operum Dionysij Areopagit. non meminêre: apud eius æquales nulla extat memoria. Sed quid mirandum eius apud æquales non existere memoriam, qui passim fuerit notior, quàm vt vllius esset laudibus celebrandus? Nec est, quod iure videatur mirum, raram adeò esse apud vetustiss. Scriptores eius mentionem, cùm illius ætatis scripta præter Apostolorum, & ea quidem omnia, vix nobis extent vlla. An hymnorum illius Dorothei Apostolorum discipuli quisquam præter nostrũ Dionysium meminerit? Iam Ignatij Traditiones Apostolicas eadem ætate aduersus heterodidascalos cõscriptas, quarum meminit Eusebius, quis nam Ignatij fuisse neget? *Argumẽtula cõtra Dion. Areopagitæ opera dissoluuntur.*

At Eusebius, inquiens, & D. Hieronymus diligentissimi Bibliothecarum veterum perscrutatores, & accurati Scriptorum veterum censores, quid est, quòd operum Areopagitæ, ne per somnium quidem meminêre? Huius rei geminã apud Scriptores veteres, quos equidẽ legere datũ est, videre mihi videor causam. Scripta hæc Dionys. Areopag. vt ad Philosophorum disciplinas maximis incrementis propter eximiam rerum cælestium notitiam ornandas simul & augendas sunt comparata: ita ad varios etiam hæreticorum errores propter apertam, indubitatámque Apostolorum doctrinam euertẽdos simul & profligandos cum primis idonea. Vtrisque igitur & Philosophis & hæreticis connitentibus libri isti Areopag. authore in lucem editi, quasi Sol quidam veritatis clarissimæ obiectis veluti nebulis abscõditi in ignorantiæ tenebris ad quoddam tempus latuêre, tam ignoti quàm obscuri. *Qui olim Dio. Areopag. libri suppressi.*

Illam causam nõ obscurè apud Suidã licet obseruare in Dionysio Areopagita: hãc seduli operũ Dion. Areopagitę interpretes, Ioãnes ille Philosophus cognomẽto

Sarracenus, qui ante annos plùs minùs octingẽtos floruit, & alij itẽ cęteri indicarunt. Siquidẽ testatur Suidas Proclum illum Platonicum, aliósque Philosophos, vera gloriæ mancipia, sanctissimi iuxta ac doctissimi nostri Philosophi Areopagitæ theoremata ac doctrinæ præcepta in suum vsum suppilasse, & sibi propter inuẽtionis gloriam vendicasse. Itaque paulatim factum illorum opera, metú ne furti arguerentur à Christianis, si ille in lucem prodiret, vt eius scripta fuerint suppressa atque occultata.

Istud de hæreticorum studio in supprimendis Areopagitæ operibus Ioannes ille Sarracenus declarat apertiùs, quàm vt huc rememorandum sit copiosiùs.

Cuius rei narratio magis veritatis videbitur similis, si quis seriò secum reputet impotens illud priscorũ hæreticorum in deprauandis & abolendis etiam Apostolicorum adeò Scriptorum libris studium, Christianæ Fidei minimè sanè leuiter perniciosum.

Cuius argumentum ex D. Pauli epistolis, cùm ad Corinthios, tum ad Laodicenses: rursum ex D. Ignatij & æqualium scriptis capiatur luculentissimum: vt nihil de Canonibus Nicænis ipsa adeò Athanasij ætate, qui illius Synodi pars magna fuit, mutilati fuêre, ac propemodùm suppressi.

Quinam veterũ authorũ citẽt Diony. Areopagitã.

Sed nunc locus admonet, vt demõstremus, quinam Scriptorum veterum hosce Dionysij Areopagitæ libros tanquàm germanos atque gnisios agnouerint, eiúsque testimoniis in grauissimis disputationibus sibi vtẽdum existimarint.

Proclus ille Platonicæ Philosophiæ decus non exiguam sui nominis etiamnum ita illustris portionem huic nostro debet Areopagitæ. Is enim insigniter præter alios huius scripta suppilare non est veritus, tanta impudentia, vt vel ipsa verba nihil inuariata ipsum manifestissimi arguant furti, quemadmodum testatur Suidas clarissimus Scriptorum veterũ & testis & Scriptor: eius verba hîc nihil opus est recitare copiosiùs, quòd is passim sit in omnium manibus.

Sed morosulus quispiam Suidæ testimonium minùs mere-

moretur, agè igitur, nunc Theologos priſcos conſulamus, quid nam de ſcriptis illis, quæ vel hodie Dionyſij titulum profitentur, cenſuerint. Origenes ille Adamantius haud ita longè Areopagitæ noſtri ætatem conſequutus, illud Ioannis Theologi Euangeliſtæ, Quod factum eſt in ipſo, vita erat, explicaturus, non niſi eximij alicuius Theologi Commentarium adhibendum credidit. In ipſo, inquit, vt os loquitur diuinum, viuimus, mouemur, & ſumus, & vt ait Magnus Dionyſius Areopagita, eſſe omnium, omnium eſt ſupereſſentia & diuinitas. Quem locum clariſſimus ſacrarum literarum Profeſſor D. Ioannes Eckius Commēt. in myſticam Theologiam exiſtimat hinc depromptum: cuius rei fides penes eum ſit. Nam illius ſententiæ inueſtigare ſedem, vt non eſt inſtituti præſentis, ita nobis abundè ſatis eſt, locupletiſſimo Adamantij teſtimonio Areopagitæ noſtro ſua vindicaſſe opera. *Teſtes operũ Dionyſii Areopagitæ.*

Idem prolixiùs nos prohibet demōſtrare huius operis ratio ex Athanaſio quæſtio. 8. ex Damaſceno, lib. 4. cap. 14. Rurſus de imaginibus libr. 1. & 2. Liberato Archidiacono Carthag. cap. 10. Michaële Syngelo Hieroſolymitano, Suida, Photio Conſtantinopolytano, Hugone Erethriano libr. de Animabus, Beſſarione illo denique Græcanicæ Bibliothecæ peritiſſimo, qui eius teſtimoniis tanquàm apud doctiſſimos ſuæ ætatis homines Græcos indubitatiſſimis in grauiſſima vtitur de ſancto Euchariſtiæ myſterio controuerſia. *Athanaſius Damaſcen⁹. Michael Syngelus. Liberatus Archidiaconus Cartha. Beſſarion. Græci ætate Beſſarionis nō dubitarũt*

Taceo & breuitatis cauſa, quæ ex Theodoro Preſbytero apud Photium Cōſtantinopolitanũ leguntur de 3. cauſis oppreſſorum Dionyſij Areopagitæ operum. Similiter quòd Maximum teſtetur Beſſarion Dionyſij Areopagitæ fuiſſe Commentatorem, quòd de Pachymere eſt indubitatum. *Theodoret. Presbyter. Maximus. Pachymeres.*

Cæterùm ne quid hac in re ſuperſit ambigui, agè argumentum promamus, quod Solis luce clariùs, id quod in manibus eſt, demōſtret. Doctiſſimus ille Agatho Romanæ ſedis Pontifex, epiſtola ad 6. Synodum Vniuerſalem Conſtantinopolitanam data, caput 2. ex diuinis no. Dionyſij Areopag. ad ſuum inſtitutum comproban- *Agatho Romanus. Concil. 6. vniuerſal. Conſtanti.*

dum recitarat, vnà cum aliis Orthodoxorum Patrum sententiis. Hanc allegationem non modò ipse Catholicorum Patrum ibi congregatorum suscepit, adeóque approbauit Chorus: sed & ipsi aduersariæ partis propugnatores Macarius & Stephanus. Vnde illud singulariter est inter alia animaduertendum, quod Sessione 8. isti duo illius nouæ doctrinæ propugnatores, cùm Theophanis Presbyteri Abbatis lectione vrgerentur, atque ad huius loci, quem illi corruperant, vt alios, ex Areopagita recitationem nihil quicquam respondent. Imò suo quoque ipsorum præiudicio testati fuerant esse Dionysij Areopagitæ, quem sacrilega audacia mutilare ausi fuerunt. Sicuti & Chrysostomi capitulũ, quod vnà cum Areopagitæ & aliorum sententiis suo in codicillo conscripserant. Synodus etiam Romana sub Martino primo sua nostro Areopagitæ vindicet opera. Porrò ad indubitatam huius rei persuasionem facit, quòd Synodus septima vniuersalis 2. Nicæna Canone 2. locum recitat ex Ecclesiastica Hierarchia disertè expresso Magni Dionysij nomine: de quo qui ambigit, an cum Areopagita idem sit, de Basilio item Magno, de Leone, Carolo aliísque dubitet, cum insania licet.

Patres & Episcopi Græci anno 674. nõ dubitant, imò nec hæretici.

Synodus Romana. Concil. 7. Nicænum 2. citat Dio. Areop.

Caput III.

Scriptorum primi seculi Catalogus.



Ed nunc ex parergo ad instituti nostri opus redeat oratio. Dionysius igitur Areopagita Pauli Apostoli oratione Christo Domino adductus, Atheniensísque Ecclesiæ Archiepiscopus, vti ex Dionysio illo Corinthio & Michaele Syngelo Hierosolymitano docuimus, creatus variis in locis, quantá nam sit non scriptę Traditionis authoritas, demonstrauit: quæ hîc non recensebimus vniuersa, sed ea duntaxat delibabimus, quæ rem præsentem doceant illustriùs.

Explicaturus nostræ Christianæ Hierarchiæ causas & effecta D. Dionysius, cùm dixisset aliter Angelis, aliter nobis Deum Opt. suam communicare diuinitatem: nobis quidem, quoad eius licet ἐν τῇ ἐκ παραδόσεως λογίων

ex eloquiis diuinitùs traditis, per ſymbola diuerſa variè ac multipliciter, ſtatim ſubiecit, quæ nam Dei eloquia intellexerit: οὐσία γὰρ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια. σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτα φαμὲν ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἁγιογράφοις ἡμῖν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις. καὶ μὴν ὅσα πρὸς τῶν αὐτῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ἀυλοτέρᾳ μυήσει καὶ γείτονί πως ἤδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου, σωματικοῦ μὲν, ἀυλοτέρου δὲ ὅμως, γραφῆς ἐκτὸς οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν. Noſtræ enim Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſubſtantia tota eſt in verbis à Deo traditis collocata. Hæc porrò venerãda Dei verba dicimus, tam quæ à diuinis noſtris myſtagogis in ſacroſanctis theologicíſque prodita ſunt libris, quàm quæ noſtri præceptores ab iiſdem viris ſanctiſſimis inſtitutione nõ ſcripta, & quæ materiam neſciat cæleſti illi Hierarchiæ viciniori ex mente in mentem mediante oratione initiati didicêre: quæ vt corporalis quidem eſt, ita materiæ expers magis, atque agrapha, & ſine ſcripto. Rurſus eod. cap. 1. poſt paucula: Res, inquit, diuinas per humana, Res materia carentes per materiales, cæleſtiáque per res iſtas ſenſiles, ταῖς ἐγγράφοις τε αὐτῶν καὶ ἀγράφοις μυήσεσι κατὰ τοὺς ἱεροὺς ἡμῶν ἐδόθησαν θεσμούς. Id eſt, Scriptis & non ſcriptis ſuis ſacris initiationibus per ſacroſanctos nobis tradidêre ritus atque cæremonias.

Duplex Dei verbũ ſcriptũ & non ſcriptum.

Atqui hæc fortaſſis quiſpiam de ſacrorum ritibus tãtùm, ac ſacramentorum excipiat dictum cæremoniis. Verùm agè, vt iſtud in præſentiarum breuitatis cauſa, viuis ſuperſedeam refutare exẽplis, videamus, quá nam ratione paruulorum Baptiſma ſuo etiam ſeculo ab impiis deriſum atque flagellatum conuitiis crediderit defendendum. Multa igitur hanc in rem ſub Eccleſiaſticæ Hierarchiæ finem pręfatus, validiſſimum, quod habuit, obiecit illis ſcutum: πλήν γε ὅτι καὶ περὶ τούτου ταῦτα φαμὲν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς προήγαγον. Id eſt, Enimuerò de hoc, inquiens, ea reſpondemus, quæ noſtri ſacræ inſtitutionis magiſtri planè diuini, ac ita dixerim, Deiformes vetuſta & ipſi initiati Traditione nobis prodidêre.

Hiſce pauculis ſed luculentis demonſtratum opinor

equidem, Diuum Dionysium Areopagitam Pauli discipulum non minùs authoritatis diuinæ credidisse Traditionibus non scriptis insedisse, atque scriptis & diuina Scriptura expressis. Quid enim pro infantum Baptismate propugnando attulisset non scriptam Traditionem, vetusta, inquiens, Traditione nobis proditam, nisi paris illi fuisset authoritatis, tam nō scripta quā scripta?

D. Ignatius Traditione non scripta ceu verbo dei nititur. Vide Dialog. Theod 3. Catalog. Dialog. 2. & 3.

Diuus etiam ille Ignatius, qui, vt est apud Theodoretum, διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, magni illius Petri dextera Archiepiscopatus gratiam suscepit, epistola ad Smyrnæos scripta (quam ne quis temerarius reiiciat, D. Hieronymus & Theodoretus variis locis vt genuinam recitant) Christianos inter grassantes hæreseon plurimarum pestes nō habuit, quo eos aut securiùs præmuniret, aut in Fide verè Apostolica firmiùs constabiliret, quàm quòd in doctrina pridem tradita vt persisterent constantes, commoneret.
“ πρέπον οὖν ἐστιν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων καὶ μήτε
“ κατ᾽ ἰδίαν περὶ αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ· προ-
“ σέχειν δὲ νόμῳ καὶ προφήταις καὶ τοῖς εὐαγγελισα-
“ μένοις ὑμῖν τὸν σωτήριον λόγον: τὰς δὲ δυσωνύ-
“ μους αἱρέσεις, καὶ τοὺς τὰ σχίσματα ποιοῦντας
“ φεύγετε ὡς ἀρχὴν κακῶν. Quod est: Quapropter ab istiusmodi hominibus decet abstinere, & de illis nec priuatim nec publicè loquendum, sed attendendum ad legem, & prophetas, & eos qui vobis salutarem Euāgelij doctrinam annunciarunt: Hæreses verò abominandas, & eos qui doctrinæ huius dissidia inuehūt, ceu malorum omnium fontem refugite.

Sic & Magnesianos exhortabatur, σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ κυ. καὶ τῶν ἀποστόλων. Date igitur operam inquiēs, vt in Christi Domini & Apostolorum dogmatibus confirmemini.

Sed ne in re aperta multus videar, vnum illud ex epistola ad suos Antiochenæ Ecclesię filios data subtexuisse suffecerit: quibus cùm lupi plurimi insidiarentur pastore nūc Christi ouiculis Romam abducto ita scripsit:

παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἐγὼ ὁ δέσμιος ἐν κῷ· ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως ἧς ἐκλήθητε φυλαττόμενοι τὰς εἰς κωμασάσας αἱρέσεις τοῦ πονηροῦ ἐπ' ἀπάτῃ καὶ ἀπωλείᾳ τῶν πειθομένων αὐτῷ, προσέχειν δὲ τῇ τῶν ἀποστόλων διδαχῇ καὶ νόμῳ καὶ προφήταις πιστεύειν.

Adhortor igitur vos, inquiens, ego qui Domini cau- »
ſa captiuus abducor, vt vitam veſtra, qua à Deo vocati »
eſtis vocatione, dignam viuatis, vos quidem cuſtodien- »
tes ab hęreſibus, nunc ab illo malo in fraudem & perni- »
ciem eorum, qui ipſi fidem habent, in orbem inuectis, »
attendentes verò Apoſtolorum doctrinæ, & legi Pro- »
phetiſque credentes.

Cæterùm vnus hic Ignatius præſentem quæſtionem ad dirimēdum abundè ſufficeret, ſi alia eius diuino ſpiritu pleniſſima ſcripta aut temporum, aut hæreſeon potiùs, non intercidiſſent iniuria. Siquidē eum Traditiones conſcripſiſſe certò Apoſtolicas teſtatur Euſebius.

Papias Hieropolita.

Adhæc & Papias Hieropolitanus Ioannis quidē Euāgeliſtæ auditor, Polycarpi autem ſodalis, ſeſe non tam ſcriptis, quàm ex Apoſtolorum verbis ſynceram Apoſtolicæ Fidei confeſſionem didiciſſe narrat, quę quidem ex Apoſtolorum diſcipulis rememorata acceperat. Non
grauabor, inquit, in proœmio ſuorum de verbis Domi- »
nicis Commentariorum, ſi Nicephoro creditur, quæ- »
cunque à Preſbyteris rectè didici, ac rectè memini, ve- »
ritatem eorum interpretatione confirmans, tibi expo- »
nere. Minimè enim iis ſum, vt multi, delectatus, qui mul »
ta dicerent, ſed qui vera docerent: neque qui aliena, ſed »
qui à Domino, & ab eis, quibus cum ipſa veritate con- »
ſuetudo fuit, de Fide tradita præcepta commemorarēt. »
Quòd ſi quando aliquis Preſbyterorum ſectator adue- »
niret, eorum ipſorum inquirebam ſermones: quid ſcili- »
cet Andreas, quid Petrus dixiſſet: quid Thomas, aut Phi »
lippus, aut Simon, aut Iacobus: aut quid Ioannes, aut »
Matthæus, aut quid alius quiſpiam Domini diſcipulo- »
rum, aut quid etiam Ariſton, & Ioannes Preſbyter, & »
ipſi diſcipuli Domini dicant. Non enim tantum me li- »

" bris adiuuari, quantum viua & præsenti voce arbitratus sum. Quod clarissimi apud priscos Papiæ testimonium manifestò declarat, quidnam primi illi post Apostolos Ecclesiarum magistri de hac quæstione censuerint, vndé nam vera Euangelij doctrina fuerit petenda?

Polycarpus. Ad eundem præterea modum D. Polycarpus suam, " quam à Maioribus, Apostolísque, à quibus eum libr. 3. " contra hæreses institutum narrat Irenæus, doctrinam " Ecclesiasticam aduersus Valẽtinum atque Marcionem, *Lib. 3. ca. 3* " aliósque insanarũ opinionum authores constanter tue- " batur, vnam & solam hanc veritatem (teste D. Irenæo) " quam Ecclesia tradebat se ab Apostolis accepisse prædi- " cans. Quo inuicto doctrinæ ab Apostolis semel traditæ " argumento, non solùm Romæ sub Aniceto in priuato " cum Valentinianis atque Marcionitis colloquio claris- " simus hic Christi martyr vsus intelligatur: sed in episto- " la quoque illa Philippensibus scripta, apud plerosque *In Catal.* veterum celeberrima. In ea igitur, quam D. Hieronymus valdè vtilem prædicat, cuius & fragmenta aliquot Eusebius Cæsariensis recitat, Philippenses ad rectam Christianæ Fidei doctrinam, à qua nonnihil hæreseon prauitate detorti deflexerãt, reuocans, obseruemus obsecro, quibus nam argumentis, & vnde petitis ad hanc rem tantam conficiendam sibi vtendum duxerit. Ser- " uiamus ergo ei, inquit, cum timore & reuerentia, secun- " dum quod Euangelizauerunt nobis Apostoli, & Pro- " phetæ annunciauerunt aduentum Domini nostri Iesu " Christi. Zelantes bona, abstinete ab scandalis & falsis " fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui " oberrare faciunt inanes homines. Omnis enim qui non " confitetur Iesum Christum in carne venisse, hic Anti- " christus est. Et qui non confitetur mysterium crucis, ex " diabolo est. Et qui deuiauerit eloquia Domini ad pro- " pria desideria, & dixerit neque resurrectionem neque " iudicium esse, hic primogẽitus Sathanæ. Propter quod " relinquentes vanitates multorum & falsas doctrinas, ad " illud, quod traditum est nobis, à principio verbum re- " uertamur.

Caput IIII.



Vnc quidem in modum primo illo nati, & exorientis Christianismi seculo doctrina Apostolica, eadémque Catholica, cum propagata, tum aduersus hæreses adeò, non tam scripto Dei verbo, quàm traditis semel Ecclesiæ Apostolicæ dogmatibus fuit propugnata. Quod consequentibus quoque temporibus à Catholicis Patribus semper atque constanter obseruatum fuisse nunc demõstrare pergimus. *Scriptorum secundi seculi catalogus.*

Alexander ille primus Romanus Pontifex, epistola ex Concilio Romano ad vniuersos Catholicos scripta » inter alia Christianæ Ecclesiæ à Patribus, hoc est, vt idẽ » interpretatur, Apostolis tradita disciplinæ capita sanci- » uit, panem & vinum aqua mistum in sacrificiis offerendum, contra illorum errorem, qui aut viuum merum, aut aquam docebant offerendam meram. Quod suum decretum Patres eo in Concilio congregati, idoneo satis testimonio censuerunt confirmatum, quod à Patribus, hoc est, Apostolis, ita esset traditum, nihil aduersarios veriti, quod cæremoniolę, vt apparet, minimæ probationẽ ex Scripturis desiderarent firmiorem. Vini autem aqua in sacrificio miscendi ritum, & tum quidem, & sanè nũc, à Christo & Apostolis traditum obseruari, infrà suo loco pluribus testibus confirmabitur. *Alexander*

Cuius vestigiis insistens successor Sixtus à D. Petro septimus teste Eusebio & Marcellino comite, qui postea quàm plurima sacrarum literarum accumulasset testimonia, quibus Deum esse vnum luculentissimè demonstrarat, Patrem tamen ingenitum esse confitendum contra hæreticorum innouationes docet, quamquàm nullum huic suffragaretur Scripturarum testimonium: Si, inquit, non sanè sapientes vnitatem Fidei voluerint sim » plici corde recipere, ex hoc itaque testimonio, in vno » Spiritu poterunt simul Patris & Filij vnitatem condi- » scere. Patrem igitur, vt superiùs comprehensum est, in » diuinis literis, ingenitũ propriè positum nec legere pos- » sunt penitùs, nec probare. Sed quia Fides idipsum exigit » *Sixtus. Lib. 4.*

Christiana, absque dubitatione ingenitus creditur, qui tamen secundum seriem Scripturarum similis à se genito visus esse monstratur. Quo testimonio quídnam ab homine sui compote ad rem præsentem confirmandam meritò desideretur manifestius? Satis enim Fidei dogma de Patre ingenito in Ecclesiis obtinens apud Christianos mereteri pronunciat, quod Fides, inquit, ita exigit Christiana, quantumcunque nulla Scripturarum vocula suffragaretur.

D. Ireneus. Dialog. 2. In Cata.

D. etiam Irenæus Lugd. Episcop. atque φωστὴρ, ait Theodoretus γαλατῶν τῶν ἑσπερίων, lumen Galat. Occidentalium, siue Gallorum, D. Polycarpi, qui Ioannem Euang. teste Hieronym. audierat, olim Diaconus, nostræ Fidei inuictiss. propugnator, cum à Valẽtinianis & Marcionitis passim iactaretur à Christo nostro alium longè Deum fuisse annũciatum, quàm qui olim à Moyse mundi istius describebatur creator, vide mihi obsecro, quibúsnam armis præcipuum Christianæ Fidei caput aduersus infestos hæreticorum arietes illam funditùs subruere commoliẽtes, sit tutatus? Traditionem Apostolorum, inquit lib. 3. cap. 3. in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint videre, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis sunt Episcopi in Ecclesiis instituti, & Successores eorum vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Vbi in præsentis rei confirmationem enumerato Episcoporum Romanæ Apostolicę Sedis Catalogo, ita subnectit capite 4. Quid autem, inquit, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptã habentes per Spiritum in corbus suis salutem, & veterẽ Traditionem diligẽter custodientes, & quæ seq. Verùm priusquàm ad alios proficiscamur, hunc sanctum Dei hominem Episcopum Apostolicum dimittere non est animus, nisi benedixerit nobis: quod illis faciet verbis saluberrimis initio cap. huius 4. scriptis. Tantæ igitur osten-

Aurea D. Irenei verba et verè Irenica ad omnes istius tempestatis procellas sedandas & pacificandas.

ſionis cúm ſint hæc, non oportet (inquit) adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere: cùm Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vti omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc enim eſt vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt & latrones. Propter quòd oportet deuitare quidem illos: quę autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis Traditionem.

D. Serapion Antiochenus

Cæterùm quantum authoritatis planè irrefragabilis Traditio Eccleſiaſtica per Oriẽtem omnem habere fuerit credita, vnus D. Serapiõ Antiochenus, ſeptimus poſt D. Petrum Epiſcopus, ſuo demonſtrarit exemplo. Apud Roſſenſem Parœciam occulto aliquot Marciani veneno infecti, cùm laborarent vehementer aduerſus Catholicos, D. Petri Euãgelion, quod dicebatur, vrgebant, adeò vt ex ſimultate haud exiguum gliſcere videretur incendium. Quod ſimulátq; pius ille ſuarum ouicularum Paſtor Serapion cognouiſſet, ad eos ſeſe confert, diſſidij omnis ſeminarium ſemel ſubmoturus. Quò cùm acceſſiſſet, ex quęſtione de Petri Euangelij libro, an legendus foret, nécne, illas turbas agnouit ortas, quas vt componeret, nihil ſuſpicatus quoſdam Fidei eſſe non ſanæ, linerer, nihil ... permiſit, Si hoc ſobrum non perlectum illis legendum permiſit, Si hoc ſolùm eſt, quod ſimultatẽ hãc (inquiẽs) inter vos generare videtur, legatur. Verùm poſteà vbi viro ſanctiſſimo fraus ſuboleuit, vide mihi obſecro, quánã ratione fictitiũ iſtud D. Petri Euangelion exauthorauit: ἡμεῖς γὰρ ἀδελφοὶ καὶ πέτρον καὶ τοὺς ἄλλους ἀποστόλους ἀποδεχόμεθα ὡς χριστόν· τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ψευδεπίγραφα ὡς ἔμπειροι παραιτούμεθα, γινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν quod Ruffinus hiſce verbis reddẽdũ arbitrabatur: Nos enim fratres (ſcribebat D. Serapion ſuis Roſſenſibus, teſte Euſeb. li. 6. cap. 9.) & Petrum, & alios Apoſtolos recipimus tanquàm Chriſtũ. Quæ autem ſub eorum nomine falſo ab aliis conſcripta ſunt, velut gnari eorum ſenſus & ſententiæ declinamus, ſcientes quòd talia non ſunt nobis tradita.

Septimius Tertul.

Septimius item Florens Tertullianus Latinorum omnium, aiebat Vincentius Lirinensis, facilè Princeps, dum sese intra tutissima Catholicæ Christi Ecclesiæ continebat castra, non alia sibi superesse existimauit principia, post quę inter varias hæreticorum oppugnationes tutus delitesceret, pręter vnam hanc doctrinam Ecclesiasticam « ab exordio Christianismi per Apostolos traditam. Hanc « enim solam suæ aduersum ingruentes ingenti & vi & « numero sui seculi hæreseon cateruas velitationis, ceu « inuictam, certissimámque indubiæ victoriæ Ducem se« ctatus, negabat cum hæreticis ex Scriptura agendum es« se: Ne nobis, inquit, illi falsò, quod nos illis verissimè, « impingant, à nobis adulteria Scripturarum & expositio« num mendacia adferri. Non ergo ad Scripturas prouo« candum, nec in his constituendum certamen, in quibus « aut nulla, aut incerta est victoria, aut parum certa. Sed « initiò disputandum, à quo, per quos, & quibus sit tradita « disciplina, qua sumus Chistiani. Quam ea ratione indu« bitatò deprehendi posse demonstrat, si vt à Christo in « Apostolos, ab Apostolis in Ecclesias, quibus Christum « viua voce assignarunt, ab iis ad Colonias illarum Prin« cipum Ecclesiarum descendit Fides Christiana: ita eo« dem gradu, sed retrogrado ab Ecclesiis adolescentiori« bus ad matrices illas Ecclesias, ab iis ad Apostolos, à qui« bus ad Christum indubium veritatis fontem conscendatur. Quæ grauissima, iuxtà atque verissima Tertullia. sententia, si tantum fidei & authoritatis apud nuperrimos Catholicę Dei Ecclesiæ aduersarios inueniret, quãtum ei & vetustas meritò vendicat, & veritas tribuit, adeóque ipsissima Christianæ Ecclesiæ necessitas, dandum prorsus cogit, Deum immortalem, quàm subitò noua Ecclesiis omnibus rediret optata facies? quãto gaudio suauissima omnibus dogmatum concordia desideratissima reflorceret? Quãtis deliciis deniq; omnium nationum animos gratissima Fidei verè Euãgelicæ vnitas demulceret? Si, inquam, vt ille præscribit, apud omnes semel in confesso esset, atque persuasissimum constaret, omnem doctrinam, quæ cum illis doctrinis Apostolicis, matricibus & originalibus cõspiret veritati deputandã,

Hinc hinc resarcienda omnis dißidiorum concordia.

id ſine dubio tenentem, quod Eccleſię ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit, reliquam verò omnem de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſt. & Chriſti & Dei.

Rituum præterea & Cæremoniarum Chriſtianarum rationem non ſemper ex Scripturis, ſed viuis veterum Traditionibus eſſe petendam, vnus eiuſdē Tertull. locus luculenter ſatis demonſtret, ex libello de corona militis: vbi coronam frondeam Chriſtianis non eſſe geſtandam quibus rationibus nixus aſſerat, operæpretium fuerit animaduertiſſe. Omnes, inquit, ita obſeruant à Catechumenis vſque ad Confeſſores, vſque ad Martyres, vel negatores. Viderint vnde authoritas moris, de qua cùm maximè quæritur. Hanc ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de Traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi priùs traditum non eſt? Etiam in Traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, authoritas ſcripta. Ergo quæramus, an & Traditio non ſcripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, ſi vlla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius Scripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Quo in loco enumeratis variis ſacrorum rituum ſpeciebus, vt Abrenunciationis in Baptiſmo, quódque ampliùs aliquid dum baptizamur reſpondemus, quam Dominus in Euangelio determinauit, vt antelucanæ Euchariſtiæ, vt oblationum anniuerſariarum pro defunctis, pro natalitiis, aliiſque id genus non ſcriptis, ita tādem colligit: Harum, inquiens, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum; nullam inuenies, Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo firmatrix, & Fides obſeruatrix: rationem Traditioni, conſuetudini, Fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces: & quibúſdam interiectis: His igitur, inquit, exemplis renunciatum erit poſſe etiam non ſcriptam Traditionem in obſeruatione defendi confirmatam conſuetudine idonea teſte, probatæ tunc Traditionis ex perſeuerantia obſeruationis.

Cle. Alexā drinus geminā agnoſcit Dei vocem, ſcriptam & vocalem.

Hunc in modum de Traditionis non ſcriptæ vi in Africa ſenſit eo tempore pubeſcens tunc per orbem Eccleſia, quod ex Tertulliani æqualibus Clemente Alexādrino, Serapione Antiocheno, aliiſque eſt cognoſcere. D. Clemens igitur Alexandrinus Panteni illius & aliorum clariſſimorum Chriſti martyrum auditor, quem D. Theodoretus ἱερὸν ἄνδρα καὶ πολυπειρίᾳ ἅπαντας ἀπολείποντα meritò dicit, virū ſacrū, quiq; Scriptores ad vnū omnes multarum rerū peritia antecellit, ſuis illis ſtromatibus haud infrequenter non ſcriptarum meminit Traditionum, vnde nos huic operi ceu ex ditiſſimo copiæ cornu quædam promemus emblemata.

Initiò igitur ſtromatum pauca de Concionatorum & Scriptorum ſcopo præfatus, ita de Chriſtianæ Fidei doctrina ſub frumenti allegoria attexuit: ἡ γεωργία δὲ διττή, ἡ μὲν γὰρ ἄγραφος, ἡ δὲ ἔγγραφος. ὁ ποτέρος δ' ἂν ὁ τοῦ κυρίου ἐργάτης σπείρῃ τοὺς εὐγενεῖς πυροὺς, καὶ τοὺς στάχεις αὐξήσῃ τε καὶ θερίσῃ
" θεῖος ὄντως ἀναφαίνεται γεωργός. id eſt, Duplex
" porrò eſt agricultura, alia enim Scripturis non eſt con-
" tenta, alia verò eſt ſcripta. Iam vtrouis modo ille Domi-
" ni operarius præclara illa ac generoſa ſeminarit ſemina, & ſpicas auxerit, meſſueritque, diuinus reuerà fuerit agricola. Poſt hæc autem, ruſticam hanc homæoſin aliis explicans verbis, cauſam redditurus, cur Deus Opt. non reuelarit multis, quæ non erant multorū, quod capere non poſſent, nec ex eis informari, ſubtexuit: ἀπόρρητα δὲ, καθάπερ ὁ θεὸς, λόγῳ πιστεύεται,
" οὐκ γράμμασι, id eſt, ineffabilia autem, arcanáque, ſi-
" cuti Deus, non literis creduntur, ſed voci. Et rurſus:
" ἀλλὰ γὰρ τὰ μυστήρια μυστικῶς παραδίδοται
" ἵνα ᾖ ἐν στόματι λαλοῦντος καὶ ὁ λάληται. Siqui-
" dem myſteria traduntur myſticè, vt ſit in ore quoque lo-
" quentis, quod loquitur, potiùs autem non in voce, ſed
" in intelligentia.

γνωστι-κὴν οἱ-

" Adhæc 5. Stromatum docet, non vniuerſa Fidei Euā-
" gelicæ dogmata in Scripturā eſſe relata. Iam verò Apo-

ſtolus, aït, ad diſtinctionem perfectionis, quæ eſt ex cognitione, communem Fidem alicubi quidem dicit fundamentum, alicubi verò lac, & infrà. Cognitionis ædificium, in epiſtola quoque ad Romanos, ænigmaticè ac obſcurè ſignificans: Deſidero, inquit, videre vos, vt aliquod vobis donum impertiar ſpirituale, vt vos confirmemini. Non poterat apertè literis ſcribi eiuſmodi dogma. Et eodem libro, in illud Pauli: Scio, cùm venero ad vos, veniam in plenitudine benedictionis Chriſti, τὸ πνευματικὸν χάρισμα καὶ γνωστικὴν παράδοσιν ἣν μεταδοῦναι παρὼν παροῦσι ποθεῖ· οὐ γὰρ δι' ἐπιστολῆς ὅσα τε ἦν ταῦτα μηνύεσθαι. id eſt, Donum ſpirituale & Traditionem, quæ Gnoſticum ac Chriſtianum perficit Philoſophum, præſentibus præſens cupit impartire. Neque enim licebat hęc per epiſtolam ſignificare. Adhæc libro 6. de vera gnoſi atque cognitione, quę gnoſticum verum faciat differens: Cognitio, inquit, ipſa eſt, quæ per ſucceſſionem ad paucos ex Apoſtolis abſque ſcripto tradita peruenit.

νονομίαν, id eſt, quæ ad Gnoſticū verum, ac Chriſtianum Philoſophum inſtituendū ad perficiendum facit.

Denique ne cui nauſeabundo ſimus rerum licèt ſaluberrimarum copia graues, vnum ex Stromat. 7. retexam locum, qui luce clariùs meridiana noſtræ Traditionis Eccleſiaſticæ non ſcriptæ doceat inuictam ac neceſſariam adeò Fidei cùm retinendæ, tum tuendæ authoritatem. Neceſſe eſt enim labi in maximis, inquit, eos, qui res maximas aggrediūtur, niſi regulam veritatis ab ipſa veritate acceptam tenuerint. Quæ autem hæc ſit Fidei regula adeò neceſſaria, mox ſubtexuit: Quemadmodum igitur, ſi quis ex homine fiat beſtia, illorum exẽplo, qui Circes venenis fuêre infecti; Ita homo Dei eſſe, & Domino fidelis eſſe perdidit, qui aduerſus Eccleſiaſticam recalcitrarit Traditionem, & in humanarum hæreſeon deſiliuit opiniones.

Plura in hanc ſententiam qui cupiat, per me licet ipſam Stromatum ingrediatur officinam, nulli mortalium occluſam: vnde copioſiùs, ſi videbitur, aulæa mutuet mirificè variegata, hunc locum admirabiliter exornatura. Verùm nos eius contemplatione accuratiore aliud in

tempus reposita, ad alios Christianæ Ecclesiæ Patres transeamus, qui suo suffragio rem, quæ in præsens agitur, faciant contestatiorem.

CAPVT V.

Scriptorum tertij seculi Christiani catalogus.



Vàm autē huius Alexandrini Theologi vestigiis mordicùs inhæserit Origenes ille Adamantius, pro eo atque ingenuum decuit Discipulum, paucis ex innumerorū scriptorum eius locis huc egregiè facientibus erit agnoscere. Hic igitur, quámnam vnicam doctrinæ certò Euangelicæ, & indubitatò Apostolicæ, cùm à corruptelarum cōtagio conseruandæ, tum ab hæreticorū plagio vindicādæ, crediderit sibi ineundam viam paucis licèt verbis, at mirè tamen luculētis expressit: Illa sola, inquiens, credenda est veritas, quę in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione. Quam sententiā longè verissimam, quanto irrefragabilis veritatis pondere author hic pressus pronunciarit, nemini dubium esse queat, qui librorum de principiis, siue vt Ruffinus, de potestatibus, institutum apud animum suum perpēderit. Altissimas enim quæstionum aliquot sanè quam obscurarum pertractandarū tenebras ingredi non audet, nisi clarissima Fidei Catholicæ face prælucente illustratus, ne innata ingeniis nostris caligine obcæcatus, in scopulos impingat errorum. Initio itaque fulgidissimam Euangelicæ doctrinæ lucernam sibi aliísque studiosis omnibus proponit, vt ad eius coruscātis illustres radios tenebrosas quęstionum latebras inoffensus excutiat: Sicut multis, inquit, apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebāt, posteaquàm credidimus Filium Dei esse Christū, vt ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cùm multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant: seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesiis permanens: Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione. Hunc quidem in modū Origenes Euangelicam veritatem ex sola Ecclesiastica Tra-

† Origenes περὶ ἀρχῶν.

Origenes Adamantius doctrinā non scriptam habet pro verbo Dei Euangelico.

Traditio Ecclesiastica Origeni est veritas Euangelica.

ditione, quasi vnica Euangelij norma metiendam censuit, ex qua ipsa de indubia Canonicorum S. Scripturæ adeò librorum authoritate iudicandum existimauit.

Libros Canonicos habet Orige. quòd Tradit. Ecclesiastica tales esse doceat.

Quum enim eius seculo varia Euangeliorum exemplaria, alia Petri, alia Andreæ, alia Matthiæ nomine circumferrentur inscripta, vide mihi quæso, quó nam sibi telo Origenes ille & ad genuinam Euangelij doctrinam defendendam, & adulterinam confodiendam vtendum duxerit. Siquidem primo in Matthæum Commentario, Ecclesiasticum obseruans Canonem, ait Eusebius, de Euangeliorum numero ita scribit: ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίρρητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ. Quod est: Quemadmodũ, inquit, per traditionem edoctus, accepi quatuor esse Euangelia, quæ sola extra omnẽ controuersiã posita sunt apud vniuersam Dei Ecclesiam: quæ toto orbe latè diffusa patet. Eandẽ Traditionẽ Ecclesiasticã ducem veluti certissimã secutus, nihil de Pauli epistola ad Hebræos scripta dubitans in homeliis, in eãdẽ pronũciat: εἴ τις οὖν ἐκκλησία ἔχει ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ὡς Παύλου, αὕτη εὐδοκιμείτω καὶ περὶ τούτῳ. οὐ γὰρ εἰκῆ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες Παύλου αὐτὴν παραδιδώκασιν. Quod est: Si qua igitur, inquit, Ecclesia hanc Epistolam tãquàm D. Pauli habet, ea hoc etiã nomine sibi perplaceat, atq; gratuletur. Nõ enim temerè prisci illi Maiores eã D. Pauli esse tradidêre. Quæ Origenis testimonia admirãdam Traditionibus nostris Ecclesiasticis authoritatẽ adferre nulli nõ est perspicuũ.

Eusebius historia Ecclesiastica.

Cęterùm ne quis existimet diuinam Traditionẽ in confirmandis duntaxat Scripturis valere, non item in hæreticorum erroribus depellẽdis aut reuincendis, vnum ad hæc Orig. adducemus locũ, quò semel omnibus reddamus persuasissimum, Traditionem Ecclesiasticã vnicam esse Christianæ Fidei conseruandæ aduersus hæreticorũ incantamenta salutare moly, & aduersus omnes erroris cuiusuis noxas saluberrimam panaceam. Illum igitur locum D. Pauli ad Titum Cretensem Archiepisc. Hæreticum hominem post trinam correptionem deuita, sciens

Traditio Ecclesiast. verissimum est moly, atque panacea.

quia peruersus est, & à seipso condemnatus, interpretaturus, ex variis hæreticorum speciebus hæreticum definire non ambigit: Qui sese Christo professus credere aliter de Fidei Christi dogmatibus sentit, quàm pietatis regula atque Ecclesiasticæ obseruationis puritas exposcit. Quam accuratam Hæretici descriptionem certissimis aliquot veterum illarum hæreseō exemplis illustrat Marcionis, Valentini, Ebionis, aliorúmque illius farinę. Vbi & eos censet habendos hæreticos, qui animas omnes humanas non vnius eiusdémque dicunt esse substātiæ. Similiter & illos, qui præmia bonæ conuersationis, & vitæ in regno Domini iustó eius iudicio animas recepturas negant. Rursus, qui non credit, quòd neque hominum quis, neque Diabolorum à Deo in perditionem traditus est, sed vnusquisque pereuntium, sua negligentia pereat & culpa, qui habens arbitrij libertatem, eligere quod bonum est, & potuit, & debuit: Tentari quidem omnes homines ad malum Diabolicis agonibus, præcipuè tamen eos, qui in Christum credunt: sed vt persuadere atque decipere incautos & negligentes possunt ita & peccandi necessitates per agones illis imponere non possunt. Sed nunc alios tempore consequutos vt persequamur, monet præsentis instituti ratio.

Hæreticus Orgeni, qui traditionibus Ecclesiæ aduersatur. *Merita vitæ æternæ.* *Liberum arbitrium.*

Post hæc sub Stephano Romano Episcopo ingens illa contentio de recipiendis hæreticis, an essent baptizādi, exarsit, quæ totam planè Africam miro incendio inflammauit: quam licèt D. Cyprianus in affirmationem trahere conaretur, totius Africæ Episcoporum omnium suffragio communitus, non tamen eius concilio Stephānus Romanus assentiendum iudicabat: quin eius sententiam potiùs rebus ipsis mutādam commonstrauit. Qua igitur re D. Stephanus hac in causa euaserit victor, operæpretium fuerit paucis commemorare. Quæstio illa non tam sui difficultate erat obscura, quàm argumentis Aphrorū perplexa. Neutra enim illius quæstionis pars, aperto Scripturarum testimonio comprobari liquidùm potuit. Rationum igitur quas illi adducebāt momenta, quum nihil Stephanum remorarentur, traditam Maiorum regulam (ait Euseb. lib. 7. cap. 2.) sequutus, non esse rebapti-

Stephanus Rom. Pont. *Doctrina nō scripta grauissimā Cypriani quæstionem dissoluit.* *Stephanus Ro. quid-*

rebaptizandos statuit. Cuius decretum vel sola Maio- » nā sequu-
rum Traditione nixum, quantùm coluerint posteà Epi- » tus contra
scopi Africani, Diuus Hieronymus lib. contra Lucife- » Cypriani
ria. commemorat: Illi, inquit, Episcopi, qui rebaptizan- » & Afri-
dos hæreticos cum Cypriano constituerant, ad anti- » canorum
quam consuetudinem reuoluti, nouum emisêre decre- » Synodum.
tum: Quid facimus? ita & nobis Maiores nostri, & illis »
sui tradidêre Maiores. »

Huius æqualis Diuus Cyprianus Carthaginensis E- *D Cyprianus doctrinā traditam sequitur fidei regulā in Sacramentorum numero.*
piscopus magnificè adeò de Traditionibus in vniuersum omnibus, doctrinísque Ecclesiasticis sensit, vt non possit vllo pacto magnificentiùs. Ita enim in Concione de ablutione pedum: » Sicut lex, inquit, per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, ita vnum figeretur Fidei Christianæ remedium, ad quod curreret, quoties se cognosceret offendisse: quod quidem Petro nondum fuerat reuelatum. Quippe qui Traditionis disciplinam nondum audierat. Docetur ergo Petrus, quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, & pia humilitas, & quo modo omni tempore prosequenda & repetenda ablutio pedum. Nam Baptismum repeti, Ecclesiasticæ prohibent regulæ. Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat: nemo sacro oleo lita, iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministeriis derogat Sacerdotum. Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & author, in cæteris homines Spiritum sanctum habuêre Doctorem. Et sicut par est Spiritui sancto & Christo diuinitas, ita suis institutis æqua est authoritas, & potestas: nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Quæ aurea prorsus Diui Cypriani verba quum apud Euangelicos istos ille præ cæteris ferè omnibus Orthodoxis Scriptoribus fidem mereatur locupletissimam, accuratiori studio duceremus trutinanda, quòd maximum in rem præsentem adferant operæpretium, nisi instituti ratio aliò festinans inhiberet luculenter enim perspecta multorum dogma-

tum, cùm Catholicorum solidissima continent firmamenta, tum Lutheranorum vanissima demonstrant nugamenta: quod suo inferiùs loco aptiùs pertractabitur.

†*Encom. Cyprian.*


In præsentiarum porrò nobis ex Cypriano illo orbis vniuersi, ait Nazianzenus, magistro commonstrasse sufficiat, tantam esse Traditionum non Scriptarum vim, authoritatem, & maiestatem, vt non minùs ratum sit, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderint (de Sacramentis, Baptismate, Confirmatione, & S. Ordine, vt infrà docebitur) quàm quod ipse Dominus Christus Iesus tradidit, putà Eucharistiam, & in sui commemorationem fieri præcepit.

Ad hæc epistola illa ad Pompeium contra Stephani Romani literas data, qua Nouitium Africanæ Ecclesiæ errorem conabatur propugnare, hunc in modum de saluberrima non scriptæ Traditionis authoritate disserit: In compendio est, inquit, apud religiosas men-
" tes & simplices, & errorem deponere, & inuenire, at-
" que eruere veritatem. Nam si ad diuinæ Traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & Sacramentorum cælestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum lateat, luce veritatis aperitur. Si canalis aquæ, qui copiosè priùs & largiter profluebat, subitò deficiat, nónne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur? vtrúm ne crescentibus venis, in capite siccauerit? an verò integra inde & plena procurrens, in
" medio itinere destiterit? At si vitio interrupti aut bi-
" buli canalis effectum est, quò minus aqua perseue-
" ranter continua ac iugiter flueret, refecto & confir-
" mato canali, ad vsum atque potum ciuitatis aqua col-
" lecta eadem vbertate atque integritate repræsentatur,
" qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet
" Dei Sacerdotes, præcepta diuina seruantes, vt in ali-
" quo si nutauerit, & vacillauerit veritas, ad originem
" Dominicam & Euangelicam & Apostolicam Traditio-
" nem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde
" & ordo & origo surrexit.

Ratio certissima simul et facillima cōponendorum omniū istius tempestatis dißidiorum.

Caput VI.

Lib. I. cap. I. Homousion & consubstantiale magis ex Traditione fuisse Symbolo additũ, quàm Scriptura aperta.



Ed nunc tempus admonet, vt quod libri primi exordio promisimus, oratione quàm poterit fieri luculenta, iuxtà ac breui præstemus. Admonebamus tertia illius Aduersariorum axiomatis refutatione, quædam Fidei dogmata, inter cætera verò & illud homousion atque consubstantiale Nicænum ipsos Aduersarios suis tanquàm ex scripto Dei verbo definitum, ac Symbolo Apostolico additum obtrudere, ne quid alicubi ab illo Paradoxo videantur variare. Credimus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ait Confessio Vuirtembergensis, ab æterno à Patre suo consubstantialem, &c. sicut testimoniis sacræ Scripturæ exposuerunt sancti Patres in Concilio Nicæno, &c.

Sanctos illos Nicęnæ Synodi Patres ad subuertẽdam Arrhij hæresim Scripturarum testimoniis fuisse vsos, nemo est, qui inficietur. Verùm qui huius Concilij acta, aut Patrum, qui interfuerunt scripta legerit, agnoscet illud homousion magis ex Traditione veterum Scriptorum, & doctrina certò Ecclesiastica Patres Nicænos decreuisse atque constituisse, quàm scripto Dei verbo. Si quis enim illas Arrhianorum hominum sanè peracutorum accuratè perpenderit strophas atque vafra admodum diuerticula, tergiuersationésque perlubricas, quibus vniuersa & omnia Scripturarum loca istò à Catholicis allata eludere, frustrari, atque calumniari adeò aggrediebantur, perspicuum agnoscet funestissimum illud incendium, quo totus passim flagrabat orbis, non tam Scripturarum testimoniis, quàm vna veterum Patrum, vt ignis aqua, sic Traditione fuisse extinctum.

Arrhij tempestas Traditionis Ecclesiastica vim illustrauit.

Quod quò perspiciatur euidentiùs, paucis admodùm huius rei perstringemus historiam, & in quàm horrendam quidem illam eruperit Tragœdiam, exponemus: Sed quæ Traditionis Ecclesiasticæ vim mirificè reddiderit commendatam.

Arrhius Preſbyter Alexandrinus occultum ex Epiſcopatus optati fruſtratione natum dolorem concoquere non valens, varias quęritabat vias, quibus iſtam, quam ſuperbus putabat, vindicaret iniuriam. Eccleſiam itaque Chriſtianam Conſtantini Magni pace tranquillam, atque à perſequutionibus Tyrannorum vindicatam, nouis quaſi perſecutionibus, ſic quæſtionum turbis ac tumultibus exagitare, atque diuexare tentat: An Chriſtus Dei Filius Patri ſuo eiuſdem ſit ſubſtantiæ? An de Patre quidem, ſed ex non extantibus, atque nihilo ſit genitus? An erat, quando non erat, &c.

Homouſion, quaſi nō ſcriptum rident Arrhiani, deteſtantur, atque in Cōciliabulo dānant.

Quibus quæſtionibus multò quidem obſcuriſſimis atque Scripturarum fragmentis mirè communitis, tota Chriſtiana Eccleſia numeroſiſſimè apud Nicæā congregata, reſpōdit, Chriſtum hominem Dei filium Deo Patri ſuo eſſe ὁμοούσιον atque cōſubſtantialem. Quod Eccleſiæ Catholicæ dogma licèt Arrhiani, qui totum Orientem, bonam item Occidentis partem ſuo toxico infecerant: imò totum penè orbem ſui veneni contagione contaminarant, velut adulterinum, & ſine ſcripto Dei verbo definitum conabantur euertere, irritus tamen eorum labor maxima cum Traditionis Eccleſiaſticæ vtilitate, atque roborata magis authoritate prorſus euanuit. Siquidem illam Nicæni Concilij definitionem Sabinus Heraclææ Macedoniorum Epiſcopus, velut idiotarum & ſimplicium hominum deliramentum ſubſannabat: Euſebius Nicomediæ, Theognis Nicææ Thraciæ, Maris Chalcedonenſis, Theonas Marazicenus, Secundus Ptolomaïdis, velut naturæ rerum incongruam deteſtabātur: Alij rurſus Epiſcopi Orientales nec numero pauci, nec nomine obſcuri, Philippolim ſecedentes illud ὁμοούσιον, conſubſtātiale Nicænum anathemate damnarant, quod ipſum & Arimini & Seleuciæ moliebantur.

Sed paucos iſtos Nicæni dogmatis irriſores, ſubſannatores, adeóque damnatores nihil in euertenda Catholicæ Fidei doctrina, Traditione magis quàm ſcripto Dei verbo corroborata, profeciſſe nequaquàm mirabitur, qui totam illam aduerſus Chriſti Eccleſiam, ex

dogmatis illius occasione excitatam Tragœdiam animo percogitarit. Nam ea vna vt certissimum Christi præsidium Ecclesiæ Catholicæ & tum suppeditatum & laboranti tempestiuè ostendit allatum: ita semper præsens atque paratum, simúlque inexpugnabilem prorsus, inuictámque Traditionis Ecclesiasticæ authoritatem reddiderit contestatissimam. Diuinam igitur illam Nicæni Concilij definitionem Ecclesiasticæ potissimùm traditionis fulcro innixam, quam impotenti rabie Constantius Constantini Magni deneger filius sit persecutus, testantur Conciliabula, nunc per Orientem, nunc per Occidentem summa Diaboli astutia, miro impiorum hominum studio, validissima quoque Principum huius seculi contentione coacta: quæ interdum trecentis, & ampliùs Episcoporum subscriptionibus sancita fuêre: Syrmij primùm, pòst Mediolani, Seleuciæ, Antiochiæ, vbi Nicænum *homousion* in homoësion, adiecta ï literula peruertere conabantur. Cæterùm ne quis fraudibus Arrhianis ascititius veritatis fucus deesse videretur, Nicææ quoque, sed Thraciæ conuenerunt: quod commentum vaferrimum, quum nondum impio illorũ molimini pro votis faceret satis, ad illud Nicænum *homousion* expugnandum, atque euertendum, etiam Nicçæ Bythiniç (cuius Catholico symbolo pertinaci adeò contentione refragabantur) Concilium cogere satagebant, vt vel sic Nicæno homousio Catholico, Nicænum quoque homœusion Arrhianum opponerent, nominísque affinitate credulum incautè popellum in errorem suum pertraherent faciliùs, atque detinerent. Verùm Deus Opt. Max. terræ motu diuinæ suæ prouidentiæ administro, & subdolum illorum consilium, & animo agitatum Nicænum Concilium vrbis euersione euertit, nè fortassis piorum animi simplices cognata Nicæni Decreti similitudine, & plausibili veritatis specie in hæreseos nassam miserrimam inducerentur.

Tragœdia Arrhianorum contra non scriptum homousion, quid nam hodie habeat vsus.

Constantius Conciliabula contra homousion coacta supra 10.

Arrhiani o in oï deprauant, ex homousio homoëusion fabricati.

Nicæa Bythiniæ cur fortaßis euersa.

Non passus est proinde Deus Optim. dogma illud Nicænæ Synodi Traditionis potissimùm fulcro suffultum, vllo Episcoporum impio conatu ab Ecclesiarum penetralibus abripi, quinimò & aduersus Gothorum

Noui hostes homousii. Gothi.

Vvandali. *Constantius* *Iulianus occulto odio apertisque blanditiis homousion abolere conatus.*

& Vvandalorum insanos furores, & Imperatorum rabidas persequutiones stupenda propugnatione tutabatur inuictum. Nam neque vaferrima Constantij astutia, neque Apostatico Iuliani odio plusquàm Vatiniano, blandáue ad defectionem præmiorum inuitatione, neque decem illis & ampliùs Episcoporum Arrhian. Conciliabulis, neque Valentis & Iustinæ August. conatibus impiis, neque denique Gothorum & Vvandalorum eadem Arrhianæ Phreneseos rabie insanientium molimine labefactari vllo modo potuit: tantùm abest, vt omnium illorum infestissimorum hostium rabidi conatus Catholicum illud dogma inuictis perpetuæ Traditionis Apostolicæ viribus corroboratum valuerint euertere, conculcare, profligare. Ad illum profectò modum consentaneum erat cælestem Nicæni Concilij doctrinam omnibus planè in vniuersum, quibus posset modis, in omnem quaquauersum partem exagitari, quò diuina Ecclesiasticæ Traditionis vis omnibus omninò hominibus in posterum foret certissima, atque semel probata, exploratáque. In illo siquidem clarissimo diuinæ prouidentiæ speculo quíd nam obsecrò mens hominis sobria, atque æqua rerum æstimatrix meritò desideret, quod ad confirmandam Dei Max. prouidentiam in administranda, propaganda, propugnanda Christi Ecclesia vllo modo faceret? An ne omnes inferorum portæ vniuersas suas semel vires in illa Nicæni decreti Tragœdia intenderint, explicarint, & in Catholicam Christi Ecclesiam intentarint? an quid insidiarum, molitionum insanarum, insultuum infestissimorum defuisse credas, vbi & Imperatores ipsi potentissimi summis quisque adnixi viribus, velis equísque, vt dicitur, istud delere conabantur? vbi tot Episcopi toties illa de causa congregati tam hostiliter refragabantur? Vbi armatæ Vvandalorum legiones, & rabidæ Gothorum copiæ; de medio tollere atque extinguere tot annis ferociter adeò moliebantur? Sed ista hominum aduersus Catholicam Christianę Fidei veritatem studia vt sese declararunt planè humana, hoc est, vanissima, incertissima atque ignauissima, ita

Conciliabula decem. *Valens Au.* *Iustina A.* *Tragœdia Nicæni homousii non scripti clarissimum est diuinæ prouidentiæ speculum.* *Vide Victorem Africanum.* *Arrhianorũ studia cõtra homousiõ*

diuinam Christi erga suos prouidētiam omnibus semel numeris docuerunt absolutissimam. Quid namque requiras ad persuasionem aliquam ex hominū animis semel delendam idoneum, quod non hîc luculentissimè nominatim agnoscas? Ad illud vsque sæculum Catholica Christi Fides aut cum Imperatoribus sanguinariis cruentata victrix colluctabatur: aut cum ingeniosis hominibus Philosophia & mundi huius sapientia instructissimis ipsa Dilemmatum cornutorum, aut Soritum acutorum nescia inuicta disputabat: At iam Imperatores non Ethnici, & Euāgelicæ ampliùs potentię ignari, bellum Christianæ indicunt Ecclesiæ, à quibus hoc illi plus erat præsentioris atque formidabilioris adeò periculi creatum (si aut pessundari, aut euerti posset) quàm dudū ab Ethnicis, quòd conceptū semel in Catholicos odium eò deponunt ægriùs, quò non temeritate, sed consilio: non animi perturbatione, sed iusta ratione persequi videri volunt, quod cacohæreseos œstro perciti, perdere moliuntur. Illi verò falsis vani popelli rumoribus in Christianismi odium, pertinax quidem illud, at minùs tamen obfirmato animo coniuratum pertracti, redditis Apologiis mansuescebant faciliùs, vt Traianus, vt Antoninus Pius, vt Antoninus Verus. His insuper accedebant homines, cum omnibus quidem liberalium disciplinarum artibus eruditissimi, ac iidem summis Ecclesiæ honoribus ornatissimi, ne quid eorum authoritati dissidium, atque ab aliis dissensio decerperet: tum Euāgelicæ quoque doctrinæ haud incelebres professores, ne quid eorum existimationem pertinax refragatio læderet. Iam stricti armatorum insanientium præ Arrhij rabie gladij præsentissimam omnibus Arrhianismum detrectantibus internetionem comminabantur. Quid infestæ semper inferorum portæ, odióque plùs quàm Vatiniano, quod dicitur, Euangelicam doctrinam perosi Cacodæmones his ampliùs maiori contentione attentare valuissent ad extirpandam, delendam, abradendam religionem Christianam? Si huius mundi Principes quæras hæreticorum defensores, en tibi Constantius, Iulianus, Valens, & Iustina Augusta,

quam impotentia atque indefessa fuerint, depinguntur.

Imperatores Ethnici minus Ecclesiā læsère, quam Christiani hæretici.

Nihil defuisse Arrhianis præsidij ad delendū homousion non scriptum nisi Christus propugnasset.

impietatis omnis & malignitatis muliebris exemplar. Si Episcopos velis, qui Catholicis illis dudum Nicææ collectis suam & authoritatem & numerum opponant, habes 318. Nicænis, etiam 300. aduersarios. Quid quòd D. Hieronymus in Chronicis ex Eusebio memoriæ proditum reliquit, omnes penè toto orbe Ecclesias Arrhianorum consortio fuisse pollutas? Imò vni illi Nicænæ Synodo decem & amplius, Ariminense, Syrmium, Mediolanense, Isauricum, Nicomediense, Tyrium, Nicænum Thraciæ, diuersa Constantinopolitana, plurima (vt ait Athanasius) Antiochena, obiecta videas Cōcilia.

Si denique militares copias desideres, quæ falsum dogma, & ab Episcopis, tot, tantísque, & toties definitum, & ab Imperaroribus mira gratia, & popularium gratissimo applausu susceptum defendant, quid numerosissimis illis Barbarorum copiis siue ad rabidam violentiam, siue ad omne ferocitatis genus meritò adiiciēdum credas, quum illi nihil neque consilij ad dehortandum, neque atrocitatis ad deterrendum omisisse comperiantur.

Epitasis Arrhianæ Tragœdie.
Vide chroni. Euseb.

Porrò vt ad hæc atrocem Tragœdiæ istius Arrhianæ Epitasin agnoscas, tanta tunc temporis calamitate Catholicam Christi Ecclesiam afflixerat Arrianismus, vt in tribus tantùm Episcopis Catholicæ Fidei assertio (vt D. Hieronymus testatur) consistere videretur, Athanasio, inquam, Hilario, & Liberio Romano Episcopo. Cæterùm vt nihil ad desperationem piis Catholici homousij defensoribus deesset, etiam tādem Liberius singulare Catholicæ religionis columen grauissimis fractus ærumnis, in sententiam impij Constantij cessisse, adeóque subscripsisse fuit iudicatus. Verùm vt Ecclesiā suam dilectissimam Christus perpetuus defensor nunquàm aut afflictam deserere, aut laborātem sua ope destituere potest: ita in Niceno illo homousio nullis Scripturarū testimoniis disertè attestato, sed per Traditionis potissimùm Ecclesiasticæ efficaciam validissimè defendendo indubitatū suæ illius promissionis exemplū, quòd perpetuus àd finē vsque mundi Ecclesiæ suæ aderit auxiliator, edere dignatus est. Quod ipsum pluribus

D. Hiero, in Chron.
Freculp. Chron. lib 4 cap. 8.
Matth. 28.

verbis expositum atque disertum sub omnium oculos subiiciendum videbatur, quòd in singulari ista Arrhianorum Tragœdia mirificè eluceant cùm irritæ Dæmonum, Philosophorum, Imperatorum, contra Catholicã Christi Ecclesiam vafricies, astutiæ, persecutiones: tum Dei Opt. Max. accurata erga Christianã Ecclesiam solicitudo, & propugnatio. Quum enim super solidam Christi capitis ac fundamenti rupem immobilis existat fundata, hinc nec nimbosæ subscriptionum Episcopalium pluuiæ, nec sæui Imperialium persequutionũ venti, nec denique torrentia popularium ac militariũ adeò diuexationum flumina conquassare nequidquam valuerunt: tantùm abest, vt vel labefactarint, prostrauerint, euerterint. *Matth.7.*

Cæterùm isthæc diuinæ prouidentiæ contemplatio in alium fortassis locum reiicienda rectiùs cuiquam videatur, quod neq; nos inficiari pertinaces volumus: sed alio longè consilio huc nobis paulò fusiùs est translata, quod paucis expositum nequaquàm ingratum, nec abs re, quæ in præsens agitur, fore speramus. *Quo consilio exposita fusius epitasis Arrhianæ Tragœdiæ.*

Superiùs in eruẽda verba Dei definitione obiter admonebamus, Euangelicos istos Catholicæ Dei Ecclesiæ Aduersarios, etsi dogma nullum nisi aperto Dei verbo confirmatum velint suscipere, quædam tamen de Trinitate atq; Dei Maximi natura suis Ecclesiolis sub verbi Dei prætextu callidè obtrudere dogmata, quæ aperto nullo Scripturarum testimonio sunt comprobata: qualia sunt, Filiũ esse Patri Deo consubstantialem, Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere. Quod dum veterum illarum hæreseon execrabili impietate deterriti, & rei ipsius veritate coacti faciunt, vident sese Catholicis sua latera imprudenter detexisse nuda, quæ illorum sagittis apertissima pateant. Si namque vel vnum fidei dogma sine Scripturarum testimonio credendum doceas, quo ore obsecro vniuersum Dei verbum Scripturis sacris est comprehẽsum affirmare pergas? In istas itaque miseri redacti angustias, tuta sibi, quæ opinantur, effugia quæritantes, Scripturam docere fortiter affirmant, tres esse per se subsistentes personas, sed Con-

cilium Nicænum atque Athanaſianum iſtud explicaſſe. Sic enim ad verbum habet Vvirtembergenſis Cõfeſſio, Tridentino Concilio, vti iactitant oblata, capite primo de Deo: Credimus (inquiunt) tres eſſe per ſe ſubſiſtentes proprietates, ſiue perſonas, ſicut docet Prophetica & Apoſtolica Scriptura, & explicant tria ſymbola, Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum. Et in capite ſecundo de Filio: Credimus, inquiunt, & confitemur Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Patri ſuo conſubſtantialem, & in plenitudine temporis hominem factũ, vt Ieſus Chriſtus verus Deus & verus homo ſit vna perſona tantũ, nõ duę: & in vna perſona ſint duę naturę, nõ vna tantũ. Sicut teſtimoniis ſacræ Scripturę expoſuerũt ſancti Patres in Concilio Nicæno, Epheſino primo & Chalcedonenſi. Sic capite tertio de Spiritu ſancto, quem confitentur ab æterno procedere à Deo Patre & Filio, & eiuſdem eſſe cum Patre & Filio eſſentię, maieſtatis & gloriæ, verum ac æternum Deum. Sicut authoritate ſacræ Scripturæ rectè explicuerunt ſancti Patres in Concilio Conſtantinopolitano aduerſum Macedonium.

Iſthæc quidem aſſeueratis fortiter, ſed liquidis oportebat teſtimoniis confirmata. Vbi enim aut tres per ſe ſubſiſtentes proprietates ſiue perſonæ? aut Filius Deo Patri diſertis verbis & expreſſe cõſubſtantialis legitur? aut Spiritus ſanctus à Filio procedere? Certè ſi tam iſta doceret apertè Scriptura Apoſtolica & Prophetica, quã vos iſthęc affirmatis diſertè, haud quaquàm ſanè ingenti adeò Catholicorum Patrum negotioſiſſimo ſtudio & impius Sabellianiſmus, & ſacrilegus Arrhianiſmus fuiſſet olim deletus. Sed quò veſtram fidem prudẽti Lectori grauiter iſthac aſſeueratione obſtrictam liberaretis facilè, nouum callidè figmentum impudenti vanóque illi commento aſſuitis: & explicant (inquientes) tria Symbola: cui alterum additis, ſicut teſtimoniis Scripturæ expoſuerunt Patres in Concilio Nicæno, &c.

Homouſion in cõcilio Nicæno fuiſſe magis Tra-

Quod an ita, an ſecùs habeat, ex Concilij Nicæni actis repetendum eſt altiùs, quod eò lubentiùs hîc fecero, quòd iſta dogmata Chriſtianæ Fidei, ſi quæ alia, in primis firmamenta vt Scripturarum teſtimoniis fuê-

re declarata, ita Apoſtolicæ cum primis Fidei Traditionibus fuiſſe confirmata atque comprobata efficiemus palàm.

ditione defenſum, quã Scriptura ſacra ex Actis Nicæni Concilij.

Patres igitur Nicæni ad refutandos Arrhianos, aliquot quidem Scripturarum loca adferebant, quibus vetus dogma à Patribus vſque traditũ conſtabilirent: Verùm illis ipſis Scripturarũ teſtimoniis haud ita ſeſe fretos, atque firmiter confiſos profitentur, vt eis ſeſe Arrhianiſmum euertiſſe agnoſcant.

Illa ſiquidem Scripturarum loca à Patribus magno numero allata, vt maximam naturarũ inter ipſos ſimilitudinẽ apertè conuincunt, ita an totius etiam ſubſtãtiæ conſubſtantialitatem (quod eſt apud Ruſticum Diaconum) euidenter demonſtrent, non eſt hîc in dubium reuocandum. Illud tantùm in præſentiarũ, an illis Scripturarum locis veteres illi SS. Patres fuerint ita confiſi, vt illis teſtimoniis ſeſe Arrhianos expugnaſſe ſint arbitrati? quod ex ipſorum verbis eſt petendum. Sic autem eſt in Actis Concilij Nicæni, quæ ex D. Antonij apud Venetos Bibliotheca nuper ſecum adferens deſcripta doctiſſimus Ioannes Boxollus Anglus, Reginæ Secretarius, conuertit: Sacroſancta, frequens, & vniuerſalis SS.PP. in vrbe Nicæna Synodus per Hoſium beatum » & ſanctum virum vrbis Cordubæ, ex Hiſpaniarum » Prouincia Epiſcopum, qui Romani Pontificis locum » obtinebat, & Preſbyteros ex ea Sede, ſuperiùs à me no» minatos ſecum habuit, cùm eius verba alius interpreta» retur, hanc ſententiam dixit: Diuinitas non vnius tan» tùm perſonæ eſt, ita vt Iudæi opinantur, ſed trium. Nec » id ſolùm verbotenùs, vt perſonæ dicantur, ſed vnaqua» que veram ſui hypoſtaſim, id eſt, eſſentiam habet. De» clarant hoc permulta teſtimonia, quæ nobis tam vete» ris quàm noui Teſtamẽti authoritas ſuppeditat. Et poſt » quædam: Nulla perſonarum inexplicabilis ac beatiſſi» mæ illius Trinitatis nec permiſtio, nec partitio à no» bis prædicanda. Nam ex Patre, qui ab æterno veri Filij » verus Pater ſemper eſt, & ſuam habet perſonam: & Fi» lius, qui veri Patris verus Filius ſemper eſt, habet ſuam » perſonam: & Spiritus ſanctus, qui verè Spiritus ſanctus »

Acta Concilij Nicæni ex Bibliotheca Veneta D. Antonij.

ſemper eſt, ſuã habet perſonã, Trinitatem conflari credimus, quæ nec in partes diſtribui, nec omninò cogitatione comprehendi, nec verbis explicari poteſt: eius vnam diuinitatem, vnam & eandem ſubſtantiam profitemur. Hanc fidem à Domino iam inde ab initio per ſacroſanctos eius Apoſtolos edocti ſumus, hanc à Maioribus noſtris ſanctiſſimis, qui fidẽ ab his acceptam religioſè conſeruarunt, doctrinam veram & indubitatam per manus traditam accepimus Hæc ita ſe habere; vt dicimus, infinitis Scripturarũ teſtimoniis Spiritu ſancto fauente parati ſumus oſtendere. Quæ in Concilij Niceni præfatione illa verba, quibus ſeſe illud conſubſtantiale ab Apoſtolis (vt aiunt) per manus traditũ paratos profitentur declarare atque oſtendere, ſunt accuratè animaduertenda: quæ ſedulò perpenſa facilè commonſtrent, Nicenos Patres Scripturarum teſtimonia adhibuiſſe ad Fidei Catholicæ magis explicationem & declarationem quàm ad homouſij tuitionem atque confirmationem euidentem. Quod ipſum & ex illa oratione demonſtrari poteſt, quam SS. Patres Niceni per Macarium Hieroſolymitanum Epiſcopum habuerunt ad Philoſphum illũ, cui ex conductitiis illis Arrianorum defenſoribus Phedo erat nomen & populum poſt eius expugnationem confluentem, quę ſic habet: Pluribus iam à nobis demõſtratum eſt, vnigenitum Dei Filium, Deus cùm eſſet,

Phedo conductitius Philoſop. ab Arrhia. Catholicos oppugnat.

" propter ſuum in homines amorem, ipſum hominem eſ-
" ſe factum: Carnem ex Maria virgine indutum, & naſcen
" di ratione penitùs recondita natum. Et pòſt: Trigeſimũ
" annum cùm attigiſſet, vt omnem ætatem ſanctam red-
" deret, tum demùm ad Baptiſmum accedit, quo tempore
" Ioannes patre Zacharia natus, apud populum de Baptiſ-
" mo concionabatur, quod ad pœnitentiam inuitabat, nõ
" quo peccata condonabat, aut adoptionis munus confe-
" rebat. Nam hæc donare Ioannis non erat, ne Angeli
" quidem, ſed eius qui carnem aſſumpſit, qui homo factus
" [illegible] Dei ſermonis. Baptizari ſe ille paſſus eſt, & qui Deus
[illegible]t peccare non poſſet. Baptiſmum vt homo corpo-
[illegible]pit, non quòd ipſi Baptiſmo opus eſſet, ſed vt no-
[illegible] glorioſum redderet: vt certò credamus, quomodo

in eũ Spiritus sanctus se dimisit, ita in nos, qui in eius no- "
mẽ tingimur eũ dimitti. Et post alia ita cõcludunt: Hæc "
Fides est Ecclesiæ ab Apostolis tradita, & in qua nihil "
reprendi potest. Hanc iam inde ab ipso Domino per "
Apostolos acceptam à Maioribus ad posteros transmis- "
sam, & quasi per manus traditam obseruat Ecclesia, eam "
hactenùs tenet, eam in omne tempus tenebit, quod ita "
est à Domino Discipulis dictum: Euntes, docete omnes "
gentes, & cætera.

Similiter paulò ante Arrhij condemnationem, atque "
ab Ecclesia remotionem, ita legitur: Itaque post illam "
disputationem diu multúmque pertractatam, ac tandem "
absolutam, nostris ad vnum omnibus placuit, vt quem- "
admodum à sanctis Patribus Apostolorum successori- "
bus traditum erat, ita & ipsi homousion, id est, substan- "
tiæ æquabilitatem decernerent, atque in Fidem Eccle- "
siasticam inferendam curarent, id est, vt eandem quę Pa- "
tris est, Filij, ac Spiritus sancti essentiam profiterentur. "
Hãc Fidei professionem & formam tam sacrosancti Epi- "
scopi Nicena in vrbe congregati, quàm qui aliquem in "
sacerdotio gradum obtinebant, & Confessores sancti "
viri omnes confirmabant.

Quòd si quis morosior istis Niceni Concilij actis minùs, quàm par est, habeat Fidei, quòd adhuc orbi incognita dubitatam non videatur mereri authoritatem, is sanè mihi imperitus rerum æstimator haud immeritò videatur, quasi verò recondita hactenùs veritas, minùs inueniat apud æquos bonos rerum arbitros ponderis, quàm aurum recens effossum habeat valoris, atque annosum & obtritum? Verùm allatum nunc ex Niceni Concilij actis testimonium pro stabilienda Ecclesiasticę Traditionis authoritate re ipsa genuinum esse, miniméque suppositium, abundè testantur Patres in Concilio Sardicensi, quorum plerique omnes Magno illi Nicæno interfuerant. Itaq; falsis Arrhianorũ aspersi iocis, amarulentísque lacessiti cõuitiis Patres, quòd Arrhianorum hæresi voces dogmatis Christiani non scriptas opponerent, Sardicæ conuenientes, apertissimam definitionis suæ Nicenæ rationem afferunt. Hos, inquiunt, epistola

Acta hæc Cõcil. Nic. non esse supposititia docet Conc. Sardicense.

Conc. Sardicense homousion non scri-

ptum iteratò tuetur Traditione.

ad totius orbis Christiani Episcopos data, qui diuidunt Filium à paterna substantiæ, & diuinitate, & alienant ver-
" bum à Patre, diuidi ab Ecclesia Catholica conuenit, &
" esse alienos à nomine Christiano. Apostolicum namque
" præceptum est: Si quis vobis annunciauerit, pręter quod
" accepistis, anathema sit. Nos autem hanc percepimus, &
" eruditi sumus: hanc habemus Catholicam Apostolicámque Traditionem & Fidem, & confessionem, vnam esse
" substantiam Patris & Filij & Spiritus sancti. Istis igitur Nicæni & Sardicensis Concilij testimoniis, quid ad Traditionis Ecclesiasticæ non scriptæ vim atque authoritatem adferatur confirmandam robustiùs? quid ad statuendam validiùs? quid ad semel omnibus persuadendum efficaciùs? quanta igitur castigatione illorum temeraria, vt non dicam sacrilega, reprimenda esset audacia, qua Patres istos in Fidei dogmate aduersus Arrhianos cõfirmando Scripturarum testimoniis innixos fuisse affirmant, quum illi ipsi Fidem hanc Niceni Symboli forma expressam ex Traditione didicisse, atque per manus à Maioribus accepisse candidè agnoscant: quam tamen, ne cum Scripturis pugnare cuiquam videretur, annituntur ex locis aliquot declarare: sed ita tamen, vt nullo negotio agnoscas, Patres illos non tam Scripturarum illis locis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram, & ex Prouerbiis Salomonis, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, atque similibus (que variis ingeniosorum hominum strophis obnoxia, in varios multósque sensus patere poterant, nec ita rem præsentem demonstrant euidenter, vt nihil apud perscrutantes resideat scrupuli) quàm tradita illa à Maioribus & Apostolis doctrina, ceu muro planè ahæneo, innixos definiuisse Filium Patri consubstantialẽ. Nam cur hanc vnam homousion vocem, & vbique hactenùs obseruatam ab omnibus velint suscipiendam, & cur eam Symbolo Apostolico adiecerint: cur denique illam vocem homousion, licèt in scripturis non repertam, subterfugientes damnarint hæreticos, vnam istam reddunt rationem, Quòd ab Apostolis vsq; in sua tempora ita Ecclesia senserit, tenuerit, docuerit.

Prouer. 8.

Quanquàm autem Catholica Christi Fides de Filio Patri homousio disertis adeò verbis à Catholicis illis Patribus Nicææ primùm, deinde & Sardicæ quoq; fuerit contestata esse Apostolica, tantùm abest, vt horribile illud Arrhianense incendium fuerit extinctum, vt sit in maiorem etiam flammam exuscitatum. Nam singula hactenùs tantùm Episcoporum aliquot depascebatur capita: Verùm iam deinceps totas Orientis initiò occupat Ecclesias, primùm Antiochenam anno 330. tum Alexandrinam anno 342. vnde Athanasium Arrhiani exturbāt: tum Constantinopo. eiecto Paulo, anno 345. Post hæc anno 352. etiam Hierosolymitanam inuadunt Arrhiani. Deinde quasi Orientis victores, ad Occidentem expugnandum omnes ingenij neruos intendunt, vniuersásq; suæ fraudis artes, anno 353. conuertunt. Itaque eiecto in exilium Liberio, Felicem in Roman. sedem substituunt, qui post annum à Liberio exilij tædio (vt habet in Chronico Hieronymus) victo post subscriptionem pellitur: Mediolanensem Auxentius inuaserat, teste Athanasio, Epistola ad Episcopos Africæ: Arelatensem etiam Galliarũ Metropolim Saturninus Arrhianus tenebat: cuius fractione D. Hilarius vnicus totius Occidētalis Catholicismi, vt Athanasius Orientalis, defensor in Phrygiam vsque truditur. Atqui nec ista ratione illud nostræ Catholicę Fidei dogma de Filio Patri suo homousio delere potuerunt.

Noua homousii epitasis. Incendium Arrhianismi omnem propè depascitur Ecclesiã Antioche. Alexã. Cõst. Hierosolimitanam. Roma. Ecclesia quid passa ab Arrhianis.

Verùm istos duos Catholicæ suæ Fidei propugnatores ita Deus Maximus suo cùm eloquentiæ, tum constātiæ dono dedit & exornatos & communitos, vt Imperatores licèt Arrhianissimi, veritate tamen Catholica victi illos in suas sedes non potuerint non reuocare. Ille quidem post decennale, & eò ampliùs, exilium tranquillus domi agens, suam Diocœsim cœperat quidem repurgare, sed sanare minimè potuit. Hic verò noster vbi libro pro Fide sua Constantio porrecto ad suos Gallos reditum impetrasset, in tota Gallia Arrhianensis perfidiæ dolum (ait Hieronymus) damnauit, ac propè extinxit. Cæterùm quibus id effectũ sit armis, ex multis vnus D. Athanasij locus docet apertiùs, q̃ vt pluribus sit demō-

Athanasius & Hilarius Catholici homousii defensores exules reuocati etiã ab Arrhianis A. A.

ſtrandum: quem cùm ad rem, quæ in præſentiarum agitur, illuſtrandam mirificè faciat, operæpretium duximus huc recitare. Epiſtola itaque ad Africanos data, poſteaquàm commemoraſſet, Euſebianos factionis Arrhianæ fragmentum vniuerſa Scripturarum teſtimonia, quibus Filium cum Patre videbantur demonſtraſſe conſubſtantialem, fraudulenter admittere, atque in alium quemdam ſenſum atque illi volebant ſuſcipere, ita ſubnectit: ἀλλὰ καὶ ἐν ταύτα οἱ ἐπίσκοποι θεωρήσαντες ἐκείνων τὸ δόλιον, συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν τὸ ἀπαύγασμα, τήν τε πηγὴν, καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὸν χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν· καὶ τὸ, ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς· καὶ τὸ ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ λευκότερον λοιπὸν καὶ συντόμως ἔγραψαν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱόν. τὰ γὰρ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν. καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν ὅτι ἄγραφοί εἰσιν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν ματαίως ἐξ ἀγράφων ἀσεβήσαντες. ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ ἦν ποτὲ οὐκ ἦν. αἰτιῶνται ὅτι ἐξ ἀγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν αὐτοὶ μὲν ὡς ἐκ κοπρίας ὄντες ἐλάλησαν, ἀληθῶς ἀπὸ γῆς. οἱ δὲ ἐπίσκοποι οὐχ ἑαυτοῖς εὑρόντες τὰς λέξεις, ἀλλὰ ἐκ πατέρων ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν οὕτως ἔγραψαν. Ἐπίσκοποι γὰρ ἀρχαῖοι πρὸ ἐτῶν ἐγγύς που ἑκατὸν καὶ τριακόντα τῆς μεγάλης ῥώμης καὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως γράφοντες ᾐτιάσαντο τοὺς ποίημα λέγοντας τὸν υἱόν, καὶ μὴ ὁμοούσιον τῷ πατρί. καὶ τοῦτο ἐγίνωσκεν εὐσέβιος ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς καισαρείας, πρότερον μὲν συντρέχων τῇ ἀρρειανῇ αἱρέσει, ὕστερον δὲ ὑπογράψας ἐν αὐτῇ ἐν νικαίᾳ συνόδῳ ἔγραψε τοῖς ἰδίοις διαβεβαιούμενος ὅτι. Quæ ita D. Petrus Nannius Latina fecit: Sed hîc Epiſcopi intelligentes eorum fraudem collegerunt in vnum, has

has voces ex sacris literis, splendorem, fontem, fluuium, & formam cum substantia: & illud item, In lumine tuo videbimus lumen. Et illud quoque: Ego & Pater vnum sumus: & pro maiori elucidatione scripserunt Filium Patri esse consubstantialem. Nam superiora omnia hunc sensum afferunt. Atque ita illa obmurmuratio, quòd hæ voces in sacris literis non reperiantur, vana esse deprehenditur, quum ipsi ex verbis in Scriptura non receptis impietatem suam instruat. Scriptum siquidem nusquam est illud eorum: Ex non entibus. Et rursus illud eorum: Erat quando non erat. Sed ipsi interim mirè incusant, quòd per voces non in Scripturis solennes, sed tamen piè inuentas cõdemnati sint, quum ipsi tanquam ex stercoribus exorti verè de terra loquantur: Episcopi contrà, non has voces ipsi excogitarint, sed eas à Patribus contestatas acceperint, & Scripturis inseruerint. Siquidem prisci Episcopi ante annos propè centum & triginta, tũ qui Rom. vrbis, tum qui nostræ ciuitatis Præsules essent, accusauerunt eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent consubstantialem Patri. Neq; eius rei ignarus erat Eusebius Episco. Cæs. qui quum prius suffragaretur Arrhianæ sectæ, postea tamen Nicæ. Concil. decretis subscripsit, & apud suos idipsum propriis literis affirmauit. Cuius hæc sunt verba: Nouimus, &c.

Sed prius ad alios quàm transeamus, vnus nobis est D. Athanasij locus huc commemorandus, quò eximiam Ecclesiasticæ Traditionis non scriptæ authoritatem nobis in aliis item contestetur Fidei dogmatibus.

Epicteto Corinth. Episcopo rationem præscripturus qua & se & suos ad vnum omnes aduersus omnes semel hæreticorum omnium sycophantias & nugas nouatione dogmatum in orbem sparsas obmuniret, τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἰπεῖν ἀρκεῖ ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα πατέρες ἐφρόνησαν, id est, ad istiusmodi respondisse, inquit, suffecerit, ista non esse Catholicæ Ecclesiæ, neque istam fuisse Patrum sententiam. Ad eundem planè modum & D. Alexander ille Alexan. in cuius

vti Ecclesia illud Arrhij virus Diabolo suggerente primum fuit seminatum: ita in eadem illius studio & industria proculcatum, atq; Excõmunicationis quasi ligone auerruncatum, anathematísque incendio subiectum.

Sed quibus, inquies, armis illi pestifero Alexander occurrit? Doctrina Ecclesiastica veterum Patrum vocibus & Scriptorum testimoniis confirmata: Filium Dei esse Patri suo ὁμότιμον καὶ ὁμοούσιον, æqualis honoris, eiúsdémque substantiæ. Ita hactenùs ante natum Arrhij nouum dogma docuerat Alexander, Macarius Hierosoly. & alij, qui quod nouam eius doctrinam damnarent præter imperitiæ sycophantiam, hæretici etiam ab Arrhio probrosè appellabantur. Vti ex eius epistola ad Euseb. Nicomedien. data liquet apud Nicepho. Verùm Patres isti SS. istis Arrhij conuitiis adeò non terrebantur, vt hac de causa beatitudinem à Christo promissam sibi gratulati perrexerint constanter obtinere, ac suis prædicare, quòd conuenienter veterum Scriptorum doctrinę ipsi & pueri didicerant, etiam decrepiti docuerãt. Hanc igitur doctrinam de Filio Deo suo Patri homousio ac consubstantiali Alexander ille Alexand. Traditione Ecclesi. & Patrum veterum testimoniis aduersus Arrhij nugas non scriptas pergebat defendere, donec eisdẽ armis publico vniuersę Christi Ecclesiæ Concilio, atque omnis mundi consensu probaretur atq; confirmaretur.

Caput VII.

Dolus malus aduersariorũ

EX iis quæ hactenùs de Concilij Niceni homousio atque illo consubstantiali disseruimus, satis liquere arbitror illud, quod nobis in præsens fuit demonstrandum, putà hunc Fidei articulum, Dei Filium esse Patri consubstantialem, Symbolo Apostolico fuisse appositum à Patribus Nicænis, non tam ex liquidis Scripturarum testimoniis, quàm indubia Maiorum Traditione, quemadmodũ ex D. Athanasij, qui non extrema illius pars fuit, verbis, aliorúmq; priuatorum testimoniis, ipsis denique Concilij actis est ostẽsum diffusiùs. Quapropter de aliis Symbolorũ cæte-

torum articulis, ex Traditione magis quàm Scriptura in sua quibúsq; Synodo confirmatis, ad similem modum ostendendis, nolumus in præsentiarum laborare anxij, cùm ne pij Lectoris patientia immodicè videamur abuti, tum ne opere ipso parergon fiat maius, atque extuberet nimiùm.

Illud ad conuincendam Aduersariorum fraudem, qua nimis callidè simplicioribus abutuntur ingeniis, operæpretium fuerit admonuisse, eos dum ista tria Conciliorum Symbola sese prorsùs pari cum Scriptura Fide suscipere profitentur, necessariò etiam adigi ad reliqua eorumdem Conciliorum & decreta & institutiones suscipienda atque amplexanda. Iam vt alia breuitatis caussa silentio prætereamus, illud permagni retulerit adnotasse, Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere, in Concilio Niceno secundo fuisse additum, quemadmodum est in Concilij Florentini actis sessione septima, & apud singularis cùm fidei, tum diligentiæ Chronographum Palmerium. Si itaque huius Concilij decreto freti, Latinos potiùs sequuntur, quàm illos Græcos, cur non & imagines Sanctorum ex eiusdem definitione suis, si modò ipsi sic sibi persuasum habent, peisuadere nitantur? cur qui ista Symbola mordicùs se iactitant obtinere, non eadem fide venerandas imagines Catholicis concorditer & Sinodo illi consentaneè venerantur, colunt & suo quodam modo adorant?

Verùm ne huc calamitatis possent redigi, percallido sanè consilio alium allinunt fucum, quo alteri Synodo tanquàm matri adulterę hanc affingunt Symboli appendicem. Vtrúmque enim Concilio tribuūt Constantinopolitano, quòd imperitia factum, cuiquam videri queat, ideóque veniam mereri. Quam excusationem hoc loco, vt & alibi haud infrequenter equidem admittere haud grauatim recusem: nisi certò certiùs constaret, eos doli mali studio hanc esse commolitos stropham. *Malus dolus aduersariorū quo scientes Conciliorum decreta aliis falsò tribuūt Conciliis, ne omnia omniū Conciliorum dogmata suscipere cogantur.*

Quum enim brentius huius Confessionis Vvirtembergēsis Architectus, verbis non tam disertis, quàm nefariis atque sacrilegis scribat Apologia Confessionis Vvirtembergensis, Concilium hoc Constantinopolitanum plus

Vvandali. *Constantius* *Iulianus occulto odio apertísque blãditiis homousion abolere conatus.*

& Vvandalorum insanos furores, & Imperatorum rabidas persequutiones stupenda propugnatione tutabatur inuictum. Nam neque vaferrima Constantij astutia, neque Apostatico Iuliani odio plusquàm Vatiniano, blandáue ad defectionem præmiorum inuitatione, neque decem illis & ampliùs Episcoporum Arrhian. Conciliabulis, neque Valentis & Iustinæ August. conatibus impiis, neque denique Gothorum & Vvandalorum eadem Arrhianæ Phreneseos rabie insanientium molimine labefactari vllo modo potuit: tantùm abest, vt omnium illorum infestissimorum hostium rabidi conatus Catholicum illud dogma inuictis perpetuæ Traditionis Apostolicæ viribus corroboratum valuerint euertere, conculcare, profligare. Ad illum profectò modum consentaneum erat cælestem Nicæni Concilij doctrinam omnibus planè in vniuersum, quibus posset modis, in omnem quaquauersum partem exagitari, quò diuina Ecclesiasticæ Traditionis vis omnibus omninò hominibus in posterum foret certissima, atque semel probata, exploratáque. In illo siquidem clarissimo diuinæ prouidentiæ speculo quíd nam obsecrò mens hominis sobria, atque æqua rerum æstimatrix meritò desideret, quod ad confirmandam Dei Max. prouidentiam in administranda, propaganda, propugnanda Christi Ecclesia vllo modo faceret? An ne omnes inferorum portæ vniuersas suas semel vires in illa Nicæni decreti Tragœdia intenderint, explicarint, & in Catholicam Christi Ecclesiam intentarint? an quid insidiarum, molitionum insanarum, insultuum infestissimorum defuisse credas, vbi & Imperatores ipsi potentissimi summis quisque adnixi viribus, velis equísque, vt dicitur, istud delere conabantur? vbi tot Episcopi toties illa de causa congregati tam hostiliter refragabantur? Vbi armatæ Vvandalorum legiones, & rabidæ Gothorum copiæ, de medio tollere atque extinguere tot annis ferociter adeò moliebantur? Sed ista hominum aduersus Catholicam Christianę Fidei veritatem studia vt sese declararunt planè humana, hoc est, vanissima, incertissima atque ignauissima, ita

Conciliabula decem. *Valens Au.* *Iustina A.* *Tragœdia Nicani homousii non scripti clarissimum est diuinæ prouidentiæ speculum.* *Vide Victorem Africanum.* *Arrhianorũ studia cõtra homousiõ*

diuinam Christi erga suos prouidétiam omnibus semel numeris docuerunt absolutissimam. Quid namque requiras ad persuasionem aliquam ex hominũ animis semel delendam idoneum, quod non hîc luculentissimè nominatim agnoscas? Ad illud vsque sęculum Catholica Christi Fides aut cum Imperatoribus sanguinariis cruentata victrix colluctabatur: aut cum ingeniosis hominibus Philosophia & mundi huius sapientia instructissimis ipsa Dilemmatum cornutorum, aut Soritum acutorum nescia inuicta disputabat: At iam Imperatores non Ethnici, & Euãgelicæ ampliùs potentię ignari, bellum Christianæ indicunt Ecclesiæ, à quibus hoc illi plus erat præsentioris atque formidabilioris adeò periculi creatum (si aut pessundari, aut euerti posset) quàm dudũ ab Ethnicis, quòd conceptũ semel in Catholicos odium eò deponunt ægriùs, quò non temeritate, sed consilio: non animi perturbatione, sed iusta ratione persequi videri volunt, quod cacohæreseos œstro perciti, perdere moliuntur. Illi verò falsis vani popelli rumoribus in Christianismi odium, pertinax quidem illud, at minùs tamen obfirmato animo coniuratum pertracti, redditis Apologiis mansuescebant faciliùs, vt Traianus, vt Antoninus Pius, vt Antoninus Verus. His insuper accedebant homines, cum omnibus quidem liberalium disciplinarum artibus eruditissimi, ac iidem summis Ecclesiæ honoribus ornatissimi, ne quid eorum authoritati dissidium, atque ab aliis dissensio decerperet: tum Euãgelicæ quoque doctrinæ haud incelebres professores, ne quid eorum existimationem pertinax refragatio læderet. Iam stricti armatorum insanientium præ Arrhij rabie gladij præsentissimam omnibus Arrhianismum detrectantibus internetionem comminabantur. Quid infestæ semper inferorum portæ, odióque plùs quàm Vatiniano, quod dicitur, Euangelicam doctrinam perosi Cacodæmones his ampliùs maiori contentione attentare valuissent ad extirpandam, delendam, abradendam religionem Christianam? Si huius mundi Principes quæras hæreticorum defensores, en tibi Constantius, Iulianus, Valens, & Iustina Augusta,

quam impotentia atque indefessa fuerint, depinguntur.

Imperatores Ethnici minus Ecclesiã lęsêre, quam Christiani hæretici.

Nihil defuisse Arrhianis præsidiÿ ad delendū homousion non scriptum nisi Christus propugnasset.

impietatis omnis & malignitatis muliebris exemplar. Si Episcopos velis, qui Catholicis illis dudum Nicææ collectis suam & authoritatem & numerum opponant, habes 318. Nicænis, etiam 300. aduersarios. Quid quòd D. Hieronymus in Chronicis ex Eusebio memoriæ proditum reliquit, omnes penè toto orbe Ecclesias Arrhianorum consortio fuisse pollutas? Imò vni illi Nicænæ Synodo decem & amplius, Ariminense, Syrmium, Mediolanense, Isauricum, Nicomediense, Tyrium, Nicænum Thraciæ, diuersa Constantinopolitana, plurima (vt ait Athanasius) Antiochena, obiecta videas Cōcilia.

Si denique militares copias desideres, quæ falsum dogma, & ab Episcopis, tot, tantísque, & toties definitum, & ab Imperatoribus mira gratia, & popularium gratissimo applausu susceptum defendant, quid numerosissimis illis Barbarorum copiis siue ad rabidam violentiam, siue ad omne ferocitatis genus meritò adiiciēdum credas, quum illi nihil neque consilij ad dehortandum, neque atrocitatis ad deterrendum omisisse comperiantur.

Epitasis Arrhianæ Tragœdie.

Vide chroni. Euseb.

Porrò vt ad hæc atrocem Tragœdiæ istius Arrhianæ Epitasin agnoscas, tanta tunc temporis calamitate Catholicam Christi Ecclesiam afflixerat Arrianismus, vt in tribus tantùm Episcopis Catholicæ Fidei assertio (vt D. Hieronymus testatur) consistere videretur, Athanasio, inquam, Hilario, & Liberio Romano Episcopo. Cæterùm vt nihil ad desperationem piis Catholici homousij defensoribus deesset, etiam tādem Liberius singulare Catholicæ religionis columen grauissimis fractus ærumnis, in sententiam impij Constantij cessisse, adeóque subscripsisse fuit iudicatus. Verùm vt Ecclesiā suam dilectissimam Christus perpetuus defensor nunquàm aut afflictam deserere, aut laborātem sua ope destituere potest: ita in Niceno illo homousio nullis Scripturarū testimoniis disertè attestato, sed per Traditionis potissimùm Ecclesiasticæ efficaciam validissimè defendendo indubitatū suæ illius promissionis exemplū, quòd perpetuus ad finē vsque mundi Ecclesiæ suæ adeerit auxiliator, edere dignatus est. Quod ipsum pluribus

D. Hiero, in Chron.

Freculp. Chron. lib 4 cap. 8.

Matth. 28.

verbis expositum atque disertum sub omnium oculos subiiciendum videbatur, quòd in singulari ista Arrhianorum Tragœdia mirificè eluceant cùm irritæ Dæmonum, Philosophorum, Imperatorum, contra Catholicã Christi Ecclesiam vafricies, astutiæ, persecutiones: tum Dei Opt. Max. accurata erga Christianã Ecclesiam solicitudo, & propugnatio. Quum enim super solidam Christi capitis ac fundamenti rupem immobilis existat fundata, hinc nec nimbosæ subscriptionum Episcopalium pluuiæ, nec sæui Imperialium persequutionũ venti, nec denique torrentia popularium ac militariũ adeò diuexationum flumina conquassare nequidquam valuerunt: tantùm abest, vt vel labefactarint, prostrauerint, euerterint. *Matth.7.*

Cæterùm isthæc diuinæ prouidentiæ contemplatio in alium fortassis locum reiicienda rectiùs cuiquam videatur, quod neq; nos inficiari pertinaces volumus: sed alio longè consilio huc nobis paulò fusiùs est translata, quod paucis expositum nequaquàm ingratum, nec abs re, quæ in præsens agitur, fore speramus. *Quo consilio exposita fusius epitasis Arrhianæ Tragœdiæ.*

Superiùs in eruẽda verba Dei definitione obiter admonebamus, Euangelicos istos Catholicæ Dei Ecclesiæ Aduersarios, etsi dogma nullum nisi aperto Dei verbo confirmatum velint suscipere, quædam tamen de Trinitate atq; Dei Maximi natura suis Ecclesiolis sub verbi Dei prætextu callidè obtrudere dogmata, quæ aperto nullo Scripturarum testimonio sunt comprobata: qualia sunt, Filiũ esse Patri Deo consubstantialem, Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere. Quod dum veterum illarum hæreseon execrabili impietate deterriti, & rei ipsius veritate coacti faciunt, vident sese Catholicis sua latera imprudenter detexisse nuda, quæ illorum sagittis apertissima pateant. Si namque vel vnum fidei dogma sine Scripturarum testimonio credendum doceas, quo ore obsecro vniuersum Dei verbum Scripturis sacris est comprehẽsum affirmare pergas? In istas itaque miseri redacti angustias, tuta sibi, quæ opinantur, effugia quæritantes, Scripturam docere fortiter affirmant, tres esse per se subsistentes personas, sed Con-

cilium Nicænum atque Athanasianum istud explicasse. Sic enim ad verbum habet Vvirtembergensis Cõfessio, Tridentino Concilio, vti iactitant oblata, capite primo de Deo: Credimus (inquiunt) tres esse per se subsistentes proprietates, siue personas, sicut docet Prophetica & Apostolica Scriptura, & explicant tria symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum. Et in capite secundo de Filio: Credimus, inquiunt, & confitemur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum Patri suo consubstantialem, & in plenitudine temporis hominem factũ, vt Iesus Christus verus Deus & verus homo sit vna persona tantũ, nõ duę: & in vna persona sint duę naturę, nõ vna tantũ. Sicut testimoniis sacræ Scripturę exposuerũt sancti Patres in Concilio Nicæno, Ephesino primo & Chalcedonensi. Sic capite tertio de Spiritu sancto, quem confitentur ab æterno procedere à Deo Patre & Filio, & eiusdem esse cum Patre & Filio essentię, maiestatis & gloriæ, verum ac æternum Deum. Sicut authoritate sacræ Scripturæ rectè explicuerunt sancti Patres in Concilio Constantinopolitano aduersum Macedonium.

Isthæc quidem asseueratis fortiter, sed liquidis oportebat testimoniis confirmata. Vbi enim aut tres per se subsistentes proprietates siue personæ? aut Filius Deo Patri disertis verbis & expresse cõsubstantialis legitur? aut Spiritus sanctus à Filio procedere? Certè si tam ista doceret apertè Scriptura Apostolica & Prophetica, quã vos isthęc affirmatis disertè, haud quaquàm sanè ingenti adeò Catholicorum Patrum negotiosissimo studio & impius Sabellianismus, & sacrilegus Arrhianismus fuisset olim deletus. Sed quò vestram fidem prudẽti Lectori grauiter isthac asseueratione obstrictam liberaretis facilè, nouum callidè figmentum impudenti vanóque illi commento assuitis: & explicant (inquientes) tria Symbola: cui alterum additis, sicut testimoniis Scripturæ exposuerunt Patres in Concilio Nicæno, &c.

Homousion in cõcilio Niceno fuisse magis Tra-

Quod an ita, an secùs habeat, ex Concilij Nicæni actis repetendum est altiùs, quod eò lubentiùs hîc fecero, quòd ista dogmata Christianæ Fidei, si quæ alia, inprimis firmamenta vt Scripturarum testimoniis fuê-

re declarata; ita Apostolicæ cum primis Fidei Traditionibus fuisse confirmata atque comprobata efficiemus palàm.

ditione defensum, quã Scriptura sacra ex Actis Niceni Concilij.

Patres igitur Nicæni ad refutandos Arrhianos, aliquot quidem Scripturarum loca adferebant, quibus vetus dogma à Patribus vsque traditũ constabilirent: Verùm illis ipsis Scripturarũ testimoniis haud ita sese fretos, atque firmiter confisos profitentur, vt eis sese Arrhianismum euertisse agnoscant.

Illa siquidem Scripturarum loca à Patribus magno numero allata, vt maximam naturarũ inter ipsos similitudinẽ apertè conuincunt, ita an totius etiam substãtiæ consubstantialitatem (quod est apud Rusticum Diaconum) euidenter demonstrent, non est hîc in dubium reuocandum. Illud tantùm in præsentiarũ, an illis Scripturarum locis veteres illi SS. Patres fuerint ita confisi, vt illis testimoniis sese Arrhianos expugnasse sint arbitrati? quod ex ipsorum verbis est petendum. Sic autem est in Actis Concilij Nicæni, quæ ex D. Antonij apud Venetos Bibliotheca nuper secum adferens descripta doctissimus Ioannes Boxollus Anglus, Reginæ Secretarius, conuertit: Sacrosancta, frequens, & vniuersalis SS.PP. in vrbe Nicæna Synodus per Hosium beatum „ & sanctum virum vrbis Cordubæ, ex Hispaniarum „ Prouincia Episcopum, qui Romani Pontificis locum „ obtinebat, & Presbyteros ex ea Sede, superiùs à me no- „ minatos secum habuit, cùm eius verba alius interpreta- „ retur, hanc sententiam dixit: Diuinitas non vnius tan- „ tùm personæ est, ita vt Iudæi opinantur, sed trium. Nec „ id solùm verbotenùs, vt personæ dicantur, sed vnaqua- „ que veram sui hypostasim, id est, essentiam habet. De- „ clarant hoc permulta testimonia, quæ nobis tam vete- „ ris quàm noui Testamẽti authoritas suppeditat. Et post „ quædam: Nulla personarum inexplicabilis ac beatissi- „ mæ illius Trinitatis nec permistio, nec partitio à no- „ bis prædicanda. Nam ex Patre, qui ab æterno veri Filij „ verus Pater semper est, & suam habet personam: & Fi- „ lius, qui veri Patris verus Filius semper est, habet suam „ personam: & Spiritus sanctus, qui verè Spiritus sanctus „

Acta Concilij Niceni ex Bibliotheca Veneta D. Antonij.

ſemper eſt, ſuā habet perſonā, Trinitatem conflari credimus, quæ nec in partes diſtribui, nec omninò cogitatione comprehendi, nec verbis explicari poteſt: eius vnam diuinitatem, vnam & eandem ſubſtantiam profitemur. Hanc fidem à Domino iam inde ab initio per ſacroſanctos eius Apoſtolos edocti ſumus, hanc à Maioribus noſtris ſanctiſſimis, qui fidē ab his acceptam religioſè conſeruarunt, doctrinam veram & indubitatam per manus traditam accepimus Hæc ita ſe habere, vt dicimus, infinitis Scripturarū teſtimoniis Spiritu ſancto fauente parati ſumus oſtendere. Qua in Concilij Niceni præfatione illa verba, quibus ſeſe illud conſubſtantialē ab Apoſtolis (vt aiunt) per manus traditū paratos profitentur declarare atque oſtendere, ſunt accuratè animaduertenda: quæ ſedulò perpenſa facilè commonſtrent; Nicenos Patres Scripturarum teſtimonia adhibuiſſe ad Fidei Catholicæ magis explicationem & declarationem quàm ad homouſij tuitionem atque confirmationem euidentem. Quod ipſum & ex illa oratione demonſtrari poteſt, quam SS. Patres Niceni per Macarium Hieroſolymitanum Epiſcopum habuerunt ad Philoſphum illū, cui ex conductitiis illis Arrianorum defenſoribus Phedo erat nomen & populum poſt eius expugnationem confluentem, quę ſic habet: Pluribus iam à nobis demōſtratum eſt, vnigenitum Dei Filium, Deus cùm eſſet, propter ſuum in homines amorem, ipſum hominem eſſe factum: Carnem ex Maria virgine indutum, & naſcendi ratione penitùs recondita natum. Et pòſt: Trigeſimū annum cùm attigiſſet, vt omnem ætatem ſanctam redderet, tum demùm ad Baptiſmum accedit, quo tempore Ioannes patre Zacharia natus, apud populum de Baptiſmo concionabatur, quod ad pœnitentiam inuitabat, nō quo peccata condonabat, aut adoptionis munus conferebat. Nam hæc donare Ioannis non erat, ne Angeli quidem, ſed eius qui carnem aſſumpſit, qui homo factus eſt, Dei ſermonis. Baptizari ſe ille paſſus eſt, & qui Deus erat, vt peccare non poſſet. Baptiſmum vt homo corpore accepit, non quòd ipſi Baptiſmo opus eſſet, ſed vt noſtrum glorioſum redderet: vt certò credamus, quomodo

Phedo conductitius Philoſop. ab Arrhia. Catholicos oppugnat.

in eũ Spiritus sanctus se dimisit, ita in nos, qui in eius no- »
mẽ tingimur eũ dimitti. Et post alia ita cõcludunt: Hæc »
Fides est Ecclesiæ ab Apostolis tradita, & in qua nihil »
reprendi potest. Hanc iam inde ab ipso Domino per »
Apostolos acceptam à Maioribus ad posteros transmis- »
sam, & quasi per manus traditam obseruat Ecclesia, eam »
hactenùs tenet, eam in omne tempus tenebit, quod ita »
est à Domino Discipulis dictum: Euntes, docete omnes »
gentes. & cætera.

Similiter paulò ante Arrhij condemnationem, atque »
ab Ecclesia remotionem, ita legitur: Itaque post illam »
disputationem diu multúmque pertractatam, ac tandem »
absolutam, nostris ad vnum omnibus placuit, vt quem- »
admodum à sanctis Patribus Apostolorum successori- »
bus traditum erat, ita & ipsi homousion, id est, substan- »
tiæ æquabilitatem decernerent, atque in Fidem Eccle- »
siasticam inserendam curarent, id est, vt eandem quę Pa- »
tris est, Filij, ac Spiritus sancti essentiam profiterentur. »
Hãc Fidei professionem & formam tam sacrosancti Epi- »
scopi Nicena in vrbe congregati, quàm qui aliquem in »
sacerdotio gradum obtinebant, & Confessores sancti »
viri omnes confirmabant.

Quòd si quis morosior istis Niceni Concilij actis minùs, quàm par est, habeat Fidei, quòd adhuc orbi incognita dubitatam non videâtur mereri authoritatem, is sanè mihi imperitus rerum æstimator haud immeritò videatur, quasi verò recondita hactenùs veritas, minùs inueniat apud æquos bonos rerum arbitros ponderis, quàm aurum recens effossum habeat valoris, atque annosum & obtritum? Verùm allatum nunc ex Niceni Concilij actis testimonium pro stabilienda Ecclesiasticę Traditionis authoritate re ipsa genuinum esse, miniméque suppositititium, abundè testantur Patres in Concilio Sardicensi, quorum plerique omnes Magno illi Nicæno interfuerant. Itaq; falsis Arrhianorũ aspersi iocis, amarulentísque lacessiti cõuitiis Patres, quòd Arrhianorum hæresi voces dogmatis Christiani non scriptas opponerent, Sardicæ conuenientes, apertissimam definitionis suæ Nicenæ rationem afferunt. Hos, inquiunt, epistola

Acta hæc Cõcil. Nic. non esse supposititia docet Conc. Sardicense.

Conc. Sardicense homousion non scri-

ptum iteratò tuetur Traditione.

ad totius orbis Christiani Episcopos data, qui diuidunt Filium à paterna substantiæ, & diuinitate, & alienant verbum à Patre, diuidi ab Ecclesia Catholica conuenit, & esse alienos à nomine Christiano. Apostolicum namque præceptum est: Si quis vobis annunciauerit, pręter quod accepistis, anathema sit. Nos autem hanc percepimus, & eruditi sumus: hanc habemus Catholicam Apostolicámque Traditionem & Fidem, & confessionem, vnam esse substantiam Patris & Filij & Spiritus sancti. Istis igitur Nicæni & Sardicensis Concilij testimoniis, quid ad Traditionis Ecclesiasticæ non scriptæ vim atque authoritatem adferatur confirmandam robustiùs? quid ad statuendam validiùs? quid ad semel omnibus persuadendum efficaciùs? quanta igitur castigatione illorum temeraria, vt non dicam sacrilega, reprimenda esset audacia, qua Patres istos in Fidei dogmate aduersus Arrhianos cõfirmando Scripturarum testimoniis innixos fuisse affirmant, quum illi ipsi Fidem hanc Niceni Symboli forma expressam ex Traditione didicisse, atque per manus à Maioribus accepisse candidè agnoscant: quam tamen, ne cum Scripturis pugnare cuiquam videretur, annituntur ex locis aliquot declarare: sed ita tamen, vt nullo negotio agnoscas, Patres illos non tam Scripturarum illis locis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram, & ex Prouerbiis Salomonis, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, atque similibus (que variis ingeniosorum hominum strophis obnoxia, in varios multósque sensus patere poterant, nec ita rem præsentem demonstrant euidenter, vt nihil apud perscrutantes resideat scrupuli) quàm tradita illa à Maioribus & Apostolis doctrina, ceu muro planè ahæneo, innixos definiuisse Filium Patri consubstantialẽ. Nam cur hanc vnam homousion vocem, & vbique hactenùs obseruatam ab omnibus velint suscipiendam, & cur eam Symbolo Apostolico adiecerint: cur denique illam vocem homousion, licèt in scripturis non repertam, subterfugientes damnarint hæreticos, vnam istam reddunt rationem, Quòd ab Apostolis vsq; in sua tempora ita Ecclesia senserit, tenuerit, docuerit.

Prouer. 8.

Noua homousii epitasis.

Quanquàm autem Catholica Christi Fides de Filio Patri homousio disertis adeò verbis à Catholicis illis Patribus Nicææ primùm, deinde & Sardicæ quoq; fuerit contestata esse Apostolica, tantùm abest, vt horribile illud Arrhianense incendium fuerit extinctum, vt sit in maiorem etiam flammam exuscitatum. Nam singula hactenùs tantùm Episcoporum aliquot depascebatur capita: Verùm iam deinceps totas Orientis initiò occupat Ecclesias, primùm Antiochenam anno 330. tum Alexandrinam anno 342. vnde Athanasium Arrhiani exturbãt: tum Constantinopo. eiecto Paulo, anno 345. Post hæc anno 352. etiam Hierosolymitanam inuadunt Arrhiani. Deinde quasi Orientis victores, ad Occidentem expugnandum omnes ingenij neruos intendunt, vniuersásq; suæ fraudis artes, anno 353. conuertunt. Itaque eiecto in exilium Liberio, Felicem in Roman. sedem substituunt, qui post annum à Liberio exilij tædio (vt habet in Chronico Hieronymus) victo post subscriptionem pellitur: Mediolanensem Auxentius inuaserat, teste Athanasio, Epistola ad Episcopos Africæ: Arelatensem etiam Galliarũ Metropolim Saturninus Arrhianus tenebat: cuius factione D. Hilarius vnicus totius Occidẽtalis Catholicismi, vt Athanasius Orientalis, defensor in Phrygiam vsque truditur. Atqui nec ista ratione illud nostræ Catholicę Fidei dogma de Filio Patri suo homousio delere potuerunt.

Incendium Arrhianismi omnem propè depascitur Ecclesiã Antioche. Alexã. Cõst. Hierosolimitanam. Roma. Ecclesia quid passa ab Arrhianis.

Verùm istos duos Catholicæ suæ Fidei propugnatores ita Deus Maximus suo cùm eloquentiæ, tum constãtiæ dono dedit & exornatos & communitos, vt Imperatores licèt Arrhianissimi, veritate tamen Catholica victi illos in suas sedes non potuerint non reuocare. Ille quidem post decennale, & eò ampliùs, exilium tranquillus domi agens, suam Diocœsim cœperat quidem repurgare, sed sanare minimè potuit. Hic verò noster vbi libro pro Fide sua Constantio porrecto ad suos Gallos reditum impetrasset, in tota Gallia Arrhianensis perfidiæ dolum (ait Hieronymus) damnauit, ac propè extinxit. Cæterùm quibus id effectũ sit armis, ex multis vnus D. Athanasij locus docet apertiùs, q̃ vt pluribus sit demõ-

Athanasius & Hilarius Catholici homousii defensores exules reuocati etiã ab Arrhianis A. A.

ſtrandum: quem cùm ad rem, quæ in præſentiarum agitur, illuſtrandam mirificè faciat, operæpretium duximus huc recitare. Epiſtola itaque ad Africanos data, poſteaquàm commemoraſſet, Euſebianos factionis Arrhianæ fragmentum vniuerſa Scripturarum teſtimonia, quibus Filium cum Patre videbantur demonſtraſſe conſubſtantialem, fraudulenter admittere, atque in alium quemdam ſenſum atque illi volebant ſuſcipere, ita ſubnectit: ἀλλὰ καὶ ἐν ταύτα οἱ ἐπίσκοποι θεωρήσαντες ἐκείνων τὸ δόλιον, συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν τὸ ἀπαύγασμα, τήν τε πηγὴν, καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὸν χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν. καὶ τὸ, ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. καὶ τὸ ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ λευκότερον λοιπὸν καὶ συντόμως ἔγραψαν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱόν. τὰ γὰρ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν. καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν ὅτι ἄγραφοί εἰσιν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν ματαίως ἐξ ἀγράφων ἀσεβήσαντες. ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ ἦν ποτὲ οὐκ ἦν. αἰτιῶνται ὅτι ἐξ ἀγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν αὐτοὶ μὲν ὡς ἐκ κοπρίας ὄντες ἐλάλησαν, ἀληθῶς ἀπὸ γῆς. οἱ δὲ ἐπίσκοποι οὐχ ἑαυτοῖς εὑρόντες τὰς λέξεις, ἀλλὰ ἐκ πατέρων ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν οὕτως ἔγραψαν. Ἐπίσκοποι γὰρ ἀρχαῖοι πρὸ ἐτῶν ἐγγύς που ἑκατὸν καὶ τριακόντα τῆς μεγάλης ῥώμης καὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως γράφοντες ᾐτιάσαντο τοὺς ποίημα λέγοντας τὸν υἱόν, καὶ μὴ ὁμοούσιον τῷ πατρί. καὶ τοῦτο ἐγίνωσκεν εὐσέβιος ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς καισαρείας, πρότερον μὲν συντρέχων τῇ ἀῤῥιανῇ αἱρέσει, ὕστερον δὲ ὑπογράψας ἐν αὐτῇ ἐν νικαίᾳ συνόδῳ ἔγραψε τοῖς ἰδίοις διαβεβαιούμενος ὅτι.

Quæ ita D. Petrus Nannius Latina fecit: Sed hîc Epiſcopi intelligentes eorum fraudem collegerunt in vnum, has

has voces ex sacris literis, splendorem, fontem, fluuium, & formam cum substantia: & illud item, In lumine tuo videbimus lumen. Et illud quoque: Ego & Pater vnum sumus: & pro maiori elucidatione scripserunt Filium Patri esse consubstantialem. Nam superiora omnia hunc sensum afferunt. Atque ita illa obmurmuratio, quòd hæ voces in sacris literis non reperiantur, vana esse deprehenditur, quum ipsi ex verbis in Scriptura non receptis impietatem suam instruat. Scriptum siquidem nusquàm est illud eorum: Ex non entibus. Et rursus illud eorum: Erat quando non erat. Sed ipsi interim mirè incusant, quòd per voces non in Scripturis solennes, sed tamen piè inuentas cōdemnati sint, quum ipsi tanquàm ex stercoribus exorti verè de terra loquantur: Episcopi contrà, non has voces ipsi excogitarint, sed eas à Patribus contestatas acceperint, & Scripturis inseruerint. Siquidem prisci Episcopi ante annos propè centum & triginta, tū qui Rom. vrbis, tum qui nostrę ciuitatis Prȩsules essent, accusauerunt eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent consubstantialem Patri. Neq; eius rei ignarus erat Eusebius Episco. Cæs. qui quum priùs suffragaretur Arrhianæ sectæ, postea tamen Nicæ. Concil. decretis subscripsit, & apud suos idipsum propriis literis affirmauit. Cuius hæc sunt verba: Nouimus, &c.

Sed priùs ad alios quàm transeamus, vnus nobis est D. Athanasij locus huc commemorandus, quò eximiam Ecclesiasticæ Traditionis non scriptæ authoritatem nobis in aliis item contestetur Fidei dogmatibus.

Epicteto Corinth. Episcopo rationem præscripturus qua & se & suos ad vnum omnes aduersus omnes semel hęreticorum omnium sycophantias & nugas nouatione dogmatum in orbem sparsas obmuniret, τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἰπεῖν ἀρκεῖ ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα πατέρες ἐφρόνησαν, id est, ad istiusmodi respondisse, inquit, suffecerit, ista non esse Catholicæ Ecclesiæ, neque istam fuisse Patrum sententiam. Ad eundem planè modum & D. Alexander ille Alexan. in cuius

vti Ecclesia illud Arrhij virus Diabolo suggerente primum fuit seminatum: ita in eadem illius studio & industria proculcatum, atq; Excõmunicationis quasi ligone auerruncatum, anathematísque incendio subiectum.

Sed quibus, inquies, armis illi pestifero Alexander occurrit? Doctrina Ecclesiastica veterum Patrum vocibus & Scriptorum testimoniis confirmata: Filium Dei esse Patri suo ὁμότιμον καὶ ὁμοούσιον, æqualis honoris, eiúsdémque substantiæ. Ita hactenùs ante natum Arrhij nouum dogma docuerat Alexander, Macarius Hierosoly. & alij, qui quod nouam eius doctrinam damnarent præter imperitiæ sycophantiam, hæretici etiam ab Arrhio probrosè appellabantur. Vti ex eius epistola ad Euseb. Nicomedien. data liquet apud Nicepho. Verùm Patres isti SS. istis Arrhij conuitiis adeò non terrebantur, vt hac de causa beatitudinem à Christo promissam sibi gratulati perrexerint constanter obtinere, ac suis prædicare, quod conuenienter veterum Scriptorum doctrinę ipsi & pueri didicerant, etiam decrepiti docuerãt. Hanc igitur doctrinam de Filio Deo suo Patri homousio ac consubstantiali Alexander ille Alexand. Traditione Ecclesi. & Patrum veterum testimoniis aduersus Arrhij nugas non scriptas pergebat defendere, donec eisdẽ armis publico vniuersę Christi Ecclesiæ Concilio, atque omnis mundi consensu probaretur atq; confirmaretur.

Caput VII.

Dolus malus aduersariorũ

EX iis quæ hactenùs de Concilij Niceni homousio atque illo consubstantiali disseruimus, satis liquere arbitror illud, quod nobis in præsens fuit demonstrandum, putà hunc Fidei articulum, Dei Filium esse Patri consubstantialem, Symbolo Apostolico fuisse appositum à Patribus Nicænis, non tam ex liquidis Scripturarum testimoniis, quàm indubia Maiorum Traditione, quemadmodũ ex D. Athanasij, qui non extrema illius pars fuit, verbis, aliorúmq; priuatorum testimoniis, ipsis denique Concilij actis est ostẽsum diffusiùs. Quapropter de aliis Symbolorũ cæte-

rorum articulis, ex Traditione magis quàm Scriptura in ſua quibúſq; Synodo confirmatis, ad ſimilem modum ſtendendis, nolumus in præſentiarum laborare anxij, cùm ne pij Lectoris patientia immodicè videamur abuti, tum ne opere ipſo parergon fiat maius, atque extuberet nimiùm.

Illud ad conuincendam Aduerſariorum fraudem, qua nimis callidè ſimplicioribus abutuntur ingeniis, operæpretium fuerit admonuiſſe, eos dum iſta tria Conciliorum Symbola ſeſe prorſùs pari cum Scriptura Fide ſuſcipere profitentur, neceſſariò etiam adigi ad reliqua eorumdem Conciliorum & decreta & inſtitutiones ſuſcipienda atque amplexanda. Iam vt alia breuitatis cauſa ſilentio prætereamus, illud permagni retulerit adnotaſſe, Spiritum ſanctum à Patre Filióque procedere, in Concilio Niceno ſecundo fuiſſe additum, quemadmodum eſt in Concilij Florentini actis ſeſſione ſeptima, & apud ſingularis cùm fidei, tum diligentiæ Chronographum Palmerium. Si itaque huius Concilij decreto freti, Latinos potiùs ſequuntur, quàm illos Græcos, cur non & imagines Sanctorum ex eiuſdem definitione ſuis, ſi modò ipſi ſic ſibi perſuaſum habent, peiſuadere nitantur? cur qui iſta Symbola mordicùs ſe iactitant obtinere, non eadem fide venerandas imagines Catholicis tinere, non eadem fide venerandas imagines Catholicis concorditer & Sinodo illi conſentaneè venerantur, colunt & ſuo quodam modo adorant?

Verùm ne huc calamitatis poſſent redigi, percallido ſanè conſilio alium allinunt fucum, quo alteri Synodo tanquàm matri adulteræ hanc affingunt Symboli appendicem. Vtrúmque enim Concilio tribuūt Conſtantinopolitano, quòd imperitia factum, cuiquam videri queat, ideóque veniam mereri. Quam excuſationem hoc loco, vt & alibi haud infrequenter equidem admittere haud grauatim recuſem: niſi certò certiùs conſtaret, eos doli mali ſtudio hanc eſſe commolitos ſtropham.

Malus dolus aduerſariorū quo ſcientes Conciliorum decreta aliis falſò tribuūt Conciliis, ne omnia omniū Conciliorum dogmata ſuſcipere cogantur.

Quum enim brentius huius Confeſſionis Vvirtembergēſis Architectus, verbis non tam diſertis, quàm nefariis atque ſacrilegis ſcribat Apologia Confeſſionis Vvirtembergenſis, Concilium hoc Conſtantinopolitanum plus

habuisse contentionis (sunt eius verba) quàm ędificationis, quòd Latini quidem Spiritum sanctum ex Patre, Græci verò per Patrem affirmarent procedere: an ignoraſſe putetur, num & illic de Spiritus sancti ex Filio processione fuerit disputatum? Callida igitur imò veteratoria hîc vtuntur dissimulatione, ne mendacio dicam sacrilego: quòd aliorum Conciliorum decreta aliis atque aliis transcribũt Conciliis: ne si nomina fuissent edita, compellerentur eadem authoritate & alia recipere, quæ ipsorum non sapiunt palato, cum illis quæ citra extremam non potuêre non agnoscere impietatem.

Caput VIII.



ÆEterùm nos ad institutum ex diuerticulo nec infrugifero, nec vti spero, inamœno redeamus, atq; nunc porrò demonstremus reliquos item Catholicæ Ecclesiæ Patres eadem non scripta dogmatum Traditione sui seculi hæreses confutasse, atque Catholicam Fidem propugnasse. Sed ne prolixitate cuiquam moueamus rerum saluberrimarum iuxtà ac necessarium fastidium, dabimus operam, ne quem laboris in hisce percurrendis insumpti pœniteat vnquàm. Primùm igitur paucis eos perstringemus, qui nouam Diaboli hostis implacabilis epitasin per illũ Aetij Arrhiani discipulum Eunomium excitatam compescuerunt. Mox quid consecuto seculo fuerit à Catholicis Scriptoribus obseruatum, ostendemus.

Nouum diaboli bellum aduersus sancti Spiritus deitatẽ, Traditione item extinctum.

Neque sanè tantum atrocissimarum Tragœdiarum toto terrarum orbe excitasse Diabolo fuit satis, verùm pòst frustrà oppugnatam Filij Dei diuinitatem, Eunomium nihil minùs, quàm Eunomium, sed paternæ legis transgressorem, nactus nouæ aduersus Spiritus sancti deitatem Tragœdiæ miserum authorem, nouum Christianæ Ecclesiæ instaurat bellum: cuius calamitas ita Orientem totum afflixerat miserè, vt nostræ Germanæ, heu nimiùm perditæ facies, præ illa etiam videatur beata: quàm cui ad viuum depictam libet spectare, D. Basilij epistolam ad Gallos Episcopos consulat.

Verùm illi Eunomio Spiritus sancti infestissimo ho-

sti, illius Aetij Athei miseri misero discipulo ac notario, Deus Optimus defensores opponere est dignatus, Basilium in primis atque Gregorium Nazianzenum, singulare vt solidæ amicitiæ, ita omnis eruditionis par: ne noua nouæ hæteresеos pestis, quod in reliquo Catholici Christi Ecclesiæ corpore sanum esset atque incolume, sui contagione depasceret. Quibus ergo isti Spiritus sancti sint diuinitatem rationibus quasi telis tutati, operæpretium est paucis commemorare.

Socr. li. 2. ca. 35. & lib. 4. cap. 7.

Gregorius ille Nazianzenus clarissimum Orientalis Ecclesiæ lumen, quem vnum ex numerosissimo doctissimorum virorum Catalogo, ob singularem planeque incomparabilem Christianismi peritiam, atque cognitionem post Ioannem Euangelistam Theologi nomine dignata est posteritas, quantum authoritatis locupletissimæ prorsus & inuictę in traditis sine scripto Fidei dogmatibus crediderit insedisse, locus vnus & alter manifestissimè demonstrabunt. Is igitur libro de Theologia. 5. siue de Spiritu sancto, contra eos, qui Spiritus sancti diuinitatem hisce latratibus oppugnabant: πόθεν ὑμῖν ἐπεισάγεις ξένον θεὸν καὶ ἄγραφον: vnde (inquiebant) nobis Deum inducis peregrinum, & scripto Dei verbo non expressum? Horum insaniam, posteaquam ostendisset, τὴν φιλίαν τοῦ γράμματος ἔνδυμα αὐτοῖς εἶναι τῆς ἀσεβείας, literæ studium ipsis pallium esse, atque prætextum impietatis, audi quæso, quo pharmaco ad sanitatem reuocare studuerit: ἀλλὰ εἰ μὲν κτίσμα πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν; ἢ ἐν αὐτῷ τελειούμεθα; οὐ γὰρ ταυτόν ἐστι πιστεύειν εἴς τι, καὶ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν. τὸ γὰρ ἐστὶ θεότητος, τὸ δὲ παντὸς πράγματος: Si in autem (inquit) Spiritus sanctus est creatura, quomodo in ipsum credimus? aut in ipso perficimur, atque mysticos sanctificamur? Non equidem in aliquem credere, & credere de eo, idem est. Illud enim est diuinitatis, hoc verò rei cuiuslibet. Quid hoc Theologi testimonio adferatur augustius ad confirmandam Traditionis Ecclesiasticæ authoritatem? qui Eunomianis hæreticis Spiri-

Gregorius Nazianzenus cur Theologus dictus.

Literam occidẽtem semper hæreticis esse impietatis suæ palliũ

Spiritũ sanctum Deum esse agraphũ & sine Scriptura inductũ blasphemabant Eunomiani.

tus sancti (quem Deum & ξένον καὶ ἄγραφον καὶ παρέγγραπτον Id est, Exoticum, ac peregrinum, sine scripto Dei verbo, imò præter Scripturam inductum calumniabantur) diuinitatem ex scripto Dei verbo sibi comprobatam postulantibus, non Scripturam, sed Ecclesiastici Symboli partem nullo Scripturarum testimonio communitam, ceu impenetrabilem veritatis Euangelicæ clypeum, obiecit? Nec illo contentus Apostolico Symbolo, quòd in Spiritum sanctum tanquàm in Deum præscribit credendum contentus, alteram huius Catholicæ Fidei de Spiritus sancti diuinitate adiecit confirmationem ex occultiori ac mysterij reconditoris penu depromptum: Cur (inquit) nisi Deus est Spiritus sanctus, in ipso τελούμετα perficimur, & sancificamur, siue vt hodie loquimur, cõfirmamur? Nam τελεῖν & si interdum ad alia misteriorũ simbola quoq; pertineat, tamẽ haud infrequẽter ad Confirmationis Sacramẽtũ peculiariter est referẽdum, vti apud Dionisiũ Areopagitã, & Michaelem Symgelum est videre, de quo suo inferiùs loco dicetur aptiùs. At ne quis impudentiùs Scripturæ locum extorqueret, quo disertis verbis Spiritus sancti diuinitas appareret cõfirmata, illa suæ non scriptæ confirmationis quædã ante quasi sparsit semina, ὅτι ἔνδυμα τῆς ἀσεβείας ἐστιν αὐτοῖς ἡ φιλία τοῦ γράμματος, Id est, Literæ studium & amorẽ ipsis esse impietatis palliolum: quo velut quodam prætextu suam contra apertissimam omnis Catholicæ Ecclesiæ de Spiritus sancti deitate professionem, conarentur impietatem obtegere atque dissimulare. Et illud similiter: ὁ ἀθετῶν ἀθετείτω ὁ ἀνομῶν ἀνομείτω ἡμεῖς ὃ νενοήκαμεν κηρύσσομεν: Id est, Qui (inquit) Patrẽ & Filium & Spiritum sanctũ lumen esse negat, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hic violans violetur, transgrediens legẽ fiat transgressionis reus, atq; exlex esto (allusit enim ad Eunomij nomen qui à legis custodia videbatur appellatus) nos, quod intelleximus, atq; didicimus prædicamus. Illis igitur pro sua rabie, quod libebat, ex traditis Fidei dogmatibus & respuentibus & violantibus, ipse quod per Traditionem didicerat, atque animo comprehenderat, opposuit.

Quòd si quis Nazianzenum cum Iuliano illo Apostata (qui Fidei Christianæ, vt appellabat, ἀλογίαν καὶ ἀγροικίαν, id est, rationis carentiam atque rusticitatem obiiciebat, quòd nihil præter Crede, Crede, afferret rationis) vehementiùs ad dogmatum Fidem confirmandam vrgeat, is eandem cum illo respõsionem ab eo accipiat: Quod (inquit 2. in Iulia.) Pythagoricis erat suum illud αὐτὸς ἔφα, Ipse dixit, hoc nobis Christianis Crede, aliis quidem & syllabis & vocibus: quantumuis vos illud nostrum neque Comicis salibus irridere, neq; lœdoriis proscindere, atq; discerpere non desinatis. βούλεται γὰρ ἡμῖν ὁ λόγος μὴ ἐξεῖναι διαπιστεῖν τοῖς ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις, ἀλλ' ἀπόδειξιν εἶναι τοῦ λόγου τὸ ἐκείνων ἀξιόπιστον, πάσης δυνάμεως λογικῆς καὶ ἀντιλογικῆς ἰσχυρότερον: id est, Exigit enim à nobis ratio, non licere de iis, quæ viri illi Theophori atq; Deo afflati docuêre, vt ambigamus: sed orationis atque doctrinæ ipsorum demonstrationem esse, quòd ipsi fuêre dignissimi, quibus haberetur fides, quòd omni facultate atque vi, tam disputatrice, quàm quæ ad contradicendũ est comparata, validius est atque robustius.

Crede Christianis est, quod Pythagoreis, Ipse dixit.

Credere Apostolicis Traditionibus, omni argumento est validius & robustius.

Hunc igitur in modum vna Ecclesiasticæ Traditionis vi atque authoritate aduersus infestas Eunomianorum nitebatur oppugnationes Nazianzenus: nunc Diuum illum Basilium, cognomẽto Magnum appellatum, in aciem contra eosdem producamus; & quibusnam armis illorum profligarit impietatem, videamus.

Caput IX.



Diuus igitur Basilius alteram Eunomaniorum refutaturus blasphemiam, quod Catholici nouam, inquiebant, atque non scriptam induxissent syllabam, Cum Spiritu dicentes, & non in Spiritu, neque necessaria, neque ab Ecclesiis recepta loquentes, hisce verbis in suam huius oppositionis responsionem præfatur:

D. Basilius Eunomanios Traditione non scripta refutat.

τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα: ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ, ὅστις γε κἂν κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. εἰ γὰρ ἐπιχειρήσαιμεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν ὡς οὐ μεγάλην ἔχοντα τὴν δύναμιν παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς αὐτὰ τὰ καίρια ζημιοῦντες τὸ εὐαγγέλιον: μᾶλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλὸν περιϊστῶντες τὸ κήρυγμα: quod est: Ea quæ obseruata in Dei Ecclesia docentur, atque prædicantur, partim ex scripta habemus doctrina, partim ex Apostolorum Traditione nobis in mysterio atq; arcanè prodita, atq; per manus data suscepimus: quæ vtraque ad pietatẽ stabiliendam eiusdẽ sunt facultatis, quibus & nullus contradicat, quisquis vel tenuiter Ecclesiasticorum rituum peritus fuerit. Si enim consuetudines Scriptura non comprehensas quasi exiguam vim habentes, reiicere aggrediamur, imprudentes Euangelium ipsum suis potissimis mutilabimus partibus, imò doctrinam Ecclesiæ pridem Euangelizatam in nudum nomen degenerare faciemus, atque commutabimus. Quam suam Basilius Magnus sententiam tot rerum clarissimarum illustrauit exemplis, vt nemo, qui vel mediocriter doctrinæ Christianæ sit peritus, citra dementiæ suspicionem queat obstrepere.

Basilius à Brentij sycophantia defensus.

Atqui hunc locum de illorum numero quidam hoc sæculo suspicantur, ac contendunt adeò, qui vetustis Patribus imprudenter aut incogitanter elapsi veniam potius mereantur, quàm vllum suo pondere adferant veritati patrocinium. Etenim negari non potest, ait Ioannes Brentius Prolegomenis in Apolog. Confess. Vvirtemberg. quin quod Basilius dixit, Traditiones illas, quas paulò antè commemorauimus ἀγράφας, ab

Apoſtolis eſſe acceptas, & eandem habere vim ad pietatem quam habent ea, quæ ſcripta ſunt, referendum ſit in Catalogum eorum dictorum, quæ Patribus ignoſci potiùs, quàm probari debeant. Noſtri igitur officij eſt, vt iſta diſſimulemus & tegamus: quin potiùs ſi pergimus actiones Baſilij diligenter intueri, ſeſe ipſe tegit, & quod incogitanti forſitan excidit, haud obſcurè aliàs emendat.

Iſtud Brentij de hoc D. Baſilij loco iudicium quàm ſit peruerſum, quàm in vaferrimā imperiti lectoris fraudem comparatum, quàm denique in clariſſimum iuxtà ac ſanctiſſimum virum iniurium, vt blaſphemum nō dixerim aut nefarium, nullo negotio licebit agnoſcere lectori, qui ſcripti illius Baſiliani, vnde locus ille depromitur, conſilium ac ſcopum non grauabitur nobiſcum expendere, atque prudenter conſiderare.

Cùm hoc opere ſanè elaboratiſſimo (quod Amphilochio aduerſus Eunomianæ factionis homines D. Baſilius ſuis dudum vocibus, ac Spiritus ſancti laudibus offenſos ſcripſit) Spiritus ſancti coæqualem cum Patre ac Filio maieſtatem ac deitatem propugnandam ſuſceperit, omnibus, pro eo atque par erat, & tanto argumento dignum, ſeſe defenſionis legitimæ inſtruit armis: quæ non à Scriptura tantummodò diuina ſibi credidit petenda, atque in ſuppetias quaſi imploranda: ſed vt hoſtem ſemel conficeret à tradita quoque non ſcripta Apoſtolorum ac Maiorum doctrina. Id quum data opera hoc in opere ſanè aureo aduerſus hæreticos tanto niſu ac ſtudio adeò acri à grandæuo, iam Baſilio Magno liqueat factitatum, mirum profectò piis ac lectoribus cādidis videatur, quānam de cauſa Brentius hanc præſentem Diui Baſilij, de Traditionum non ſcriptarum authoritate ſententiam putarit non ſolùm ceu fœdam tegendam, ac ceu baſilio illo Magno indignam diſſimulandam: ſed etiam ignoſcendam potiùs quàm probandam. Imò quod omnem ſuperat indignitatem, affirmare illum non pudet, hanc de Traditionum vi doctrinam incogitanti fortè Baſilio excidiſſe. Iſtas Brentij contumelioſas in D. Baſil. ſuſpiciones ex ipſo D. Baſilij ſcri-

pro delere studebimus, vt appareat, illam Basilij de Traditionibus sententiam non incogitanti excidisse temerè, sed consultò ac dedita in primis opera hanc pugnandi aduersus hæreticos ex non scriptis Traditionibus rationem fuisse ab eo susceptam.

Summa libri D. Basilij de Spiritu sancto.

Posteaquàm Eunomij doctrinam ex Aëtij, cuius fuerat Notarius teste Socrate, deliriis ac nugis Philosophicis ortam demonstrasset, ac Patris & Filij naturam non propterea esse diuersam & inæqualem, quòd diuersis interdum vocibus ac inæqualiter proferatur, cap. 9. peculiarem ac præsentis instituti de Spiritus sancti deitate aggreditur disputationem, quam hac methodo sese persequuturum profitetur, vt initiò exponat, quidnam de Spiritu communiter sentiamus: mox eas, quas ex Scipturis de Spiritu sancto collegisset sententias, denique eas, quas ex non scripta Patrum Traditione suscepimus: quod vbi eodem cap. 9. esset aggressus, cap. consequente Aduersariorum oppositioni occurrens, demonstrat illud Eunomianorum bellum nomine quidem in Basilium esse susceptum, sed in Deum Opt. Max. tendere atque spectare: Basilij enim nomen eos suæ impietati prætexere. Verùm non oppugnari Basilium, sed sub Basilij nomine Fidem, communémque omnibus esse scopũ, τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως κατασεῖσαι, ἐκ τοῦ τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν ἐδαφισθεῖσαν ἀφανισθῆναι, firmamentum Fidei Christianæ labefactare, eò quòd Traditionem Apostolicam solo adæquatam, atque prostratam aboleant. Hîc igitur Basilius aptissima illos refutat similitudine, quòd Fidei Christianæ confirmationem ex sola diuina admitterent Scriptura. Quapropter, inquiens, tanquàm æris alieni debitores versutiores, τὰς ἐκ τῶν ἐγγράφων ἀποδείξεις ἐπιβοῶνται, τὴν ἄγραφον τῶν πατέρων μαρτυρίαν ὡς οὐδενὸς ἀξίαν ἀποπεμπόμενοι, confirmationes Fidei ac demonstrationes ex Scriptura postulant, non scriptum Patrum testimonium, velut nullius aut momenti aut authoritatis abiicientes. Hac parasceue Diuus Basilius aduersus Eunomianorum temerita-

Fides labefactatur, quãdo traditiones reÿciuntur.

Qui dogmatũ Fidei postulãt ex Scripturis demõstrationes, cõparãtur malis improbísque debitoribus, qui suo vrgeantur chirographo.

tem, qua solam ex Scriptura, more debitorum malorum, admittebant Fidei atque doctrinæ Apostolicæ probationem & confirmationem, vsus, plurimis intereà illorum blasphemiis repulsis, atque obiectionibus confutatis, tandem cap. vigesimosept. methodum cœptæ disputationis persequens, demonstrat ex Traditione non scripta rectè ac Orthodoxè Spiritum sanctum credi Deum Patri ac Filio coæqualem, rectéque idcirco in Ecclesia Catholica vsurpari, Cum Spiritu. Nam hac de vocula Eunomiani plusquàm sophisticè litigabant, In Spiritu dicendum contendentes, quod illud, Cum Spiritu, Catholici nouum inueherent, οὔτε νενομισμένων ταῖς ἐκκλησίαις φθεγγόμενοι, quódque Ecclesiis non præcepta nec præscripta loquerentur. Hanc illorum calumniam Diuus Basilius vt refutaret solidiùs, suam de Fidei dogmatibus Ecclesiæ Christianæ traditis disputationem orditur altiùs, quasi ab ouo, quod dicitur, illorum retexens originem: Dogmatum, inquiens, quæ in Ecclesia obseruata docentur, ac prædicantur, partim ex scripta habemus doctrina, partim verò ex Apostolorum Traditione nobis in mysterio atque arcanè prodita suscepimus, quæ vtraque eandem parémque ad pietatem & religionem stabiliendam obtinent vim, & quæ sequuntur superiùs commemorata.

Ex hac Basilianæ disputationis methodo ac scripti totius filo piis quibusque ac candidis lectoribus liquere confidimus, an hanc suam de Traditionum non scriptarum vi & authoritate sententiam Basil. voluerit ceu obscœnam, fœdámque corporis partem silentio quasi pallio Iaphet tegendam ac velandam, quod cõtendit Brentius: an potiùs quasi disputationis suæ secundum Scripturam alterum telum, quo sibi indubiam pollicetur victoriam, omnibus spectãdam atque suspiciendam? Sanè non ita reddidisset hanc doctrinam tot exemplis ac longo adeò Traditionum Catalogo conspicuam, imò illustrẽ, si eius ipsum pudere debuisse credidisset, ac propter eà tegendam, vt suspicatur Brentius, & dissimulandam.

Quàm insuper præclarè hanc Basil. de Traditionibus sententiam putarit agnoscendam ei potiùs quàm probandam, ipse viderit, qui Basilium audit Eunomianos malæ fidei debitoribus comparantem, qui ex scriptis tantùm chirographis agnoscunt debitum, nō item ex non scriptis Patrum testimoniis. Nisi igitur Basilium facias stolidum, ac suæ disputationis methodi oblitum, quo ore affirmes hanc sententiam illi agnoscendam, & non probandam? Adhæc quum disertè asserat,
« καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ ὅστις γε κἂν κατὰ μικρὸν
« γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται.
« Hisce non scriptis dogmatibus neminem contradicturum, quisquis vel tenuiter Ecclesiasticorum rituum fuerit peritus, quo pacto quæso dixeris hoc Basilio excidisse incogitanti? Rem hanc adeò pronunciat certam, planam, & indubitatam, vt nullus vel ruditer Ecclesiasticorum rituum peritus refragetur, & incogitanti excidisse Brentí audes calumniari? Quod dum facis illiberaliter, te sanè de illorum esse grege caueto manifestè prodas, qui iura legésque Ecclesiasticas imperiti non didicēre. Cæterùm quod ad ratiunculas Brentij attinet, quibus persuadere conatur, ipsum se Basilium alibi emendasse, & hanc præclaram de traditis Fidei dogmatibus sententiam, seu fœdam corporis partem obtexisse, atque obuelasse, in præsentia non est refutandi locus, sed istud in librum quintum est reiiciendum. In præsens enim sufficere arbitramur demonstrasse, Basilium quoque Traditione fuisse nixum in Fidei doctrina stabilienda, idque eum adeò non incogitanter fecisse, vt hoc argumēto ceu telo victrice sibi de Eunomianis hæreticis indubiam sit pollicitus victoriam. Verùm ad Catalogum nostrum pertexendum ex diuerticulo recurrat oratio: quē priùs aliorum Patrum quàm locupletemus testimoniis, alterū sanè aureum ex Basilij thesauris promemus chymelion, quod aduersus omnes semel hæreses non tantùm pios muniat, sed exornet etiam eximiè.

Homilia aduersus Arrhianos, Sabellianos, & Eunomianos habita, quibus pestibus nostræ Fidei Christianæ nihil vnquàm Cacodæmon excogitauit pernicio-

ſiùs, quòd ipſam Fidei baſim Deum vnum & trinum tẽtarint euertere, cùm ſuos monuiſſet auditores, qui cenſores potiùs acceſſerant quàm diſcipuli, ne audire deſiderarent, quod ipſis placebat, ſed quod Chriſto Domino, quódque Scripturis eſſet conſonum, & Patribus nõ contrarium, ita poſt allata Scripturarum loca, quæ illi hæretici ſuis vexabant, atque in ſuam aliorúmque deprauabant perniciem commentis, diſſeruit: At verò vt ne ſepares à Patre & Filio Spiritum ſanctum, δυσωπείτω σε ἡ παράδωσις. ὁ κύριως οὕτως ἐδίδαξεν, Ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, πατέρες διετήρησαν, μάρτυρες ἐβεβαίωσαν, ἀρκέσθητι λέγειν, ὡς ἐδιδάχθης. Id eſt, Ipſa Traditio tibi perſuadeat: Dominus ipſe ſic docuit, Apoſtoli prædicarunt, Patres traditum obſeruarunt, Martyres confirmarunt. Sufficiat tibi ad omnia hæreticorum argumẽta reſpondiſſe, ſicuti traditum accepiſti. Quòd ſi in tanti noſtræ Fidei Chriſtianæ capitis de Spiritus ſancti deitate confirmationem Magnus ille Baſilius verbum Dei traditum cenſuit aduerſus hæreticos vrgendum, quid ni eadem Traditione non ſcripta, & in leuioribus aduerſus hæreſes velitationibus vtamur?

Aiacis clypeus omnib⁹ hæreſibus obiiciẽdus cum certiſſima victoriæ ſpe.

Caput X.



CÆterùm quantum authoritatis inuictæ aureum orationis flumen fundens Chryſoſtom. non ſcriptæ Traditioni cenſuerit inſediſſe, vnus ex innumeris locus demonſtrarit. Cùm enim in D. Paulum ſcribens, occaſio ſedaret huius declarandi, aduerſariis dogmatum nõ ſcriptorum authoritatem eleuantibus os obturaturus, Traditio eſt, inquit, nil requiras ampliùs. Quam auream Chryſoſtomi vocem hodie calumniarentur facilè naſutuli iſti Tyrannicam, & quæ Fidei dominetur: Verùm cordatus lector agnoſcit facilè, D. Chryſoſtomum nihil à ſolenni illa veterum Orthodoxorum Patrum conſuetudine facere alienum. Illud enim, Traditio eſt, nil requiras amplius, auguſtiſ-

Vide hom. Chryſoſto. 2. Theſſ. 2.

" ſimam maieſtatẽ & prorſus irrefragabilem Eccleſiaſti-
" cæ Traditionis non ſcriptæ arguit authoritatem : quæ
" tanta Chryſoſtomo fuit credita, vt ad Traditionis nomen vel impudentiſſimus obticeſcat garrulus.

Epiphanius.

Porrò qui Epiphanio fidem habet, audiat, quàm ille Traditiones non ſcriptas cenſuerit eſſe neceſſarias. Aduerſus eos diſſerens, qui virginibus Deo per votũ dicatis licitas prędicabãt nuptias, ita ſcribit in Apoſtolicis:

Votũ castitatis impedit matrimonium.

δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι, διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι Απόστολοι· ὥς φησιν ὁ ἅγιος ἀπόστολος, ὡς περέδωκα ὑμῖν καὶ ἄλλοτε, οὕτως διδάσκω, καὶ οὕτως περέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. καὶ εἰ κατέχετε ἔκτος, εἰ μὴ εἰκῆ ἀπιστεύσατε. περέδωκαν τοίνυν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἀπόστολοι τῇ ἁγίᾳ θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἐφάμαρτον εἶναι τὸ μετὰ τὸ ὁρίζαι παρθενίαν εἰς γάμον τρέπεσθαι: Id eſt, Traditione quoque, ait, aduerſus iſtorum errores vtendum eſt. Neque enim vniuerſa ex Scripturis diuinis petantur. Ideo quædam DD. Apoſtoli ſcripto, quædam Traditione nõ ſcripta tradidêre, quemadmodum ait D. Apoſtolus, ſicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſiis. Et, Si tenetis, niſi fruſtrà credidiſtis. Sanctæ igitur Dei Eccleſiæ tradidêre Sancti Dei Apoſtoli, ſceleratum eſſe poſt promiſſam virginitatem ad nuptias conuerti.

Mortuos precibus superstitum adiuuari.

Rurſus aduerſus Aërium animarum hac vita defunctarum hoſtem infeſtiſſimum diſſertationem concluſurus, ita eũ nõ ſcriptis Traditionibus credidit iugulãdũ, εἶτα δὲ περὶ τούτου αὖθις ἐπιλήχομαι τῆς ἀκολουθίας, ὅτι ἀναγκαίως ἡ ἐκκλησία τοῦτο ἐπιτελεῖ παράδοσιν λαβοῦσα παρὰ πατέρων. τίς δὲ δυνύσαιτε θεσμὸν μητρὸς καταλύειν, ἢ νόμον πατρός, ὡς τὰ παρὰ τῷ Σολομῶντι εἰρημένα, ἄκουε υἱὲ λόγους πατρός σου καὶ μὴ ἀκώσῃ θέσμους μη-

πρόσσου· δεῖξαι ὅτι ἐγγράφως τε καὶ ἀγγράφως ἐδίδασκεν ὁ πατὴρ, τουτέστιν, ὁ θεὸς, μονογενὴς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἡ δὲ μήτηρ ἡμῶν ἡ ἐκκλησία εἶχε θεσμοὺς ἐν αὐτῇ κειμένους ἀλύτους, μὴ δυναμένους καταλυθῆναι: Quod eſt, Redibo autem ad intermiſſum dudum argumentum, Eccleſiam hoc neceſſariò facere, orare videlicet pro mortuis, vt eis peccata remittãtur, quòd Traditionem hãc à Patribus ſuſceperit. Quis enim ſtatutum matris queat diſſoluere, aut legẽ patris? vt apud Solomonem eſt: Audi fili verba patris tui, & ne »
repellas ſtatuta matris tuæ: Oſtendens Patrem nos ſcri- »
pto & non ſcripto docuiſſe, hoc eſt, Deum, vnigenitum, »
& Spiritum ſanctum. Mater autem noſtra Eccleſia leges »
ritúſque ſacros ſibi habet traditos, indiſſolubiles.

Diuus quoque Ambroſius tantam Traditionis Apoſtolicæ credidit eſſe authoritatem, vt ab ea diſſentientes hæreticos pronunciare non dubitarit. Illum enim Pauli locum 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, interpretatus, cùm miniſtrum Chriſti, inquit, & Sacramentorum Dei ſe probat, Pſeudoapoſtolos notat, & abnegat Chriſti eſſe per id, quòd diſcordarint à Traditionẽ Apoſtolica.

Pſeudoapoſtolum quid faciat.

Prætereà orationes illas Chriſtianæ Eccleſiæ publicas, quibus ſolenniter Catholici vtuntur Sacerdotes, ſatis ſupérque cenſuit aduerſus Nouatores cõfirmatas, ſi eas Traditioni Apoſtolicę demonſtraret eſſe referendas ac- »
ceptas: Hęc regula Eccleſiaſtica, inquiẽs in cap. 2. Tim. 1 »
tradita eſt à Magiſtro gentium, qua vtuntur Sacerdotes »
noſtri, vt pro omnibus ſupplicent, & quæ ſeq.

Eccleſiaſticæ orationes ſolennes vnde confirmentur.

Quantum porrò authoritatis multò auguſtiſſimæ in non ſcriptis Eccleſiæ Catholicæ Traditionibus reſidere crediderit D. Hieronymus clariſſimum noſtri Aquilonis ſidus, vno aut altero ſuffecerit loco demonſtraſſe. Cùm impiam ſuam ſuperſtitionẽ pietatis ſpecie adumbratam Manichęi Chriſtianis obtruderent pro Apoſtolica doctrina, Ieiunandum eſſe piis quotannis Quadrageſimas ternas, abſtinendum prorſus à vino, carnibus, & ſimilia, audi obſecro, ecquid ad has ſuperſtitiones ſe-

Quadrageſima cur omnibus ieiunanda.

mel confutandas atque iugulandas obiecerit, ceu telum omnium validissimum Hieronymus. Nos secundũ Traditionem Apostolicam, inquit epistola ad Marcellam, vnam ieiunamus Quadragesimam. Quibus verbis vt fictitias illas Manichæorum abolevit Quadragemas: ita nostram Caholicis omnibus solennem Quadragesimã ad Christi Domini exemplum institutam piis omnibus reddidit roboratissimam.

Confirmatio baptizatorũ vnde probetur.

Similiter & contra Luciferianos aliquot Ecclesiæ consuetudines scriptæ legis authoritatem sibi vsurpare affirmat. Postquàm enim Luciferianus colloquutor ad statuendum dogma minimè controuersum inter ipsos, " Baptizatis manus esse imponendas, attulisset, Etiamsi " (inquit ille) Scripturæ authoritas non subesset, totius " orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtine- " ret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccle- " siis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpa- " uerunt. Velut in lauacro ter caput mergitare, deinde e- " gressos, lactis & mellis prægustare concordiam ad in- " fantiæ significationem: die Dominico, & per omnem " Pentecosten nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multáque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit. Post istas, inquam, Catholicæ Ecclesiæ consuetudines, atque sine scripto traditas obseruationes, à Luciferiano colloquutore in medium " allatas, audi obsecro, quid de eis D. Hiero. senserit: Nõ " quidem abnuo (inquit) hanc esse Ecclesiarum consuetu- " dinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per " Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad " inuocationem sancti Spiritus manum impositurus ex- " currat. Sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresin trans- " feras, & virginis tuæ integritatem per meretricum lupanaria patiaris spurcari?

Ceremoniæ ritúsque Ecclesiarũ vnde statuãtur.

Quòd si quis de eo ambigat, quod iamiam recitauimus, multa nimirùm, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, scriptæ legis sibi authoritatem vsurpare, quòd hæc sententia sit à Luciferiano Schismatico prolata, is mihi sedulò velim cogitet, hoc nomine minùs rectè de eo esse dubitandum. Hinc enim certiori fide est susci-

suscipiendum, quod vel hostis iuratissimus verum esse professus, ad sui dogmatis confirmationem adducit. Dum enim istud sibi à Catholicis sumit, suo ipse facto clarissimè loquitur, apud suos indubitatæ fuisse fidei axioma. Porrò quàm & Catholici hoc crediderint lõgè verissimum, vnus D. Hieronymus suis declarauit verbis: Has similésque Ecclesiarum cõsuetudines pronuncians esse Ecclesiæ leges.

D. Proclus Fidei vnitatem ex traditionibus non scriptis statuit.

Hunc in modum & D. Proclus Constantinop. Archiepiscopus Armenos ad Fidei Orthodoxæ vnitatem exhortatus, epistolam claudit: στήκετε τοίνυν ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου. καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων ἀλλὰ φυλάττοντες τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβετε τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἐκθεμένων, καὶ τῶν περὶ τὸν ἅγιον καὶ μακάριον Βασίλειον, καὶ Γρηγόριον, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν αὐτοῖς ὁμοφρόνων: Id est, Quapropter state in vno Spiritu, atque vnanimes Fidei Euangelij commilitones, neque vlla in re ab aduersariis terreamini, verùm custodite Traditiones illas, quas sancti beatique Patres Fidem Orthodoxam Nicææ promulgãtes tradidęrę. Similiter & eas, quas D. Basilius atque Gregorius, & alij item cęteri, qui vnum idémque his senserunt atque crediderunt.

D. August. Traditione nõ scripta cõfirmat Fidei dogmata.

Verùm nunc ad præclarum illud Catholicæ Christi Ecclesię columen D. Augustinum transeamus, vt ex eius quoque sentẽtia liqueat, maximam esse ac planè diuinã Ecclesiasticæ Traditionis non scriptæ vim atque authoritatem.

Illam igitur quæstionem, quæ Cypriani ætate omnẽ penè perturbarat orbem, de hæreticis rebaptizandis, an non, pertractans, quòd neutra eius pars ex scripto Dei verbo posset statui, audi obsecro, quonã Dei verbo eam contra Cyprian. à Stephano Rom. censuerit definitam: Apostoli autem nihil exinde præceperunt, inquit lib. 5. de Baptis. contra Donatist. cap. 23. sed consuetudo illa,

quæ opponebatur Cypr. ab eorum Traditione exordiũ sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quę vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquàm scripta non reperiantur. Vides hîc, Christianæ Lector, nihil D. Augustini interesse ad doctrinam Fidei Christianæ statuendã atque corroborandam, num eius cõfirmatio ex diuinis sit petita Scripturis, an Apostolorum non scriptis hausta Traditionibus? Quod ne de vno aut altero tantum Fidei dogmate accipias, dissertè monet Augustinus, multa esse, quæ vniuersa tenet Ecclesia, quanquàm scripta non reperiantur, & ob hoc, ab Apostolis præcepta esse benè creduntur.

Aurea Aurelij Augustini verba.

Simili prorsus modo idem Augustinus probaturus ex diuina authoritate, paruulos, qui nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, solo Baptismi Sacramento veram in Christo salutem consequi: quanquàm, inquit lib. 4. contra Donatistas, cap. 24. quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, semper retentũ est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Quo in loco animaduertenter est obseruandum, D. Augustino esse paria, eiusdémque ad Fidei dogma confirmandum facultatis atque virium aliquid ex diuina authoritate scripta esse creditũ, & authoritate Apostolica non scripta traditum.

Baptizãdos paruulos docet Augustinus ex Traditione Apostolica, quæ diuinam habet authoritatem.

Quibus aureis D. Aure. August. sententiis cum nihil proferatur aut luculentum, aut perspicuum magis, nolumus in præsens candidos lectores numerosiore Scriptorum veterum catalogo onerare molestiùs, sed vela contrahentes atque colligentes, in fidum cymbam subducere portum: quod recto perficeremus cursu, nisi nos ad velificatiunculam eximius inuitaret fructus, quem ex appendicula superioribus subtexenda piis polliceri ausimus lectoribus. Priùs enim quàm hac de tabula manum tollamus, per magnum nos facturos confidimus operæpretium, si Ecclesiasticæ Traditionis non scriptæ vim demõstremus, non Catholicis modò Patribus fuisse sacrosanctam, atque eiusdem cum scriptura authoritatis, sed ipsis adeò hæreticis Ecclesiæ Christi Iesu Catholicę hostibus multò infestiss. Hinc enim nostri secu-

Ii omnium infœliciss. si non curetur insania, certè multorum cæcitas oculos, vel tãdem recipiat: eorum in primis, qui Ecclesiasticæ doctrinæ ortum, propagationem, & contra hæreses defensionem animo à præoccupatis opinionibus libero dignabuntur citra præiudicium attenti animaduertere.

Caput XI.



Ost accẽsitum Orthodoxorum Patrum Catalogum, quo traditionis nõ scriptæ authoritatem cõfidimus, quantum satis est, stabilitam atq; corroboratam, haud abs re futurũ duximus, si eadem ex priscorum etiam hæreticorum præiudicio cõfirmetur. Hinc enim futurum spero, vt liqueat, quàm fuerit apud Priscos ac veteres Christianos non scripta Traditio authoritatis validæ, ac irrefragabilis planè, atque inuictæ, cùm & hæretici sua deliramenta opinati sint satis supérque confirmata, si eã Traditionis Apostolicæ fuco illita, imperitis homunculis pro sana Fidei doctrina obtruderent. Quod haud dubium nullus vel extrema impudentia tentasset, ni apud priscum seculum veneranda admodùm & irrefragabilis fuisset non scriptæ Traditionis authoritas.

Hæreticos priscos traditionib⁹ quoque fuisse nixos suis in dogmatibus stabiliendis

Alexandrinus ille Carpocrates omnis spurcitiæ ac plusquàm lupanariæ fœditatis author, suam quã apud rudem popellum malè blãdam subans despumabat doctrinam de Christo mero homine, de Pythagorica etiã, si Superis placet, animarũ metempsychosi ac traiectione, aliísque nugis Apostolos habere authores mentiebatur, quibus ipse illam Christus tradidisset secretiùs, quemadmodum libro primo hisce verbis testatur Irenæus aduersus hæreses: καὶ εἰ μὲν πράσσεται παρ' αὐτοῖς τὰ ἄθεα, καὶ ἔκθεσμα, καὶ ἀπειρημένα, ἐγὼ οὐκ ἂν πιστεύσαιμι, ἐν δὲ τοῖς συγγράμμασιν αὐτῶν οὕτως ἀναγέγραπται, καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐξηγοῦνται, τὸν Ἰησοῦν λέγοντες ἐν μυστηρίῳ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ Ἀποστόλοις κατ' ἰδίαν λελαληκέ-

Aetate Adria. Aug.

ναι, καὶ αὐτοὺς ἀξιῶσαι τοῖς ἀξίοις, καὶ τοῖς πειθομένοις ταῦτα παραδιδόναι: Quod est, Patrari à Carpocratitis illa ſcelera impia, nefaria, & infanda, equidem haud crediderim. Verùm in eorũ libris ita ſcriptum legitur, ipſíque narrãt, Ieſum ſuis cum diſcipulis & Apoſtolis, inquientes, priuatim fuiſſe colloquutum in myſterio atque ſecreto, eóſque dignatos eſſe dignis, & qui parere cuperent, illa tradere.

Artemon etiam ille, cuius delirium Paulus Samoſatenus poſteà renouare conabatur, Chriſtum Dei filium quum merum fuiſſe hominem doceret, ita quoque Apoſtolos prædicaſſe affirmabat, húncq; in modũ Eccleſiam Catholicam ſenſiſſe ad Victorem vſque Romanum, ſed per Zephyrinum illius ſucceſſorem doctrinam eſſe corruptam: quemadmodum eſt apud Euſebium libr. 5. cap. 27. & Nicephorum lib. 4. cap. 21.

Euſebius quoque ille Nicomedienſis, Arrhiani incendij quàm pernicioſus incentor, & alij eiuſdẽ factionis in Conciliabulo Antiocheno Epiſcopi, damnatam illam dudum Arrhij doctrinam veteri quoque non dubitauerunt aſtruere Traditione. Nos neque Arrhij ſectatores fuimus, (ita ad Epiſcopos paſſim ſcribebatur, teſte Nicephor. libr. 9. cap. 5.) quomodo enim Epiſcopi Preſbyterum conſectaremur? neque aliam quampiam Fidem, præterquàm quæ ab initio promulgata eſt, recepimus.

Quod tota hæc Arrhiana cohors iactabat, non aliam quampiam Fidem ſe recepiſſe, præterquàm ab initio promulgata eſſet, idipſum & illarum cateruarum Apoſtolico ſeculo graſſantium ductores factitabãt, quò nefariis ſuis dogmatibus aliquem probabilitatis fucum illinerent. Baſilides enim Glauciam D. Petri interpretem, ſuum iactitabat magiſtrum. Valentinus ſe Theodadum D. Pauli familiarem audiiſſe. Marcion, & alij, ſeſe D. Matthiæ diſcipulos nugabantur habuiſſe magiſtros, corúmque obtinere & ſententiam, & traditam doctrinam. Sed fuit vna omnium Apoſtolorum (inquit Clemens Alexandr. 6. Stromatum) ſicut doctrina, ita Traditio.

Vide Cle. Alexandr. 6. Stro.

Caput XII.



Vm igitur priſci Patres Orthodoxi, atque adeò hæretici illi veteres ex ipſis vſque Chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis Traditionem nõ ſcriptam nihil minùs ad corroborandã doctrinæ Euangelicæ Fidem valere cẽſuerint, ac diuinam ipſam Scripturam, eſſet quidem hîc claudendus liber, niſi noſtri ratio inſtituti demonſtratum poſtularet, nõ modò ſic Patres priſcos priuatim ſuis in ſcriptis ſenſiſſe, verùm publicè etiam in publicis Eccleſiæ Chriſtianę conuentibus, Synodíſque vniuerſalibus: quod vbi quàm fieri poterit, breuiter oſtenderimus, huic libro lectoris faſtidium cauentes, faciemus modum.

Patres priſcos in cõciliis vſos eſſe Traditionibus ad ſtatuendã Fidei doctrinam.

Arrhianæ igitur blaſphemiæ non modò Alexander ille Alexand. aliíque item cæteri obſiſtebant traditæ de Filio Dei doctrinæ ſcuto muniti, ſed & vniuerſum Catholicæ Chriſti Eccleſiæ Concilium: quemadmodum ſuo ſuperiùs loco eſt demonſtratum fuſiùs, quàm vt repetendum duxerimus.

Concilium Nicænum.

Ad eum modum & Patres Concil. Gangren. congregati ſtatuunt: καὶ πάντα. (συνελθόντως εἰπεῖν, τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν καὶ τῶν ἀποστολικῶν παραδόσεων ἐν τῇ ἐκκλησία γίνεσθαι εὐχόμεθα: Id eſt, Et vniuerſa, inquiunt in Concilij Epilogo, vt ſummatim dicamus, quæ nobis à diuinis ſunt prodita Scripturis, & Apoſtolicis Traditionibus, in Eccleſia fieri optamus.

Concilium Gangrẽſe.

Hunc in modũ, vt alia prætercurram, quò breuis ſim, & Synodus illa Nicæna ſecunda clariſſimè Traditionibus nititur non ſcriptis, ad Catholicam de venerandis imaginibus doctrinam conſeruandam. Fatemur autem vnanimiter nos, inquiũt Patres illi, toto orbe numeroſiſſimè cõgregati in Cõcilij decreto, Eccleſiaſticas Traditiones ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio.

Concilium 2. Nicænum.

Caput XIII.

Epilogus libri 2.



Æc vetustissimorum iuxtà ac clarissimorum Scriptorum vnà & Conciliorum priscorum copiosiùs recensuimus testimonia, quò meridiana Solis luce semel faceremus manifestius, quæ nam Patrum nostrorum veterum ad vnum omnium fuerit de verbo Dei Euangelico sententia: nempe verbum Dei non esse ex vno Bibliorum libello, eóque exiguo, metiendum, aut vniuersum hauriendum: sed ex doctrina illa regni Dei, siue Euãgelij, quam Apostolos vel ipse Christus, vel eius Spiritus eis doctor omnis veritatis promissus docuisset, quámque iidem Ecclesiis viua voce tradidêre initiò. Illa est igitur Fidei Euangelicæ regula, norma, & amussis vnica, quam suis præscripsit Christus in cœlos rediturus discipulis: Euntes docete, inquiens, omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, docentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Hoc illud est verbum Domini, quod manet in æternum. Verbum, inquâm, quod teste Diuo Petro & interprete, εἰς ὑμᾶς εὐαγγελισθὲν, Vobis est annunciatum, ac per Euangelistas illos à Christo & eius Apostolis missos toto fuit orbe lõgè latéque concorditer initiò disseminatum.

Informatio verbi Dei Euangelici.

Fidei regula quæ.

Istud verbum Domini non est vniuersum in literas relatum, vti demõstrauimus, sed viua Apostolorum voce piis illis Christiani gregis cum ouiculis tum pastoribus insitum atque implantatum. Quod audistis ab initio, inquiebat ille, maneat in vobis. Qui hanc doctrinã non adfert, quam scilicet initio didicistis, ne receperitis eum in domum, nec aue dixeritis ei.

Hoc illud est, quod D. Paulus suos aduersus heterodidascalos præmuniens, seriò monebat: State, inquiens, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per epistolã, εἴτε διὰ λόγου, siue per sermonem, per meásque conciones, ac vocem quoque viuam.

Hanc igitur vniuersam Apostolorum doctrinam partim scripto, partim ἀγράφως, sine scripto Ecclesiis initiò traditam, vti ipsi Apostoli, sic & eorum discipuli, om

nísque posterorum legitimo successionis ordinē in illorum locum venientium, ætas pro germano veróque agnouit, censuit, adeóque obtinuit semper verbo Dei Euangelico, siue in dogmatibus suis Ecclesiasticis tam domi, quàm alibi propagandis: siue eisdem aduersus heterodidascalos, hæreticos, atque Antichristos defendendis ac propugnandis: tam in priuata etiam per conciones & scriptiones in eos velitatione, quàm publica illorum Conciliorum celebratiss. Nicæni, Gangrensis, Nicæníque alterius definitione, vt omittamus nunc ipsorum adeò hæreticorum hac in re consensum, qui tantum solidæ authoritatis existimarūt ecclesiasticis inside re traditionibus, vt sua dogmata satis crediderint cōmunita, vtut absurda, si eis Apostolicum saltē prętexere possent Traditionis titulū. Quod vt ipso meridie fieret clariùs hinc sanctissimorū Patrū, qui Apostolos aut ipsi audierunt, aut eorum discipulos, aut Martyrum illorum suo purpureo pro Christo fuso sanguine clarissimorum fuêre auditores, hac de re fusiùs recitauimus testimonia quò charitati, quam vel inimicis, adeóque nostri nominis hostibus debemus, nedum fratribus communi nobiscum Christiano adhuc nomine gaudentibus, nullíque iuratis factioni consuleremus pleniùs, atque salutariùs, nimirùm vt ij saltem, qui moderatiori sunt ingenio, nec temeraria peruicaciæ contumacia cæci, aut partium studio, aut opinione anticipata insani, re seriò expensa, vel tandem cum illo Polemone Xenocratico ad animi sobrietatem, atque Catholicæ Fidei sanitatem ab isto hallucinationis nihil minùs quàm Euangelicæ sopore semel exuscitarentur, ac rem ita claram ac contestatam, vel tandem agnoscant multò esse verissimam. Quemadmodum enim hic Xenocratis Platonici scholam luxuriæ coronis caput redimitus, ac bellè potus, audita illius, quā fortè fortuna de Tēperātia habuit, oratione, ad mētis sanitatē anteà luxu & ebrietate perditus reuocabatur, corollis sensim capite detractis, abiectísq;, manu etiam pallio subdita, ore, vultúq; ad verecundiam

Cur prolixo adeò veterū Patrum catalogo Traditionis non scriptæ authoritas communita.

Polemonis exemplo nō paucos ad mētis sobrietatem reuocandos, qui hanc vnam ac consentiētē omnis veterum Patrū Senatus sententiam, de verbo Dei euāgelico volēt seriò animaduertere.

formato, se illi denique discipulum tradidit, cuius deridendi causa illò accurrerat, sic & horum charissimorum fratrum fortè quispiam (nullum enim Germaniæ ingenium ita in perditis & desperatis habemus, quod non istas, quæ modò, proh dolor, Septẽtrionem nostrum infœlicissimè occupant, aliquando persentiscat tenebras, si modò Christi luce affulgente excitatum euigilet) in hũc clarissimum sanctissimorum iuxtà ac doctissimorum Euangelij verè Christiani propagatorum ac propugnatorum inductus Senatum, verecundia victus, non reluctabitur diutiùs consentienti, adeóque vni illi illorum ad vnum omnium sententiæ de verbo Dei Euangelico. Maxima insuper mihi in illorum indole ingenua simul & liberali ingenio residet spes, non defuturos, qui cristas, quas adhuc aduersus Catholicos illos Patres gerebant erectiores, sensim, tanquàm ille corollas, demittant manúque abiiciant, quasi pristinæ insaniæ testes, ac vultum animi ad verecundiam componant, illísque se morigeros & obsequentes præbeant in discendo vero Dei verbo Euangelico, tam scripto, quàm non scripto discipulos, quos sibi anteà in Catholicis hominibus illorum discipulis iure putabant deridendos. Sed nunc ad ea, quæ supersunt, transeuntes, huic secundo libro aliquem faciamus modum.

Finis libri secundi de verbo Dei Euangelico.



LIBRI TERTII DE VERBO DEI EVANGELICO, ARGVMENTVM.

Ex illa clara atq; Scriptorũ Orthodoxorũ suffragiis dudũ cõtestata totius Ecclesiæ Catholicæ sententia, colligitur hoc libro vera verbi Dei euãgelici definitio: nẽpè, quòd Deus, ad Euangelium attinens locutus, proponit per Ecclesiam credendum: siue id per se ipse loquatur, siue per Ecclesiæ caput Christum, siue mẽbra Apostolos, Prophetas, Pastorésue Ecclesiæ, tam priuatim in concionibus, quàm publicè in Conciliis. Hinc verbi Dei euangelici fluit partitio in scriptum, & non scriptum, siue agraphon. Scriptum esse Canonicis Scripturis comprehensum, omniáque Canone inclusa paris esse authoritatis. Vbi inquiritur, quãdo Canõ Scripturarum primùm editus, qui variè auctus: quódque non ab Apostolis, nec in Concilio Niceno, sed Laodicæno nemùm fuerit certus definitus.

Verbum Dei euangelicum quid. *Partitio.* *Canon. scripturæ.*

Altera verbi Dei euangelici pars Agrapha bipartitò diuiditur, in Dogmaticum & Mysticum, siue Rituale. Vbi scripturarum obscuritas docetur, quæ certum ac indubitatum sensum nisi ex non scripto verbo Dei non recipiunt. Mox varia Christianæ Ecclesiæ dogmata ex Traditionibus non scriptis liquidò Apostolicis, certóque Catholicis demonstrantur: ab Apostolis nimirùm esse tradita, diem dominicum, Festa aliquot, Symbolum Apostolorum, Quadragesimæ ieiunium, etiam cum necessitatis opinione: Quaternorum item temporum, sexta & septima feria olim fuisse Occidentalibus ieiunatum, ideóque nunc abstinendum per hosce dies à carnibus. Similiter post liberum arbitrium & Apostolos Ecclesiis tra-

Verbum Dei non scriptum duplex. *Dogmaticũ & Mysticũ.* *Quadragesima.* *Quatuor tẽpora.* *Feria sexta & septima.* *Liberum arbitrium.*

didisse Sanctorum imagines, Festáque Sanctis instituisse. Porrò demonstratur, Sanctos pro nobis superstitibus Deum Opt. orare, Sanctorúmque inuocationem, non vt ait Philippus, Gregorij ætate irrepsisse, sed ante annos 1200 fuisse Catholicis vsitatiss. imò vsque ad annũ Domini 160. ascẽdere ostenditur, et ad Apostolorũ adeò pertinere cùm ætatem, tum doctrinam. Adhæc, quia Sanctorum inuocatio hodie oppugnatur infestiùs, demõstratur contra Apologiam Confeßionis Augustanæ, D. Hieronymum Sanctorum quoque inuocationem defendisse aduersus Vigilantium. Nec eos tantum in genere orare pro Ecclesia, sed singulatim etiam pro suis cultoribus. Nec Sanctorum inuocationem ad certi generis auxilia ex Ethnicis eße natam exemplis: nec Catholicos Sanctis supplicando, alios alia numina inuocare: sed Dei Opt. seruos, qui eius spiritu reuelãte nostras cognoscunt orationes: vbi & modus, quo nostra cognoscãt, ex Scripturis atque Orthodoxis PP. declaratur. Ad hæc non esse in Christum Mediatorem contumeliosam Sanctorum inuocationem, sed Deo Opt. Max. longè gratißimam, quam certißimis contestatur miraculis: quæ Aduersarij cum Porphirio Apostata, Eunomio, aliísque priscis hæreticis Dæmonum calumniantur præstigias. Nec esse idololatriã Sanctos aut colere, aut inuocare, quod & olim Pagani & hæretici Catholicæ Christi ecclesiæ exprobrabant. Vnde porrò demonstratur, Lutheranos verè esse hæreticos, quòd eisdem planè argumentis Catholicam hodie oppugnant ecclesiam, quibus olim certò Catholicos certò hæretici.

Imagines Sanctorum inuocatio Apostolicæ Traditionis ostenditur

Sancti cognoscunt nostras orationes.

Miracula.

LIBRI TERTII DE VERBO DEI EVANGELICO METHODUS ATQUE EPITOME

EX illa clara ac contestata clarissimorum Scriptorum Catholicorum suffragiis, atq; totius Ecclesiæ Orthodoxæ sentẽtia, in vniuersalibus Conciliis colligitur nũc vera verbi Dei definitio. Cùm enim verbũ Dei est, quicquid Deus loquitur, verbum Dei Euangelicum rectè definitur, quicquid Deus ad Euangelium attinens locutus, proponit per Ecclesiam credendum: siue id suo ore, siue per Christum, Ecclesiæ caput, siue per Apostolos & Prophetas Ecclesiæ membra, siue denique per totam Ecclesiam, eiúsque Pastores, vti in Conciliis & Synodis loquatur. *Verbi Dei definitio.*

2. Partitio verbi Dei Euangelici in scriptum, quod Scripturis Canonicis est comprehensum: & non scriptũ, siue τὸ ἄγραφον. Quòd omnia Canone comprehensa, eiusdem parísque sunt authoritatis diuinæ, & quónam pacto Canon variè variis sui partibus sit auctus citra omnem verbi Dei iniuriam. *Diuisio.*

3 De Canone scriptorum Euangelicorum, quando primùm editus. Quod non est Apostolorum Canon, qui vulgò habetur 85. sed suppositilius. An in Concilio Nicæno editus fuerit Scripturarũ Canon? Quod nihil fuerit certò definitum de Scripturis ante Concilium Laodicenum. *Canon Scripturarum diuinarum.*

4. Cur Concilium Africanum locupletiorem Scripturarum diuinarum præscripserit Canonem, atque Laodicenum?

5. De altera verbi Dei Euangelici parte Agrapha, siue nõ scripta, quæ bipartitò diuiditur, in dogmaticum & Mysticum siue Rituale.

6. Digressio de Canonicarum Scripturarũ obscuritate, quæ luculentis aliquot clarissimorum veterum Scriptorum testimoniis demonstratur aduersus eos, qui imperito popello adulantes, eam manifestam, cognitúque perfacilem nugantur. *Scripturarũ obscuritas.*

7 Scripturarum ſenſum verum, Certum, & indubitatum, niſi ex verbo Dei non ſcripto aut peti, aut haberi non poſſe,

Dies Dominicus. *Symbolum Apoſtolorũ.*

8 Nunc ad alias partes verbi Dei non ſcripti declarandas acceditur. Itaque oſtenditur initiò, diem Dominicum, aliáque Chriſtianæ Eccleſiæ, Feſta ab Aduerſariis etiamnum obſeruata, niſi Traditionibus nõ ſcriptis defendi non poſſe, & quid Veteres de illis ſenſerint. Symbolum, quod Apoſtolorum dicitur, verè eſſe Apoſtolorum, demonſtratur.

Quadrageſima ieiuniũ.

9 Quadrageſimæ ieiunium ex verbo Dei Euangelico non ſcripto obſeruandum eſſe demonſtratur: quódque cum neceſſitatis opinione & de carnibus abſtinentia apud Priſcos fuerit creditum piis omnibus cuſtodiẽdum, ex D. Auguſtino, & Hieronymo, Theophylo Alexandrino, Fauſtóque Manichæo.

Quatuor tẽpora.

10 Quaternorum temporum ieiunia ex eodem fonte Apoſtolico monſtrantur & nata, & olim obſeruata,

Sexta & ſeptima feria olim ieiunatum.

11 Sextam & ſeptimam feriã hebdomadæ fuiſſe apud veteres ieiuniis deputatam. Vnde in hodiernum vſque diem Catholicis reliqua ſunt tenuia quædam veteris ieiunij lineamenta, puta carnium abſtinentia paſſim, alicubi ouorum etiam.

12 Cur hodie à carnibus abſtinendum die Veneris & Sabbatho.

13 Ieiunij Chriſtiani hîc declarentur effecta, vſúſque planè ſalutares, quòd maximi ſint in primis apud Deum meriti, ac verè eius iram placent, ex D. Auguſtino, Cypriano, & Ambroſio.

Liberum arbitrium.

14 Quò pleniùs bonorum operũ perſpiciatur fructus & meritum, declaratur liberi arbitrij natura.

15 Doctrina eius Catholica & Orthodoxa paucis explanata.

16 Origo doctrinæ fanaticæ circa liberum arbitrium eruitur, & ſuis refertur accepta & authoribus & renouatoribus hæreticis.

Gratia Chriſti adiuuans.

17 Quónam modo liberum arbitrium operetur rectè, an per ſe, an Chriſti auxilio adiutum?

18 Qualia liberi arbitrij gratia adiuti opera.

19 De perfectione iustitiæ Christianorum, qualis nam sit in hac vita. *Iustitia piorum.*

20 De piorum operum effectis & meritis, vbi Caluini Cauilla obteruntur, & calumnia Confessionis Saxonicæ obtunditur. *Operum merita.*

21 De fiducia piorum operum aduersus iudicij illius metum. Vbi Fides spetialis ista expugnatur, quòd Paulus eam nesciuisse demonstretur ex Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Theodoreto. *Fiducia operum. Fides specialis.*

22 Vita æterna bonorum operum merces esse & stipendium ostenditur. *Vita æterna est merces.*

23 Sāctorum imagines ab Apostolis esse Ecclesiis traditas ex Diuo Basilio. *Imagines.*

24 Dies item festos sanctis fuisse ipsa Apostolorum ætate consecratos.

25 Sanctos pro nobis orare paucis demonstratur.

26 Sanctorum inuocationem non Gregorij ætate anno Domini 600. irrepsisse, quod ait Apologia Confessionis Augustanę, sed ante annos 1200. Ecclesiis Catholicis fuisse vsitatissimam, clarissimis Orthodoxorum Patrum testimoniis docetur, atque in annum Domini vsque 160. assurgere demonstratur ex Nazianzeno, Augustino, Cypriano, & aliis. *Sanctorum inuocatio.*

27 Inuocationem Sanctorum ad Apostolicam & ætatē & doctrinā pertinere inde liquidò demonstratur, quòd Sanctorum festa Apostolorum ętate instituta coniunctā habuerint præter imitationis aut Fidei exercitium, Sanctorū inuocationē in prisca Ecclesia. Quod ex August. Basilio, Nazianzeno, & Nectario, aliisque, Concilio denique Gangrensi ad liquidum comprobatur. *Apostolos tradidisse SS. inuocationē ex Origene. Concil. Gangren. & Basilio.*

28 Dæmones Sanctis hanc gloriam indiuisse per Eustachium anno 320. qui & ante Concilium Nicænum damnatus est. Rursus per Iulianum Apostatam, bellum Sanctis instauratum.

29 Diuum Hieronymum aduersus Vigilantij somnia defendisse Sanctorum inuocationem, quod negat Melanthon in Apologia Augustana. *Vigilantius Sanctorū inuocationē oppugnabat.*

30 Sanctos non in genere tantùm orare pro Ecclesia, vti ait Apologia Augustana, sed singulatim pro suis cul-

toribus, ciuibus & precatoribus.

31 Sanctos rectè ad certi generis auxilia inuocari contra Melanthonem Apolog. Confess. August.

32 Inuocationem Sanctorum ad certi generis auxilia non esse natam ex Ethnicis exéplis, vti blasphemat Melanthon. Quî factû, vt à Sanctis, qui omnia possent impetrare bona, & omnia ité mala deprecari, olim Catholici vel August. ętate quædam peculiariter ab eis sibi sint deprecati vel bona vel mala, quæ non ab aliis.

33 Catholicos Sanctis supplicando non inuocare alios alia numina, vti blasphemat Confessio Saxonica, & olim Pagani, & Faustus Manichæus.

Sancti nostratia cognoscunt.

34 Sanctos nostras preces cognoscere demonstratur.

35 Quó nam modo cognoscant Sancti orationes, videndóne an audiendo? vbi ostenditur ex August. Sáctos Spiritu Dei reuelante cognoscere nostratia.

36 Non esse in Christum mediatorem contumeliosam Sanctorum inuocationem. Vbi explicatur, quo sensu Christus vnus, sit mediator & intercessor.

37 Non esse idololatriam inuocare aut colere Sáctos, vti blasphemat Confessio Saxonica, cum Fausto Manichæo, & Porphirio Apostata.

38 Lutheranorum blasphemias in Catholicos, conuitia Paganorum & Philosophorum, priscorúmque adeò hæreticorum superare.

39 Sanctos colere & honorare, non esse in Deum contumeliosum, vti vult Confessio Saxonica.

Miracula.

40 Sanctorum inuocationem Deus Maximus clarissimis & certissimis côtestatur sibi multò gratissimam miraculis: quæ Aduersarij cum Porphirio Apostata, Eunomio, priscísque aliis hæreticis Dæmonum calumniantur præstigias. Vbi ostenditur Lutheranos suis argumentis seipsos conuincere hæreticos, & nos esse Catholicos: quòd eisdem argumentis ab orco reuocatis nos hodie oppugnant, quibus olim certò Catholicos certò hæretici.

EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO, Liber tertius.

Authore D. Vvilhelmo Lindano Dordraceno, S. Th. Doct. & Professore.

CAPVT I.



X iis, quæ adhuc verbum Dei Euangelicum inuestigando diximus, liquere confidimus, non id esse dũtaxat Dei verbũ, quod sacris literis est comprehensum atq; conclusum: nunc quíd nam verè, pleneq; sit, est definiendum.

Vera verbi Dei Euangelici definitio.

Verbum Dei est, quicquid Deus loquitur: siue priuatim alicui, vti Abrahæ de relinquenda Chaldæa: Moysi, de Ægypti fuga: Symeoni iusto, de videndo Messia: siue toti publicitùs Ecclesię. Vtrumque genus bipartitò diuiditur, in scriptum & agraphon, siue nõ scriptum. Verùm quemadmodum quædam Deus suis electis loquitur, quæ ad omnes pertinent nihil, vt illis quidem sunt verbum Dei, aliis verò minimè: verbi causa, quòd Iacobo in Ægyptum erat descendendum: quòd Symeon, nisi viso Messia, non moreretur: ita quæ per Ecclesiam sui Spiritus Discipulam proponit credenda, sunt ea quidem in vniuersum omnibus verbum Dei. Quod non ita accipiendum velim, perinde quasi Fidelium singulis singula verbi Dei membra, siue articuli, sint singulatim atque articulatim credenda: sed quod

Verbum Dei quidnam.

ſufficiat illam Chriſti tenere Fidem, quam illius Spiritus Catholicam atq; Apoſtolicam docet Eccleſiam. Poſſem id plurimis obſcuriorùm dogmatum haud ita in vulgus notorum exemplis demonſtrare: verùm multus eſſe nolo in re haud multum dubia aut obſcura. Itaque ſi Deĩ verbum eſt haud dubiè, quod Deus loquitur, in procinctu fuerit perſpicere, quid nam verè ſit verbum Dei Euangelicum, de quo nobis omnis eſt inſtituta diſputatio. Eſt autem, quod Deus ad Euangelium attinens, locutus, proponit per Eccleſiam credendum. Hîc porrò nihil intereſſe exiſtimandum eſt, ſiue id Deus Opt. ſuo quaſi ore loquatur: verbi gratia, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite: ſiue per Eccleſiæ caput Chriſtum, vt Nemo venit ad Patrem, niſi per me: ſiue per Eccleſiæ membra Apoſtolos, Prophetas, & Euangeliſtas: vti, Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Item, State & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonem. Rurſus, Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Et, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis: ſiue denique per Eccleſiæ paſtores, ipſámque adeò totam Eccleſiam Spiritu ſancto illi per Chriſtum promiſſo doctore ſempiterno erudiendam, atque gubernandã, vti Eccleſiæ definitiones & Conciliorum decreta.

Verbũ Dei Euangelicũ quid.

2. Theſſal. 2.

Galat. 1.

2. Ioan. 2.

Cæterùm qualecunque ſit tandem Dei verbum Euãgelicum, in duo illa refluit capita, ſcriptum & non ſcriptum: quod ſuperiùs eſt pluribus demonſtratum exemplis, quàm vt iis repetendis longiores eſſe conueniat. Illius verò hîc eſt admonendus pius lector, verbum Dei ſcriptum, niſi per verbum Dei non ſcriptum certò atque indubiè cognoſci non poſſe; quòd Euangelia quatuor, nec plura, nec pauciora ſuo exemplo locupletiſſimè faciunt conteſtatum.

Verbum Dei Euãgelicum ſcriptũ cognoſcitur per nõ ſcriptum.

Proinde haud adeò magni fuerit negotij, hiſce accuratè penſitatis, perplexam illam diſſoluere quæſtionẽ, vtriùs nam verbi Dei authoritas ſit maior, ſcriptíne an non ſcripti? Hoc eſt, Scripturarúm ne, an doctrinæ Catholicæ atque Apoſtolicæ? Verùm ea in alium locum

oportu-

oportuniorem reposita, ipsam verbi Dei Euãgelici partitionem in præsentia diffusiùs, vt persequamur, nostri instituti poscit ratio.

Caput II.



Vm itaque bipartitò sit diuisum, in scriptum & agraphon, siue non scriptum, de iis ordine est dicendum. Scriptum Dei verbum, scripturam Ecclesiis à Spiritu sancto traditam, omne complectimur. Quicquid ergo extra eam ab Ecclesiis approbatum, siue apud Christianos legitur apocryphon, vt Nicodemi, Bartholomæi, aut alterius Euangelium, aut etiam Iacobi Apostoli nuper in lucem editum Protoeuangelium: siue alibi extat, vel apud Manichæos, vt illa quam mentiebantur, Christi epistola, fundamenti nuncupata: aut Iudæos etiam, vt Enoch liber: similiáque, nullum inueniunt diuinæ authoritatis locum. Sed de ipso sacrarum Scripturarum corpore, siue, vt appellabant veteres, Canone, maior existit inter Christianos disputatio, videlicet, vtrum omnia Canone comprehensa diuinæ sententiæ habeant authoritatem? Rursus, si habeant, vtrùm habeant omnia parem? Quæ quidem quæstiones, sicuti in veteri Ecclesia iustam merebantur discussionem: ita nunc temporis cùm variis Ecclesiasticis Conciliis sint definitæ, adeò non merentur vllam disquisitionem, vt ei, qui de eis ambigendi locum sibi putet superesse reliquum, inter pios Catholicæ Christi Ecclesiæ filios, salutis æternæ ratio constare nequeat. Posterior itaque quæstio minimum habet difficultatis: contrà prior, plurimum. Verùm qui varias verbi Dei species suprà recensitas animo tenet, sicuti omne Dei verbum agnoscit, Dei verbum, hoc est, paris atque eiusdem planè authoritatis, quippe ex vno eodémque ipsissimæ veritatis ore, natum atque profectum: ita omne, quod Catholica Christi Ecclesia sancti Spiritus sui magistri vnctioni atque doctrinæ consentaneum suscipit, indubitato verbum Dei est habendum.

Verbi Dei Euangelici partitio in scriptum & nō scriptum.

Scriptū Dei verbū Canone est cōprehensum.

Canonicæ authoritatis liber, quid.

Scripturarū omnium Canonicarū par eadémque est authoritas.

Hanc verbi Dei regulam, siue scripturarum Cano-

Quomodo Scripturarũ canon librorum aliquot incrementis aliàs, atque aliàs fuerit auctus citra omnem verbi Dei iniuriã.

nem nihil variat, quòd variè aliis atque aliis temporibus multis sui partibus, & iis non exiguis, interdum aucta fuerit, & auctariis aliquot quasi cumulata: sed sicuti vnà cum accrescente Dei Opt. in homines benignitate illustrissimum Christianæ Fidei Solem magis atque magis accendit, ita Christianorum animos clarissimo veræ in Deum pietatis, veræque religionis lumine maiorem in modum illustrauit. De huius igitur scripturarum Canonis varietate primùm, mox de indubitata eius fide nobis, quàm fieri potest restrictè, video dicendum.

Iudæorum recentiorũ impietas sacrilega in Scripturarum diuinarum Canonem.

Quod ad veteris Testamenti libros Canonicos attinet; breuitatis causa nihil in præsens dicendum duximus, quòd illius Canonis auctus omnibus sint notiores, quàm vt de iis sit differendum fusiùs: nisi fortè aliquis de librorum Iudaïcorum discrimine existimet nõnihil commentandum: cur alios, inquam, hagiographos, seu vt ipsi vocant כתובים scriptos, alios verò legis & Prophetarum hodie appellitent? Rursus an Psalterium eo habeant authoritatis loco, quo vetus Synagoga, Christi tempore? an potiùs in nostri scilicet Messiæ crucifixi gratiam, vti Iacobus de Valentia, & alij, suo dimouerint gradu? cur item Esdræ libri, Thobiæ, Iudith, Machabæorum & reliqui ab Ecclesia illa veteri, non meruerint authoritatem Canonicam? & si quæ horum similia: quæ cùm ab aliis doctissimè iuxtà ac luculẽter sint pertractata, nolumus in re minùs necessaria esse copiosi. Præsentis igitur instituti memores, nunc illud persequamur, quò nam pacto Euangelicarum scripturarum Canon variis subinde fuerit partibus auctus, cur item veteris Testamenti volumina, nec vniuersa, nec eodem tempore in Christianæ Ecclesiæ Canonem fuêre suscepta?

Caput III.

Canonis librorũ Euangelicorũ origo perquiritur.



Vando primùm certus Euangelicarum scripturarum Canon fuerit Ecclesiis Christianis præscriptus, per magni interest, ad quæstiones huius ætatis dissoluendas cognoscére. Nos quod meditando sumus assequuti,

citra vllum rectiùs ſentientium præiudicium perueſtigandæ veritatis cauſa perlibenter & candidè in medium proponemus.

Illum itaq; ſcripturarum Canonem, qui vulgò in Canonibus, vti appellantur, Apoſtolicis, cap. octogeſimoquinto circumfertur, ab Apoſtolis non fuiſſe præſcriptū hinc liqueat, quòd eo multa ſunt comprehēſa, quæ nondum ab Apoſtolis erant ſcripta: vt plurimæ Diui Pàuli epiſtolę. Rurſus Diui Petri, & Ioannis nec Euangelium, nec Apocalypſis.

Iam vt de iſto Canonum, quos certum eſt veterū ſcriptorum teſtimoniis aliquot edidiſſe Apoſtolos, numero nihil dicam, qui 85. accenſet: quos Patres in Concil. 6. Oecume. Conſtantinop. congregati videbantur agnoſcere genuinos, licèt Zephyrini ſententia Canones Apoſtolorum 60, tantùm: Leonis verò tantùm 50. eſſe receptos, legas diſtin, 16. ſatis præ ſe fert argumenti, quātum mereatur fidei: quòd duas Clementis Roman. Pont. epiſtolas attexat & præceptiones, ſiue τὰς διαταγὰς, ordinationes libris octo comprehenſas annumerat: cùm illarū nihil illi quidem Patres meminêre: has verò vt hæreticorum fœtibus, aiunt, adulteratas repudiarint.

De Canonibus Apoſtolicis, quòd ſint vitiatè & adulterati.
Carol. Magni conſtitu.
Concil. Nicæ. 2. Cano. 8,

Adhæc cùm illic tres recipiantur Machabæorum libri (niſi codices Latini, ſimul & Græci, tam ab Haloandro in Germania, quàm à Ioan. Tilio in Gallia editi ſunt mendoſi) mirum videatur, cur tertium præ duobus illis Catholica reſecuerit Eccleſia?

Verùm ne quid addubitem de huius ſcripturarum Canonis adulterio, facit Canon ille ſcripturarum Concil. Laodicæ. qui non modò Machabæorum omnium non meminit, ſed ne Iudith quidem, aut Thob. ſicuti nec Eccleſiaſtici, aut Sapient. quod præter exemplarium veterum conſenſum etiam Nazian. Canonicos libros carmine complexus conteſtatur, θείοις ἐν λογίοιν, &c.

Qui ſi tunc temporis indubitatò fuiſſent Canonici, nequaquàm ſanctiſſimi PP. eorum nomina Catalogo ſcripturarum in Eccleſiis legendarum, & in authoritatem, inquiunt Canon. 59. recipiendarum paſſi fuiſſent manere excluſa.

An in Concil. Nicæn. editus Scripturarum Canon.

Iam num ante Conc. Laodicænum fuerit Ecclesiis certus scripturarum Canon præscriptus, in Concilio illo Nicæno ante annos circiter 80. vehementer vt dubitem, facit, quod apud Hieron. Præfat. in Iudith reperitur: Apud Hebr. inquit, inter hagiographa Iudith legi- " tur, cuius authoritas ad roboranda illa, quæ in conten- " tionem veniunt, minùs idonea iudicatur: Sed quia hunc " librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scriptu- " rarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, " imò exactioni, & quæ sequuntur. Si Nicæna Synodus o- " lim hunc Iudith librum cum aliis in Canonem redege- " rat, cur annis 80. pòst eum non accenset Laodicæna? " cur Nazianzenus eius non meminit? Sed legitur computasse, ait Hieron. quod mihi dubitantis suspicionem subindicare videtur: nisi fortasse quis, hunc de libris Canonicis Nicænum Canonem vnà cum plurimis aliis, minimum, vti equidem arbitror quadragesimo septimo, teste D. Iulio I. Rom. hæreticorum fraude fuisse accisum, atque Ecclesiis sublectum opinetur. Cui ne suffragemur, cogit pia de sanctiss. PP. in Concil. Laodicæno congregatorum existimatio, non eos illa ætate, qua Canonum scientia in primis ornabat Episcopos, tam fuisse sui & officij & nominis oblitos, vt illos aut nescierint, aut desideratos non requisierint. Ad hæc, si verè legitur, quod ait Hieronymus, legi Iudith Concilium Nicænum, inter Canonicos computasse, quid sibi vult, quod idem in librorum Salomonis præfatione scribit, Ecclesiam libros Iudith, Thobiæ, ac Machabæorum legere quidem, sed inter Canonicas Scripturas non recipere? Verùm nihil hac de re in Concilio illo Nicæno fuisse definitum, vt existimem, inuitat, quòd hunc Laodicænum de Canonicis Scripturis Canonem vnà cum reliquis Synodo Constantinopolitana 6. in Trullo approbarit: quod minimè videtur fuisse factura, si designatum à 318. illis Patribus doctissimis Nicænis, iuxtà ac sanctissimis Laodicænis aut non recepissent, aut decurtassent sacrarum Scripturarum Canonem.

Canones Nicæni ab hæreticis mutilati & oppressi.

Caput IIII.



Vid igitur causæ, inquias, quòd Concilium Africanum longè locupletiorem ediderit Scripturarum sacrarum Canonem? Nam præter illos Hebræorum libros Canonicos, & in Laodicæno Cõcilio enumeratos, disertè accenset libros Thobiæ, Iudith, duos item Machabæorum, quos vnà cum aliis in diuinarum Scripturarum authoritatem habendos constituit.

Cur Conciliũ Africanum locupletiorẽ Canonẽ Scripturarum Laodiceno præscripserit.

In præscribendo sacrorum librorũ numero (vt quod equidem citra cuiusquam, vti præfati sumus, præiudiciũ sentio in medium proponatur) idem planè vsu euenisse videre videor, quod in dogmatibus certò Christianis & Ecclesiasticis. Quemadmodum enim variis de Fidei capitibus variè à grauissimis Scriptoribus Ecclesiasticis iudicatũ fuit, atq; adeò libris in lucem editis, pro varietate assertis ac propugnatis, quæstione in medium suspensa, in vtramq; partem quidem grauibus argumentorũ momẽtis huc illuc exagitata, sed in neutram certò definita: ita circa libros certò Canonicos ad quoddã tempus accidisse à vero minimè abhorreat: vt quidã in Canonem quosdã annumerarint, quidam eosdẽ minimè iudicarint accẽsendos, atq; in librorum diuinæ authoritatis Catalogos referendos. Istud ex iis, quæ Eusebius Cæsariensis narrat, liquidiùs cõstat, quàm vt nostra orationis luce sit demonstrandũ aut clariùs aut diffusiùs. Sanè ex illo vno †D. Serapionis exẽplo, dudũ à nobis lib. 1. cõmemorato videat perspicuè lector candidus, quàm fuerit ille etiam seculo Apostolico incognitus, nedũ incertus vel Euangeliorum numerus: qui Euangelium Petri nomine dudũ suis legendum quum approbasset, paulò posteà idẽ Petri esse pernegauit, atq; suis vltrà legendum interdixit.

Vt quędam Fidei capita, temporis lapsu sunt certò definita, ita & Scripturarũ Canoni. numerus.

†Lib. 1. c. 23.

Quid mirandum igitur, si hoc libris quibusdam ex Iudaïca Synagoga, vnde nostra Christi Ecclesia, ceu ex radice plantarium, auulsa, mutuatis, imò in dotem assignatis, credamus euenisse? vt scilicet non statim eis diuina inter omnes constaret authoritas. Certè D. etiã Pau-

li epiſtolis non ita ab initio, imò ne Hieronymi quidem ætate ſua certò conſtabat authoritas, Nemini eſt ignota illa de epiſtola ad Hebræos controuerſia: quam vt Græcanica & Orientalis Eccleſia pro D. Pauli fœtu agnouit, ita Romana eius ſeculo nondum eam pro Paulina indubitatò accenſuit: quod vnus Gaius Romanus Presbyter ſuo demonſtrat exemplo: qui reclamare minimè fuiſſet auſus, ſi eã illa ętate pro Paulina indubitatò pręedicaſſet.

Vide Catalog. Hieron. Gaio.

Variantibus itaque de librorum veterum authoritate Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententiis, illi in Laodicæna Synodo Patres ſanctiſſimi eum videntur præſcripſiſſe Canonem librorum, qui Eccleſiarum, ſiue Epiſcoporum iudicio videbantur certò Canonici, atque extra controuerſiam poſiti. Poſteà verò cõſopitis, vt fit, variis Scriptorum ſententiis, veritate clariùs affulgente, viſum eſt Dei Eccleſiæ illos accenſere, qui in poſterum indubitatò habendi eſſent Canonici. Sic enim Spiritus ſanctus ſuam gubernare iam ab initio vſque conſueuit Eccleſiã, vt paulatim eam ex ambigua veritatis caligine ad manifeſtiorem prouehat veritatis lucem cognoſcendam: non modò in dogmatibus innumeris, vti de Chriſti myſteriis, de illius regno, an gemmatum foret & aureum: an a lex cum Euangelio ſeruanda, & ſimilium: ſed in libris adeò Canonicis, quod vna D. Pauli ad Hebræos epiſtola, & Apocal. Ioan. docet liquidiùs, quàm vt pluribus res ſit exemplis illuſtranda. Initiò de ſententia dubitatum, an Apoſtolico Spiritu digna? mox de authore, an Apoſtolus, an Apoſtolicus? an Clemens? an Lucas? an Paulus? Sic de Apocalypſi, an Apoſtoli, an Cerinthi? an Ioannis Euangeliſtæ? an Ioannis Theologi non Apoſtoli?

Libri certò Canonici, Thobiæ, Machabæorum, Epiſt. Hebr. Apocalypſis.

Ad hunc igitur modum equidem crediderim Spiritus ſancti Eccleſiæ magiſtri conſilio atque magiſterio factum, vt Canon ille Scripturarum in Concilio Africano ſit editus locupletior, atque non exigua librorum aliquot acceſſione auctior, putà Thobiæ, Iudith, & Machabæorum. De libris autem noui Teſtamenti pridem controuerſis, nimirùm ad Hebræos, Petri, Ioannis epiſtola 3. & Apocalypſi, concorditer Synodo Laodicænæ fuit & hîc conſtitutum.

Quod Concilij Africani 3. cui Diuus Augustinus interfuit, decretum in octaua Synodo vniuersali in Trullo congregata, quia fuit approbatum, atque Rom. Pontificis Ecclesiæque Apostolicæ consensu roboratum, in dubium vocari nequit à pio Catholicæ Christi Ecclesiæ filio: qui secundum Christi eius sponsi promissionem fallere nesciam sibi pro eo atque oportet, persuasum habet, in Conciliis legitimè, rectè ac ordine congregatis Spiritum adesse doctorem simul & ductorem, qui in omnem dirigat veritatem.

Omniũ Scripturarũ Cano. par authoritas diuina, nullus authoritatis gradus.

Qui hîc igitur Spiritum sanctum agnoscit magistrũ ac Doctorem, nõ solùm dubitare nescit de Concilij decreto, an verum sit, nec ne: sed vniuersa semel omnia suscipit pia cùm fide credenda, tum diligentia obseruanda, quæ prescribuntur Ecclesiæ filiis. Quare cùm omnia Scripturarum dogmata eundem habent Spiritum sanctum magistrum, eandem necesse est habeãt omnia authoritatis maiestatem. Qui igitur in Scripturarũ Christianarum corpore quosdam quasi authoritatis gradus conantur locare, sicuti in Iudaico Bibliorum Canone est videre, non obscurum est, quàm illi seipsi impio contaminent sacrilegio, quòd vnam eandémque Spiritus sancti vocem impio humanæ stultitiæ discerniculo audeant in varias imparis discerpere atque distribuere authoritatis classes. Verùm illi hos impietate superãt, qui librorum Canonicorũ quosdam sua audent temeritate à Canonica & diuina authoritate submouere, vt qui ad Hebr. epistolam, Iacobi, aut Ioannis. Rursus qui Ecclesiasticum reiiciunt: quem 1 Lutherus & Caluinus pro suo, 2 inquit, iure potest repudiare, si eius authoritate vrgeatur: & alibi, in quem, 1 inquit, ius meum remitto.

1 De seruo Arb.

2 Calu. Instit. cap. 10.

1 Ibidem.

Atqui cur non rectè, inquias, Lutherani Machabæos repudiant, & Ecclesiasticum Caluinus, cum D. Hieron. » præfat. in libros Salom. disertè pronunciet, Ecclesiam » sicut Iudith, Thobiæ, & Machabæorum libros legere » quidem, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipere: ita Ecclesiast. Sapientiam, Syrach, ad ædificationem legere plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorũ »

Aurea D. Augu. regula difficultatibus plurimis dissoluēdis idonea.

« dogmatum confirmandam? Sedulus sacrarum literarum « candidatus, qui non ad contentionem, sed veritatē perdiscendam sua habet studia comparata, illam D. Augustini studiorum regulam vbique grauioribus in controuersiis meminorit sibi adhibendam, si modò ad veri cognitionem verè aspirat: Distingue tempora, & concordabis Scripturas: quæ non modò in dissoluendis Scripturarum pugnis in speciem mirè infestis atque tumultuātibus adeò, cōcordiam adfert sententiarū placidissimam: verùm etiam veterum quoque dictis concorditer conciliandis maximum adfert operæprecium, quæ prima fronte ex diametro videbantur dissidere.

Hæc si adhibeatur nodo præsenti, nullo sanè licebit negotio dissoluere. D. Hieronymus Concilio Africano illo 3. quod sub Bonifacio coactum legitur (nisi fallit codicum fides) nonnihil videtur antiquior, ac ni me annorum calculus in errorem trahit, iam ad Christum nos præcurrerat isthoc euocatus exilio. Sed vixisse faciamus, fieri sanè potest, vt cum huius rei definitio fugerit, sicuti augustinū Nicænus Canon de duobus Ecclesiæ vnius Episcopis, siue coadiutore non assumendo: & vt norit, non cōtinuò vim suam habet Prouincialis decisio. Nobis verò, quibus hæc indubia Ecclesiæ Christi definitio per tot Conciliorum decreta innotuit aliud sentire, nedum dicere, de libris Canone conclusis minimè licet, quàm quòd D. August. de Machabæorū profitetur Scriptura: libros, inquam, Machabæorum, ait lib. 18. cap. 36. de ciuitate Dei, nō Iudæi, sed Ecclesia habet pro Canonicis. Verùm hac de quæstione alibi erit fusiùs dicendi locus commodior.

Machabæos nō Iudæi, sed Ecclesia Christi habet Canonicos, August.

Caput V.

Verbi Dei Euangel. nō scripti partitio, in Dogmaticum & Rituale.



QVando, quod ad illam verbi Dei Euangelici partem Scripturis comprehēsam attinet, explicatum est, pro ea, quā præsens efflagitat institutum ratione, nunc ad alteram transeamus, quæ agrapha siue non scripta dicitur pari si non breuitate, attamen luce pertractandam.

Quandoquidem Euangelicum Dei verbum omne sit aut scriptum, aut agraphum, vti Solis luce clariùs arbitramur esse ostensum superiùs: illud quidem, quos diximus, libros habet Canonicos, id est, diuinæ prorsus authoritatis, adeò vt iis, qui resistat, iam se apertiùs ipse pronuntiat hæreticum, imò infidelem veriùs, & ἄπιστον à fide alienum, quàm quo cum sit disputandū fusiùs. Hoc verò non scriptum bipartitò diuidi potest, nimirùm in Dogmaticum & Mysticum, seu Rituale. Dogmaticum dicimus, quod extra Scripturam quædam habet dogmatum genera, quæ in illa aut non sunt comprehensa, aut si comprehensa, ita profectò reconditè illic delitescant inclusa, imò abstrusa, vt nisi ab hominibus acutissimi ingenij acrísque iudicij excludi, ac erui non possint: aut consentanea veterum Patrum interpretatione liquidò corroborari. Prioris generis exempla sunt, Symbolum Apostolorum esse Apostolorum, diem Dominicum, festáque Christiana esse colenda, ieiunandum esse per Quadragesimam. Rursus per stata illa quatuor, quæ dicuntur, anni tempora, diebus item Veneris, atque Sabbathi à carnium esu abstinendum. Rectè imagines Diuorum haberi apud Christianos, rectè coli, festáque eis sacrari: rectè item Sanctos inuocari ad auxilium atque intercessionem apud Deum Opt. Max. & si qua horum similia. Posterioris autem exemplum est, Spiritum sanctum à Filio procedere, Filium Patri esse homousion, extremę vnctionis Sacramentum à D. Iacobo esse commemoratum. Rursus Confirmationis Sacramentum D. Lucæ verbis esse Christianis descriptum: & si quæ sunt huiusmodi, quæ nos hoc loco ad verbum Dei Euangelicum nō scriptum referenda putauimus, quòd præfractior quispiam non tam Scripturarum authoritate propter obscuritatem, aut sensus indubitati certíque ambiguitatem, quàm liquidis vetustissimorum testimoniis de vero illarum sensu conuinci nequeat, aut erroris redargui: quod exemplis de imaginum apud Christianos vsu, & de vera corporis sanguinísque Domini in Sacramento præsentia ostendendum erit. *Dogmaticū.*

Porrò alteram verbi Dei Euangelici non scripti par-

Mysticũ siue Rituale verbũ Dei Euangelicũ. tem, Mysticum seu rituale diximus, quòd Sacrorum ritus præscribat. Hi verò ritus aut circa septem versantur Sacramenta, aut res alioqui sacras, Deóque Opt. Max. consecratas: quales sunt crucis consignatio, virginũ deuotio, Monachorum ac Therapentarũ dedicatio, aquæ, salis, & rerum similium consecratio. Quod genus etsi subtilius expendenti ad prius fortè videbitur pertinere, nos tamen lucis maioris rebus alioqui obscuris affundendæ causa discernendum duximus.

Priùs verò de hisce verbi Dei Euangelici partibus quàm disseramus copiosiùs, paucis mihi antè video nõnihil esse de Scripturarũ Canonicarum obscuritate percipiendíque difficultate dicendum, quò hinc liquescat clariùs, sensum earum certum ac indubitatum rectè inter verbi Dei non scripti species fuisse accensitum. Mox ad cætera huius generis singulatim fusiùs persequenda erit accedendum.

Caput VI.



Vod D. Petrus Apostolorũ facilè Princeps, sacrásque literas excellentissimè callens, de vna Scripturarum portiuncula cẽsuit, Paulinis putà epistolis, quædam in eis esse δυσνόητα, intellectúque difficilia, de toto item in vniuersum sacræ Scripturæ corpore accipiendum, omnis veterum Theologorum docuit schola, concórsque hactenùs obtinuit sententia. A qua cùm hoc seculo sibi recedendum quidam putent, quasi ille Spiritus Apostolorum doctor peculiari Dei Opt. largitione ipsis contigerit vberior & copiosior, haud abs re crediderim equidem, paucis veterum Patrum testimoniis istam temeritatem si castigare studuerimus.

Scripturarũ obscuritas adũbratur.

Clemens Alexandr. D. Clemens ille Alexandrinus de Scripturis rectè ac salutariter exponendis libr. 6. Stromatum disserens, eos veram Domini doctrinam tollere atque delere ait, qui
« nõ pro dignitate Dei & Domini eam edisserunt & tra-
« dunt. Depositum enim quod Deo redditur, est conue-
« nienter per eius Apostolorum piam Traditionem intel-

ligentia & exercitatio. Quanta autem sit intelligendæ doctrinæ vel Euangelicæ difficultas, hunc in modũ explanat: Neque enim Prophetia, inquit, neque ipse Seruator adeò crassè & generaliter elocutus est diuina mysteria, vt ea facilè capi possent à quibuslibet, sed disserit in parabolis. Et paulò pòst: Cæterùm recta sunt omnia, inquit, Scriptura, coram iis, qui intelligunt: Hoc est, iis, qui ab ipso declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes conseruant. Regula autem Ecclesiastica est concentus & consensio legis & Prophetarum conuenienter Testamento, quod traditur per Domini aduentum. Post hæc causas recenset, cur Scripturæ suam occultent sententiam: Primùm quidem, inquit, vt diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus. Prætereà ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter. Quocirca iis qui sunt electi ex hominibus, & iis qui ex fide coaptati sunt ad cognitionem, quæ seruantur sancta mysteria Prophetiarum teguntur parabolis. Scripturarum enim stylus est parabolicus. Plura qui in hanc desiderat sententiam, ipsum fontem petat, vnde quasi copiæ quodam cornu abundantissimè hauriat, quæ ad Theologi institutionem mirificè faciant: nos breuitati studentes, ex vno aut altero Scriptore veteri propositum corroborantes, ad alia, quæ supersunt, transcurremus. Clarissimum illud orbis Christiani lumen Basilius Magnus sacrarum literarum difficultatem ostensurus, nō nisi Spiritu discretionis demonstrat superabilem: Agriculturæ opera, inquit epistola septuagesima quinta ad Neocæsarienses, non poterit iudicare, qui non est agricola, dissonantiam ac consonantiam modulationum in Musica non dignoscet Musices imperitus. Scriptorum verè ac librorum iudex statim, quicunque volet, erit, qui neque magistrum suum ostendere poterit, neque tempus, in quo didiscit, neque omninò paruum aut magnum quicquam de conscribendorum librorum ratione audiuit. Amplius porrò & in oraculis Spiritus nō

Basilius.

toribus, ciuibus & precatoribus.

31 Sanctos rectè ad certi generis auxilia inuocari contra Melanthonem Apolog. Confess. August.

32 Inuocationem Sanctorum ad certi generis auxilia non esse natam ex Ethnicis exẽplis, vti blasphemat Melanthon. Quĩ factũ, vt à Sanctis, qui omnia possent impetrare bona, & omnia itẽ mala deprecari, olim Catholici vel August. ętate quædam peculiariter ab eis sibi sint deprecati vel bona vel mala, quæ non ab aliis.

Sancti nostratia cognoscunt.

33 Catholicos Sanctis supplicando non inuocare alios alia numina, vti blasphemat Confessio Saxonica, & olim Pagani, & Faustus Manichæus.

34 Sanctos nostras preces cognoscere demonstratur.

35 Quó nam modo cognoscant Sancti orationes, videndóne an audiendo? vbi ostenditur ex August. Sãctos Spiritu Dei reuelante cognoscere nostratia.

36 Non esse in Christum mediatorem contumeliosam Sanctorum inuocationem. Vbi explicatur, quo sensu Christus vnus, sit mediator & intercessor.

37 Non esse idololatriam inuocare aut colere Sãctos, vti blasphemat Confessio Saxonica, cum Fausto Manichæo, & Porphirio Apostata.

38 Lutheranorum blasphemias in Catholicos, conuitia Paganorum & Philosophorum, priscorúmque adeò hæreticorum superare.

39 Sanctos colere & honorare, non esse in Deum contumeliosum, vti vult Confessio Saxonica.

Miracula.

40 Sanctorum inuocationem Deus Maximus clarissimis & certissimis cõtestatur sibi multò gratissimam miraculis: quæ Aduersarij cum Porphirio Apostata, Eunomio, priscísque aliis hæreticis Dæmonum calumniantur præstigias. Vbi ostenditur Lutheranos suis argumentis seipsos conuincere hæreticos, & nos esse Catholicos: quòd eisdem argumentis ab orco reuocatis nos hodie oppugnant, quibus olim certò Catholicos certò hæretici.

EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO, Liber tertius.

Authore D. Vuilhelmo Lindano Dordraceno, S. Th. Doct. & Professore.

CAPVT I.



X iis, quæ adhuc verbum Dei Euangelicum inuestigando diximus, liquere confidimus, non id esse dũtaxat Dei verbũ, quod sacris literis est comprehensum atq; conclusum: nunc quid nam verè, plenéq; sit, est definiendum. *Vera verbi Dei Euangelici definitio.*

Verbum Dei est, quicquid Deus loquitur: siue priuatim alicui, vti Abrahæ de relinquenda Chaldæa: Moysi, de Ægypti fuga: Symeoni iusto, de videndo Messia: siue toti publicitùs Ecclesię. Vtrumque genus bipartitò diuiditur, in scriptum & agraphon, siue nõ scriptum. Verùm quemadmodum quædam Deus suis electis loquitur, quæ ad omnes pertinent nihil, vt illis quidem sunt verbum Dei, aliis verò minimè: verbi causa, quòd Iacobo in Ægyptum erat descendendum: quòd Symeon, nisi viso Messia, non moreretur: ita quæ per Ecclesiam sui Spiritus Discipulam proponit credenda, sunt ea quidem in vniuersum omnibus verbum Dei. Quod non ita accipiendum velim, perinde quasi Fidelium singulis singula verbi Dei membra, siue articuli, sint singulatim atque articulatim credenda: sed quod *Verbum Dei quidnam.*

ſufficiat illam Chriſti tenere Fidem, quam illius Spiritus Catholicam atq; Apoſtolicam docet Eccleſiam. Poſſem id plurimis obſcuriorùm dogmatum haud ita in vulgus notorum exemplis demonſtrare: verùm multus eſſe nolo in re haud multum dubia aut obſcura. Itaque ſi Dei verbum eſt haud dubiè, quod Deus loquitur, in procinctu fuerit perſpicere, quid nam verè ſit verbum Dei Euangelicum, de quo nobis omnis eſt inſtituta diſputatio. Eſt autem, quod Deus ad Euangelium attinens, locutus, proponit per Eccleſiam credendum. Hîc porrò nihil intereſſe exiſtimandum eſt, ſiue id Deus Opt. ſuo quaſi ore loquatur: verbi gratia, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite: ſiue per Eccleſiæ caput Chriſtum, vt Nemo venit ad Patrem, niſi per me: ſiue per Eccleſiæ membra Apoſtolos, Prophetas, & Euangeliſtas: vti, Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Item, State & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonem. Rurſus, Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Et, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis: ſiue denique per Eccleſiæ paſtores, ipſámque adeò totam Eccleſiam Spiritu ſancto illi per Chriſtum promiſſò doctore ſempiterno erudiendam, atque gubernandã, vti Eccleſiæ definitiones & Conciliorum decreta.

Verbũ Dei Euangelicũ quid.

2. Theſſal. 2.

Galat. 1.

2. Ioan. 2.

Cæterùm qualecunque ſit tandem Dei verbum Euãgelicum, in duo illa refluit capita, ſcriptum & non ſcriptum: quod ſuperiùs eſt pluribus demonſtratum exemplis, quàm vt iis repetendis longiores eſſe conueniat. Illius verò hîc eſt admonendus pius lector, verbum Dei ſcriptum, niſi per verbum Dei non ſcriptum certò atque indubiè cognoſci non poſſe, quòd Euangelia quatuor, nec plura, nec pauciora ſuo exemplo locupletiſſimè faciunt conteſtatum.

Verbum Dei Euãgelicum ſcriptũ cognoſcitur per nõ ſcriptum.

Proinde haud adeò magni fuerit negotij, hiſce accuratè penſitatis, perplexam illam diſſoluere quæſtionẽ, vtriús nam verbi Dei authoritas ſit maior, ſcriptíne an non ſcripti? Hoc eſt, Scripturarúm ne, an doctrinæ Catholicæ atque Apoſtolicæ? Verùm ea in alium locum

oportu-

oportuniorem reposita, ipsam verbi Dei Euãgelici partitionem in præsentia diffusiùs, vt persequamur, nostri instituti poscit ratio.

Caput II.



Vm itaque bipartitò sit diuisum, in scriptum & agraphon, siue non scriptum, de iis ordine est dicendum. Scriptum Dei verbum, scripturæ Ecclesiis à Spiritu sancto tradita, omne complectitur. Quicquid ergo extra eam ab Ecclesiis approbatum, siue apud Christianos legitur apocryphon, vt Nicodemi, Bartholomæi, aut alterius Euangelium, aut etiam Iacobi Apostoli nuper in lucem editum Protoeuangelium: siue alibi extat, vel apud Manichæos, vt illa quam mentiebantur, Christi epistola, fundamenti nuncupata: aut Iudæos etiam, vt Enoch liber: similiáque, nullum inueniunt diuinæ authoritatis locum. Sed de ipso sacrarum Scripturarum corpore, siue, vt appellabant veteres, Canone, maior existit inter Christianos disputatio, videlicet, vtrum omnia Canone comprehensa diuinæ sententiæ habeant authoritatem? Rursus, si habeant, vtrùm habeant omnia parem? Quæ quidem quæstiones, sicuti in veteri Ecclesia iustam merebantur discussionem: ita nunc temporis cùm variis Ecclesiasticis Conciliis sint definitæ, adeò non merentur vllam disquisitionem, vt ei, qui de eis ambigendi locum sibi putet superesse reliquum, inter pios Catholicæ Christi Ecclesiæ filios, salutis æternæ ratio constare nequeat. Posterior itaque quæstio minimum habet difficultatis: contrà prior, plurimum. Verùm qui varias verbi Dei species suprà recensitas animo tenet, sicuti omne Dei verbum agnoscit, Dei verbum, hoc est, paris atque eiusdem planè authoritatis, nanquippe ex vno eodémque ipsissimæ veritatis ore, natum atque profectum: ita omne, quod Catholica Christi Ecclesia sancti Spiritus sui magistri vnctioni atque doctrinæ consentaneum suscipit, indubitato verbum Dei est habendum.

Verbi Dei Euangelici partitio in scriptum & nõ scriptum.

Scriptũ Dei verbũ Canone est cõprehensum.

Canonicæ authoritatis liber, quid.

Scripturarũ omnium Canonicarũ par eadémque est authoritas.

Hanc verbi Dei regulam, siue scripturarum Cano-

Quomodo Scripturarũ canon librorum aliquot incrementis aliàs, atque aliàs fuerit auctus citra omnem verbi Dei iniuriã.


nem nihil variat, quòd variè aliis atque aliis temporibus multis sui partibus, & iis non exiguis, interdum aucta fuerit, & auctariis aliquot quasi cumulata: sed sicuti vnà cum accrescente Dei Opt. in homines benignitate illustrissimum Christianæ Fidei Solem magis atque magis accendit, ita Christianorum animos clarissimo veræ in Deum pietatis, veræque religionis lumine maiorem in modum illustrauit. De huius igitur scripturarum Canonis varietate primùm, mox de indubitata eius fide nobis, quàm fieri potest restrictè, video dicendum.

Iudæorum recentiorũ impietas sacrilega in Scripturarum diuinarum Canonem.

Quod ad veteris Testamenti libros Canonicos attinet; breuitatis causa nihil in præsens dicendum duximus, quòd illius Canonis auctus omnibus sint notiores, quàm vt de iis sit disserendum fusiùs: nisi fortè aliquis de librorum Iudaïcorum discrimine existimet nõnihil commentandum: cur alios, inquam, hagiographos, seu vt ipsi vocant כתובים scriptos, alios verò legis & Prophetarum hodie appellitent? Rursus an Psalterium eo habeant authoritatis loco, quo vetus Synagoga, Christi tempore? an potiùs in nostri scilicet Messiæ crucifixi gratiam, vti Iacobus de Valentia, & alij, suo dimouerint gradu? cur item Esdræ libri, Thobiæ, Iudith, Machabæorum & reliqui ab Ecclesia illa veteri, non meruerint authoritatem Canonicam? & si quæ horum similia: quæ cùm ab aliis doctissimè iuxtà ac luculẽter sint pertractata, nolumus in re minùs necessaria esse copiosi. Præsentis igitur instituti memores, nunc illud persequamur, quó nam pacto Euangelicarum scripturarum Canon variis subinde fuerit partibus auctus, cur item veteris Testamenti volumina, nec vniuersa, nec eodem tempore in Christianæ Ecclesiæ Canonem fuêre suscepta?

Caput III.

Canonis librorũ Euangelicorũ origo perquiritur.



QVando primùm certus Euangelicarum scripturarum Canon fuerit Ecclesiis Christianis præscriptus, per magni interest, ad quæstiones huius ætatis dissoluendas cognoscére. Nos quod meditando sumus assequuti,

citra vllum rectiùs ſentientium præiudicium perueſtigandæ veritatis cauſa perlibenter & candidè in medium proponemus.

Illum itaq; ſcripturarum Canonem, qui vulgò in Canonibus, vti appellantur, Apoſtolicis, cap. octogeſimoquinto circumfertur, ab Apoſtolis non fuiſſe præſcriptũ hinc liqueat, quòd eo multa ſunt comprehẽſa, quæ nondum ab Apoſtolis erant ſcripta: vt plurimæ Diui Pauli epiſtolę. Rurſus Diui Petri, & Ioannis nec Euangelium, nec Apocalypſis.

Iam vt de iſto Canonum, quos certum eſt veterũ ſcriptorum teſtimoniis aliquot edidiſſe Apoſtolos, numero nihil dicam, qui 85. accenſet: quos Patres in Concil. 6. Oecume. Conſtantinop. congregati videbantur agnoſcere genuinos, licèt Zephyrini ſententia Canones Apoſtolorum 60, tantùm: Leonis verò tantùm 50. eſſe receptos, legas diſtin, 16. ſatis præ ſe fert argumenti, quãtum mereatur fidei: quòd duas Clementis Roman. Pont. epiſtolas attexat & præceptiones, ſiue τὰς διαταγὰς, ordinationes libris octo comprehenſas annumerat: cùm illarũ nihil illi quidem Patres meminère: has verò vt hæreticorum fœtibus, aiunt, adulteratas repudiarint. *De Canonibus Apoſtolicis, quòd ſint vitiati & adulterati.* *Carol. Magni conſtitu.* *Concil. Nicæ. 2. Cano. 8,*

Adhæc cùm illic tres recipiantur Machabæorum libri (niſi codices Latini, ſimul & Græci, tam ab Haloandro in Germania, quàm à Ioan. Tilio in Gallia editi ſunt mendoſi) mirum videatur, cur tertium præ duobus illis Catholica reſecuerit Eccleſia?

Verùm ne quid addubitem de huius ſcripturarum Canonis adulterio, facit Canon ille ſcripturarum Concil. Laodicæ. qui non modò Machabæorum omnium non meminit, ſed ne Iudith quidem, aut Thob. ſicuti nec Eccleſiaſtici, aut Sapient. quod præter exemplarium veterum conſenſum etiam Nazian. Canonicos libros carmine complexus conteſtatur, θάοις ἐν λογίοισιν, &c.

Qui ſi tunc temporis indubitatò fuiſſent Canonici, nequaquàm ſanctiſſimi PP. eorum nomina Catalogo ſcripturarum in Eccleſiis legendarum, & in authoritatem, inquiunt Canon. 59. recipiendarum paſſi fuiſſent manere excluſa.

An in Concil. Nicæn. editus Scripturarum Canon.

Iam num ante Conc. Laodicænum fuerit Ecclesiis certus scripturarum Canon præscriptus, in Concilio illo Nicæno ante annos circiter 80. vehementer vt dubitem, facit, quod apud Hieron. Præfat. in Iudith reperitur: Apud Hebr. inquit, inter hagiographa Iudith legi-
" tur, cuius authoritas ad roboranda illa, quæ in conten-
" tionem veniunt, minùs idonea iudicatur: Sed quia hunc
" librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scriptu-
" rarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ,
" imò exactioni, & quæ sequuntur. Si Nicæna Synodus o-
" lim hunc Iudith librum cum aliis in Canonem redege-
" rat, cur annis 80. pòst eum non accenset Laodicæna?
" cur Nazianzenus eius non meminit? Sed legitur computasse, ait Hieron. quod mihi dubitantis suspicionem subindicare videtur: nisi fortasse quis, hunc de libris Canonicis Nicænum Canonem vnà cum plurimis aliis, minimum, vti equidem arbitror quadragesimo septimo, teste D. Iulio 1. Rom. hæreticorum fraude fuisse accisum, atque Ecclesiis sublectum opinetur. Cui ne suffragemur, cogit pia de sanctiss. PP. in Concil. Laodicæno congregatorum existimatio, non eos illa ætate, qua Canonum scientia in primis ornabat Episcopos, tam fuisse sui & officij & nominis oblitos, vt illos aut nescierint, aut desideratos non requisierint. Ad hæc, si verè legitur, quod ait Hieronymus, legi Iudith Concilium Nicænum, inter Canonicos computasse, quid sibi vult, quod idem in librorum Salomonis præfatione scribit, Ecclesiam libros Iudith, Thobiæ, ac Machabæorum legere quidem, sed inter Canonicas Scripturas non recipere? Verùm nihil hac de re in Concilio illo Nicæno fuisse definitum, vt existimem, inuitat, quòd hunc Laodicænum de Canonicis Scripturis Canonem vnà cum reliquis Synodo Constantinopolitana 6. in Trullo approbarit: quod minimè videtur fuisse factura, si designatum à 318. illis Patribus doctissimis Nicænis, iuxtà ac sanctissimis Laodicænis aut non recepissent, aut decurtassent sacrarum Scripturarum Canonem.

Canones Niceni ab hæreticis mutilati & oppressi.

Caput IIII.



Vid igitur causæ, inquias, quòd Concilium Africanum longè locupletiorem ediderit Scripturarum sacrarum Canonem? Nam præter illos Hebræorum libros Canonicos, & in Laodicæno Cōcilio enumeratos, disertē accenset libros Thobiæ, Iudith, duos item Machabæorum, quos vnà cum aliis in diuinarum Scripturarum authoritatem habendos constituit. *Cur Conciliū Africanum locupletiorē Canonē Scripturarum Laodicano præscripserit.*

In præscribendo sacrorum librorū numero (vt quod equidem citra cuiusquam, vti præfati sumus, præiudiciū sentio in medium proponatur) idem planè vsu euenisse videre videor, quod in dogmatibus certò Christianis & Ecclesiasticis. Quemadmodum enim variis de Fidei capitibus variè à grauissimis Scriptoribus Ecclesiasticis iudicatū fuit, atq; adeò libris in lucem editis, pro varietate assertis ac propugnatis, quæstione in medium suspensa, in vtramq; partem quidem grauibus argumentorū momētis huc illuc exagitata, sed in neutram certò definita: ita circa libros certò Canonicos ad quoddā tempus accidisse à vero minimè abhorreat: vt quidā in Canonem quosdā annumerarint, quidam eosdē minimè iudicarint accēsendos, atq; in librorum diuinæ authoritatis Catalogos referendos. *Vt quædam Fidei capita, temporis lapsu sunt certò definita, ita & Scripturarū Canoni. numerus.* Istud ex iis, quæ Eusebius Cæsariensis narrat, liquidiùs cōstat, quàm vt nostra orationis luce sit demonstrandū aut clariùs aut diffusiùs. Sanè ex illo vno †D. Serapionis exēplo, dudū à nobis lib. 1. cōmemorato videat perspicuè lector candidus, quàm fuerit illo etiam seculo Apostolico incognitus, nedū incertus vel Euangeliorum numerus: qui Euangelium Petri nomine dudū suis legendum quum approbasset, paulò posteà idē Petri esse pernegauit, atq; suis vltrà legendum interdixit. *†Lib. 1. c. 23.*

Quid mirandum igitur, si hoc libris quibusdam ex Iudaïca Synagoga, vnde nostra Christi Ecclesia, ceu ex radice plantarium, auulsa, mutuatis, imò in dotem assignatis, credamus euenisse? vt scilicet non statim eis diuina inter omnes constaret authoritas. Certè D. etiā Pau-

li epiſtolis non ita ab initio, imò ne Hieronymi quidem ætate ſua certò conſtabat authoritas, Nemini eſt ignota illa de epiſtola ad Hebræos controuerſia: quam vt Græcanica & Orientalis Eccleſia pro D. Pauli fœtu agnouit, ita Romana eius ſeculo nondum eam pro Paulina indubitatò accenſuit: quod vnus Gaius Romanus Presbyter ſuo demonſtrat exemplo: qui reclamare minimè fuiſſet auſus, ſi eã illa ętate pro Paulina indubitatò prędicaſſet.

Vide Catalog. Hieron. Gaio.

Variantibus itaque de librorum veterum authoritate Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententiis, illi in Laodicæna Synodo Patres ſanctiſſimi eum videntur præſcripſiſſe Canonem librorum, qui Eccleſiarum, ſiue Epiſcoporum iudicio videbantur certò Canonici, atque extra controuerſiam poſiti. Poſteà verò cõſopitis, vt fit, variis Scriptorum ſententiis, veritate clariùs affulgente, viſum eſt Dei Eccleſiæ illos accenſere, qui in poſterum indubitatò habendi eſſent Canonici. Sic enim Spiritus ſanctus ſuam gubernare iam ab initio vſque conſueuit Eccleſiã, vt paulatim eam ex ambigua veritatis caligine ad maniſeſtiorem prouehat veritatis lucem cognoſcendam: non modò in dogmatibus innumeris, vti de Chriſti myſteriis, de illius regno, an gemmatum foret & aureum: an lex cum Euangelio ſeruanda, & ſimilium: ſed in libris adeò Canonicis, quod vna D. Pauli ad Hebræos epiſtola, & Apocal. Ioan. docet liquidiùs, quàm vt pluribus res ſit exemplis illuſtranda. Initiò de ſententia dubitatum, an Apoſtolico Spiritu digna? mox de authore, an Apoſtolus, an Apoſtolicus? an Clemens? an Lucas? an Paulus? Sic de Apocalypſi, an Apoſtoli, an Cerinthi? an Ioannis Euangeliſtæ? an Ioannis Theologi non Apoſtoli?

Libri certò Canonici, Thobiæ, Machabæorum, Epiſt Hebr. Apocalypſis.

Ad hunc igitur modum equidem crediderim Spiritus ſancti Eccleſiæ magiſtri conſilio atque magiſterio factum, vt Canon ille Scripturarum in Concilio Africano ſit editus locupletior, atque non exigua librorum aliquot acceſſione auctior, putà Thobiæ, Iudith, & Machabæorum. De libris autem noui Teſtamenti pridem controuerſis, nimirùm ad Hebræos, Petri, Ioannis epiſtola 3. & Apocalypſi, concorditer Synodo Laodicænæ fuit & hîc conſtitutum.

Quod Concilij Africani 3. cui Diuus Augustinus interfuit, decretum in octaua Synodo vniuersali in Trullo congregata, quia fuit approbatum, atque Rom. Pontificis Ecclesiæque Apostolicæ consensu roboratum, in dubium vocari nequit à pio Catholicæ Christi Ecclesiæ filio: qui secundum Christi eius sponsi promissionem fallere nesciam sibi pro eo atque oportet, persuasum habet, in Conciliis legitimè, rectè ac ordine congregatis Spiritum adesse doctorem simul & ductorem, qui in omnem dirigat veritatem.

Omniũ Scripturarũ Cano. par authoritas diuina, nullus authoritatis gradus.

Qui hîc igitur Spiritum sanctum agnoscit magistrũ ac Doctorem, nõ solùm dubitare nescit de Concilij decreto, an verum sit, nec ne: sed vniuersa semel omnia suscipit pia cùm fide credenda, tum diligentia obseruanda, quæ præscribuntur Ecclesiæ filiis. Quare cùm omnia Scripturarum dogmata eundem habent Spiritum sanctum magistrum, eandem necesse est habeât omnia authoritatis maiestatem. Qui igitur in Scripturarũ Christianarum corpore quosdam quasi authoritatis gradus conantur locare, sicuti in Iudaico Bibliorum Canone estvidere, non obscurum est, quàm illi seipsi impio contaminent sacrilegio, quòd vnam eandémque Spiritus sancti vocem impio humanæ stultitiæ discerniculo audeant in varias imparis discerpere atque distribuere authoritatis classes. Verùm illi hos impietate superãt, qui librorum Canonicorũ quosdam sua audent temeritate à Canonica & diuina authoritate submouere, vt qui ad Hebr. epistolam, Iacobi, aut Ioannis. Rursus qui Ecclesiasticum reiiciunt: quem 1 Lutherus & Caluinus pro suo, 2 inquit, iure potest repudiare, si eius authoritate vrgeatur: & alibi, in quem, 1 inquit, ius meum remitto.

1 De seruo Arb.
2 Calu. Instit. cap. 10.
1 Ibidem.

Atqui cur non rectè, inquias, Lutherani Machabæos repudiant, & Ecclesiasticum Caluinus, cum D. Hieron. » præfat. in libros Salom. disertè pronunciet, Ecclesiam » sicut Iudith, Thobiæ, & Machabæorum libros legere » quidem, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipere: » ita Ecclesiast. Sapientiam, Syrach, ad ædificationem » legere plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorũ »

Aurea D. Augu. regula difficultatibus plurimis dissoluẽdis idonea.

" dogmatum confirmandam? Sedulus sacrarum literarum " candidatus, qui non ad contentionem, sed veritatẽ perdiscendam sua habet studia comparata, illam D. Augustini studiorum regulam vbique grauioribus in controuersiis meminerit sibi adhibendam, si modò ad veri cognitionem verè aspirat: Distingue tempora, & concordabis Scripturas: quæ non modò in dissoluendis Scripturarum pugnis in speciem mirè infestis atque tumultuãtibus adeò, cõcordiam adfert sententiarũ placidissimam: verùm etiam veterum quoque dictis concorditer conciliandis maximum adfert operæprecium, quæ prima fronte ex diametro videbantur dissidere.

Hæc si adhibeatur nodo præsenti, nullo sanè licebit negotio dissoluere. D. Hieronymus Concilio Africano illo 3. quod sub Bonifacio coactum legitur (nisi fallit codicum fides) nonnihil videtur antiquior, ac ni me annorum calculus in errorem trahit, iam ad Christum nos præcurrerat isthoc euocatus exilio. Sed vixisse faciamus, fieri sanè potest, vt eum huius rei definitio fugerit, sicuti augustinũ Nicænus Canon de duobus Ecclesiæ vnius Episcopis, siue coadiutore non assumendo: & vt norit, non cõtinuò vim suam habet Prouincialis decisio. Nobis verò, quibus hæc indubia Ecclesiæ Christi definitio per tot Conciliorum decreta innotuit aliud sentire, nedum dicere, de libris Canone conclusis minimè licet, quàm quòd D. August. de Machabæorũ profitetur Scriptura: libros, inquam, Machabæorum, ait lib. 18. cap. 36. de ciuitate Dei, nõ Iudæi, sed Ecclesia habet pro Canonicis. Verùm hac de quæstione alibi erit fusiùs dicendi locus commodior.

Machabæos nõ Iudæi, sed Ecclesia Christi habet Canonicos, August.

Caput V.

Verbi Dei Euangel. nõ scripti partitio, in Dogmaticum & Rituale.



Vando, quod ad illam verbi Dei Euangelici partem Scripturis comprehẽsam attinet, explicatum est, pro ea, quã præsens efflagitat institutum ratione, nunc ad alteram transeamus, quæ agrapha siue non scripta dicitur pari si non breuitate, attamen luce pertractandam.

Quandoquidem Euangelicum Dei verbum omne sit aut scriptum, aut agraphum, vti Solis luce clariùs arbitramur esse ostensum superiùs: illud quidem, quos diximus, libros habet Canonicos, id est, diuinæ prorsus authoritatis, adeò vt iis, qui resistat, iam se apertiùs ipse pronuntiat hæreticum, imò infidelem veriùs, & ἄπιστον à fide alienum, quàm quo cum sit disputandū fusiùs. Hoc verò non scriptum bipartitò diuidi potest, nimirùm in Dogmaticum & Mysticum, seu Rituale. Dogmaticum dicimus, quod extra Scripturam quædam habet dogmatum genera, quæ in illa aut non sunt comprehensa, aut si comprehensa, ita profectò reconditè illic delitescunt inclusa, imò abstrusa, vt nisi ab hominibus acutissimi ingenij acrísque iudicij excludi, ac erui non possint: aut consentanea veterum Patrum interpretatione liquidò corroborari. Prioris generis exempla sunt, Symbolum Apostolorum esse Apostolorum, diem Dominicum, festáque Christiana esse colenda, ieiunandum esse per Quadragesimam. Rursus per stata illa quatuor, quæ dicuntur, anni tempora, diebus item Veneris, atque Sabbathi à carnium esu abstinendum. Rectè imagines Diuorum haberi apud Christianos, rectè coli, festáque eis sacrari: rectè item Sanctos inuocari ad auxilium atque intercessionem apud Deum Opt. Max. & si qua horum similia. Posterioris autem exemplum est, Spiritum sanctum à Filio procedere, Filium Patri esse homousion, extremę vnctionis Sacramentum à D. Iacobo esse commemoratum. Rursus Confirmationis Sacramentum D. Lucæ verbis esse Christianis descriptum: & si quæ sunt huiusmodi, quæ nos hoc loco ad verbum Dei Euangelicum nō scriptum referenda putauimus, quòd præfractior quispiam non tam Scripturarum authoritate propter obscuritatem, aut sensus indubitati certíque ambiguitatem, quàm liquidis vetustissimorum testimoniis de vero illarum sensu conuinci nequeat, aut erroris redargui: quod exemplis de imaginum apud Christianos vsu, & de vera corporis sanguinísque Domini in Sacramento præsentia ostendendum erit.

Dogmaticū.

Porrò alteram verbi Dei Euangelici non scripti par-

Myſticũ ſiue Rituale verbũ Dei Euangelicũ.

tem, Myſticum ſeu rituale diximus, quòd Sacrorum ritus præſcribat. Hi verò ritus aut circa ſeptem verſantur Sacramenta, aut res alioqui ſacras, Deóque Opt. Max. conſecratas: quales ſunt crucis conſignatio, virginũ deuotio, Monachorum ac Therapentarũ dedicatio, aquæ, ſalis, & rerum ſimilium conſecratio. Quod genus etſi ſubtilius expendenti ad prius fortè videbitur pertinere, nos tamen lucis maioris rebus alioqui obſcuris affundendæ cauſa diſcernendum duximus.

Priùs verò de hiſce verbi Dei Euangelici partibus quàm diſſeramus copioſiùs, paucis mihi antè video nõnihil eſſe de Scripturarũ Canonicarum obſcuritate percipiendíque difficultate dicendum, quò hinc liqueſcat clariùs, ſenſum earum certum ac indubitatum rectè inter verbi Dei non ſcripti ſpecies fuiſſe accenſitum. Mox ad cætera huius generis ſingulatim fuſiùs perſequenda erit accedendum.

Caput VI.



Scripturarũ obſcuritas adũbratur.

Vod D. Petrus Apoſtolorũ facilè Princeps, ſacráſque literas excellentiſſimè callens, de vna Scripturarum portiuncula cẽſuit, Paulinis putà epiſtolis, quædam in eis eſſe δυσνόητα, intellectúque difficilia, de toto item in vniuerſum ſacræ Scripturæ corpore accipiendum, omnis veterum Theologorum docuit ſchola, concórſque hactenùs obtinuit ſententia. A qua cùm hoc ſeculo ſibi recedendum quidam putent, quaſi ille Spiritus Apoſtolorum doctor peculiari Dei Opt. largitione ipſis contigerit vberior & copioſior, haud abs re crediderim equidem, paucis veterum Patrum teſtimoniis iſtam temeritatem ſi caſtigare ſtuduerímus.

Clemens Alexandr.

D. Clemens ille Alexandrinus de Scripturis rectè ac ſalutariter exponendis libr. 6. Stromatum diſſerens, eos veram Domini doctrinam tollere atque delere ait, qui
« nõ pro dignitate Dei & Domini eam ediſſerunt & tra-
« dunt. Depoſitum enim quod Deo redditur, eſt conue-
« nienter per eius Apoſtolorum piam Traditionem intel-

ligentia & exercitatio. Quanta autem sit intelligendæ »
doctrinæ vel Euangelicæ difficultas, hunc in modũ ex- »
planat: Neque enim Prophetia, inquit, neque ipse Ser- »
uator adeò crassè & generaliter elocutus est diuina my- »
steria, vt ea facilè capi possent à quibuslibet, sed disse- »
rit in parabolis. Et paulò pòst: Cæterùm recta sunt o- «
mnia, inquit, Scriptura, coram iis, qui intelligunt: Hoc »
est, iis, qui ab ipso declaratam Scripturarum expositio- »
nem ex Ecclesiastica regula accipientes conseruant. Re- »
gula autem Ecclesiastica est concentus & consensio le- »
gis & Prophetarum conuenienter Testamento, quod »
traditur per Domini aduentum. Post hæc causas recen- »
set, cur Scripturæ suam occultent sententiam: Primùm »
quidem, inquit, vt diligenter inquiramus, & semper vi- »
gilemus in inueniendis salutaribus orationibus. Præ- »
tereà ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter. Quocirca iis qui sunt electi ex hominibus, & iis qui ex fide coaptati sunt ad cognitionem, quæ seruantur sancta mysteria Prophetiarum teguntur parabolis. Scripturarum enim stylus est parabolicus. Plura qui in hanc desiderat sententiam, ipsum fontem petat, vnde quasi copiæ quodam cornu abundantissimè hauriat, quæ ad Theologi institutionem mirificè faciant: nos breuitati studentes, ex vno aut altero Scriptore veteri propositum corroborantes, ad alia, quæ supersunt, transcurremus. Clarissi- *Basilius.*
mum illud orbis Christiani lumen Basilius Magnus sa- »
crarum literarum difficultatem ostensurus, nõ nisi Spi- »
ritu discretionis demonstrat superabilem: Agriculturæ »
opera, inquit epistola septuagesima quinta ad Neocæ- »
sarienses, non poterit iudicare, qui non est agricola, dis- »
sonantiam ac consonantiam modulationum in Musi- »
ca non dignoscet Musices imperitus. Scriptorum verè »
ac librorum iudex statim, quicunque volet, erit, qui ne- »
que magistrum suum ostendere poterit, neque tem- »
pus, in quo didiscit, neque omninò paruum aut ma- »
gnum quicquam de conscribendorum librorum ra- »
tione audiuit. Amplius porrò & in oraculis Spiritus nõ

cuiuis licèt eorum, quę dicũtur contingere examinationem, sed ei, qui Spiritum habet discretionis, quemadmodum docuit nos Diuus Paulus, qui in diuisionibus gratiarum dicit: huic datur scientia, alteri discretiones Spirituum.

Hieronym. stultam nostri seculi temeritatem redarguit.

D. Hieronymus post immensos studiorum in diuinas literas tot iam annos exantlatorum labores, auream illam Paulino sacræ Theologiæ Candidato scribens epistolam, sacrarum literarum Candidatis omnibus ad verbum ediscendam, qua stultam hominum sui seculi opinionem, qua & hodie plerique desipiunt, castigaturus, ostenso, legem totam esse spiritualem, Bibliáque librum esse illum septem sigillis in Apocalypsi signatum, quem si dederis homini scienti literas, vt legat, respondebit tibi, non possum: signatus est enim: ideóque cum Propheta orandum studiosis assiduè: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, exclamat: Quanti se hodie putant nosse literas, inquit, & tenent signatum librum? nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Et paulò post suæ scriptionis scopum explicans. Hæc à me perstricta sunt breuiter, inquit, vt intelligeres te in Scripturis sacris sine præuio & monstrãte semitam non posse ingredi. Quam sententiam longè verissimam vbi variarum artium atque professionum amplificasset exemplo, stultam sui seculi temeritatem, quæ & nostram istam delirantis mundi ætatem vexat, porrecto quasi Helleboro castigaturus & medicaturus: sola Scripturarum, inquit, ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus, indocti, doctíq; poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequàm discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas, de sacris literis philosophantur. Alij discũt, prô pudor! à fœminis, quòd viros doceant. Et ne parùm hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia edisserunt aliis, quòd ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si fortè ad Scripturas sanctas post seculares literas venerint, & sermone com-

Epiphonema in nostri seculi sciolos

posito aures populi mulserint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint: sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit & non viciosissimum docendi genus: deprauare sententias, & ad suam voluntatem Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit: Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et patrem loquentem ad filium: Nate meæ vires, mea magna potentia solus. Et post verbũ Saluatoris in cruce: Talia perstabat memorans, fixúsque manebat. Puerilia sunt hæc, & circulatorũ ludo similia docere, quod ignores: imò vt cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire: quod nescias. Quæ aurea Diui Hieronymi verba huc duximus fusiùs recitanda, quòd nullum videam collyrium sanandis nostræ istius Theologizantis ætatis oculis salutariùs.

Cæterùm quò semel omnibus verum videre volentibus liqueat, quídnam de Scripturarum tum obscuritate, tum difficultate sit cẽsendum, vnum ex aureis D. Aurelij Augustini sententiis ascribemus locum, qui rem præsentem Solis meridiani luce demonstret clariùs.

Volusianus homo egregiè doctus, & Diui Augustini perstudiosus, magna ei perscripserat eruditionis elogia, adeò vt quòd Augustinum ignorare contigisset, legi deesse putaretur. Hanc doctrinę illustrem opinionem, imò vt Augustinus appellat, præsumptionem, audi, quàm seueriter refutarit: Tanta est enim Christianarum, inquit epistol. 3. profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéq; non viuitur, tam multa, támque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant: tantáque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, ve-

" rùm etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitu-
" do ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis
" cupiditate diſcendi hoc contingat, quòd eadem Scriptu-
" ra quodam loco habet: Cùm conſummauerit homo, túc
" incipit.

Caput VII.

Senſum Scripturarũ certum ab Eccleſia petendũ, per quã deus etiam illa nobis tradidit.

SEd vt ex diuerticulo ad iter inſtitutum recurrat oratio, poſt demonſtratam ſacrarum literarum cùm obſcuritatem caliginoſis illis nebuloſi Oreb nubibus propè obuelatam: tum intelligendi ſummam difficultatem acerrimis adeò ingeniis inſuperabilem, proximum eſt, vt commonſtremus, vndénam certus indubitatúſque illarum ſenſus ſit tutò petendus. Cùm Spiritus ſanctus ſacroſancta ſua ſcripturarum oracula hominibus Chriſtianis niſi per Eccleſiã non exhibuerit, nec legenda propoſuerit, manifeſtã delirij ſpeciẽ habet, vndénam certus ſacrarũ literarũ ſenſus ſit petendus, addubitare. An non verè ſit phreneticus, qui potionem à medico præſcriptam ſuſcipit quidem, verùm quàm hic iubet hauriendam calidam aut ſuffrigidam, ille vult ſorbere aut æſtuantem, aut algentem? Qui de ſumendæ potionis modo ad rauim vſque cum medico corrixatur, apertè ſeipſe redarguit dementiæ, quòd ei tantillum non credat, cui ſuæ vitæ credit periculum. Leges ciuiles non niſi ex Imperatorum voluntate, Prætorum interpretatione, aut Iuriſconſultorum arbitrio ſunt interpretandæ, ſicuti & Hypocratis Aphoriſmos ex Galeni Medici Commentariis vero ſenſu explanatos rectè
" diſcas. An non & Scripturarum ſenſus verus, natiuus, &
" indubitatus ab eodem requiratur merito, à quo primam
" earum accepimus communionem? an cui noſtram ſalu-
" tem credimus, an cui vni ſalutarem Euangelij cognitio-
" nem acceptam referre nihil addubitamus, non etiam
" verum Scripturarum ſenſum credamus? an de illius fide
" dubites, vtrùm in erroris tenebras præcipitare velit, nec
" ne, cuius fidem, & pium in primis in te ſtudium ſis præ-
" clarè adeò expertus? Quocircà de vero ſcripturarum ſen-
" ſu, an cũ Eccleſia Chriſti catholica ſuis proponat filiolis

neene, dubitet Iudæus, dubitet Paganus, dubitet deniq; Apostata, qui illi non credit diuina oracula propinanti: Sed cùm hac de re ambigere, qui ex eius vnius fide: qui sola illius authoritate diuinas scripturas aut suscipit approbatas, aut repudiat damnatas, & reprobatas, manifestissimo videtur affine delirio, vt non dicam impio coniunctum esse cum sacrilegio.

Nemo igitur, qui apud se est, quíque aliquid pensi habet quantum pietatis eximiæ ac verè singularis acceperit ab Ecclesia Catholica beneficium, cuius opera sacras indubitatus legit literas, ambigere queat, quin illi matri suæ multò pientissimæ, certum indubitatúmque credere debet scripturarum sensum: nec quicquam est periculi, ne illius iudicio in errorum barathra deturberis, cuius censuram in libris certò Canonicis, certóque apocriphis indubitatus sequeris. Hîc si eius iudicium non potes nõ approbare, illa, quã hominis Christiani efflagitat ratio, pietate atque obseruantia in Christi sponsam Spiritus sancti Discipulam victus, adeóque adactus, an insanienti fueris dissimilis, si in vera Canonicarum scripturarum sententia & interpretatione, illi verùm credendum sit, ambigas? Sanè ipsissimus ille Christi Iesu Spiritus Ecclesiæ Apostolicæ perpetuus per caliginosi istius mundi desertũ ductor simul & veritatis omnis promissus doctor, cuius magisterio has orbi proposuit scripturas exosculandas Cano. illas respuẽdas apocryphas, earundem sensum certũ atq; indubitatũ illam suam vnicam veri Discipulam ex Christi promisso, vti semper hactenùs docuit, ita continuò porróque docere desinit nunquàm. Quod vt in priuatis aliquot Christi membris semper emicuit, & Ecclesiarum Pastoribus eluxit variis in ætatibus verissimum: ita in vniuersæ Christi Ecclesiæ Conciliis atque Synodis refulsit semper indubitatum, adeò vt & hodie nostri Catholicæ Ecclesiæ Aduersatij nihil quicquam addubitent suis Ecclesiolis, auulsis ab vna illa Christi electa vite infœlicibus palmitibus, cremandísque, ni redinserantur sarmentis Conciliorum Symbola, id est, indubitatã Ecclesiæ Catholicæ Scripturarum obscurcissimarũ interpretationẽ, ceu fidei articulos pręscri

Aduersarij nostri suo facto demonstrãt certum scripturarũ sensum, non nisi ab Ecclesia petẽdum.

bere credendos. Quod dum faciunt, seriò, pie lector, per tuam te salutem obsecro, aduertas animum, an non re ipsa hic Ecclesiam non modò infallibilem sequi eos perspicias Scripturarum interpretem, sed vbique adeò vniuersis in controuersiis indubitatam ostendere veritatis, verique Scripturarum sensus magistram? Certè qui Catholicæ Christi Ecclesiæ fidem habet, Christum suo Patri homousion atque consubstantialem definienti contra 300. & ampliùs Episcoporum Arrh. sententiam Arimini congregatorum, contra Orientem propè vniuersum aliud sentientem, an non iure optimo in aliis omnibus Ecclesiasticis Conciliis eandem sequatur indubitatam veritatis magistram, verámque Scripturarum interpretem? vtut reclament docti aliquot homûnculi? vtut raucis vocibus obstrepant aliquot diriunculæ? vtut aliquot Septentrionis refragentur regiunculæ?

Conciliorum quanta authoritas.

Quòd igitur ab vniuersæ Ecclesiæ Synodis certus indubitatúsque Scripturarum sensus sit petēdus, in præsentia ex Aduersariorum suffragio liquere arbitror. Iam de Prouincialium Synodorum definitionibus aut Ro. Pontificis decretis aptè dicendum foret, nisi nos instituti huius ratio breuitatis admoneret. Illud obiter adijciendum, eandem esse Synodorum minorum authoritatem, quę maiorum atque vniuersalium in certo Scripturarum sensu explanando, si eis sua accesserit legitima cōfirmationis authoritas, quæ ibi aut definita approbat, ac sanciat; aut damnata affirmet repudianda, quemadmodum in illis magnis adeò quatuor Conciliis legimus obseruatum. Hoc Solis luce declarant manifestiùs Mileuitanum & Africanum Concilia, quàm vt ambigas, quisquis non cum ratione statuis insanire. Sed hac de re fusiùs disserendi infrà locus fuerit, quando in Sacramento Ordinis Hierarchiam paucis delineabimus Ecclesiasticam à Christo Domino institutam, & ab Apostolis in orbe constitutam. Vbi aptiùs dicemus, quanta sit familiæ Christi Oeconomi vel serui aliis omnibus præpositi authoritas.

Libr. 4.

In præsentiarum sufficit didicisse, indubitatum sacrarum literarum sensum non ab Ecclesia Christi Catholica modò

ex modò requirẽdum, à qua certas Scripturas suscipimus indubitanter Canonicas: sed & illum iam Scripturarum sensum ab Ecclesia semel definitũ esse verbum Dei Euãgelicum, quemadmodum & ipsi aduersarij de Symbolis Niceno, Athanasiano ac Constantinopolitano suis in Confessionibus, Saxonica & Vvirtembergensi profitentur, vtcunque ea ex Scripturis simulet præscripta: quòd quàm à vero absit lõgè, paulò antè lib.2. arbitramur demonstratum manifestiùs, quàm quòd vlla vlteriùs verborum luce habeat opus.

Cæterùm de altera illa certi indubitatíque Scripturarum sensus ratione, quæ ex concordi Patrum vetustissimorum interpretatione atque sententia illũ studet eruere, atque colligere, in præsens mihi non arbitror differendum fusiùs, quòd eorum sententia fortassis (prout nostra in præsentiarum fert opinio) per omnia cõsentanea de Scripturæ alicuius sensu, minus indubitatum & certum præscribat Dei verbum ac Fidei articulum, nisi Ecclesiæ accesserit definitio. Quare hac disputatione consultò in alium dilata locum, ad reliquas verbi Dei non scripti, quod dogmaticum diximus, explicandas species descendamus, illud pium lectorem admonentes, veterũ Patrum esse præiudicium, verum Scripturarum sensum ex Traditione Maiorum esse petẽdum, quemadmodum de sacræ Theologiæ studiosis Basilio & Nazianzeno legimus, eámque esse causam, cur olim tot extitêre hęretici, vero scripturarum sensu destituti: qua de re Clementẽ Alexandrinum sexto Stromatum consulas licebit.

Caput VIII.



Ost illud dogmaticum verbum Dei Euangelicum non scriptum, de vero indubitatóque scripturarum sensu ab Ecclesia Christi Catholica legitimè collecta requirendo, proximum est, vt eas persequamur eiusdem verbi Dei dogmatici partes, quæ dudum à nobis sunt enumeratæ. De colenda igitur Dominica die, ac Festis Christianis initiò dicemus, Symbol que Apostolico, mox ad sacrosancta Quadragesimæ accedemus ieiunia, & ea, quę rectè Qua-

Transitio ad alias verbi Dei dogmatici partes.

k

tuor tẽporũ appellantur, mox de sextæ feriæ & Sabbathi ratione. Tum denique quod ad Sanctorum attinet cultum, siue per imagines, siue per dies ipsis sacros, siue etiã per vsitatam Catholicis inuocationem, & si quid aliud huc pertinere videbitur.

1 Dies dominica à Christo domino habet nomẽ.
2 Aduersa. Dominicum diẽ suis sine Dei verbo præcipiũt colendum.
3 Dies dominica, quibus olim ceremoniis culta.
4 Conuetus ad Missam.
5 Lectio epistolæ & Euãgeliĳ.
6 Concio.
7 Offertoriũ
8 Secreta & præfatio.
9 Consecratio.
10 Cõmunio
11 Distributio per domos s. Eucharistiæ.
12 Collectio eleemosynæ in vsus pauperum.

1. Diem igitur Dominicam, quæ à Christo Domino per suam à mortuis resurrectionem nouum illud mundum mysticum creante atque instaurante nomen inuenit, quia nobiscum Aduersarĳ colunt atque retinent, nihil hîc dicemus de ea copiosiùs, quàm quòd eam obseruando suísque præscribendo se ipsi damnant temeritatis manifestissimæ. Quo enim scripto Dei verbo confirment eã Christianis colendam? an quia Ioannes in Apocaly. eius meminit? Sanè eius meminit, sed an loco Sabbathi Iudaici colendus sit nécne, non disserit. 2. Hunc igitur nolint velint sine verbo Dei, quod quidem ipsis sit Dei verbum, suis temerè præcipiunt, sicuti & Festa quædam alia, quorum alĳ alia aut violant, aut obseruãt. Nobis in pręsentia est satis, Dominicam diem Christianæ Ecclesiæ ab Apostolis fuisse traditam, ostendisse, sacrísque operibus sanctificandam, quemadmodum D Iustinus commemorat Apolo. 2. ad Anto. August. 3 Die qui Solis dicitur, inquit, omnes, qùi in oppidis vel agris morantur, vnum in locum 4 conueniunt, Commentariáque 5 Apostolorum & Prophetarum scripta leguntur, quàm diu hora patitur: Deinde vbi Lector destitit, Ecclesiæ Præses admonet, 6 & hortatur, vt ea, quæ lecta sunt bona imitemur. Tum surgimus omnes, atque comprecatis nobis panis, vti dixi, vinúmque cum aqua 7 offeruntur, præséſque orationes 8 & gratiarum actiones Deo transmittit. Populus verò respondet, Amen. Eorum verò, quæ benedictione sunt 9 consecrata, vnusquisque fit 10 particeps: quæ & per Diaconos absentibus 11 perferuntur. Rursus paulòpòst, cõmemorato, quánã ratione illa 12 collecta, de qua Paulus Corin. præcepit, Ecclesiæ corrogetur, & in quos vsus per Ecclesiæ pręfectum expẽdatur: Die solis, inquit, omnes publicè cõuenimus, quod is primus dies est, quo Deus tenebris atq; materię mutatis mũdũ effecit, quódq; eodem die Iesus Christus salua-

tor noster à mortuis est excitat⁹. Pridie enim Saturni cũ in crucẽ sustulerũt, & postridie Saturni, qui Solis dies est cùm Apostolis Discipulísque apparuisset, 13 hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda proponimus.

13 Omnia hæc à Christo esse tradita.

Ad hæc D. Innocentius ille à D. Augustino tantoperè adeóque magnificè celebratus, clarissimis verbis epistola ad Decentium data, testatur, Apostolos die Dominica exhilaratos Christi resurrectione, ipsum voluisse non solùm festiuissimum fore, sed per omnes etiam hebdomadas esse frequentandum. De cæteris diebus aut Christo Domino sacris, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, aut virgini matri, aut denique Apostolis, non est hîc prolixiùs disserẽdi locus: cùm eos nobiscũ cõcorditer Aduersarij saniores maiori ex parte colant sine verbo Dei scripto. Quare illorũ quoq; cõsensu munitos, relinquemus in alium locũ reponendos, vbi de vero Dominicę Festorúmq; aliorum dierum cultu, atque transigendi ratione Christiano homini conuenienter erit disserendũ aptiùs.

Iam de Symbolo, quod Apostolorum dicimus, paucis agendum, an Apostolorum sit, vt vbique apud Catholicos obtinet probabilis opinio, an vt quidam aduersariorum suspicantur plusquàm friuolis moti coniecturis, ad alios sit referendum? Sanè Argentina Ecclesia hoc Symbolum suis Cathechumenis proponit credendum, quasi Apostolicum, vt in Catechismo videre est. Sic & ipse Lutherus in suæ Fidei capitibus. Dubitat sua in Catechesi Brentius, qui ad Seniores nescio quos, cuperet referre, tametsi in Confessione sui Ducis V virtembergensis profiteatur Apostolicum. Caluinus verò mirificè tergiuersatur in suis Institutionibus, ne illud Apostolis acceptum ferre cogatur sine scripto Dei verbo. Verùm Catholici non dubitamus nostros Catholicos Patres sequuti, Apostolis authoribus attribuere. Porrò illa minutula, vbi & à quo, quísue à quolibet sit collatus Fidei articulus, anxiè inuestigare hominibus maiori ocio abundantibus perlibenter cõcedimus. Quòd igitur Symbolũ hoc verè ab ipsis Apostolis conflatum sit atque compositum, disertis verbis D. Ambrosius episto. ad Siritium, alióśque Episcopos per Aemiliam asserit. Sed si do-

Symbolum Apostolorum verè esse Apostolorum.

ctrinis (inquit) nō creditur Sacerdotū, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum, dicentium quia non est impossibile apud Deum omne verbum: credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat.

D. quoq; Augustinus Symbolum, quod & hodie Apostolorum dicimus, Apostolos narrat pro concione habere authores, suos cuique distribuens articulos. Vide sermonem de tempore 115.

Caput. IX.

Ieiunādum fore Christianis præmonuit Christus ipse.



Æterùm vt hisce de rebus dudum commemoratis facilè concordia Aduersariis nobiscum sarciatur, ita de iis, quæ supersunt, huius verbi Dei non scripti capitibus ægriùs conueniat. Quare illis ita leuiter communitis, ad alia transeamus ex Apostolica Traditione non scripta ostendenda atq; constituenda: Ieiunium dico Quadragesimæ, Item quatuor temporum. Quódque hæc omnia cum necessitatis opinione meritò ac rectè dicantur coniuncta. Mox obiter de sexta & septima Feriis, cur piscium duntaxat habeant vsum, & id vnde ortum sit, quódque à carnibus necessariò est abstinēdum. Postremò de Christiani ieiunij effectis atque fructibus, quos piis parit ad Euangelij normā precando, & eleemosynas largiendo, ieiunantibus.

Mat. 9. Marc 8. Luc. 5.

Et si in Euangelicis scriptis nusquàm legatur, Christum Dominum Quadragesimæ instituisse ieiunium, sicuti nec Quaternorū temporum, aut aliud vllū: tamē clarissima Christi verba à D. Euangelistis memorata, luce meridiana loquuntur manifestiùs, Apostolis omnibúsque in vniuersum eius discipulis post sponsi, ait, discessum, aut vt cōcorditer dixêre tres Euangelistę, ὅτι ἀπαρθῇ ὁ νυμφίος, vbi ablatus fuerit sponsus, fore ieiunandum. Quod apud illos claris illis verbis, venient autem dies, tunc ieiunabunt, Christus pronunciat apertiùs, quàm vt copiosiùs hæc res sit veterum Commentariis illustranda. Ad hæc Apostolos cæterósque discipulos post Christi discessum ieiunasse frequenter, acta Apostolica decla-

Christianorum priscorū ieiunia.

rant: & si quis dubitat, vnum mihi Paulum cogitet, qui prętcrquàm quòd se affirmat sæpenumerò ieiunasse, populum etiam Christianum Ecclesiæ Corinthiæ ad ieiunandi exhortatur studium. *2.Cor.7.*

Verùm vt demus ieiunia hæc fuisse libera, quorum obseruatio non vniuersos obstringat: sicuti nec illud Apostolorum ieiunium propè quotidianum, ait alicubi Chryso. fuisse tamen stata Ecclesiis omnibus prę̧scripta ieiunia nemo inficias iuerit, qui debitã vetustissimis iuxtà atq; sanctissimis Patribus fidẽ habere nõ aspernatur. *Ieiunia olim non omnia fuisse libera.*

Apostolos itaque non Quadragesimam modò ieiunasse ex Christi præcepto, sed Christianis hominibus eundem continuandi ieiunij numerum tradidisse, ambigere non potest, quisquis veterum Scriptorum vetustissima hac de re suscipit testimonia. D. Ambrosius ille, vti ait Basilius, qui non ab hominibus doctus fuit Euangelium Christi, suum in Euangelica disciplina erudiens populum, vide mihi obsecro, cuinam ieiunandi per Quadragesimam morem Christianum docet ferendum esse acceptum. Istud primum (inquit serm. 23. & similiter 27. de Christo animarum loquens medico) præceptum est, vt his quadraginta diebus, ieiuniis, orationibus, vigiliis, opera commendemus. Idem serm. 25. Non enim fratres, inquit, leue peccatum est, fidelibus indictam à Domino Quadragesimam violare (nam quod alij legunt ieiunare, mendosum est) & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Idem paulò posteà? Et si ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluit, morti addicitur, qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium quid meretur? Ergo fratres statutum nobis custodiamus obseruatione ieiunium. Audis, Lector Christiane, Quadragesimalem ieiunãdi morem à Christo Domino prę̧ceptum & statutum, adeóque maiori quàm vitæ huius pœna esse à Domino ipso indictum. Suffragatur huic Maximus illle Taurinens. Episco. verè maximus hom. 2. de Pentecoste. Sic enim, inquiens, disposuit Dominus, vt sicut in eius passione in Quadragesimæ ieiuniis contristaremur: ita eius resurrectione in Quadragesimæ feriis lætaremur. D. August. episto. 119. cap. 15. Quadragesi- *Apostolos Quadragesimã tradidisse ieiunãd.i.* *Ambrosius* *Christum Quadragesimam indixisse ieiunãdam.* *Maximus Taurinens.* *Augustinus*

" mam ieiuniorum authoritatem habere docet ex vete-
" ribus libris, & Christi exẽplo: vbi causam reddit, cur an-
" te Pascha obseruẽtur: & eiusdem capit. 17. Ieiunandi per
" Quadraginta dies demonstrans necessitatem, addidit:
" Nam vt Quadraginta, inquiens, illi dies ante Pascha
" obseruentur, Ecclesiæ consuetudo roborauit. Tale & illud est, quod Apostolorum æqualis, imò discipulus celeberrimus Diuus Ignatius suos monebat Philippens. iam tunc aduersus heterodidascalos istorum nostræ ætatis proauos præmuniens, Quadragesimam, inquiens nolite contemnere, imitationem enim habet Dei conuersationis. Cæterùm ne in re adeò apud Scriptores veteres conspicua sim prolixior, vnum attexam D. Hieronymi ttestimonium, quod Solis luce clariùs vniuersas dubitationum dispellat nebulas à pectoribus veritatis Euãgelicæ ex animo studiosis. Marcellã suã cõtra Montanistarum hypocrysin, quæ tres sub pietatis prætextu fabulabatur ieiunãdas Quadragesimas, muniturus, ne pia

Ignatius.

Hieronym.

" matrona in illorum seduceretur hæresin: Nos vnam, in-
" quit epistola ad eam data, ex Apostolorum Traditione
" ieiunamus Quadragesimam. Pauca hæc claris. Patrum testimonia ita perspicuè de Quadragesimali nobis testantur ieiunio cùm ab Apostolis tradito, tum à Christo Domino indicto, vt aliis omnibus quæ aliundè in eius præsidium peti queant, hîc supersedendum arbi-
" tremur. Res enim hæc apud Priscos per Ægyptum Epi-
" scopos adeò indubitatæ fuit Fidei, vt omnibus suis suf-
" fraganeis Alexand. metropoli subiectis Episcopis scri-
" bat Theophilus Alexand. libr. Paschali 1. & 2. finienda
" ieiunia, quæ per duos menses Mechir & Pharmus, vt
" apud Latinos per Februarium & Martium: aut per Pha-
" menot & Pharmuti, vti per Martium & Aprilem obser-
" uabantur, secundum Traditiones Euangelicas vespere
" Sabbathi 10. die Pharmati, vt illucescente statim Domi-
" nica festa celebremus.

Theo. Ale.

Contra illos itaque fanaticos pugnandum non est, qui ieiunium Quadragesimæ Manichæis ascribere audent impudentissimè iuxtà ac imperitissimè: sed illorum insaniam demonstrasse, vicisse est. Quibus porrò aliquis

Ieiunium Quadragesimæ olim non fuisse liberũ,

superest reuerentiæ erga doctissimos iuxtà ac sanctissimos Patres sensus reliquus (nam qui eos impiè contemnunt, eorúmve dicta morantur nihil, re ipsa illud Sapiẽtis sibi miseris testantur accidisse: Impius cùm in profundum venerit, contemnet) ista ac eorum similia suscipiẽda volunt testimonia, sed ieiunia hæc omnia fuisse libera, nec à carnis vsu fuisse cum necessitatis opinione abstinendum. Quorum hallucinatio cæca vt veritatis lucẽ agnoscere possit pleniùs, agedum ex vetustissimorum Scriptorum monumentis faciamus contestatum, eãdem fuisse ante annos mille trecẽtos necessitatis opinionem in ieiunando atque à carnibus abstinendo publicè notam, imò prædicatam & celebratam, quæ etiamnum hodie in Catholica obtinet Christi Ecclesia. *sed cũ necessitatis opinione coniũctum.*

Diuus Hieronymus epistola dudum recitata ad Marcellam inter vnam Catholicorum Quadragesimam, & æternam Manichæorum distinguens, ne quid contra vsitatissimum tunc temporis apud pios ieiunandi extra illa stata ieiunia morem dixisse putaretur, cuius idẽ admodum seuerus erat custos: Non quò per totum annum, inquit, non liceat ieiunare, excepta Pentecoste, sed quòd aliud sit necessitate, aliud volũtate munus offerre. Vides hîc, lector Christiane, quauis Solis luce manifestiùs, illam vnam ante Pascha Quadragesimã ab Apostolis traditam non aliorum dierum ieiuniis fuisse per omnia similem: sed illam ieiunij Quadragesimam necessitate fuisse suscipiendam, alios verò per annum totum ieiuniorum dies ex cuiusque voluntate assumi potuisse. Hoc illud est, quod Enthymemate subindicat Hieronymus, aliud esse voluntate, id est, alios non statorum ieiuniorum dies: aliud necessitate, id est, Quadragesimam ieiuniorum munus offerre. *D. Hieron. ad Marcellã.*

D. Item Ambrosius quanta fuerit obseruandæ Quadragesimæ huius necessitas, exemplo admodùm terribili suis studet persuadere: Si ignorans Ionathas, ait Serm. 25. indictum à patre ieiunium quia resoluit, morti addicitur, qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur? Viden', quantam necessitatis opinionem vir doctissimus, atque Euangelicæ libertatis peritissi- *D Ambr.*

mus suorum animis voluerit insidere? Ionathas ieiunium à patre homine indictum soluens ignoranter, morti addicitur, quod suppliciorum genus mereri censeatur, qui indictum à Christo Domino Deo Quadragesimæ sciens ac prudens violat ieiunium? Vbi hîc illius de necessitate opinionis exclusio sibi reperiat locum? an non necessariò se ad Quadragesimæ ieiunium intelligit Christi præcepto obstrictum Christianus, qui suæ inobedientiæ expiandæ ac luendæ perspicuũ videt non sufficere acerbissimum vitæ præsentis supplicium? Ex hac igitur suppliciorum collatione maximam in primis demonstrauit Ambros. ieiunij per Quadragesimam custodiendi necessitatem: quam qui simplici popello ad istam carnis libertatem non propenso tantúm, sed præcipiti etiam, contrá catholicam Christi Ecclesiæ doctrinam nitũtur persuadere, meminerint obsecro, quæ nam illi commereantur suppliciorum atrocissimorũ genera, qui scientes ieiunium à Christo indictum factis ac scriptis docent violandum atque soluendum, si Ionathas patris ieiunium ignoranter soluens, morti addicebatur?

Theophilus Alexãdrinus

Pari modo & Theophilus ille Alexandrinus á Diuo Hieronymo Latinè conuersus, libro 3. Paschali demonstrat, quàm graui cum flagitio Ægyptiorum quidam Quadragesimæ diebus ieiunia violarint, atque vini potibus, carniúmque esibus illud pugnæ tempus contaminauerint, atque eneruarint: Itaque gratia Domini, inquit lib. 3. triumphos nobis de sceleratissimis Dæmonibus pollicente, ieiunia ritè celebremus, vt solennitatis quoque ritè participes simus. Nequaquàm diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiremus, neque vt in procinctu & prælio vbi labor & sudor est, carnium edulio delectemur. Crapula quippe & ebrietas, & cæteræ huius vitæ illecebræ opulentissimum animarum thesaurum exhauriunt, & sementem scientiæ doctrinæque vberrimam sui admixtione suffocant. Et quibusdam interiectis: Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis, carnium esum repudiant, & insatiabilem auaritiam Dei timore compescunt. Et mox: Qui desidia & peri-

Luxuria arguuntur qui per Quadragesimam carnibus & vino vtũtur.

Prisca ieiunia

qualia per Quadragesimam. Abstinētia à vino & carnibus die ieiunij.

tura citò voluptate ſtudium virtutis infamant, non erubeſcentes vinum clàm bibere, & auidis faucibus arbitros declinantes, in cubiculis mulſa potare, vt inediam & ieiunia, quæ vltrò adpetere debebant, ieiuniorum tempore luxuria & ebrietate commutent, neſcientes, quòd etiam ſi hominum conſcientiam fugiant, & clauſis parietibus veſcantur carnibus, atque aues altiles diebus Quadrageſimæ, & propinquante Paſchate, immundis manibus lacerent, triſti vultu foris ieiunia promittentes, corripiat huiuſmodi Dominus, & dicat: Iniquitates magnas faciunt iſti, vt à Sanctis meis recedant. Non decet ieiunantes tempore agonis veſci carnibus, monente Scriptura: Affligetis animas veſtras, neq; phaſides aues ſolicito labore perquirere, & garrulas volucres, earúmque pinguedinem hianti ingerere gulæ. Nec inueſtigare magni pretij coquos, qui ventris rabiem iure multiplici, & carnibus contuſione mutatis, diuerſo ciborum ſapore demulceant: fumantibus pateris & nidore ſui furori gutturis blandientibus: cùm in iniuriam continentiæ diuerſi ſaporis & coloris vina quærantur. Et commemorata Danielis hiſtoria, concludit: hæc idcirco fratres chariſſimi replicauimus, vt Pauli Apoſtoli de Sāctorum virtutibus prædicantis verba noſcentes, in quibus ait: Quorum conſiderantes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Suademus eis, qui tempore ieiuniorum eſu carnium delectantur, imitari Sanctorum continentiam, qui nulla vi ſuperari potuerūt, vt rigorem virtutis amitterent, & quæ ſeq.

At vnius fortaſſis aut alterius, inquias, iſthæc fuit de ieiunij Quadrageſimalis neceſſaria obſeruatione ſententia: non fuit olim hæc neceſſitatis opinio in vulgus nota. Adeò hæc de Quadrageſimæ ieiunio ſeueriter cuſtodiendo doctrina fuit paſſim omni populo Chriſtiano cognita, atque perſuaſà etiam, vt eam Catholicæ Chriſti Eccleſiæ aduerſarij hæretici ante annos 1300. opprobrij vice obiicere nihil dubitarint.

Ex Fauſti Manichæi teſtimonio

Fauſtus ille Manichæus, qui libris 32. Chriſtianam doctrinam non modò ſalibus ac conuitiis contumelioſiſſimè vexare, ſed rationibus etiam minimè leuiculis

demonstratur ieiunij Quadragesimalis necessitas olim credita.

profligare aggrediebatur, hunc in modum de re præsenti scriptum reliquit: Quid verò, inquit, de illo dicemus, quod ſanè fruſtrari quis audeat, aut negare? cùm conſtet hoc inter omnes (Catholicos Chriſtianos) & æquè per orbem terrarum quotannis omni cum ſtudio celebretur in conuentu Catholico: Dico autem Quadrageſimam, quam inter vos, qui ritè obſeruandam putauerit, abſtineat neceſſe eſt omnibus his, quæ capitulum (videlicet 1. ad Timoth. 4.) à Deo nobis ad percipiendum creata dicit, & Dæmoniorum inſuper vocat abſtinentiam prædictorum. Quod Fauſti illius verè infauſti teſtimonium eò plùs indubiæ promeretur apud prudentes rerum arbitros fidei, quòd à Chriſtianæ fidei Catholicæque Eccleſiæ hoſte, & eodem infeſtiſſimo eſt profectum. Siquidem illò dicit iſta omnia ac vniuerſa, vt inde maior Catholici conuentus, quem dicit, ſiue Eccleſiæ Catholicæ, abſurditas, imò impietas hominibus in vniuerſum omnibus clariſſimè perſpiciatur.

Quæ illius narratio niſi rebus ex confeſſo atq; profeſſo Catholicis conſtaret, quam quæſo apud prudentem Lectorem inueniſſet veritatis ſimilitudinem? Cum igitur falſa ac ementita crimina Fauſtus exprobrare noluerit, ſed quæ inter omnes Catholicos, atque per vniuerſum adeò terrarum orbem in Catholico conuentu conſtarent certa ac indubitata, meridiani Solis luce eſt demonſtratum clariùs, priſcos viros Catholicos hac fuiſſe de Quadrageſimæ ieiuniis opinione imbutos, vt ea omni cum ſtudio quotannis non exiſtimarint ritè obſeruari, niſi à carnibus, vinóque & ſimilibus gulam irritantibus, ſimul & impenſè oblectantibus abſtinerent. Quid enim illius Fauſti vocibus ad corroborandam illam neceſſitatis opinionem veritate ſubnixam dicatur apertius, aut diſertius, quàm quòd ille arietis inuicti loco oppoſuit Maioribus noſtris Catholicis? Qui inter vos Quadrageſimam, inquiens, ritè obſeruandam putauerit, neceſſe eſt abſtineat omnibus his, quæ cap. 1. Timot. 4. à Deo ad percipiendum creata dicuntur.

Caput X.



OStenſo Quadrageſimæ ieiunia neceſſariò eſſe obſeruāda ex Chriſti edicto atque Traditione liquidò Apoſtolica, nūc ad 4. Temporum ieiunia iiſdem ex capitibus corroboranda eſt accedendum. Paulò ſuperiùs ex Euāgeliſtis illis 3. eſt demonſtratū, Apoſtolis à Chriſto Domino fuiſſe prędictum poſt eius in cœlos reditū fore ieiunandum. Quod non modò per Quadrageſimā eos obſeruaſſe, vti ex D. Ignatio, Hieron. & cæteris item aliis docuimus: ſed aliis etiā temporibus nunc eſt veterū teſtimoniis oſtēdendū.

De quaternorum temporum ieiunÿs.

Miniſtrantibus illis, ait D. Lucas Act. 11. & ieiunantibus dixit Spiritus ſanct. & quæ ſeq. Illi miniſterio, ſiue vt Paulus vocat λητουργία publico illi, ſacróque officio Apoſtolos adiunxiſſe ieiunia hiſce ex verbis liquet. Quod ieiunij tempus fuiſſe ordinationis, ſiue cōſecrandi clericos tempus, ex veterum eſt colligere Comment. qui vt tempore illis fuēre viciniores, ita priſcorū etiam Scriptorum, quæ nunc interciderunt, lectione hæc nobis magis habuēre perſpecta atque cognita. D. igitur Chryſ. Eccleſ. antiquitatis, ſi quis alius, eximiè peritus, in locum iamiam commemoratum, ſic ſcribit: Magnum quoddam bonum eſt ieiunium, quod termino circumſcribebatur. Quando ordinatio erat, tunc ieiunant, & ieiunantibus illis dixit Spiritus ſanctus, &c.

Paulus ordinatur, cum ieiunÿs.

Quod ergo D. Lucas in Pauli ac Barnabæ ſcribit factum ſemel creatione, vt ieiunantes & orantes eis impoſuerint manus, hoc poſteri in ſimili ordinationis tempore obſeruarūt perpetuò. Nam Decembri menſe olim ordinationes ſolenniter celebrari ſolitas, ambigere nemo poterit, qui veterum Pontif. vitas modò legerit vel apud Damaſ. Platinam, alióſue.

Quatuor tēpora menſis: Decēbris ab Apoſtolis tradita.

Decēbri mēſe olim ſolenniter Clerici ordinabātur.

Iam quòd eodem menſe Decembri ſolēnia omnibus fuerint Chriſtianis ieiunia ab Apoſtolis præſcripta, ex vno D. Leone illo magno, eximio Cathol. fidei vt priuatim contra Manichæos, ita publicè contra Dioſ. & Eutich. propugnatore conſtabit liquidiùs, quàm vt plu-

ribus hoc testimoniis sit corroborandum. Serm. igitur 1. quem de mensis 10. habuit ieiunio, quo suas piè acverè Christianè docet ieiunandum: Tria verò sunt, inquit, quæ maximè ad religiosas pertinẽt actiones, oratio scilicet, ieiunium, & eleemosyna: quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosiùs obseruandũ quod Apostolicis accepimus Traditionibus consecratum.

Christianum ieiunium quale.

Rursus de eiusdem decimi mensis ieiunio loquens serm. 8. Spiritus sancti affirmat esse doctrinam, quòd ieiunandum est per quatuor tempora mensis Decembris, id est, vnam illorum Quatuor, aut potiùs Quaternorum temporum stati per annum ieiunij portionem decimo esse mense soluendam: Huius obseruantiæ vtilitas dilectissimi, ait, in Ecclesiasticis est præcipuè constituta ieiuniis, quæ ex doctrina Spiritus sancti ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in septimo mense, hyemale in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa seruire.

Quaternorũ temporũ ieiunia ex Spiritus sancti doctrina per anni circulũ constituta. Vernũ. Aestiuum. Autũnale. Hybernum.

Vides, lector Christiane, quíd nam publica apud Catholicos habuerit doctrina de quaternis istis ieiuniorum temporibus ante annos mille & ampliùs centum. Ex quo vno Leonis verè magni testimonio nuper commemorato abundè piis confirmatum videri possit, hæc quatuor tempora statis ieiuniis deputata ab Apostolis, adeóque Spiritus sancti doctrina Ecclesiæ Catholicæ fuisse tradita: verùm in fratrum infirmorum gratiam libenter huc adferemus, quod de cæteris Quatuor temporum feriis obseruauimus.

Quòd igitur post Pentecosten Quatuor temporibus fuerit olim ante annos 1300. ieiunatum, disertioribus verbis D. Athanasius ille nominis verè immortalis gloria illustris testatur in Apolegetico, quod Basileæ pridẽ titulo Antidoti excusum est, quàm vt eius Lector ambigere queat.

Quatuor tẽpora post Pẽtecostẽ apud Athanasiũ.

Ad idem ſtati poſt Pentecoſten ieiunij D. Leo Magnus ſuas exhortans ouiculas: Ad præſentem autem ſolennitatem,inquit ſermone ſecundo de Pentecoſte,etiã iſta nobis eſt adſumenda deuotio, vt ieiunium quod ex Apoſtolica Traditione ſubſequitur, ſancta obſeruantia celebremus.

Illas autem ieiunandi Ferias,quę in Septembrem incidunt,idem Leo Magnus cenſuit Apoſtolos habere authores. Hunc enim in modum ſuam ſeptimam de ſeptimi menſis ieiunio exorditur homeliam: Apoſtolica,inquit,inſtitutio dilectiſſimi,quę Dominum Ieſum Chriſtum ad hoc veniſſe in hunc mundum nouerat,vt legem non ſolueret, ſed impleret, ita veteris Teſtamenti Sacramenta diſtinxit,vt quædam ex eis,ſicut erant condita,Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ,fierent obſeruãtiæ Chriſtianæ. Rurſus de eodem ieiunio menſis ſeptimi,ſerm.9. Scio quidem,dilectiſſimi,plurimos veſtrum ita in iis, quæ ad obſeruantiam Chriſtianæ Fidei pertinent eſſe deuotos,vt noſtris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & Traditio decreuit,& conſuetudo cõfirmauit,nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit.

Quatuor tẽpora per Septembrẽ ab Apoſtolis tradita.

Nunc de poſtrema horum quaternorum temporum portione,quæ in Quadrageſimã illabitur, diffuſiùs diſſerere,videatur forè ſuperuacaneum: quòd eam D. Leo paululùm ſuperiùs ad Traditionem liquidò Apoſtolicam eſſe referendam, verbis demonſtrarit clarioribus, quàm vt quicquam lucis apud Lectoris cãdidi animum res præſens requirat ampliùs.

Cæterùm illud fortaſſis inquiſiuiſſe non exiguum adferat operæpretium, quî factum ſit,vt iſtud Quatuor temporum in Quadrageſimam ab Apoſtolis ſimiliter, vti oſtendimus, inſtitutum incidat, an olim ſuum, vti alia,habuerit menſem, putà ſecundum. Quod cuipiam fortè hinc videatur,quòd Gelaſius legatur ordinaſſe per mẽſes Decembrem & Februarium,cùm D. Leonis ætate in Quadrageſimæ ieiunia coiuerit. Quod niſi eſſet, poſſet videri temporum volumine in Quadrageſimam

Vide acta Gelaſij.

esse deuolutum, quòd à Christi natiuitate iam dies totos amiserimus 14. Certè in Anglia video vernum ieiunium in primam Martij hebdomadam fuisse collocatum: Æstiuum in hebdomadam Pentecostes, aut primã post Letanias: Autumnale, in Septembrem: Hybernum, in Decembrem. Verùm hac de re in præsens non est nobis instituenda disputatio, sed in nostros de originibus Ecclesiasticis libros est relegandum, quos Deo Opt. benè propitio de veris rerum apud Catholicos perpetuò vsitatarum exordiis meditamur.

Vide Concil. Oxoniense sub Stephano.

Vsus verus ieiunij 4. tẽporum.

Illud coronidis vice adtexendum esse duximus, quò verus ieiuniorum istis statis quaternis temporibus vsus fratribus Catholicis constet certior & manifestior, non hæc quaterna per anni circulum ieiunia propter ordinationes Clericorum fuisse initiò ab Apostolis instituta (ex qua opinione falsa quidam infirmiorum fratrum minùs ad ea obseruanda permouentur, quòd ad suorum veniam delictorum, aut virtutum emolumenta cumulãda minùs existiment cõducere) sed ad animi sanctimoniam maiorem comparandam, robúrque maius contra vitiorum oppugnationes colligendum, ac Deum denique nostris peccatis iratum placandum ac conciliandũ. Has enim veras esse ieiunij Christiani vires ac peculiares facultates præter D. Leonem locis nunc commemoratis clarissimè D. Cypr. serm. de Eleemo. & serm. 4. de lapsis, atque August. de ciuitate Dei. lib. 10. cap. 6. & in Mat. de Niniuit. Ambr. serm. 23. & 27. & cæteri item omnes Cath. Scriptores nobis contestantur: à quorũ testimoniis recitandis in præsens nobis est supersedendũ, quòd hîc Apostolicas doctrinæ Catholi. inquiramus Traditiones: infrà verò istud pertractabitur aptiùs. Lõgè igitur posteà ad illos statorũ per quaterna anni tempora ieiuniorum vsu ille accessit, qui hodie ab imperitis putatur fuisse primarius, vt scilicet iis feriis clericorum fiant ordinationes. Nam istæ per vnum Decemb. mensem fieri solent, vti diximus. Verùm sub annum Domini 500. Gelasius sacrorum ordinum administrationem à mense Decembri Quatuor temporum Sabbathis adtribuit, vt videre est cap. 13 epistolæ eius primæ.

Ordinatio Clericorũ ex Decembri in totum annũ fluxit.

Caput XI.



POsteaquàm illa ſtata per quaternos anni cardines, Ver dico, æſtatem, autumnum & hyemem, ieiunia ex Traditione cõſtabiliuimus liquidò Apoſtolica, nũc quantum præſentis inſtituti patitur ratio, paucis de ſexta ac ſeptima per hebdomadam feria diſputandum eſt, cur nimirùm per orbem Chriſtianũ Catholici duobus hebdomodatim diebus à carnibus abſtinent vniuerſi: quidam ab ouis etiam, vti & hodie in Carinthia: & vtrùm hiſce diebus carnium vſus citra peccatum queat adhiberi?

Sexta & ſeptima feria cur hodie à carnibus abſtinendum.

Rara quædam atque ſingularis adeò fuit Maiorum noſtrorum in meditanda Chriſti Ieſu Domini Saluatoris paſſione pietas, pro eo atque tanti beneficij amplitudo atque maieſtas efflagitabat, merebatúrque. Huius ergo meditandæ non tam ſuauitas quàm gratitudo duos illis perſuaſit hebdomodatim ipſi conſecrare dies: quos ſibi Græcanica Eccleſia, & inter Latinas Ambroſiana, quartam & ſextam delegit Maiorum exemplo feriam: Latina verò ſextam & Sabbathum. Illa venditi pro nobis Domini facinus mœſta recogitabat: hæc græguli Dominici eius morte & ſepultura afflicti dolorem piè recolendo æmulabatur. Vtraque verò illius paſſionem triſtis ſibi hebdomodatim in memoriam ſexta feria reuocabat. Cùm autem & venditi & ſepulti Domini memoria vtrobique non minùs piè quàm religioſè fuerit obſeruata, non hæc res vllam peperit Eccleſiarum diſcordiam, ſed ſummam ſemper alebat animorum, eodem licet in ſpeciem, vario pietatis ſtudio flagrantium concordiam: vti pia ſolet Dominum æmulatio ſeruos probos magis inter ipſos conciliare, atque animos ſibi mutuò magis obligare & deuincire.

Maiorũ pietas duos hebdomadæ dies Paſsioni Christi meditandæ dedicauit.

Vide Theophylact. in Marcũ cap. 14.

Cur hiſce in diebus variatum.

Quod ergo Græci dabant meditando noſtræ redemptionis beneficio, hoc Latini item: ſed vti temporibus diuerſis & occaſione diſſimili: ita eiſdem modis & pie-

Cur ne fas fuerit olim quibusdam diebus ieiunare.

tate ſimili. Vt hîc non cõmemorem Latinis fortè alias fuiſſe ex Paganorum ſuperſtitione cauſas, cur Mercurij diem, vti Græci, minùs exiſtimarint rei præſenti conuenire, ſicuti eadem de cauſa Græcis Sabbathi ieiunium, & diei Dominicæ fuit prohibitũ. Qui Dominicam aut
" Sabbathum ieiunauerit, inquit Ignatius ad Philippen-
" ſes, præter vnum Sabbathum Paſchę, ipſe eſt Chriſti in-
" terfector. Contra Melchiades apud Latinos, ſed diuerſa
" ex pietatis eiuſdem cauſa, ieiunium Dominicæ diei &
" quintæ Feriæ nemo celebrare debet, ait epiſtola ad Hi-
" ſpanos Epiſcopos, vt inter ieiunium Chriſtianorum &
" Gentilium, veracitérque credentium atque infidelium
" & hæreticorum vera & non falſa diſcretio habeatur.

Cùm duos itaque hebdomadis dies concorditer viſum fuerit Catholicę Chriſti Eccleſię pietatis ergò Seruatoris Chriſti dedicare paſſioni, eos nequaquàm, vti cęteros, tranſigere placuit: ſed quò corpus mœrenti animo contriſtaretur, ſolita illi ſubtrahere voluêre ſolatia, aſſuetas & alioqui licitas negare delitias, quò etiã animus aduerſus illicitas magis roboraretur illicientis mũdi blanditias. Proinde vltronea ſibi indixêre ieiunia, quæ corpus iſtud peccatis, mundóque, ad Chriſti exemplum crucifigerent, & Spiritui Domino maceratum, & lætioris pabuli ad tempus quoddam ſubductione attenuatum ſubiugarent magis. Ea igitur Maiores noſtri adhibebant omnia, quæ verum animi mœrorem publicè teſtari poſſent, non iam lautis indulgebant epulis, nõ vini potionem ſuſtinebant, quæ ad cordis hilaritatem, ait Dauid, à Deo eſſet indulta: non ouorum vſum ſingulariter fœdas corporis flammas alentem admittebãt: non ſolito denique carnium eſu corporibus gratiſſimo ac gulæ ſuauiſſimo fruebantur: ſed quicquid lætioris pabuli more corpus iſtud reddere queat petulãtius, aut ſuperbius, aut ferocius, diuiníſque rebus meditandis efficere aut ineptius, aut tardius, id omne perlibenter crucifixi Domini cùm amore, tum recordatione intermittebant, eius vſum repetituri, vbi tempus flendi tempus excepiſſet ridendi. Quòd autem huiuſmodi fuerint ieiunia illa, ex iis, quæ antè de Quadrageſima diſſeruimus,

Formula ieiunij priſci verè Chriſtiana.

mus, fiat Solis luce manifestiùs. Nam ieiunia nostra, quæ & vini copia natant, abundantiáque redundant, & piscium varietate, carnium superant delitias, adeóque (quod & D.Hiero. de suæ ætatis moribus conquerebatur) cum Deo ludere videntur, dum pro intercepto, qui ex ouis oritur, calore olei flammas, vini æstum, omnísque aromatum generis ignes helluoni infarciunt stomacho, veteribus Christianis omninò fuisse non modò incognita, sed & intolerabilia atque adeò abominanda, piis omnibus vetera cogitantibus arbitramur notius, quàm vt ea de re, vlla sint verba profundenda. Hunc ferè in modum sexta & septima olim viuebatur feria, vti ex Epiphanio est cognoscere. Verùm vti disciplina paulatim flaccescere cœpit Ecclesiastica, ita accurata quoque illa vitæ Christianæ ratio à priscis seuerissimè obseruata. Cùm enim illa prisca Maiorũ seueritas aliquid de suis moribus incœpit remittere, verbi gratia ieiuniũ, quod anteà non nisi ad nonam horã siue ad tertiam nobis pomeridianam, soluebatur, ante meridiem interrũperetur, atq; eam in rem non modò mysteria, sed & vesperæ suum mentientes tempus anticiparentur, factum est, moribus in peius retrò labentibus, vt omnia solent temporum lapsu in deterius degenerare, vt horæ ieiuniorum labore molestiores præciderentur, atque ex hora nona, id est, tertia pomeridiana, fieret vndecima antemeridiana. Neque ista hîc constitit indulgentia, sed aliquid de rebus dudum non vsitatis adeò, ieiuniorum tempore irreligiosa populi libertas, imò licentia veriùs audebat vsurpare, vt scilicet sibi & vini vsum, & piscium etiam esum permitteret: Imò & cœnulam, vt hodie plerique omnes diebus certò ieiuniis. Postremò etiam iustam adderent cœnam, quæ ueteribus procul dubio iustum fuisset prandium. Eò tandem nostra indulgentia progressa aut prolapsa veriùs, vt extremam tantùm ieiunij prisci vmbram hodie apud plerosque videamus in Ecclesia Catholica reliquam, ex qua, veluti vestigio, liceat antiquitatis studioso veram huius rei originem tantùm inuestigare, non item ieiunia vera passim agnoscere.

Ad Nepotia.

Ieiunia Catholicorum paßim Epicurea.

Epipha. in Ancorat.

Quem in modum posteri à Maiorum seuero ieiunio degenerauerimus.

Vide Theophyl. Alexã. li. Paschali.

Quòd olim sexta & septima feria fuerit ieiunatum.

Quod vt magis appareat ad veritatem propensum, atq; affine, cogitet velim Lector studiosus, an non idem factum videre est in Rogationũ diebus: qui cùm in tempus nunc semper incidunt, quod olim veteribus Cano. disertè id cauentibus, ieiunium nõ recipiebat, apertum, vt mihi quidẽ probabile sit, prisci ieiunij præ se fert argumentum. Nisi enim olim ieiunatum fuisset, non ille piscium vsus per illos dies, quibus ieiunare non licebat, ait Hieronym. epistol. ad Marcellum, inualuisset, neque soluendi ieiunij religio pios hodie occuparet vsque ad cruces, vti loquuntur, positas. Si igitur non fuit ieiunatum olim, vndé nam ista certi ieiunij vestigia? Sin ieiunatum, certè idem mihi videre videor in sexta & septima feria, quod in diebus Rogationum agnoscimus, hoc est, fuisse olim ieiunia: sed nunc reliqua extare ieiuniorum priscorum tenuia duntaxat vestigia.

Rogationũ dies vestigia habent ieiuniorum.

Atqui per Gallias illis Rogationum diebus fuisse pridem ieiunatum, ex illa Aurelıensis Concilij Canon.12. est clarissimum, qui hunc in modum statuit, Quòd Rogationes, id est, Litaniæ ante Ascensionem Domini celebrẽtur, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur, per quod triduum serui & ancillæ relaxãtur. Ex hoc ergo prisco ante annos mille (nam Hormisdæ temporibus fuit constitutum) ieiunio hasce superesse equidem arbitror ieiunij reliquias, quòd à carnibus eo abstineatur modo, quo sexta & septima feria, nec quisquam piorum illis diebus ieiunium soluere sustinet, nisi publica illa processio cruces antè defixerit. Ad hæc si quis firmiorem hanc in rem confirmandam requirat coniecturam, is mihi quæso animaduertat, similes planè illius ieiunij Clericis olim peculiariter ante Quadragesimam indicti extare reliquias, tenues quidem illas, sed tamen eæ, quæ vetus liquidò monstrent ieiunium. Telesphori enim edicto vt sanctissimo, ita mirum in modum necessario, vtinam & nunc in consuetudinem reuocato, Clerici per id temporis, quum populus Bacchi poculis & bacchationibus deditus, Deum Optimum grauissimè offenderet, ieiunare præcipiebantur, vt suo ieiunio partim Dei Opti-

mi placarent iram, partim insanientem intemperantia populum suo ad sobrietatem reuocarent exemplo. Eius vestigia in nostra Traiectensi, atque Leodiensi Diœcesi est agnoscere, licet in illa clariùs, quòd Sacerdotes per duos illos dies carnibus abstinent, quemadmodum feria sexta & septima.

His argumentis abundè opinor declaratum est, vsum piscium per sextam atque Sabbathi feriam, ex prisco illo veteris Ecclesiæ ieiunio esse reliquum, quod non leuem sanè accipit confirmationem ex eo, quòd in regionibus minùs delitiarum molli suauitate fractis non à carnibus tantùm, sed ab ouis adeò abstinent, vti per Carinthiam.

Sed hac de re quispiam fortè firmiora desiderabit testimonia, quæ ne desint, perlibenter in medium dabimus, quod à nobis fuit obseruatum.

Quòd igitur sexta hebdomadę per anni circulũ fuerit ieiunatum, ante annos 1150. ex Innocentij illius primi testimonio fiat manifestissimum: qui ex confesso inter omnes huius diei ieiunio etiam Sabbatho arguit ieiunandũ. Si Feria sexta (inquit prima epistola ad Decẽtium Eugubinũ cap. 4.) propter passionem Domini ieiunamus, Sabbathũ prętermittere nõ debemus, & quę seq. *Ieiunium sextæ feriæ.*

Similiter de Sabbathi ieiunio in Ecclesia Romana disertiùs D. Ambrosius apud Augustinum respondet, quàm vt cuiquam, qui apud se est, dubium esse queat. Vide epistolam August.

Verùm non esse illius seculi inuentum, D. Hieronymi epistola ad Lucinium clarissimè docet, de illo Hypolitum virum disertissimum scripsisse commemorans, qui anno Domini 200. Occidentalem illustrauit Ecclesiam. Verùm hic Sabbathi ieiunãdi mos per Italiam deferbuisse videtur Innocentij ætate, quod ex eius epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum data liqueat, cui persuadere nititur eadem planè pietate Sabbatho Latinis hominibus ieiunandum, qua sexta Feria, vide cap. 4. episto. huius. Sic & per Hispaniam hoc Sabbathi ieiunium in dubium videtur reuocatum, an obseruandum. *Vide lib. cõfess. August. & epistol. Ieiuniũ Sabbathi quam sit antiquũ.*

Hinc enim ab extrema Occidentis ora Hiſpania Lucinius Beticus egregia pietate ſanctiſſimum virum D. Hieronymum ruri Bethlehemitico agentem conſuluit, vtrùm Sabbatho ieiunandum eſſet? verum tametſi morum Chriſtianorum in peius collabẽtium exemplo, quidam ſibi perſuaderent non eſſe ieiunandum, vide mihi quæſo, quíd nam grauiſſimus Eccleſiaſticorum rituum cenſor Hieronymus hac de re pronunciarit: " Illud te breuiter ego (inquit) admonendum puto, Traditiones Eccleſiaſticas (præſertim quæ fidei nõ officiant) ita obſeruandas, vt à Maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare poſſimus: quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credẽtes feciſſe legimus: nec tamen Manichææ hęreſeos accuſandi ſunt, cùm carnalis cibus pręferri non debuerit ſpirituali. Et poſt pauca: Vnaquæque Prouincia in ſuo ſenſu abundet, & præcepta Maiorũ leges Apoſtolicas arbitretur. Porrò iſtud Sabbathi ieiunium ab Apoſtolorum exemplo in Eccleſiis fuiſſe natum, clariſſimis verbis Euſebius Cæſarienſis in vita Syluestri Romani fecerit conteſtatum: quem Græcis, cur Latini Sabbatho ieiunent, ſciſcitantibus, inducit reſpondentem: Cùm omnis Domini dies (inquit) colendus ſit in gaudium Chriſtianorũ, omnis dies Sabbathi deputãdus eſt ſepulturæ, ad execrationem Iudæorum. Omnes diſcipuli Domini die Sabbathi fletum habuerunt, ſepultum ſuſpirantes, & Iudæis exultantibus lætitia inerat, Apoſtolis autem ieiunantibus, triſtitia imperabat. Triſtemur itaque cum triſtantibus de ſepultura, ſi volumus cum eiſdem de reſurrectione Domini gaudere. Ad eundem modum & Humbertus Cardi. lib. de Azymo, contra calumnias Michaelis Patriarchæ Cõſtantinopolitani: Latina, inquit, Eccleſia cõpatiens paſſo & ſepulto Domino congaudet reſurgenti, die Dominica. Vnde & nos Traditionem vſque in hodiernum diem de Sabbatho retinentes, atque in finem retinere cupientes, &c.

Origo Ieiunij Sabbatho Apoſtolica.

Caput XII.



EX iis, quæ modò de Sexta & Sabbathi feriis diximus, liquet eas apud priscos Occidentalis Ecclesiæ Patres sacris ieiuniis fuisse deputatas, ac meditādæ Christi Domini passioni iusta certè, ac perquàm pia de causa datas atque dicatas. Vnde quæ in hunc vsque diem populo Catholico supersunt pij ieiunij reliquiæ, atque afflictionis vltroneæ vestigia, eadem prorsus sunt pietate colenda, imò necessitate obseruanda, qua ipsa, cùm florerent simul, & vigerent, ieiunia. Quæ vtut populi indulgentia in temperatas corporis reficiendi cœnas sint commutata, habent tamen priscæ illius moderantiæ atq; à delitiis abstinentię nonnihil, puta à carnibus nostro corpori longè gratissimis gulæque iucundis. Rursus alicubi ab ouis etiam: vt non dicam compluribus familiis Catholicorũ per Germaniam secundam ex suorum Maiorum vsu ieiunium sextæ Feriæ non esse prorsus extinctum. *Cur hodie à carnibus abstinendũ die Veneris & Sabbatho.*

Verùm quia publico iam more est receptum magis quàm probatum, vt cœna duobus hisce diebus prandio iungatur, deletam equidem arbitror ieiunandi necessitatem. Quę vt neminem astringit, ita sanè publicus Catholicorum, mos perpetua omnium Ecclesiarum Occidentalium, vna Mediolanensi, nescio quo modo excepta, per Maiores tradita obseruatione inuiolata nos illorum in Christi Ecclesiam successores obligat ad carnis vsum hisce diebus non tam vitandum, quàm intermittendum: similiter & ouorum, vbi ea viget hactenùs cõsuetudo, sicuti per Carinthiam etiamnum vigere affirmant. Cùm enim hęc consuetudo non tantùm ex statuto per Ecclesiam ieiunio, quòd carnibus vti non sinebat, sit orta, sed etiamnum per vniuersum Catholicum orbem cõstanter obseruata, à Maioribúsque in nos vsq; quasi per manus tradita, sine flagitio sanè ac nefario etiam scelere violari nequit. Non minùs enim huius cõsuetudinis violator peccare censendus est, quàm publicum qui ciuitatis morem temerare audet. *Obligamur Catholici à carnium vsu abstinère sexta & sept. Fer.*

Quid, quòd longo adeò Christiani orbis consensu munita est, ac vetusta adeò corroborata obseruatione, vt sui initium non nisi Apostolico seculo acceptum ferre possit? Quam qui animi libidine, aut ventris ingluuie non veretur infringere, nihil meo quidem iudicio peccat leuiùs, ac qui statum & vigens Quadragesimæ ieiunium temeraret aut cænando, aut carnem vorando. Iam vt de scandalo dicam nihil, quod haud dubium pios offenderet fratres, sedulò est animaduertendum, quàm necessariam olim habuerit ieiunandi obligationem sexta & Sabbathi feria. Hæc autem ieiunandi istis hebdomodatim diebus apud Patres necessitas ex Ambrosij atque Hieronymi testimoniis liquet satis. Quare quod illo seculo consulebant Christianis, idem nobis putemus responsum, Maiorum scilicet præcepta vt leges arbitremur Apostolicas: & ita obseruandas Traditiones Ecclesiasticas, vt à Maioribus sint traditæ. Requireret fortè locus præsens, vt & de 6. & 7. Feria Quinquagesimę aliquid diceremus: Ecquo factum sit modo, vt illis inter Pascha & Pentecosten, quando ieiunare fuit nefas, diebus nunc à carnalibus aliorum dierum more abstineamus? verùm instituti ratio prolixiores nos esse non patitur. Illud hîc suffecerit admonuisse, horum dierũ inter Pascha & Pentecosten obseruationem quibusdam non videri Canonicam, siue priscis Cano. congruam; sed posterorum pietate sedula atque pia diligẽtia potiùs fuisse inuectam. Sicuti & de illo ieiunij triduo ante Ascensionem modò est demonstratum. Tanta enim paulatim Episcoporum seueritate nescio, an populi vltronea pietate, irrepsit iugi Christiani aggrauatio, vt publico Cõcilij Aurel. Canone 11. prohibendum fuerit, ne ante Pascha ieiunaretur non Quinquagesima, sed Quadragesima. Galli Episcopi ante annos 500. hîc mirè regnarunt, vt de illis verum videri queat, quod D. Augustinus de suæ ætatis moribus conqueritur. Volebant illi ieiunium Sabbathi & sextæ Feriæ omnibus indicere pane & aqua, vt abstinerent à carne & liquamine, id est, butyro. Verùm istud iugum egregius libertatis Christianæ assertor D. Gerardus Episcopus Cameracẽsis à Gal-

De sexta & septima feria post Pascha.

Galli Episcopi suos ieiuniis onerabant.

lorum humeris auertit, orationibúsque legitimis repudiauit. De quo vide Sigebertum anno Domini 1032. An autem non sint isthac ætate populo ieiunia mitiganda, sicuti Clericorum augenda, aut renouanda potiùs, viderint, quibus Ecclesiæ gubernacula sunt à Christo Domino credita: de illis ago, quæ priuata Episcoporum quorundam pietate irrepserunt. Cuius rei exempla non est obscurum in priscis illis Conciliis inuenire, quibus Episcopi sui officij & periti & memores interfuerunt, vti in Concilio Aureliano. An verò istud hisce acciderit per Quinquagesimã feriis, posteaquàm ieiunij seueritas sextæ & septimæ feriis fuit derogata, in præsens haud ita magni admodùm refert: quò sic totum per annũ quoddam superesset ieiunij vestigiolum. Sed his de necessaria diebus Veneris & Sabbathi à carniũ vsu abstinẽtia obiter perstrictis, oratio ad rectũ iter ex diuerticulo reuertatur.

Vide Sigebertum.

Caput XIII.



Vando igitur ex verbo Dei Euangelico, nimirum Traditione liquidò Apostolica est demonstratum, Quadragesimę ac Quaternorum per anni circulum temporum ieiunia Catholicæ Ecclesię filiis necessariò esse custodienda (iis dico, qui legitima atque Canonica, non commentitia aut emptitia adeò, non excipiuntur excusatione, de quibus vide Canones Concilij Toletani 4. cap. 7. & si qui alij apud graues, ne quis se blandiẽdo, ac palpando fallat, legũtur Scriptores) nunc restrictè admodùm ex latissimis vetustissimorum Patrum Commentariis de Christiani ieiunij effectis superest dicendum: nempè quòd iuxta Euangelij normam assumpta, cum precationibus, atque eleemosynarum largitionibus Deum Opt. nobis iratum placant, reconciliant, adeóque faciunt propitium. Ad hæc, quòd verè non modò sunt Dei Max. cultus, gratáque illi opera: sed quòd etiam merentur vitam æternam Catholicæ doctrinæ consentaneè atque concorditer.

De ieiunij Christiani fructibus & effectis.

Qui à ieiunij lege excipiãtur.

A ieiunij lege excipiuntur illic paruuli, senes & languidi.

Quantum solidi ad æternam vitam comparandam habeât pręsidij ieiunia verè Christiana, pręter illud cæleste

prorsus beneficium, quod intestinũ hoc corporis istius aduersus animam bellum, aliàs ἄσπονδον & irreconciliabile placatissimè sedat: quod animi perturbationes assiduè tumultuantes tranquillè componit, atque tranquillat: carnémque rebellem Spiritui Domino semel subiugat, & in pristinam redigit obedientiam, ex vigili Scriptorum veterum lectione est Solis luce clariùs, eos qui euoluere per occupationes alias non potest, locos communes D. Ioannis Hoffmaisteri consulat, vnde abundè huius rei veritatem hauriat. Nos instituti ratio vrget, vt iis, quæ ad rem præsentem minùs faciunt, silentio prætermissis pertractemus, quæ Aduersarij in Catholica dãnare audent doctrina, tanquàm falsa aut impia.

Ieiunium quibus ornãdum chymeliis. Inter alios igitur ieiunij Christiani precibus irrigati, alioqui verè ieiunij, ac eleemosynis ornati, aliàs sanè squalidi ac tetrici, salutares fructus haud postremum certè locum possidet, quòd Deum placat, atque iratum reddit propicium. Istud cùm disertis adeò verbis de Niniuitarum ieiunio sacræ doceant literæ, Deum nempè visis *Ionæ.3.* operibus eorum, quia conuersi sunt, misertum eis fuisse, mirari satis nequeat pius Lector nouam Aduersariorum doctrinam, qui perspicuo adeò Dei verbo audeant obsi*3.Reg.21.* stere atque obstrepere? Sic ieiunium Regis Achab quid ad placandum Deum iratum valuerit, cui credent, si ipsi Deo se placatum, & sententia mutatum per illud ieiunium affirmanti, rebúsque comprobanti non credunt? An igitur Christiana ieiunia à Christi filiis Deo Patri gratissimis adhibita, inferiori queant emerendæ gratiæ Dei, atque reconciliationis impetrandæ loco collocari? Sed ne in re manifesta videar præter necessitatem prolixior, veterum Patrum audiamus sententias.

Cyprianus. *Ieiunia irã Dei placant* D. Cæcilius Cyprianus eximius virtutis sibi familiaris præco, paucis, sed luculentis verbis suam, suíque temporis Ecclesiæ sententiam exponet. Ad Dominum, in" quit serm. 5. de lapsis, toto corde redeamus. Iram & of" fensam eius ieiuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet" ipse, placemus. Et paulò pòst: Daniel quoque post Fidei *Ieiunia Deũ promerentur* atque innocentiæ suæ multiplicem gratiam, post dignationem Domini circa virtutes ac laudes suas sepè repe-

titam, ieiuniis adhuc promereri Deum nititur.

D. Augustinus quod Enchir. cap. 71. dixerat, Deum propiciandū precibus & operibus: de ieiunio Niniuitarum expressiùs declarat in Matth. cap. 12. quòd agendo pœnitentiam iram Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt. Quod dum de Niniuitarū dixit pœnitentia, de illo cùm primis ieiunio est accipiendum, †quod adeò memorabile ac propè incredibile narrat D. Ionas.

Augustinus Ieiunia Dei iram propitiant, placāt atque merētur misericordiam.

†Ionæ. 3.

Eundem in modum & D. Ambros. laudes ieiunij Christiani prædicat: His quadraginta dierum ieiuniis (inquit sermone vigesimoseptimo) reconciliatur Deus. Et iterum: Ieiunemus continuè & deuotè hoc spacio temporis, vt propicietur nobis Deus.

Ambrosius Ieiuniis deus reconciliatur & repropiciatur.

Si multus esse vellem, varias hîc contexere liceret Patrum veterum sententias, quibus ieiunij celebrant encomia. Sed in præsentiarum hoc supersedendum arbitror opere: quòd aliud sibi tempus postulat.

Cæterùm quod ad illam quæstionis partem attinet, an ieiunia sint Dei cultus, vnus D. Lucæ locus sàtis superq; suffecerit recitatus.

Lucæ. 2. Ieiunia veros esse D. cultus.

Annam illam Phanuelis in Euangelio nobilem suis ornaturus virtutibus, testatur nunquàm de templo discessisse, quæ diebus atque noctibus λατρεύουσα νηστείαις καὶ δεήσεσι seruiebat, Latriámque Deo Opt. exhibebat ieiuniis & orationibus.

Porrò an ieiunia Christianorum rectè atque scripturis consentaneè censeantur vitæ æternæ meritum, paulò inferiùs dicetur aptiùs, quando de bonis in vniuersum piorum operibus idipsum veniet demonstrandum.

Caput XIIII.



EX iis, quæ nunc de ieiuniorum effectis sanè salutaribus prædicarunt Patres nobis commemorati, in procinctu est cuilibet: qui modò ad clarissimum veritatis Solem oculis conniuere non instituit, perspicere, cuiúsnam, quantíque apud Deum Opt. Max. ieiunia Christiana sint tam valoris quàm meriti. Quare priusquàm ad cætera, quę nobis

De libero hominis arbitrio.

Qua methodo liberũ arbitrium hic tractandum.

inſtant, explananda, tranſeamus Fidei capita, bonorum operum (quibus ieiunium non modò perlibenter eſt ſocium, ſed nutricius etiam quidam, cuſtóſq; ſedulus) nos inuitat amor, vt de ipſorum quoq; valore, & iuſto apud Deum æquiſſimum iudicem merito nonnihil diſſeramus. Proinde vt ad ipſam Theſin aptiùs recurrat oratio, quia de operibus bonis nihil poſſumus prædicare boni, niſi proprios eorum oſtendamus, ac quaſi digito, quod habet prouerbium, intento indicemus fontes, vnde promanant, video mihi antè, ſed paucis, de libero arbitrio hominis & Chriſti gratia dicendum.

Principiò igitur demonſtrandum, an homini poſt Adami lapſum liberum permanſerit arbitrium? Mox an per ſe valeat ipſum benè probéque operari? tum quónam modo operetur benè: & quónam loco eius iam Chriſti Saluatoris gratia ſanati, opera apud Deum Opt. habeantur, an verè iuſtificent, an meriti alicuius, nécne? An eorum fiducia quis validè nitatur, an friuolè? Num vita æterna illis ſit merces à iuſto iudice Chriſto reddẽda, an ſecùs.

Varia ſemper contẽtio ſuper libero arbitrio.

Grauiſſimam de libero hominis arbitrio capitalis ille humani generis hoſtis Sathan ſæpenumerò excitauit contentionem, quò miſeros mortales tanquàm dementatos in cęciores vitiorum omnium foueas pręcipitaret. Id nõ modò poſt Chriſtianorum memoriam, ſed priſcorum etiam Philoſophorum ætate, in qua haudquaquàm obſcuros fatalis illius amentiæ propugnandę inuenit patronos: quemadmodum rectè Oenomaus Cynicus apud Euſebium de præparatione Euangelica libr. 6. conqueritur, Democritum animos noſtros feciſſe ſeruos, Cryſippum verò ſemiſeruos. Verùm meliori, ac ſaniori Philoſophorũp arti Stoicam iſtam actionũ humanarũ cùm ſeruitutem tum neceſſitatem perſuadere non valuit, vti apud Laërtium videre eſt. Tantus enim liberæ in eligẽdo & agendo humanæ actionis alicuius ingenij hominibus affulget ſplendor, vt nullis aut opinionum anticipatarum quaſi nebulis obſcurari, aut argumentorũ quaſi ictibus queant labefactari: nedum ſopiri, aut extingui.

Stoica neceſſitas atque fatalis.

Hinc acerrimo iudicio, raráque doctrina vir M. T.

Cicero magis quàm eloquentia omnibus ætatibus admirandus, licèt Stoicæ illius Philoſophiæ eſſet perquàm ſtudioſus, & amator propè ſingularis, tanta vidit liberũ hominis arbitrium veritatis luce non modò perfuſum, ſed inuicto etiam eiuſdem firmamento ſtabilitum, vt Deorum prouidẽtiam arguuis ſanè Philoſophorum propè omnium rationibus propugnatam inficiari, ac tollere adeò maluerit, quàm homines ſua cùm in conſultando, tum agendo libertate ſpoliare. Sed dum homines, ait Augu. de Ciuitate Dei, lib. 5. cap. 9. facere conatur liberos, eos verè facit ſacrilegos.

Cicero Deorum prouidẽtiam maluit quàm liberũ arbitriũ hominis tollere.

Cæterùm de aliis liberi arbitrij defenſoribus Philoſophis, quorum rationibus hoc in opere minimè niti ſtatuimus, in præſentia non eſt dicendi locus: quos qui deſiderat, librum D. Gregorij Niſſeni, cui de homine titulus eſt, conſulat.

Quare nos pro eo atque noſtri inſtituti ratio poſtulat, quid hac de re ſenſerit perpetuò Chriſtiana atq; Apoſtolica Eccleſia ex liquido ſcripturarum ſenſu, Scriptorúmque vetuſtiſſimorum, adeóque Apoſtolorum conſenſu docebimus: tum quínam hæreticorum tam priſcorum, quàm recentiorum liberum hominibus detrahere, atque ex ipſis, quaſi naturę fibris euellere ſunt conati arbitrium: quò vniuerſis doctrinæ Euangelicæ ſtudioſis ſemel liqueat, per quóſnam iſta peſtis Lutheri atq; Caluini ſtudio ab orco reuocata, quaſi canales non Philoſophiæ modò imperitia fœtidos, ſed doctrinæ etiam Apoſtolicæ atq, Catholicæ ignoratione pudendos deriuata dirè Germaniam, Galliámq; graſſabunda vaſtat, vt iſtius hallucinationis fœditate abſterriti, alios eorundem errores ex eadem priſcarum hæreſeon lacuna reſorptos, ac verbis quaſi recoctos ſemel abhorrentes abominentur.

Caput XV.



Anichæorum eſt, aiebat D. Hieronymus pręfatio. in Dialog. aduerſus Pelag. hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium. Porrò quàm fuerit D. Hieronymus liberi huius arbitrij defenſor lõgè acerrimus ex Dialogis

Doctrina catholica & Apostolica de libero hominis arbitrio. modò commemoratis liqueat: quibus aliud se agere testatur nihil, nisi vt omnipotentiam Dei, ait Dialogo 3. cum libero arbitrio conseruaret: quorum vtrúmque Pelagius suis terminis studebat terminare. Hinc igitur hac de re petenda veniunt, cui libet, testimonia. Sed vnam *D. Hieron.* sententiam ex Hieronym. suffecerit aliunde attexuisse: Liberi arbitrij nos condidit Deus, inquit, 2. contra Iouin. nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. *D. August.* Alioqui vbi necessitas est, nec damnatio est, nec corona est. Iam quod D. Augustinum Aduersarij istius Manichæismi suggillare non verentur, quis digna persequatur hanc blasphemiam oratione? Sexcenta sunt loca, quibus istam refutat insaniam, sed vnum aut alterũ suffecerit indicasse. Esse autem liberum arbitrium, inquit lib. 2, aduersus Felicem Manich. cap. 3. atque inde peccare quenquam si velit, non peccare si nolit, non solùm in diuinis Scripturis, quas nõ intelligitis, sed etiam in ver-
« bis ipsius Manichæi probo. Rursus, Peccato Adæ arbi-
« trium liberum de hominum natura periisse nõ dicimus:
« sed ad peccandum valere in hominibus Diabolo subdi-
« tis, &c. Contra 2. epistolas Pelag, lib. 2. cap. 5. Et ne quid
« hæreas de eius sententia indubitata, si alicubi in speciem
« duriùs loquitur, libertas quidem periit per peccatum, ait
« lib. 1. contra epistolas Pelagian. ca. 2. sed illa quæ in Pa-
« radiso fuit habendi cum libertate iustitiam, &c. Nam li-
« berum arbitrium vsqueadeò in peccatore non periit, vt
« per illud peccetur, maximè omnes, qui cum delectatione peccant. Pluribus Augustini sententiis recitandis supersedeo, sicuti & cæterorum Catholicorum Patrum, vt Cyrilli lib. 9. in Ioan. capite decimo & 45. Ambrosij passim, Clementis Alexand. Stromat. Chrysostomi Homil. decimanona in Genesin. Tertulliani de exhortatione castitatis: Irenæi lib. 4. cap. nono & 71. & sequ. quòd hæc & multò plura ab aliis plurimis abundè sint in Aduersariorum capita missa. Illud tantùm adiiciẽdum duximus operæpretium, hanc de libero hominis arbitrio doctri-
Matth. 23. nam ex illo Euangelij loco, Quoties volui vos congre-
Prouerb. 1. gare, & noluistis: item, Vocaui, & renuistis, & similibus stabilitam adeò fuisse priscis illis Christianis indubita-

tam, vt eam non dubitarit Origenes ceu Apostolicam & Ecclesiasticam recensere prædicationem libro primo περὶ ἀρχῶν. Ad eundem modum & D. Cyrillus: Non possumus, inquit lib. 4. in Ioannem cap. septimo, secundum Ecclesiæ veritatísque dogma liberam hominis potestatem (quod liberum arbitrium appellamus) negare. Proinde verissimè D. Augustinus aduersus omnes omnium semel ætatum hęreses pronunciat: Est igitur liberum arbitrium, inquit lib. 3. hypognost. quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est.

» Qui liberum negat » arbitrium » Augustino » non est Catholicus.

Caput XVI.



CLarissimis hisce sacrarum literarũ documentis, ac liquido contestatóque Apostolorum sensui, Patrúmque Orthodoxorum consensui refragari hisce diebus, in quos fines seculorum deuenerunt, quidam non sunt veriti, garrientes, nullam esse nostræ voluntatis libertatem, liberum arbitrium nullius rei esse titulum, aliáque non nisi Manichæis, imò Stoicis digna blasphemantes.

Origo doctrinæ contra liberum arbitriũ, nisi hæreticis priscis accepta referatur.

Sed operæpretium spero fecerim, si fœdissimæ istius hallucinationis impietatem patronos nullos, nisi hæreticos à Patribus damnatos, & eos perditissimos, inuenire potuisse, demonstrauerim.

Bardesanes igitur Edissenus, etsi initiò Valentini sectator, deinde cõfutator fuerit 1 vehementissimus (quãquàm omninò veteris suæ opinionis, quæ in habitum abierat, teste Nicephoro li. 4. cap. 11.) posteà per omnia in Valentini hæresin, ait 2 August. lapsus, suum adiecit dogma, vt fato ascriberet hominum cõuersationes. An pro ista opinione statuenda Antonino Vero A. libellum admiranda eloquentia, teste D. Hieronymo, eximium tradiderit, an contra Abidan Astronomum Fati propugnatorem, quod ait Epiphanius, parui in præsens refert. Equidem ex prioris inconstantiæ, qua ad abiuratam Valentini doctrinam reuoluebatur, nota crediderim Fatum asseruisse, ni Theodoretus 3 refragaretur. Porrò de Manichæi furoribus, quibus vt hominem ex vtriusque principij anima gemina bona & mala, concupiscentia,

Bardesan. Stoicam necessitatem renouat anno 200.

1 Hieron. Catalog.

2 De hæresibus.

3 De heret. fab.

Manichæi anno 270.

scilicet & mente conflatum somniabat: ita peccãdi quoque necessitati adigebat, propter stolidam absurditatem nihil dicimus. Sic nec Prisciani illius Camerina hîc est commemoranda, quæ priscorum hæreticorum furorem complexa, omnem etiam Manichęismum, ne quid ad errorum omnium sentinam horribili confusione, ait August. deesset explendam, deriuauit. Ex Hispania Priscilliani patria eius erroribus diu admodùm infecta hęc pestis in Gallias per Petrum Abaïlardũ ætate D. Bernhardi inuehebatur, quæ posteà vniuersam Albigensium regionem omnem vastauit, atque subuertit. Pòst Ioannes Vuiclephus atq; Hussitani renouarunt in Bohemia, ita Lutherus in Germania, Oecolãpadius in Heluetia, Caluinus in Gallia. Bellos istos per homunculos teterrima hæc pestis ab orco in orbẽ reuocata, in simplices, minúsque prudentes Christi Domini grassatur ouiculas: quæ hoc nomine magis est execranda, quód nullo Philosophiæ lenocinio culta, nulla Scripturarum plausibilitate nixa, nullo deniq; Scriptorum veterũ testimonio fulta, sese imperitis pro germano venditat Euangelio. Quòd enim Augustini sententiolas corradunt, quibus Adam peccando, ait, se & suum perdidisse arbitriũ: rursum, post peccatum in homine non esse liberum arbitrium, maiori faciunt fraudulentia, quàm imperitia.

Priscillia, anno 400.

Petrus Abailardus an. 1130.

Vuiclephus.

Lutherus.

Oecolampa.

Caluinus.

Impudenter Aduersarios Augustinũ Manichæismi insimulare.

Sexcentis enim locis, quos vt ignorare pudendæ est imperitiæ: ita lectos dissimulare, fraudulentiæ est plusquàm sacrilegæ, Augustinus disertis verbis pronunciat, in hominibus post Adæ peccatum permanere liberũ ad peccandum. Quis nostrum dicat, verba sunt August. lib. 1. cap. 2. contra 2. epist. Pelag. quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium, de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, vtique liberi ad benè iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsq; adeò in peccatore nõ periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore paccati hoc eis placet, quod libet.

Porrò quod ad peccandum est liberum, haud dubiè liberum est. Rursus liberum hominis arbitrium Christi gratia sanari, pristinæque restitui libertati, vt iam non modò ad peccandum, sed ad benè quoque agendum sit verè liberum. In hanc sententiam innumera cum apud Augustinum passim sint obuia loca, nolo eis commemorandis esse multus, quũ ea & à nostris Scriptoribus, Reuerendissimo D. Roffensi, Reuerend. D. Pighio, Reuerend. D. Ruardo Tappero, nostra memoria Theologorum Phœnice, aliisque sint copiosissimè collecta, & in aciem aduersus Philistæorum, imò Manichæorum nouorum castra digesta atque collocata. Vnicum illud D. August. emblema aureum hîc in memoriam reuocasse haud abs re crediderim, Liberum arbitriũ, inquit 3. hypo. quisquis negauerit, Catholicus non est. Eat nunc Caluinus & sese suæ doctrinæ Augustinum habere patronum iactet. Quare qui factionis Lutheranæ sunt ingenio moderatiore, illam primam perturbatæ per Lutherum religionis barbariem de absoluta rerum omniũ necessitate, ceu impiam atque à veritate abhorrentem reiecerunt, vtut eandem ipsi vel libris editis pridem cõprobassent.† Vnde Melãchthonis ingenuitatem hac in parte non possum non summoperè laudare, qui doctrinam suam Locis illis communibus, anno 21. per adolescentiæ calorem effusis, de nulla hominis in operibus, tam externis quàm internis libertate, per Lutherum adeò prædicatam, vt libellum hunc Melanchthonis Canone dignum censuerit Ecclesiastico, non erubuerit veritatem meliùs perscrutatus permutare, atque factus eruditior sui erroris iuuenilis palinodiam canere: vti liquet Locis communibus anno 52. & aliàs prudentiori cum iudicio ac maiori cum eruditione in lucem editis. Vtinam & alia quædam sui infelicis mystagogi dogmata pro sui ingenij felicitate tam fuisset ausus peruestigare, atque ad veram Orthodoxorum Patrum doctrinam, ceu lapidem quendam Lydium explorare, num vera essent, num adulterina: Nimiùm enim credulus adolescens ea imbibit infelix, quæ ille sic se habere affirmasset. Deprehendisset haud dubiùm aliam longè fuisse veterum

Luth. de seruo arbi. Philippi libellũ prædicat, quẽ ipse author dãnat ætate prudentior.

† Prædicatur felix Philippi Melãcht. palinodia de libero arbitrio.

Patrum de dogmatibus per illum in controuersiam reuocatis sententiam, quàm ille ceu præmansum in os ingerebat hianti. Verùm hęc conquestio hîc cuiquam fortassis videbitur importuna. Quare nos Melanchthoni illam felicem de absoluta actionum humanarum necessitate palinodiam gratulati, illud admiramur, quî porrò factum sit, vt in luto isto fœdissimè plusquàm medius hæserit? In Confessione namque Saxonica, cui ipse vnà cum aliis subscripsit, liberum quidem confitetur hominis arbitrium, sed in motibus, inquit, externis, satis liquidò pronuncians, ecquid de internis animi motibus, ac salutaribus gratiæ inspirationibus sentiat. Quanquàm & hunc erroris nęuum de animo deleuisse videtur, quòd Locis communibus, anno 52. editis disertè doceat esse
" aliquam libertatem voluntatis, si de tota piorum vita lo-
" quamur. Et paulò superiùs: Sæpè dictum est, inquit, co-
" gitantes de Deo oportere ordiri à verbo Dei, non quæ-
" rere Deum sine verbo suo. Cúmque ordimur à verbo,
" hîc concurrunt tres causæ bonæ actionis, verbum Dei, Spiritus sanctus, & humana voluntas assentiens, nec repugnãs verbo Dei. Posset enim excutere, vt excutit Saul: quod veterum Patrum sententiis Basilij & Chrysostomi ita corroborat, vt superuacaneum crediderim, plura in eandem sententiam congerere: cúmque locum ita verbis tam disertis quàm perspicuis explanat, vt ex instituto Caluini subtilitates euertere voluisse mihi videatur.

Tres causæ bonæ actionis Philip. Melanchtho.

Volũtas causa actionis bonæ.

Cæterùm cúm Caluini sophismatibus copiosissimè sit à Reuerendo D. Decano Louaniensi, Ruardo Tappero responsum, nobis supersedendum duximus à fusiore huius rei pertractatione: quam qui requirat aureos illos eiusdem D. Decani in articulos nunc controuersos cõsulat Cõmentarios, inde hausurus abũdantissimè, quo Catholicæ de libero arbitrio doctrinæ sitim expleat.

Caput XVII.

Quô nã modo liberũ arbitrium operetur rectè,

CVm igitur homini post Adami lapsum suum sit reliquum arbitrium, quo aut agere potest, aut non agere: assentiri, aut dissentiri, atque adeò non assentiri, superest, vt cũ Pelagianis disquiramus, vtrùm homo per se operari

ſe operari poſſit bonum iam cognitum? Sicuti enim illi dudum commemorati hæretici hominis naturam indignè, ſuúmque infrà locum deprimebant: ita Pelagiani eandem ſuperbè ac ſuprà quàm æquum erat, attollebãt, ſanámque laudabant, ac de integra benè agendi facultate naturali immodicè & in Chriſti gratiam iniuriè prædicabant. Quorum inſaniam etſi abunde D. Auguſtinus in primis, D. Proſper, & alij item cæteri Catholici, Patréſque in Concilio Mileuitano & Auraſiaco refutarint clariùs, ac ſupercilium depreſſerint humiliùs, quàm vt vllis ampliùs egeat verbis: nos tamen inſtituto huic ſeruientes paucis admodùm explicabimus, Catholicæ doctrinæ concorditer, quó nam modo liberum hominis arbitrium agat, rectè beneq; operetur, ac quod Deo Optimo gratum ſit & placitũ, faciat: an per ſe, nullóque Chriſti Saluatoris gratia & auxilio adiutum, an huius potiùs præſidio tam excitatum quàm inuitatum, erectum, ſuffultum, ac porrecta quaſi manu directum. *an per ſe, an adiutũ Chriſti gratia atque auxilio.*

Multa eſt Scriptura in commendando diuino auxilio, quo noſtra ad benè agendum adiuuatur infirmitas, eruditur cæcitas, ac inchoata Dei dono rectè operandi perficitur facultas. Iſtud plurimis ſacrarum literarum teſtimoniis docuit D. Auguſtinus libris eis, quos aduerſus Pelagianorum Chriſti gratię quàm infeſtorum tela elucubrauit. Quare cùm nec hoc tempore hæc quæſtio ſit inter controuerſas, nolumus in re minùs dubia eſſe copioſi. Vnus itaque atque item alter ſuffecerit locus, qui hanc difficultatulam expediat. Sine me, inquit Chriſtus Dominus, nihil poteſtis facere, illuſtri declarans exemplo, ſic nos prorſus egêre ſuo diuino auxilio ad operandum benè, haud minùs neceſſario, atque ad palmitis fructificationem vitis ipſius influxum vides neceſſarium. *Ioan. 15.*

Quòd igitur palmati gemmanti, florenti, ac demùm fructificanti eſt ille ſuccus per vitem, cui ille indiuiduus adhæret, ſuppeditatus: hoc nobis eſt Chriſti Ieſu gratia nos ad boni operis voluntatem, ceu gemmas extuberandas excitans, deinde ad boni operis ſtudium & alacritatem ceu frondes ac flores producendos ſpe præmij inuitans, ad boni denique operis actum ceu fructus optatiſ- *Auxilij diuini vſus & neceſſitas exemplo illuſtratur.*

ſimos proferendòs ſuo exemplo exhortans.

Porrò quemadmodum racemi nati cauſa eſt non modò trũcus vitis, cui palmes agnatus coaluit, ſed ipſe quoque palmes etiam, licèt citra vitis ſuppeditationem valuiſſet nihil: ita & voluntas humana Chriſti auxilio cæleſti adiuta, verè eſt boni operis non ſine gratia facti cauſa. Nam ſicuti nec citra Chriſti præſidium benè agere valuit volũtas humana: ita nec ſine volũtatis motu, cõſenſu & cooperatione Deus optimus præclarũ boni operis feciſſet facinus: vti nec vinea ſine palmitis vſu, medio, atque cooperatione producat vuam. Hanc porrò noſtram vnà cum Dei auxilio cooperationem præclara multa nobis teſtantur diuinarum literarum capitula. Abundantiùs aliis laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum. Conuerte me, & conuertar. Deus in adiutorium meum intende, & alia ſexcenta. Rurſus huic doctrinæ omnis Orthodoxorum Patrum ſuffragatur Senatus, quemadmodum locis dudum commemoratis videre eſt, & illa nobilis gratiæ operantis atque cooperantis diſtinctio apud Auguſtinum, Benhardum, & alios decantata conteſtatur. Quare hunc locum ſatis equidem crederem cõfirmatum, niſi apertiſſimum omnium ſcripturę teſtimonium Caluinus nugis neſcio quibus ex textu Græco friuolè corraſis conaretur perturbare, euertere, atque nobis de manibus extorquere: Vetus interpres, inquit, articulum omittendo, occaſionem errandi præbuit ignaris linguæ Græcæ, qui & tot non malos alioqui homines fefellit. Nam ſi ad verbum, inquit, reddas, non dicit gratiã ſibi fuiſſe cooperatricem, ſed gratiam, quæ ſibi aderat, omniũ fuiſſe effectricem. Vult igitur Caluinus hoc Pauli loco ſtatuere illud ſuũ dogma nouũ, & à Chriſtianorũ memoria inauditũ, gratiã Dei omnia efficere, hominem operari nihil, quod quidẽ bonũ ſit. Nam de illa eius blaſphemia, Deũ etiã mala in vniuerſum omnia operari, in præſentia nõ eſt idoneus dicẽdi locus. Sed q̃ iſtud ficulneo prorſus ſit fultũ præſidio, ex ipſis Græcorũ teſtimoniis eſt demõſtrandũ: Non ego, inquit Paulus, ſed gratia Dei mecum. Vult iſtud Caluinus ſignificare, vnam Dei gratiam omnia effeciſſe, ita vt ineptum ſit, Paulum fuiſ-

1. Corin. 13.

Locus D. Paul. Gratia Dei mecum, cõtra Caluini cauillos defenditur.

se diuinæ gratiæ cooperatorem, aut contra gratiā Pauli cooperatricem. Sanè Catholica doctrina de gratia Dei cooperante, à Conciliis Africanis sedulò aduersus Pelagianos vindicata, Augustini, & Innocentij, & item cæterorum opera firmiùs corroboratur, si vis articuli Græci explicetur: quam Diuus Hieronymus Dialogo contra Pelagianos ita expressit, Quæ mecum est. Iam ergo, candide Lector, iterum iterúmque considera, vtriùs nam partes hæc Paulina adiuuet sententia: Non ego laboraui, sed gratia Dei, quæ mecum est: num Caluini, an Catholicæ potiùs Christi Ecclesiæ? Nam illud, Quæ mecum est, quid obsecro aliud, quâm Dei notat auxilium atque subsidium? Quòd si Paulinam vocem τὸ σὺν libeat perpendere, Solis fiet luce manifestiùs, Paulum non nisi diuinæ gratiæ auxilium, adminiculum, atque opitulationem significasse. Græcis enim τὸ σὺν fauorem, præsidium, suppetias, opem, ac subsidium certiùs significat, quàm vt vel mediocriter Græcè peritus addubitet: quod illa loquendi formula testatur σὺν θεῷ, Deo adiuuante, vel vt veteres, teste Budæo, Diis benè iuuātibus, & σὺν ταῖς μούσαις, Musis fauentibus atque opitulantibus.

Qui ab alio adiuuatur eidem cooperatur.

Iam auxilium adeò non excludit operam & cooperationem eius qui iuuatur, vt eam necessariò includat. Nā qui adiuuatur, si ita ab alio iuuatur, vt nihil operetur ipse, non iam adiuuatur, sed opera leuatur, & liberatur. Sin adiuuatur, vná cum adiuuante operatur. Necesse igitur est, vt cælestis illa gratia, quę cum Paulo est operata, fuerit non omnium effectrix, sed omnium cooperatrix: alioqui non iam σὺν αὐτῷ cum eo auxilians fuerit, & opitulans, sed omnia ita perficiens, vt Paulus nihil egerit. Quod quàm à sensu vocis Græcæ abhorreat, ac proinde quàm à vero sit alienum, omnibus qui sui sunt cōpotes, confidimus esse notius, quàm vt fusioribus verbis habeat ad explicationem opus. In hanc sententiam D. Chrysostomus illum Pauli locum explanat, atque Diuus Theodoretus, suum laborem (inquit) Paulus ostendit, eum quoque esse dicit diuinæ gratiæ.

Caput XVIII.



Qualia liberi arbitrij gratia Dei adiuti opera.

Explicato igitur homini post Adæ lapsum suum mansisse arbitrium, licèt dum peccati iugo premitur, sit captiuum, sed quod tamen liberante Christi gratia pristinæ reditum integritati, etsi non sanitati atque incolumitati, potest eâdem adiutum gratia operari rectè. Nunc venit, quod restabat, exponendum, qualiá nam illa sint liberi arbitrij diuino auxilio partim sanati, partim adiuti opera? núm Deó grata, an vti ante liberationem per Christi redemptoris gratiam Patri inuisa, exosa, atque nullius apud eum pretij, valoris, ac meriti?

Hæc quidem quæstio sanè perobscura explanatúque ardua iustam ac se dignam haud admittit dissolutionem, ni anteà paucis demonstretur, quàm singulare nostrorum animorum sit medicamentum multò saluberrimum Christi Iesu gratia donúmque illud cæleste, nobis per piam in ipsum fidem ac fidei sacramenta adhibitum, atque communicatum. Quod etsi à Diuo Augustino varijs in locis sit explicatum aliisq; Scriptoribus haud obscuris illustratum, ex vsu tamen fore crediderim, paucis perstringere ad dilucidiorem quæstionis huius, quæ nobis in manibus est, explicatum atque ad prędicandam illustriùs Christi Redemptoris singularis gloriam, quíd nam eius gratia nobis in Baptismo, atque in Pœnitentia adeò (vtrobique enim sanguis Filij Dei nos abluit, atque cælesti donat Spiritu, vti suo inferiùs demonstrabitur loco) communicata operetur, efficiátque.

Gratia Christi quid nam efficiat in eius membris.

1. Ioan. 3.
Hebr. 10.
Ioan. 3.

Quod natum est ex carne, caro est, quod natũ est ex Spiritu, Spiritus est, aiebat Christus Dominus Nicodemo Pharisæo noctu de regno Dei consulenti, quo suas Euangelicæ lucis, atque doctrinæ Christianæ plusquàm nocturnas tenebras testabatur. Quare cùm in saluberrimo Christi baptismo ex aqua & Spiritu renascamur, haud dubium inde Spiritum Christi concipimus, quo viuificati, non iam peccato vti hactenùs, sed Deo viuamus, vti Paulus ad Titum: Quem effudit in

Tit. 3,
1. Corin. 15.

nos abundè. Et iterum ſicuti primus Adam factus eſt in animam viuentem, ita ſecundus Adam Chriſtus in animam viuificantem. Hic porrò Chriſti Spiritus ſiue anima viuificans Chriſtianis per Chriſtum impartita eſt, non ipſius, qua viuit, anima, ſed cæleſte diuini Spiritus chariſma, gratia atque donum, quod ſuorum cordibus per Spiritum ſanctum communicat, elargitúrque. Charitas Dei, inquit Paulus ad Roman. diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Qua de re in Baptiſmi effectis infrà diſſerendum erit copioſiùs. Fieri igitur nequit, quin hic cæleſtis Chriſti Spiritus Baptizatis verè communicatus ſuas quoque cæleſtes vires exerat, illáque efficiat in omnibus vniuerſa, quorum efficiendorum facultate diuinis in literis legitur præditus. Proinde ſicuti animam peccato mortuam verè viuificat, atque priſtinæ illi cæleſti vitæ reſtituit: ita eandem peccati vulneribus ſauciam ſanat, & ſerpentini illius afflatus veneno liberat, priſtinæq́ue reddit incolumitati. Vnde humanam mentem diuina imbuit cognitio, affectúmque cæleſtis ille accendit amor, ignísque ille inflammat, quem Chriſtus venit mittere in terram: & quid vult, niſi vt ardeat?

Chriſtiani ſpiritu Chriſti animàtur & viuificantur.

Roma.5.

Luce 12.

Non quòd cæleſtia hæc Chriſti beneficia perfectiſſimum in modum hac in vita contingant mortalibus, ſed quia priùs quod carnale, pòſt quod ſpiritale ſuo loco & tempore, vbi mortale hoc induerit immortalitatem, ſtimulúſque mortis peccatum, ſemel fuerit retuſus atque abolitus. Interim tamen dùm Chriſtus dominatur in medio inimicorum ſuorum, & ſenſim capitales illos hoſtes Diabolum, peccatum & mortem, in ſcabellum pedum ſuorum redigit, ſuos Chriſtianos de ipſius Spiritu partim factos Spiritus ita aduerſus Diabolum, atque peccatum ſuo Spiritu imbuit, renouat, adeóque viuificat, vt non modò impotentiſſimam Diaboli effugiant tyrannidem, & peccati redundant ſtimulum, quo etſi pungantur, non ſauciantur tamen, aut illecebris obediunt: ſed Diaboli etiam opera ad Chriſti capitis inſtar deſtruant, facta carnis mortificent, bonáque opera, in quæ creati ſunt, efficiant. Hæc porrò ſancta bonáque

Chriſtiani bona opera per inhabitã tem Chriſti Spiritum operantur.

Pſalm.109.

Tit.3.

opera, ad quæ facienda mundauit sibi populum illum περιούσιον, egregium, eximium, atque peculiarem, vt esset bonorum operum ζηλοτὴς æmulator, ardénsque imitator, non eo pacto accipienda sunt, esse Spiritussancti in nos diffusi opera, quasi nos Enthusiastarum ritu agamus nihil, solúmue agamur instrumenti inanimati modo, lutíque in hanc vel illam formam figuli manu effícti: sed quod occultissimis illius tractibus primùm inuitati, lenissimísque motibus acti, bonum opus scientes, volentes perficiamus. Sicuti ergo Pelagianorum est, nihil in bonis operibus gratiæ Christi, diuiníque per Christum dati auxilij agnoscere: ita hominum est in Christi gratiam non ingratissimorum solùm, sed etiam iniuriorum, hanc operantis, & hominibus Christi membris cooperantis Spiritus Christi gratiam non agnoscere, eleuare, abiicere, atque abolere. Non enim Christi Spiritus ille viuificans nos facit brutos, aut ingenitas Dei Optimi beneficio animæ vires destruit, aut adobruit: sed hisce aptissimis instrumentis iam cælitùs renouatis, atque meliùs quàm vnquàm aliàs ad benè operandum concinnatis, vtitur ad bona illa virtutum cælestium opera efficienda, in quæ, vti diximus, sumus creati; & quæ creauit Deus, vt in eis ambularemus. Quamobrem vt victoriæ causa Imperator militibus manum gladio armat, animos verbis erigens, aciem scientia militari dirigens, cuneos componens, alásque disponens: sic Spiritus ille cælestis, Tyronum Christi pædotriba, militúmque Dux verissimus, victoriæ omnis aduersus hostium nostrorum tam peccati, quàm Diaboli phalanges, vnus est author atque effector. Contrà, sicut illic vincit Imperator, sed militum opera, sed commilitonum industria: ad eum propè modum & per nos Christi spiritus Euangelio collaborantes, cælestíque illi vi nobis inspiratæ cooperantes, Diaboli destruimus opera, vitiorum carnis mortificamus facta, peccatíque illecebras, ceu varias infestissimorum hostium cateruas, fundimus, prosternimus, profligamus.

Tit. 3. Ephes. 2.

Christiani Christo commilitones Diabolum confodiunt atque conficiunt.

Hinc liquere equidem arbitror, quàm atroci cum in-

iuria in Christi Spiritū sit coniuncta illa huius seculi opinio peruagata, quæ piorum hominum operibus, iustificandi vim adimit. Qui igitur propriæ salutis est solicitus, explosa prorsus hominum doctrina, illā diuinam nobis salutariter tonitruātem intrepidus audiat vocem: Qui facit iustitiam, inquit Ioannes, iustus est, sicut & ille iustus est: quam vt attentioribus acciperemus auribus, animísque retineremus inconcussam, non temerè illud antè admonet: Nemo vos seducat filioli.

Opera piorū verè iustificare ex cooperante illis Christi spiritu.

1. Ioan. 3.

Quotquot igitur Apostolicam discere atque obtinere volumus de piorum hominum operibus doctrinam, hoc cæleste Ioannis, qui de cælesti Domini nostri Christi suxit pectore, audiamus oraculum. Qui facit iustitiā, iustus est, sicut & ille iustus est. Operādo ergo iustitiam, atque vti idem ait, seruādo verbum eius, mandatúmque custodiendo, aliquis efficitur iustus, imò in eo, ait idem, verè charitas Dei perfecta est.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 2.

Locus hic vnus Solis luce clarior abūndè sufficiat ad moderatioris ingenij hominibus persuadendum, aliam longè esse hanc ex piis operibus iustitiam, quàm illa est, à Paulo ad Romanos prædicata Fidei iustitia: quæ quónam pacto cum illa consistat salua, perspicuè D. Iacobus non solùm Abrahæ exemplo demonstrat: sed declarat etiam: Abraham Pater noster, inquiens, nónne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides, quoniam Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus Fides illius consummata est? Et impleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, &c. Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex Fide tantùm. Quo D. Apostoli Commentario cùm nihil adferri queat aut expressius, aut explanatius, nos demonstrato, pios verè operibus iustificari, nonnihil de perfectione iustitiæ, quæ hac in vita Christianis contingit, in præsentia operæpretium in medium adferre duximus, quò fratribus rudioribus consulamus pleniùs, suámque agnoscant in Christo Iesu dignitatem, operum suorum Christi Spiritu ipsis inhabitāte, factorum gratiam & valorem, quatenúsq; eis ad vitam æternam comparandam niti ac fidere tutò veréque valeant.

Alia est iustitia fidei ad Roman. alia iustitia operū apud Ioan. & Iacobum.

Caput XIX.

De perfectione iustitiæ Christianorũ, qualis sit in hac vita.



E perfectione iustitiæ Christianæ, quæ piis ex operibus nascitur, atque paratur, dicturis gemina sese offert via, in errores nõ minùs fœdos quàm blasphemos deducens: Vna Pelagianorum est, altera Lutheranorũ. Siquidem illi Manichęos, Priscillanitas, Iouinianum, totiúsque Syriæ hæreticos, id est, Massilianos, & Euchitas imitari, docebant posse ad perfectionẽ, non dico, † ait Hieronymus Præfat. aduersus Pelag. similitudinem, sed æqualitatẽ Dei, humanam scientiam & virtutem peruenire, hominémq; fieri ἀναμάρτητον, & qui peccare non posset. Hi verò sanantem & adiuuantẽ Christi Domini gratiam eò vsq; deiiciunt, deprimunt, atq; proculcant, vt sanctos piósq; Dei filios non modò piis operibus aliquid perfectæ iustitiæ cõsequi negent: sed cuique iustorum etiam vera confessione agnoscendum, multa scelera magnásque sordes, esse in renatis dignas ira Dei audeant profiteri. Vti ad verbum habet cõfess. Saxo. ca. Quomodo placet noua obediẽtia.

† Vide Præfat. Hieron. in Dialog.

Hasce inter atroces in Christi Domini gratiã blasphemias, certatim in Christum Saluatorem cõtumeliosas, via est regia incedendum Christianis omnibus, qui Christi Domini gratiæ viuere nolũt aut ingrati, aut expertes. Proinde quid nã de hac Christianæ iustitiæ perfectione, per pia opera in Deo facta, Spiritúq; Christi adiuuante perfecta, paulatim colligenda & comparanda sit Christiano cuiq; Orthodoxè sentiendum, firmitérque tenẽdum, initiò paucis ex diuina delineabimus Scriptura: mox quid veterum Patrum consentiens hac de re habeat doctrina, in medium adferemus breuiter.

Veritas inter atroces hæreticorum in Christũ blasphemias incedit media.

Qui facit iustitiã, ait Ioan. 1. ca. 3. iustus est, sicuti & ille iustus est. Qui Dei igitur mãdata custodiũt, nõ solùm teste Ioanne Apostolo, verè iusti sunt, vti antea demonstrauimus: sed ita iusti etiam, sicuti ille est, hoc est, sicuti Christus Dei Opt. Max. Filius iustus est. Qua verborum Apostolicorũ formula accuratè cõsiderata, pensiculatéq; perpẽsa, in procinctu fuerit, vtrãq; illam & Pelagianorũ

Christianis ex operibus fieri iustos sicuti Christus iustus est.

& Lutheranorum confutare atq; subuertere doctrinam. Quod enim ait, Sicut ille est, veram iustitiæ Christianæ docet non æqualitatem, vti Pelagiani sibi suísq; arrogabant, sed similitudinẽ. Quare si Christus Dominus iustitiã faciẽdo verè fuit iustus, erũt & Christiani cælesti eius Spiritu adiuti, iustitiam faciendo verè iusti. Quod vt de Christo citra grãde nefas nullus est inficiãdo: ita nec de Christianis citra manifestissimã in Christi Spiritũ blasphemiam. Sicuti porrò Christus iustitiã faciẽdo, legẽq; præstãdo nõ solùm verè, sed perfectè etiam, iustus est: sic & Christiani pij & verè & perfectè iusti sunt. Verùm hac de perfectione ne quis Sycophanticè hîc nos calumnietur, illud admonendum duximus, eam esse secundum eãdẽ illlã analogiam interpretandam, secundũ quã dudum diximus, pios mandata Dei obseruãdo esse iustos, sicuti Christus ipse iustus est: hoc est, non eo perfectionis gradu veram hanc iustitiam mandata Dei obseruando consequi, quo Christus Dominus perfectissimè iustus, omnibúsque iustitiæ numeris absolutissimus.

Pios per opera pia verè & perfectè fieri iustos, quomodo accipiendum.

Etsi enim mandata Dei verè custodiant, est tamen eis ad vnum omnibus verè cum D. Iacobo etiam agnoscendum, In multis offendimus omnes: quo dicto nec seipse, nec cæterorum Apostolorum vllum ab hac offensatione voluit exclusum. Verùm hæ offensæ non tam sunt graues, vt Deũ offendãt grauiter: nec tam grandes, vt lędãt hostiliter: proinde nec à regno Dei pios excludere possunt. Quippe cùm illam cum Deo amicitiã non violent, sed integram illæsámque relinquant. Vitia enim sunt, lapsus sunt & ἁμαρτήματα: sed crimina nõ sunt, aut κακίαι

Christiani etsi iusti, offensiũculis tamẽ peccant, sed quibus iram Dei non merentur.

Vt autem sine illis vita mortalium transigi non potest: ita sine his transigi potest: quemadmodum apud D. Hieronym. Atticus Dialog. secund. contra Pelag. hominem absque vitio, id est, κακία posse esse, aio: ἀναμάρτητον, id est, sine peccato esse, nego. Id enim soli Deo competit, omnísque creatura peccato subiacet, & indiget misericordia Dei. Isti ergo vitiorum atque lapsuum quotidianorum næuuli, licèt Christiani hominis vitam quasi puluisculo aspergant leuiter, haudquaquàm tamen defœdant turpiter aut contaminant, nedum commaculant, vt

Psal. 118.
Psal. 14.

verum ſit, quia verum eſt, Beati immaculati in via. Rurſus, Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Cor enim iuſtorum, quod huius Euangelicæ iuſtitiæ eſt domicilium, hiſce leuiorum lapſuum quaſi aſperginibus non ita contaminatur, vt maculetur, ſed purum perſeuerat ac mundum: ne falſum ſit, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Sed hîc humana prudentia diuinæ ſcientiæ imperita noſtro ſeculo noua comminiſcitur figmenta, omnes in Chriſto etiã renatos eſſe immundos, ſed Chriſti iuſtitia tegi: omnes eſſe verè criminibus ſordidatos, in Chriſti tamen gratiã haberi mundos. At quorſum obſecro iſtis cõmentis veteri Eccleſiæ ignotis, & poſt Chriſtianorũ memoriam inauditis, fuerit opus? An non verè aliquis inueniatur manibus innocens: cur non & mundo corde? Quorum ſi neutrum hac in vita eſt reperire, mirum ſanè, cur Spiritus ſanctus falſitatis omnibus neſcius illis coloribus incolam cæleſtis regni voluerit depingere, Pſal. 14? Rurſus, Si cor mundũ hac in vita cõtigit nemini, Dauid ſanè, imò Spiritus ipſe S. temerè ac prorſus ſtultè (ita enim loqui cogunt iſtorum blaſphemia & os impudens) orandum præſcribit, Cor mundum crea in me Deus. Quod cùm haud dubiè precamur rectè, dubitari nõ poteſt, quin aliquibus Deus Opt. precariò largiatur, quod vltrò expetendum docuit. Alioqui enim accuſanda veniet Dei aut optimi inuidia atq; maleuolentia, aut maximi infirmitas atq; impotentia. Quæ grauiſſima in Deum longè optimum & multò maximum blaſphemia, niſi hominibus inſano diaboli (qui à calumniando Dei opera nobis videtur dictus Gene. 3.) Spiritu furientibus nõ eſt digna. Largitur itaque Deus Opt. ſicuti Spiritum bonum petẽtibus ſe: ſic & cor mundum orantibus ex animo, Cor mundum crea in me Deus. Huic D. Paulus ſuffragatur, orãs Deum Optimũ, vt ſui Philippenſes reperiantur ſynceri, & ſine offenſa in diem Domini, repleti fructu iuſtitiæ, ſiue vt ſuis dixit verbis ſignificantiùs, εἰλικρινεῖς κ̀ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν χ͂υ. πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης. Hunc iuſtitiæ fructum illa 44000. virginum in cæle-

Matth. 5.

Humana philoſophia nunc Dei in hominibus iuſtitiam ſuo metitur pede.

Pſal. 14.

Pſal 50.

Diabolus cur hoc nomine dictus.

ſtia reportaſſe horrea teſtatur Angelus Ioanni Apocalyp.14. quòd cum mulieribus non eſſent coinquinati, & in ore eorum non eſt inuentus dolus, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

Cùm igitur maneant iuſti immaculati, cordéq; mundo, & quanquàm impingant hîc illic offenſores, non tamen corruunt legis diuinæ transgreſſores, facilè fuerit agnoſcere, eos verè, quod Scriptura pronunciat, Dei legem implere, ſed ſuo quodam perfectionis modo, quo & ſuprà eoſdē perfectè iuſtos declarauimus. Porrò pios Chriſti Spiritu adiutos nō poſſe Dei legem implere, vti hodie docent Euāgelici, illam reſipit blaſphemiam, quā D. Hieronymus alicubi abominatur ſimul, & execratur, Deum impoſſibile aliquid præcepiſſe. Inſana iſthęc doctrina ac nefario in Deum ſacrilegio impia cùm ſui abſurditate piis ſit auribus intolerabilis, nō eſt, quòd eam fuſiore perſequamur oratione, ſed demonſtrato pios verè legem Dei implere, veniat nunc explanandum, quo tandem modo impleant. *Galat.6.* *Rom.12.* *Quō nā modo iuſti legē impleant.*

Qui proximū diligit, inquit Paulus, legem impleuit: Legis enim impletio eſt dilectio. Hanc autem charitatē in multis eſſe dubitare non poteſt, qui Paulo fidem habet, Charitas Dei diffuſa eſt, inquit, in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quo autem pacto hac charitate ornati legem Dei impleamus, idem cōmonſtrat Paulus: Alter alterius, inquiens, onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quibus verbis vt ipſe Dei Spiritus diſerto Dei verbo teſtatur, nos Chriſtianos Chriſti Spiritu afflatos, & Dei charitate inflāmatos legē implere: ita qui hæc verbi Dei loca improbus audet peruertere, aut detorquere nihil ſibi inueniat, quod euellendæ ſuæ anticipatæ opinioni ſit idoneum aut ſalutare. Ad hæc ſi Deus ipſe de Zacharia & Elizabeth, vt alios innumeros ſilentio prætermittā, pronunciat per D. Lucam fuiſſe iuſtos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, quid obſecro æquum eſt, de Petro & Paulo ſentiamus? vt nihil de ſacroſancta virgine matre Maria dicamus, quā & nos cum D. Auguſtino de natura & gratia *Rom.12.* *Rom.5.* *Galat.6.* *Luc.1.* *Maria ſine peccato.*

" cap.36. cùm de peccatis agitur, vnà cum Filio Domino
" nostro Iesu Christo vbique volumus exceptam. Si quis igitur alius onera alterius portando Dei legem impleuit, sanè Paulus impleuit: qui præter tot innumera flagrantissimæ suæ charitatis argumenta vbique locorum non modò splendentia, sed etiam coruscantia, testatur se omnibus esse factum omnia.

Psal.118. *1.Ioan.5.* Implent igitur Christianorum quidam Dei legem, qui cum Dauide cordibus Christi Spiritu dilatatis, viam
Mandata Dei grauia non sunt nedũ impoßibilia, Spiritũ Christi aut habentibus aut orãdo postulantibus.
" mandatorum Dei currentes, agnoscunt verissimũ, quod
" prædicat Apostolus: Mandata eius grauia nõ sunt. Qui-
" bus enim grauia, difficiliáque adhuc videntur, ac præ-
" stitu molesta sentiuntur, ij intelligãt, ait August. de per-
" fect. iustitiæ, nondũ se accepisse vires, quibus talia fiunt
" præcepta Domini, qualia cõmendantur leuia atque sua-
" uia, oréntque gemitu voluntatis, vt impetrent donum
" facultatis. Proinde si accepto charitatis dono iusti legẽ
" Dei implere possunt, certè suo perfectionis modo im-
" plere possunt. Quòd si perfectè legẽ implent iusti, quid
" ni & iustitia Christiana huius vitę pronunciãda est per-
" fecta? Quãquàm enim hîc inter leuicula illa vitiola nũc
Peccata venialia & leuia non faciũt iniustos.
" labitur, nunc surgit iustus: modò impingit, modò eri-
" gitur, ídque vel septies de die: nequaquàm tamen ita
" grauiter vt concidat, aut à gratia Dei excidat, nedum
" iusti nomen amittat. Quòd si roges, Si cadit, quomodo
" iustus? Si iustus, quomodo cadit? Audi obsecro, quid
" Diuus Hieronymus tibi respondeat, sed iusti vocabu-
" lum, ait epistola ad Rustic. non amittit, qui per pœni-
" tentiam resurgit. Et iterùm secundo Dialogo contra
" Pelagian. certè Ezechiam, ait, iustum nemo nisi impius
" denegabit. Dicas, peccauit in quibusdam, & idcirco iu-
Iustos scriptura dicit bonorũ operũ factores.
" stus esse desiit: sed hoc Scriptura non loquitur. Non
" enim ex eo quòd parua peccauit, iustitiæ nomen ami-
" sit: sed ex eo quòd multa bona fecit, iusti vocabulum
" possidet. Hoc totum dico (post longum Sanctorum Ca-
" talogum concludens) vt Scripturarum testimoniis com-
" probetur, non ex eo esse iniustos, quòd aliquando pec-
" cauerunt, sed ex eo iustos permanere, quòd multis vir-
Iust⁹ quis? " tutibus floreant. Sic & Diuus Augustinus: Iustus dici-

tur in Scriptura, inquit libro de perfectione iustitiæ, qui »
perfectioni iustitiæ plurimùm accessit, vt Iob: Et sine » *Quis nam*
querela, nō tamen sine peccato. Rursus ingredi sine ma- » *Christia-*
cula, inquit eodem libro, non absurdè ille etiam dicitur, » *norū ingre*
non qui iam perfectus est, sed qui iam ad ipsam perfe- » *diatur si-*
ctionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus » *ne macu-*
damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligēs » *la.*
mundare eleemosynis. Et ibidem: Iter nostrum munda »
mundat oratio, qua veraciter dicitur: Dimitte nobis de- »
bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. »

Ex hisce Diui Hieronymi & Augustini locis, quos ex innumeris ceu flosculos Apostolicā doctrinam suauiùs spirantes, delibauimus, in promptu est colligere, geminam esse hāc iustitiam Euangelicam, imperfectā vnam, perfectam aliam: sicuti & perfectiones duæ, & duæ item iustitiæ in Scripturis, ait Hieronymus primo Dialogo contra Pelag. Prima, inquit, perfecta & incomparabilis veritas, perfectáque iustitia Dei virtutibus coaptanda. Secunda autem nostræ competit fragilitati. Nullam itaque creaturam secundum consummatam iustitiam posse esse perfectam, sed cunctorum in carne iustorum imperfecta, inquit, est perfectio. Hoc tamen animaduertendum est, licet huius vitæ iustitia sit imperfecta, esse tamen iustitiam veram, & quodam modo etiam perfectam, adeò vt ab ea denominentur verè iusti & perfecti. Quicunque perfecti sumus, inquit D. Paulus, hoc sentiamus. Hic quidem sevnà cum aliis perfectum pronunciat: alibi verò se perfectum negat: Non quòd sim, inquiens, aut comprehenderim. Quare verissimum est, quod in suo Pædagogo scribit Clemens Alexandrinus, libr 1. cap. 6. D. Paulum fuisse & perfectum & non perfectum, hoc est, vt ex Hieronymo diximus, Pauli iustitiam atque perfectionem in hac vita fuisse imperfectā perfectionem. Huius autem geminæ iustitiæ varietas inde oritur, quòd vera nostra iustitia ipsa est charitas per Spiritum sanctum in nos diffusa: ita vt magna charitas, quod ait August. magna iustitia est: parua charitas, parua iustitia est. Verùm sicuti rerum aut magnitudo, aut paruitas ipsam nō tollit naturam, ita parua cha-

Iustitia duplex & perfectio.

» *Iustorū hominū perfectio imperfecta.*

Philip. 3.

Paulus perfectus et imperfectus.

ritas, paruáque iustitia vera est charitas, veráque iustitia: haud secùs, ac paruus ignis verus est ignis: & pumiliones naníque non minus sunt homines, quàm procera statura atque Gigantæa.

Remouetur scrupulus ex loco Psalm. Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens.

Sed vnus occurrit scrupulus de hac plana iustitiæ Christianæ via submouendus, qui multos ita habet malè, & in quem plurimi ita grauiter impingunt, vt vllum omninò omnium hominum verè iustum coram Deo negare audeant. Non iustificabitur, inquiunt, in cõspectu tuo omnis viués. Vno hoc loco in errorum suorum vastissimo Pelago ceu remora remorãtur, & impediuntur Ecclesiæ Saxonicæ, vt Catholicæ de vera piorum iustitia sexcentis Scripturarum locis commemorata, & consentientibus Orthodoxorum Patrum sententiis cõtestata doctrinæ impuros humani ingenij assuere audeant pannos, quibus veram nobísque infusam iustitiam in falsam atque imputaticiam conuertunt: & internam atque inhærentem in externã atque tectoriam commutant. Etsi enim cõtritio, inquit Confessio Saxonica, capite de remissione peccatorum & iustificatione, & aliæ virtutes multæ cum Fide, seu hac fiducia simul accenduntur: tamen hæ virtutes non sunt causa, seu meritum remissionis peccatorum, nec propter eas persona placet, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: sed habet remissionem, & placet persona certò propter mediatorem. Sic & alibi Philippus hunc locum & similia conglomerans, Non iustificabitur, &c. Tibi tantùm sum peccator, vt tu iustificeris in sermonibus tuis. Hæ sententię, inquit Locis communibus anno 52. editis, & similes testantur, nos accedentes ad eum non adferre nostram iustitiam, nec posse opponere iudicio, & iræ Dei nostra merita, sed confugiendum esse ad mediatorem Christum. Vt in præsentia istam Psalmi 50. Tibi tantùm sum peccator, versionem vt nouam, nec cum vllo alicuius nominis interpretum, quos supra decem consului, cõsentientem, ita indoctam quoque, ac ipso Hebraico textu non minus violẽter quàm imperitè extortã (Est enim לְךָ לְבַדְּךָ חָטָאתִי Tibi soli tibi peccaui) prætermittam, quódq; eam fraudulenter ad huma-

Confessionis Saxonicæ in Christi spiritum Christianos inhabitãtem blasphemia refutatur.

Aduersarios callidè

nam istam doctrinam veteri Ecclesiæ ignotam statuendam fingit, silentio pręteream: illud disputatio præsens postulat, vt admoneamus, callidè varia operum & iustitiarum misceri genera, quò Lectoris palatum, tanquàm iure multo confusaneo fraudulenter venenis temperato adobrutum, nihil in præsens sentiat aut noxæ, aut incommodi. Hęc enim Scripturarum loca, si ad illam aptétur operum distinctionem, quæ ex D. Paulo, & D. Iacobo clariùs eruitur, quâ alia ad iustificationem primam, vt cum scholis loquamur: siue quâ ex impiis nos Deus iustos facit: & secundam, siue quâ ex iustis mandata Dei custodiendo efficimur iustiores, nihil prorsus habent pugnans cum Catholica piorum operum & meritorum doctrina. In iustificatione enim prima omninò nihil tribuendum est operibus nostris, quasi propter illa iustificemur, aut illorum merito peccatorum remissionem consequamur, sed solis mediatoris Christi meritis freti, Fide nixi, ac Sacramentis vsi, iustificamur, verámque peccatorum remissionem consecuti, in filios Dei recipimur, Christíque spiritu nobis largiter communicato, donamur. Verùm in iustificatione secunda multò secùs sese res habet, iuxta illud Apocalypseos: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Sicuti ergo iniustus prioribus flagitiis noua accumulans, haud dubium fit illustrior: ita homo per Christum reconciliatus, veréque iustificatus, opera bona, ad quæ facienda est creatus, spiritu cælesti adiuuante facit, iustitiámque, vt ait Ioannes, faciens fit iustior. Cæterùm sicuti alia est iustitia, quam initiò gratis consequitur, ab ea quam per opera in Deo, vt Christus loquitur, facta acquirit & auget: ita alia est iustitia, qua homines hac in vita sunt iusti: alia, qua Deus iustus est, & quæ in hac vita non est. Quòd igitur apud Dauidem legimus: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, de hac vita dictum esse, ait Aug. libro de perfectione iustitiæ contra Celestium, sine difficili quæstione intelligitur: & quod ait, Non iustificabitur, ad illam perfectionem iustitię retulit, quæ in hac vita non est. In eundem sensum & D. Hierony. hanc Dauidis sententiam interpretatur. Cùm enim duplicem distinxisset, vti dudū recitauimus, iusti-

miscere varia operū genera.

Iustificatio gemina in Scripturis.

Rom. 12.

Iac. 4.

1. Ioan 3.

Ioan. 3.

Germanus sensus Psal. Non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuēs.

tiam & perfectionem, Secunda, inquit 1. Dialogo, nostrę cõpetit fragilitati, iuxta illud: Nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens, ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei sciẽtia dicitur esse perfecta. Idem pleniùs Commentario in Ieremiam cap. 13. præsentem locum explanat: Non iustificabitur omnis viuens, inquit, non ad comparationem Dei, vt veteres & noui hæretici volunt, & patroni hæreticorum, sed ad scientiam. Homo videt in facie, Deus in corde. Hinc liquet, non iustificari omnem viuentem, id est, nullum hominem in conspectu Dei iustum esse iustitia illa perfecta: quæ vt Dei est, ita hominum hac in vita non est. Quare hæc Dauidis sententia veram non euertit piorum iustitiam, sed tantùm perfectam negat hominibus hîc cõtingere: quo cum nihil minùs quàm pugnat, pios homines verè apud Deum esse iustos. Sancti enim secundum mensuram suam, & modum, ait D. Hieronymus 1. Dialogo contra Pelang. iusti sunt, & appellantur.

Sancti secundum suã mẽsuram verè iusti.

Cæterùm, quia Aduersarij magna animorum contentione huic Catholicæ doctrinę obstrepunt, iustos in hac vita nullos dici posse, quòd legi non satisfaciant, permagni retulerit, paucis hac de re antè differere, quàm de iustitiæ perfectione disputationem missam faciamus. Præsens igitur quæstio, an legi satisfaciamus, sanè perobscura, plurimum capiat lucis, si ea Lectori in mentem veniãt quæ dudum de legis impletione diximus. Idem enim in præsens valent, legem implere, & legi satisfacere. Proinde cùm demonstratum sit ex Pauli doctrina, iustos legẽ Dei verè implere, quòd proximum diligant, quódque alter alterius onera ferant, efficitur necessariò, & iustos legi Dei satisfacere. Verùm quò res fiat paulò clarior, locus hic de legis impletione, quanta videlicet legis impletio hac in vita sit necessaria; an perfectissima illa, & omnibus numeris absolutissima, an imperfecta, quæ perfectioni iustorum imperfectæ respondet, ex D. August. doctrina est illustrandus. Quod igitur ad legis vsum attinet, illud est cùm primis animaduertendum, non esse Decalogum hominibus à Deo præscriptum, vt omnicum ex parte hac in vita præstet atque impleat perfectissimè

Rom. 12.
Galat. 6.
Legi satisfaciunt iusti. quia legem implent.
Quanta legis impletio iustis in hac vita sit necessaria.
Vsus Decalogi verus.

simè, sed quasi scopum esse præfixum, in quem omnes animi & cogitationes & cupiditates intenderentur, dirigerentur, atque destinarentur. Sicuti enim scriptura sacra alicubi nos exhortatur, vt sancti, vt iusti, vt perfecti simus: alicubi verò ipsum finem ostendit, quò sanctè & iustè viuẽdo est tendẽdum: Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est, &c. ita & Decalogus partim monet, quid nobis hac in vita pręstandum, partim sublimiùs inuitat, & quasi Pharum iste in mundi salo præferens, ipsum actionum nostrarum scopũ & finem ostẽdit, quò currẽdum & perueniendum. Illud octo peragit mãdatis: hoc verò duobus, de Dei dilectione, & concupiscẽtia: quæ cùm hac in nostra fragilitate ad plenum præstare nequeamus, cauendum est, ne in illam impingamus blasphemiam, vt Deum impossibile quippiam pręcepisse sentiamus. Porrò cùm hæc à Deo sint præscripta, dubiũ piis fieri nequit, aliquem restare modum, quo Dei volũtati pro hac, qua laboramus miseri, infirmitate faciamus satis.

Quemadmodum igitur illo dilectionis pręcepto bonum homini præcipitur faciendum, non autem perficiẽdum: ita hac concupiscentiæ prohibitione malum vetatur faciendum, non equidem vt non concupiscat, sed vt post concupiscentias non eat. Vide August. contra Iulianum lib. 1. cap. 29. & alibi persæpè.


Bonum igitur sicuti facere possumus, cùm quod Scriptura monet, facimus: Post concupiscentias tuas non eas: ita bonum perficere cum Paulo non possumus: quod tum demùm erit, quãdo nullum erit desiderium malum. Donec igitur desideria ista mala Spiritum vexant, & ad carnis delicias solicitãt, non impletur, quod prohibetur: Non concupisces. Quod tametsi iustus Spiritu impleat, carne tamen non implet, quæ dum mortalis est, semper aduersus Spiritum concupiscit. Neque propter defectus istiusmodi censendus est aut iniustus, aut legem Dei nõ implere: Hoc enim hac prohibitione non pręscribitur, vt non concupiscat, id est, vt nulla desideria mala habeat sed vt sese, ait Aug. 1. lib. contra Iulianum cap. 29 in hoc morbo iacere inueniens, medicinam gratiæ quæreret, &

Non concupisces quomodo impleatur.

Verus vsus legis, Non concupisces.

quò in hac mortalitatę debeat proficiendò conari, quò etiá possit à se in illa beatissima immoralitate perueniri.

Caput. XX.



De piorum operum effectis.

Ed nunc ad ea, quæ de piorum operibus supersunt tractanda, pergamus. Demonstrato iustos Christi gratia sanatos & adiutos, opera verè iusta facere, adeóque legem Dei implere, illíque satisfacere, licèt imperfectè, verè tamen ac secundum suam mensuram perfectè: nunc dicendum venit de bonorum istorum operum effectis, vi atque valore. De quibus ordine mihi dicendum video, primùm de ipsorum merito, an alicuius apud Deum fiant? an propter ea persona placeat? Mox de Fiducia, quæ ex piis nascitur, an eis rectè quis fidat, atque nitatur? Num Dei iudicium sustinere valeant? Deniq; an operum merces rectè Catholicis credatur esse vita æterna?

Ioan. 3.

Meritum operũ à piis factorum.

Quandoquidem piorum hominum iustitia tanta à D. Paulo prædicatur, vt eorum in proximos dilectio legis sit impletio, nunc dispiciendum est, an ea & cætera item opera bona, meriti nomen mereantur, & sustinere queant. Hîc meritò territi aduersarij, & nullorum sibi bonorum operum conscij, more latronum ad iudicis & tribunalis nomen inhorrescunt refugi, tanquam lucifugæ, & qui in lucem venire non audeant, vt non arguantur, quòd sua ipsi opera agnoscant, conscientia instar mille testium attestante, non bona.

Discordia Lutheranorum de operũ bonorũ necessitate & merito.

Quare varij varia ac secum pugnantia commenti figmenta, alij clamitant ad vitam æternam non necessaria: alij contrà, esse necessaria, sed eius nihil minùs quàm meritoria: licèt bona mereantur huius vitæ non solùm terrena & corporalia, sed etiam spiritalia, tam post hanc vitam, quàm in hac vita, quemadmodum Philippus in locis, cap. de operũ præmiis. In reconciliatis, inquit, bona opera cùm placeant Fide propter mediatorem, merẽtur præmia spiritalia & corporalia in hac vita, & post hanc vitã, sicut clarè ostendit parabola de negociãtibus, Habenti dabitur, &c. & 1. Tim. 4. dicitur: Pietas habet promissiones pręsentis & futurę vitæ. &c. Mar. 10. Reci-

piet centuplum in hac vita, ſed cum tribulatione, & poſt hãc vitam, vitam ęternam. Quibus ſcripturarũ capitulis nixus affirmare audet, Symmiſtis plurimis refragatus, bona opera plurima Dei dona poſt hanc adeò vitam mereri, ſed non vitam æternam, aut cæleſtis regni hæreditatem. Hîc cùm videam Philippi vulnus, quod ex adoleſcentię erroribus acceperat, non leuiter ad ſanitatem acceſſiſſe, ex quo ſcribere cœpit (omnia enim merita noſtra aboliturus, mercedis nomen in ſcriptura decantatũ, hunc in modum detorquebat Locis communibus, anno 22. editis: Merces eſt, inquiens, debetúrque non merito vllo noſtro: ſed quia pater promiſit, iam velut obſtrinxit ſe nobis, ac debitorem fecit iis, qui tale nihil meruerant) haud abs re fuerit, luculentiora aliquot veterum Patrum Orthodoxorum adferre teſtimonia, quibus luce meridiana clariùs demonſtretur, Chriſtianos vitam æternam promereri. Non quòd hîc adſtruere velim omnium hominum opera, aut hominum etiam opera vitæ æternæ eſſe merita, ſed piorum ac Chriſti ſpiritu renatorum & viuificatorum. Quod tametſi ex ſpiritus, quo filij Dei aguntur, dignitate atque maieſtate liquidò ſtatui queat, malo tamen in præſens huius controuerſiæ arbitrium apertis veterum Patrum relinquere ſententiis.

Phil. Melanchth. palinodiã canit de operum meritis.

Cùm diuina ſcriptura luculenter adeò pronunciat Deum Opt. cuique illa die redditurum ſecundum ſua opera, ipſéque omnium iudex Chriſtus Ieſus nobis diſertiſſimè proteſtatur, quòd vitam æternam accipiemus, regnúmq; cæleſte poſſidebimus, quia ipſius pauperculos fratres, id eſt, ſeipſum, aut cibo pouimus, aut humanitatis obſequio refocillauimus, mirum eſt homines alicuius ingenij, & qui alios præ ſe non habent Bliteos aut ſtipites, eò cæcitatis, ne dicam impudentiæ, prolapſos, vt bonorum operum meritis nos vitam æternam aſſequi ac promereri audeant negare. Idque cùm profiteantur, malorum operum meritis æternam nos aſſequi gehennam, ſempiternáque immortalium ignium nos commereri ſupplicia.

Opera pia iuſtorũ eſſe vitæ æternæ merita.

Si hîc eſt meritum, cur non & illic? An non ſcriptura nullo prorſus diſcrimine, atque eadem adeò voce, docet,

tam bonis, quàm malis reddendum aut præmium aut supplicium? Quia tu reddes, ait Dauid, vnicuique iuxta opera sua. Rursus: Vt referat vnusquisque, inquit D. Paulus, prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum. Certè si iustis non redditur vita æterna, quia bona fecerunt, & pro piorum operum merito: nec iniustis, quia mala fecerunt, ignis rependetur æternus, aut pro malorum operum merito: quod quanta cum impietate, atque iustissimi illius iudicis, qui pro eo atque res est, iudicat, blasphemia sit coniunctum, nemo ita absurdus est, vt non videat. Cæterùm si veteres excutimus Scripturas, Solis luce fiat manifestiùs, pro cuiusque merito reddi æternam aut vitam aut mortem. Omnis misericordia, ait Ecclesiast. 16. ca. faciet locum vnicuiq; secundum meritũ operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius. Quem Scripturę diuinæ locum Solis instar clarum & dilucidum, quibus tenebrarum obiectis quasi nubeculis ex textu Græco nõ minùs incerto, quàm mirùm in modum vario conetur obscurare Caluinus, nõ est; quòd hîc dicamus fusiùs, cùm, si vrgeretur pressiùs, pro suo (vt ait) iure repudiaret. Quòd si de vocabulo est anxius, non est, quòd hunc librũ repudiet. Nam & Heb. 13. legitur: Talibus enim hostiis promeretur Deus: aut si Pauli vox εὐαρεστεῖται placet, placatur, vti Augu. legit.

Meriti vox in Scripturis tribuitur bonis operibus.

" Porrò cùm D. Paulus de illa extremi iudicij forma dispu-
" tans, diserta oratione pronunciat, repositam sibi coro-
" nã iustitiæ, quã reddet, inquit 2. Tim. 4. mihi Dominus
" in illa die iustus iudex: nõ solùm autẽ mihi, sed & iis, qui
" diligũt aduẽtum eius: quid apud sani iudicij arbitrũ superest scrupuli? Sanè nõ reddet, ἀποδώσει retribuet atq; remunerabit, nisi pro meritis: quod eius vox, ἀποδώσει. reddet, expressiùs loquitur, quàm vt cõmentario habeat opus: quod cùm Athenienses in illa cum Philippo Macedone de Olynthiorũ Repub. cõtẽtione prudẽter intellexerint, qui eam illis διδόναι οὐκ ἀποδιδόναι, dare non reddere volebat, mirùm, ni & nos in re multò maxima, imò omniũ maxima hoc discriminis putemus obseruandũ, aut oscitanter dissimulandum. Sed illud fortassis plus

Reddet.

Dare & reddere distinguenda.

momenti habet, quod Paulus ait: In illa die iustus iudex reddet. Cùm audis hîc iudicem, an non factorũ tuorum horrescis dijudicationem? An non operum tuorum siue bonorum, siue malorum, futuram vides discriminationẽ? discussionem? examinationem? Hisce enim omissis, quî obsecro queat ille iudex aut Paulo agonem illum bonum decertanti, cursúmq; egregiè currenti, victoriam adiudicare, coronámq, iustitiç reddere atq; remunerare? Aut ignauo alicui seruo Euãgelica illa talenta sudariolo inuoluta, terræq; perdendi metu credita in Domini vsuras nec expendenti, socordiæ, ignauíque otij mercedem illud comminatum reddere supplicium, partémque eius ponere cum hypocritis? *Iudex.*

Quòd si illud Paulinum huius iudicis epitheton, Iustus, libra expenderimus quoque iusta, plurimum sanè huic de operũ merito affulgebit lucis multò clarissimæ. Qui enim à Paulo appellabitur iustus, si quod suum est, cuiq; non reddiderit? Sed quid in re Solis luce illustriore manifestanda simus copiosiores? Priùs tamen hunc Pauli locum quàm prætereamus, haud abs re fuerit, Caluini commentum, insidiosè nõ minùs quàm vanè aduersus Catholicos structum, euertere aque profligare: Hinc operũ merita, inquit Cõmentario in epi. ad Tim. aduersus Dei gratiam conantur Papistę astruere. O impudens. An non operum merita cum Augustino, & cæteris item aliis Orthodoxis Dei prædicamus dona? Si operum merita Dei sunt dona, quia ex gratia Dei gratis data sunt profecta, quónam ore ais aduersus gratiam Dei ea Catholicos astruere? quod porrò attexuit Caluinus, plus habet malignę vanitatis: Quanquam bis hîc hallucinantur, inquiens, Papistæ: Primùm, quòd inde colligũt, ideò nos Deum promereri, quia liberi nostri arbitrij virtute benè agimus: deinde, quòd Deum nobis perinde obstringunt, ac si nobis aliunde, quàm ex eius gratia salus constaret. Quàm hîc Catholicos hallucinari Caluinus falsò criminetur, ex eo liquet, quòd damnatissimam tot Conciliis apud eos Pelagianorum doctrinam plusquàm sycophanticè affingat: Ideo nos Deum promereri, inquiẽs quia liberi nostri arbitrij virtute benè agamus. Quod

Iustus.

Calu. fraudulentum vanúmque in hæc Pauli verba commẽtum euertitur.

Falsum affingit Catholicis Caluinus.

cùm de libero arbitrio nostro,quatenùs nostrũ est, velit intelligi, & non vt Christi gratia sanatum & adiutũ est, quid verissimũ Pelagianismũ oratione persequamur fusiore? Alterã quoq; hallucinationis,quã affingit Catholicis,speciem,similis impudẽtissimę vanitatis esse affinẽ, hinc liqueat,quòd Catholici cum D.Paulo vitam eternã prædicemus esse gratiã,salutémq; æternã,nõ nisi ex vna meráq; Christi Iesu gratia profiteamur gratis inchoari, gratis conseruari, gratis deniq; nobis constare, gratisq; verè dari. Qua cum gratia,gratuitáq; vitæ æternę donatione, quònam pacto consistat eiusdem ex merito operũ redditio,quod, sicuti & priùs,docet scriptura, ex Diuo Augustino,aliísque Orthodoxis declararunt manifestiùs præclari nostræ ætatis Scriptores, D. Ruardus, D. Petrus à Soto, & alij, quàm vt Caluinus possit esse nescius, vtcunque veritatem dissimulet vel apud illos, vel apud ipsum D. Augustinum magis lectã atq; cognitam.

Pelagianismum affingit Catholicu Caluinus.

Sed strophas eius Sophisticas ad veritatem adeò luculentam,& tam clarè contestatam subuertendam comparatas, pergamus in medium proferre. In lucem enim protractæ,ad veritatis tanquàm Solis lucem euanescent: Atqui non sequitur, inquit, Deum nobis quicquam debere,quia iustè reddit,quod reddit.Iustus enim est etiam gratis benè faciendo. Id verò tuus olim Iustinianus pernegat, vt & Cicero & Latinæ linguæ periti ad vnum omnes.Iustitia enim est,quæ suum cuique tribuit.Si ergo iustus est, vti ais, qui gratis etiã benefacit, quomodo suũ cuiq; reddit? Si suũ cuiq; reddit,nõ iam gratis benefacit, sed quod cuíq; debetur,tribuit.Non minus habet absurditatis altera,quã fingit huius argumenti elusio:Et reddit,quã promisit mercedem,inquiens,non quòd vllo ipsum obsequio præueniamus,sed quia eodem,quo erga nos cœpit liberalitatis tenore priora sua dona posterioribus cumulat.Ipsum certè nullo præuenimus obsequio, qui benignissima sua misericordia non modò ad regnũ vocat, priúsque inuitat: sed vt velimus etiam vocanti acquiescere, & inuitanti quasi gratificari,suo dono nos præuenit, gratiáque anteuertit. Sicuti ergo hac ex re, quæ omne prorsus & excedit, & præcedit meritum, non

Frigidum Caluini cauillum.

dicitur Deus mercedem reddere, quam promisit: ita nec ex altera, quam sibi imaginatur Caluinus, quòd videlicet eodem liberalitatis tenore sua dona priora posterioribus cumulet. Quanquàm enim eiusdem sit paternæ aduersus nos liberalitatis, quòd nos gratis ad regnum vocatos regni hæreditatem adire facit: tamen suam in nos benignitatem opulenter quasi effusam vult declarare magnificentiùs, vt regnum æternum, eius donis cælestíque gratia ornati, ad filij sui instar non accipiamus duntaxat donatum, sed piis nostris etiam operibus eius gratia factis remuneratum. Quod disertè Paulus testatur, regnum hoc coronam appellans iustitiæ, sibi à iusto iudice reddendam. Proinde si regnum iustitiæ est corona, verè pro meritis redditur: quemadmodum nunc Orthodoxorum Patrum testimoniis est comprobandum fusiùs. *Corona iustitiæ est vita æterna.*

Sancti secundum mensuram suam, ait Diuus Hieronymus 1. Dialog. aduersus Pelagianos, & modum iusti sunt & appellantur, vt Paulus, qui plus habet meritorũ, qui plus omnibus laborauit: vbi & multas docet eiusdem regni cęlestis à Christo Domino appellari mansiones, quia Sanctorum merita sunt diuersa. In eandẽ sententiam eisdem planè verbis Diuus Augustinus scribit: » Nullus, inquiens Tractat. sexagesimoseptimo in Ioan- » nem, alienabitur ab illa domo (Patris nostri cælestis) vbi » mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Et » paululùm posteà: Multæ mansiones diuersas meritorum » in vna vita æterna significant dignitates. Et ne diffusio- » res simus in re clarissima, omnibus, qui vel Diui Augu- » stini à limine salutarunt scripta, Deus pro meritis fidei » & bonorum operum, inquit Sermone centesimo sexa- » gesimo secundo de tempore, dabit fidelibus suis regnum » cælorum. Istud sexcentis aliis locis queat cõfirmari, sed » nos vnum aut alterum illustriorem promemus. Quid fa- » ciet mentem aliquam beatam, inquit de Trinitate libro » decimoquarto, capite decimoquinto, nisi meritum su- » um & præmium Dei? Vnde autem hoc sit homini meritum, demonstrat ibidem Augustinus: Homo accepit iustitiam, inquiens, à Deo, propter quam beatitudinem

» Operum » meritis vitam eternam retribuendã.

» Mãsiones » in domo » Dei varias varia » pariunt » merita.

» Meritum » operũ ex » Dei dono » fluit, quo » adiuti rectè operamur.

accipere mereatur. Iam meritorum fontem, vnde profluant, qui adire cupiat, is inter alia Diui Augustini loca aurea epistolam centesimam quintam consulat, vbi locum de iustorum meritis conclusurus: Omne bonũ meritum nostrum, inquit, non in nobis facit, nisi gratia. Et: Merita nostra sunt Dei dona: quæ cum Deus coronat, nihil aliud coronat, quàm munera sua, sed in misericordia & miserationibus.

Nostra merita omnia Dei sunt dona.

Pari orationis maiestate & Diuus Cyprianus bonorum operum prædicat merita: Quæ matrona locuples & diues es, inquit Serm. 1. de Eleemos. vnge oculos tuos non stibio Diaboli, sed collyrio Christi, vt peruenire ad videndum Deum possis, dum Dominum & operibus bonis & moribus promereris. Et de simplicitate Prælatorum, vbi demonstrasset non adferre salutem multa patrasse miracula, qui operarij fuerint iniquitatis: Iustitia opus est, inquit, vt promereri quis possit Deum iudicẽ. Præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Rursus, vt ne cui prolixitate simus molesti, bonorum operum encomion texens in Epilogo Concionis de Eleemo. Verum Dei munus, inquit, & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adiutus, præ se effert gratiam spiritalem, promeretur Christum iudicem, Deum computat debitorem.

Præclara hæc Patrum Orthodoxorum testimonia Scripturarum non modò sententiis, sed verbis etiam nixa, an æquo controuersiæ de operum meritis arbitro vllum patiantur reliquum, vtram in partem eat, ambigendi scrupulum? Quare Aduersariorum plerosque ista non ignorantes satis equidem mirari nequeo, qui seipsi cùm profiteantur non esse Pelagianos, sed Deo gratias agere, quòd Spiritu sancto confirmat mentes in veris sententiis, ait Confessio Saxonica: & vt inchoat vitam æternam, ita & motus bonos, fidem dilectionem Dei, &c. Rursus, depellit à nobis Diabolos, & in hac tanta infirmitate nostra nos sustentat, & regit mentes & corda suo Spiritu sancto: Hæc gratiæ Christi beneficia, inquam, cùm Aduersarij nobiscum communiter

Aduersarij operibus bo-

agnoſcant, ſatis mirari nequeo, quó nam audeant ore tot ac tam luculentis Orthodoxorum Patrum ſententiis refragantes, piis operibus eodem Chriſti Spiritu prognatis, adeóque, vt ipſe Chriſtus teſtatur, in Deo factis, meriti non tam vocabulum, quàm dignitatem detrahere. An non de gratia Chriſti detrahat, qui eius in operando vim extenuat? efficaciam minuit? dignitatem eleuat? An non in Chriſtum ea redundat iniuria, quæ in eius dona vera eſt iniuria? Voluit ille nos in omni benedictione ſpiritali benedicere, omnibúſque Spiritus ſancti donis non ornare modò, ſed ditare etiam, ac locupletare, adeò vt in omnibus diuites eſſemus, nihílque deeſſet in vlla gratia, déque ſuo ipſius Spiritu, qui omnia operatur in omnibus, accipere, eodémque nos viuificare, & nouam facere creaturam, iam non peccatis, ſed Deo viuentem: vt illud exitiale Adami maleficium ſalutari ſuo beneficio feliciter cõmutaret. Quem beneficiorum Chriſti Catalogum, qui ſæpè ac multùm habet meditatum, an non ei incredibilis quædam ac diuina prorſus operum Chriſti Spiritu factorum vis affulgeat, maieſtáſque ſanè auguſtiſſima ſplendeſcat? Ad hanc enim operum piorum diuinam cùm puritatem, tum dignitatem, quam ex Chriſti Spiritu ſuo habent authore, fidei oculos oportet conuertere, non verò ad illam humanam, quæ ex humani Spiritus reliquiis hæret admodùm tenuis, ſcoriam. Vt enim hæc Deum Patrem Optimum noſtræ fragilitatis ac imperfectionis probè conſcium adeò non offendit, vt vel ad leue ſuſpirium perlibenter ignoſcat, indulgeátque: ita illa diuina, quam diximus, piorum operum puritas atque dignitas adeò eidem perplacet, tantóque habet in pretio, quòd gratiſſimo ſibi Chriſti Spiritu ſint facta authore, vt eos, in quibus repetitur, non ſolùm cælo dignetur, ſed vitam quoque æternam perinde ac legitimum ſtipendium, verámque mercedem rependat. Quod paulò inferiùs erit copioſiùs pertractandum.

nis meritum detrahentes in Chriſtum ſunt iniurÿ.

Ioan.3.

Epheſ.1.

1.Corin.1.

Proinde cùm hodie Catholici piorum operum vim ac dignitatem non humanis ex viribus, ſed vna ex Chriſti gratia nobis per eius Spiritum communicata metia-

mur, rectè illa opera bona Orthodoxorum Patrûm verbis inhærentes prædicamus merita vitæ æternæ cum †D. Augustino, Hieronymo, Cypriano, &c. peccatorúmque priùs admissorum expiationes ac propitiationes, quemadmodum paulò antè de Christianorum ieiuniis est demonstratum fusius. Adeò enim hæc non sunt in Christi gratiam iniuria atque contumeliosa, vt eam singulariter commendent, atque eximiè prædicent, ac illustrent. Hinc nullo negotio videre est, quàm à vero absit longissimè, vt quod leuissimum est dixerim, illa Confessionis Saxonicæ doctrina: Et contumelia est filij Dei, inquit, capite de Iustificatione, fingere vlla nostra opera merita esse, seu pretium remissionis peccatorum, & esse propitiationes pro peccato. Ideo Pharisaïca illa & Pelagiana deliramenta clarè damnamus, quæ fingunt disciplinam illam esse impletionem legis Dei: item mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno: vel esse iustitiam, qua homines coram Deo sint accepti. Quod enim ad illam filij Dei, quam dicit, contumeliam attinet, longè foret verissimum, si Catholici cum Pelagianis opera humanis tantùm viribus facta doceremus esse merita, aut peccatorum propitiationes: sed cùm Solis luce clariùs ex Catholicorum scriptis liqueat, operibus nihil, nisi vt ex Christi Spiritu facta sunt, tribuendum, immeritò, vt non dicam sycophanticè, hæc contumelia, quæ Pelagianorum est propria, in Catholicos detorquetur.

†Vide August, epistol. 105. & libro de gratia & libero arbitrio.

Calũnia Cõfess. Saxonicæ retũditur.

Saxones Catholicis Pelagianismũ affingunt.

Cæterùm quòd doctrinam illam, quæ legis impletionem piis tribuit iustorum operibus, eámque esse veram iustitiam, qua homines coram Deo sunt accepti, Pharisaïcorum & Pelagianorum deliramentorum dedecorat atque infamat epitheto Confessio, deliro suorum authorum Spiritu facit dignum: qui Catholicorum sententiam præ impotentis odij in ipsos furore à damnatissimo apud illos Pelagianorum errore nequeunt, aut nolunt verius, distinguere atque separare. Cùm igitur ex superioribus satis demonstratum sit, quo sensu verè dicantur iusti Spiritu Christi adiuti legem implere, & eorum opera in Deo facta propriè esse meri-

ta, non eſt, cur magnoperè iſtam vereamur obiectam in Chriſtum contumeliam, quæ veriſſima eius gratiæ eſt laus atque præconium. His enim titulis Orthodoxi Patres noſtri pia Chriſtianorum opera non dubitarunt ornare atque prædicare, vti ex ſuperioribus liquet. Vnde nec ſatis dignè eos Chriſti gratiam in bonis operibus equidem prædicare arbitror, qui bona iuſtorum opera Deum vita æterna, remunerare autumnant ex gratuita dignatione ſuæ clementiæ: quòd veri meriti ratio, quæ piis operibus ex Chriſti Spiritus eorum authoris dignitate eſt ingenita, maiorem videatur mereri laudem, quàm quòd duntaxat Deus ea dignetur vitæ æternæ remuneratione, eáque gratuita. Scripturis enim magis conſonat, & veterum Patrum verbis magis concordat, Deum Optimum & iuſtiſſimum vitam æternam piis iuſtorum operibus reddere mercedem, atque coronam iuſtitiæ ceu colophonem piorum capitibus quaſi agonothetam pro victoriæ merito imponere.

Placere perſonas Deo propter opera.

Liquere etiam ex iis, quæ diximus, opinor, & illam Aduerſariorum doctrinam eſſe explodendam: Non placere perſonam propter opera. Quid ni enim propter opera placeat perſona, quam propter ea Deus ſe teſtatur diligere? atque adeò propter ea ſe ad ipſum venire atque inhabitare? Si quis diligit me, inquit Chriſtus Ioan. 14. ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et iterum: Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & crediditis, quia à Deo exiui. Quem obſecro Pater ille cæleſtis amat ſibi ingratum? quem diligat ſibi diſplicentem? Ac ne quis diffidat, audit Dei filium affirmantem: Ipſe pater amat vos. Eſtis itaque, Apoſtoli, Deo Patri gratiſſimi, illíque placetis. Sed quá nam de cauſa? inquias. An mei cauſa tantùm? quia creditis? minimè, inquit: ſed quia me amaſtis. Quia mei dilectionem habetis, ideo illi placetis. Sed quid in re manifeſta ſum copioſus? An non inueniſſe gratiam apud Dominum legimus Noë? Geneſ. 6. & Mariam? Luc. 1. quod quid obſecro Hebræis aliud eſt, quàm placuiſſe Deo Latinis? quemad- *Ioan. 16.*

1.Reg.2. *Samuel placet Deo & hominibus.*

modum disertè de Samuele scriptum legitur, placuisse tam Deo quàm hominibus: quod pietatis causa & propter vitam sacerdotali nomine dignam esse scriptum liquet ex antithesi, quam eo loco indicat Scriptura. Iam qui quod placitum est Deo, faciunt, an non placere Deo sunt censendi? quod de Azaria & Ioathan Scriptura 4.Reg.15. commemorat, vt innumeros prætercurram locos. Nam de Dauide, Ezechia, Iosia, & aliis piis admodum Dei filiis notius est placuisse Deo, quàm vt Scripturarum testimoniis sit demonstrandum fusiùs.

Adhæc Deus ipse sæpenumerò profitetur, se propter Dauid seruum suum Hierosolymam defendisse ab hostium impressionibus atq; expugnationibus, 4.Reg.19 & 20. an nõ hinc intelligamus, iustos Deo propter opera placuisse? Id quò fiat indubitatum, pauca huc recitabimus Scripturarum testimonia, sed illustria, quibus demùm doceamus propter iusta piáque opera, rectéque factorum merita placere Deo homines.

Quod ad Hebr.12. Paulus docet, pia in egenos benignitate & larga bonorum communicatione cum fratribus vitam Christianis esse ornandam, quòd talibus hostiis ὁ θεὸς εὐαρεστεῖται promeretur Deus, vti noster, aut vt Augustini interpres, placatur, aduersarij ipsi operũ merita fugitantes reddunt, placetur Deo, vti Tigurini sua in versione. Lutherus verò, tales hostias placere Deo. Quòd si hæc pia opera Deo placent, certè & homines eorum authores Deo placent. Rursus Paulus imprecatur Hebræis, vt Deus Opt. eos omnibus virtutum numeris absoluat, faciátque in eis τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, quod sibi placitum sit. Ad hæc si impossibile est Deo sine fide placere, certè qui fidem illam non mortuam, sed per charitatem operantem atque Dei legem implentem habent, placere est necesse: quod de Samuele & de aliis disertè Spiritus sanctus pronunciat.

Porrò quantoperè Sancti Deo suis piorum operum meritis placeant, inque modum Christi filij, cuius sunt & membra viua, & Spiritu eodem fratres atque cohæredes, illi sint gratissimi, vel inde fiat perspicuum, quòd propter Sanctos, eorúmque merita nobis superstitibus

varia largitur, exhibétque beneficia, quæ alioqui non erat largiturus. Quod quia plerisque paradoxotaton videbitur, claris vetustissimorum Patrum testimoniis venit confirmandum. In multis Regibus legimus de stirpe Dauid, inquit Hieronymus Dialog. 2. contra Pelag. quòd non suo merito, sed Dauid patris virtutibus conseruati sunt. Sic & in Ieremia cap. 15. docet Sanctorum merita ad posteros descendere, sicut Dauid, inquit, & cæterorum. Et in Threnis cap. 2. Dei pietate, inquit, & Patrum suorum merito Iudæi defendebantur. Et vt breuis sim Abrahæ merito, ait quæst. Hebraicis, de sacrificio Abrahæ, sæpè de angustiis liberatus est Israel. Eandem doctrinam & Augustinus demonstrat Ecclesiasticam, Festa Martyrum à Christianis celebrari docens libro 20. cap. 21. contra Faustum, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocientur, & orationibus adiuuentur. Rursus: Cùm merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo (inquit quæst. super Exodum, cap. 14.) sciamus nos illorũ meritis adiuuari posse, quos Deus diligit. Istud fusiùs demonstrat Augustinus lib. 21 de ciuitate Dei, cap. 27. ex illo, Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: Sancti homines iuuãt, inquiens, suffragio & meritis, vt saluentur per illos, qui alioqui misericordiam non erant consequuturi.

Meritis Sãctorũ viuos adiuuari & defendi.


Abrahæ & Dauidis merito liberatur defenditúrque Israeliticus populus.

Eiusdem & fidei & sententiæ fuit & D. Chrysostomus, aureum illud Ecclesiæ Græcanicæ columen, quantùm enim Dauidis merita Iudæis & Ezechiæ imprimis profuerint, ita edisserit: Hic enim sanctus Dauid, inquit Hom. 50. in illud, Cor mundum crea in me, non solùm cùm in corpore esset, placuit Deo: sed & post mortem suam viuis inuenitur præstitisse solatium. Contigit namque Ezechiæ Regi inimicas in temporibus Iudæorum gẽtes circumuallasse Hierosolymam. Et cùm esset Ezechias vir iustus, rogauit Deum, & prostratus, lachrymis deprecabatur, vltionem de Aduersariis postulans. Venit ad eum Esaias Propheta, & dicit: ne putaret ille, quia iustitiâ suâ exauditus esset: & certè iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens. O rem admirandam! O ineffabilis Dei clementia! Homo mor-

tuus viuo patrocinatur. Eant nunc Aduersarij, & personas propter opera Deo placere negent: quum pios audiant non Deo tantùm placuisse propter pia eorum merita, sed ipsis adeò viuis illorum prodesse, imò defendere merita.

Caput XXI.

De fiducia bonorum operum.



Ed nunc ad fiduciam, quæ piis ex operibus nascitur, locus est vt transeamus. Hîc Aduersariis libens equidem ignosco, quòd operum fiduciam tanta cum animi cotentione subterfugiunt. Cùm enim sua omnia opera profiteantur sordidata, & quasi menstruatæ fœminæ vestem immunda, quid mirum, si eis fidere minimè audeãt? Verùm quibus de operum piorum Christi Spiritu factorum cõditione cõstat ratio, vident perspicuè, quàm ea sint Deo pergrata, quámq; sint in eius oculis munda: vtpote mundorũ, quod Christus de Apostolis testatur Ioan. 13. Et vos mũdi estis, sed non omnes: quàm deniq; nihil habeant maculatum, sceleratum, aut ira Dei dignum. Quare & fiduciam nõ minimam sanè, aut leuiculam, tantùm abest, vt vanam aut temerariam, inde pij concipiunt, se tandem aliquãdo cum illa Ecclesia primitiuorum Sanctorũ, qui & ipsi deuicto mundo, per fidem operati iustitiam, adepti sunt repromissiones, ingentia illa possessuros bona, nec auribus audita, nec oculis visa, nec cordibus gustata, quæ Deus Optimus Maximus se diligentibus præparauit. Horum quidem bonorum vsum fructũ, hoc est, æternam cælestis hæreditatis possessionem Christianis ad vnum omnibus, modò firmiter credant, nihílque cõtra conscientiam peccent, pollicentur Aduersarij citra vllũ omninò dubium. Sanè hac pollicitatione non tam magnifica, quàm blanda, multas Christianorum myriades in doctrinam nouam, & à veritate Euangelica alienam illectas, in æternũ præcipitant gehennæ miserrimæ barathrum. Fide enim, quam ipsi fiduciam interpretantur (id quàm faciant peritè ac rerum naturæ conuenienter, alibi est discutiendum) iubent vnumquemque statuere,

Opera pia quia à piis & mundis facta, plurimum pariũt fiduciæ apud Deum.

Temeraria & vana est Aduersariorum persuasio de salute ex fide.

ac indubitatum sibi persuadere, se esse Dei filium, cœlestísque regni hæredem. Certè si id fiducia statuendū est, plurima posse incurrere, quæ hanc nō modò labefactēt, sed excutiant etiam, atque euertant, in promptu est perspicere iis, quibus vera fiduciæ natura probè est cognita atque explorata. Verùm hac re alium in locum aptiorē reposita, paucis demōstremus, indubitatam salutis æternæ certitudinem, quæ ex fide est, non modò Christianis omnibus verè credentibus non contingere, sed ne ipsis quidem Apostolis hac in vita vnquàm contigisse. Quo declarato, ad illam confugiendum esse docebimus salutis certitudinem, quæ spei est Christianæ, ad quam D. Petrus exhortatur, vt per bona opera certam nostram faciamus vocationem.

Quò igitur illa fidei specialis, quam nouo noua hæc hominum doctrina appellat vocabulo, pestilentissima lerna piis lectoribus Euangelij verè studiosis reddatur innoxia, illustri Apostoli Pauli, nunquàm suæ salutis certi, declarabimus exemplo, hominem de sua salute meritò esse anxium, nec vnquàm, nisi vana se fallere velit salutis certitudine, indubitatò posse cognoscere, se regni æterni possessorem fore. Diuus Paulus tot innumeris, iísque eximiis, Euangelicæ gratiæ ornatus prærogatiuis, post tot ingentes labores Christi & Euangelij ferendi causa exantlatos, pronuntiare non dubitat, se corpus suum castigare, atque in seruitutem redigere, ne cùm aliis prædicasset, ipse fieret reprobus. Quod haud dubiè nō fecisset, nisi salutis suę casum extimuisset. Porrò quòd timuerit Paulus, ne à salute excideret, pauculis aliquot veterum Patrum testimoniis, sed luculentis, est cōfirmandum: vt declaratus Pauli timor supinam istam Euangelicorum de salute sua securitatem, indubitatámque certitudinem semel explodat, atque de piorum pectoribus aut arceat, aut aboleat.

Fidē specialem D. Paulus ignorauit qui timuisse de salute ostēditur.

1. Cor. 9.

His autem vigiliis, ait Theodoretus in hunc locum, laboribus, & continentia vtor, pertimescens, ne cùm alios, id quod oportet, docuero, ipse à certaminum fine omninò excidam. Sic & D. Chrysostomus: Si Paulus hoc timuit, cùm talis esset præceptor, & post prædica-

Paulus timet, ne in peccata lapsus, à regni hæredita

te exci deret. tionem, & orbis terrarum susceptum patrocinium formidauit, quíd nam nos dicemus? Et paulò pòst: Caue ergo, ne cadas. Nā si Paulus, qui omnium firmissimus erat, formidauit, longè magis nobis formidandum.

Theodoretus. *Chrysost.* *Ambrosius.* *Augustinus.*

Eandem in sententiam & Diuus Ambrosius à Diuo Augustino libro secundo contra Iulianum recitatus: Paulus contra peccati inquietudinem, inquit, pugnans, primùm ab eo vinci, superaríque metuebat. Et ipse Augustinus de Nuptiis & Concupiscentia libro secundo capite vigesimoprimo. Video me esse in periculo, ne aliquando succumbam, ideo cupio liberari à corpore mortis huius.

Hinc liquere arbitror, D. Paulum adeò non fuisse illius æternæ salutis suæ certum, vt vehementer timuerit, ne aliquando ab ea excideret frustratus. Qui enim formidabat, ne reprobus efficeretur, ís ne vitā sibi æternam indubitatò pollicebatur? Si eam certus, & quasi ex fide promissam debuit expectasse, ecquid timet misellus, ne aut concupiscentia victus superaretur, aut cælesti brauio propter ignauiam indignus reprobetur? Si ergo reprobus potuit fieri (quod certè potuit, quia id sibi futurum timuit) quî obsecro non nisi temerarius, imò insanus, istam salutis suæ certitudinem indubitatam sibi potuit polliceri?

Adhæc quia & de boni certaminis perseuerantia nō certum constabat, etiam hac ex parte haud iniuriâ sibi metuebat, ne fortè aut in cursu deficeret, aut à Deo Optimo omninò descisceret: quod ad Philippenses manifestiùs ipse declarat, quàm vt multa verborum aut commentariorum luce opus habeat: Non quòd acceperim, inquiens capite tertio, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum in Christo Iesu. Et paulò superiùs: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vt & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est ex fide Christi, &c. configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. In quem locum Chrysostomus: Si ergo, qui tāta passus est, si qui

ſi qui perſecutionem tulit, ſi qui mortificationem habebat, nondum de reſurrectione illa ſecurus fuit, quid ſanè nos debemus? Sic & Oecumenius: Si quo modo, ait, vides eum poſt tanta adhuc ambigere. Et infrà: Vide, quã tam habeat Emphaſin, quod ait, *διώκω*, ſector atque proſequor, &, Si apprehendam: qui enim ſectatur, cùm tamen incertus ſit, an comprehenſurus ſit, nihil aliud intuetur, nihil aliud cogitat, niſi aſſequi, quod ſectatur. Ad eundem modum & Theophilactus: Si quo modo perueniam. Nondum confido, inquit (hîc Græcam Theophilacti vocem deſidero, quam mihi ſubolet non eſſe expreſſam ab interprete) Adeò humili, ait, ſpiritu imbutus erat. Quod & alio in loco ait: Qui videtur ſtare, videat ne cadat: &, Ne quo modo aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar. Rurſus cùm dixiſſet: Si quo modo occurram, cõfirmat hoc, inquiens: propterea ſic dixi per ambiguitatem, quia necdum accepi brauium, neque perfectus ſum. Hæc de Pauli timore ac ſalutis metu diximus copioſiùs, vt fratres ſuæ ſalutis ſolicitos aduerſus blandam quidem, ſed venenatam noſtri ſeculi hominum doctrinam munirem, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda ſimpliciorum. Dum enim temerariã illam à quolibet exigunt ſuę ſalutis certitudinem, adeóque fidem non minus ambiguam ac indubitatam, quàm quòd credũt filium Dei Chriſtum Ieſum ſedere ad dexteram Patris, an non blandum doctrinæ peſtilentiſſimæ poculum melle oblitum incautis obtrudũt? Quid enim arridet blandiùs, quàm ſuæ ſalutis viuere ſecurum, à quâ non excidas, niſi contra conſcientiam, inquiunt, pecces, aut Fidem abiicias? Verùm nos cum Diuo Paulo veriti, ne aut concupiſcentiæ ſuccumbamus, aut per ignauiam reprobi efficiamur: rurſus cum eodem ſoliciti, ſi quo modo comprehendamus, & ſi quo modo occurramus ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis, cum metu & tremore noſtram operemur ſalutem. Ad quam quia & nos vocati ſumus, vt meritò nobis gratulamur certiſſimum ſalutis exordium, indubiúmque ſalutis iter oſtenſum: ita quoque contrà veremur meritò, ne de nobis verum fiat, quod ait veritas: Multi ſunt vocati, pauci verò

Paulus non fuit de ſalute ſua ſecur⁹.

Paulus incertus, an aſſequeretur, quod ſectabatur.

Rom. 16.

Cur cuique timendum.

Matth. 22.

Periculorum salutis, in quibus versamur, hypotyposis. electi. Inter tam varia enim nostræ salutis discrimina, imò veriùs assidua naufragia nobis vndique intentata, dum hinc mundus blandis arridet ocellis, ad illicitum sui inuitans vsum, illinc caro mellitis nos allicit illecebris, aliundè, imò vndique diabolus nostræ salutis calamitas mille struit insidiarum formas, quibus aut peccati fallacia, aut virtutis specie, si non à recto, saltem à vero abducat: quis obsecro adeò supinus dormit, aut incuriæ lethargo adobrutus stertit, qui sibi non interdum metuat, ne cum illa vocatorum quidem, sed nō electorum, turba ad cælestes illas regni nuptias non admittatur? Hæc non eò dixerim, vt piis Catholicæ Christi Ecclesiæ filiis perpetuam anxietatis atque tristis formidinis de salute consequenda crucem iniiciam, cùm iis, qui rectè ac Orthodoxè sentientes sibi nō sunt flagitiorum à regno excludentium conscij, multò magis sit sperandum, quàm timendum: sed vt hanc vocationem ad cæleste regnum firmam faciant atque certam, & quodam etiam modo indubitatam: quod quá nam fiat ratione, ex Euágelica docebimus doctrina.

2. Petr. 1. *Quá nam ratione simus nostræ salutis certi.* Diuus Petrus iis omnibus scribens, qui coæqualem cum Apostolis sortiti erant fidem, vt indubitata eis esset consequendæ salutis ratio, hortatur, vt satagant, déntque operam, vt per bona opera certam, βεβαίαν, & firmá faciant suam vocationem & electionem: Hæc enim fa-
" cientes, inquit, non peccabitis aliquando. Sic enim abū-
" danter ministrabitur vobis introitus in æternum regnū
" Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi. Eundem in
" modum & Diuus Iudas Apostolus: Vos autem charissi-
" mi, inquit, superædificātes vosmetipsos sanctissimæ no-
" stræ fidei in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dile-
" ctione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini
" nostri Iesu Christi in vitam æternam.

1. Tim. 6. Diuus Paulus quoque diuitibus huius seculi præci-
" piendum monet, ne sublime sapiant, nec sperent in in-
" certo diuitiarum, sed in Deo, bene agant, diuites fiant in
" bonis operibus, facilè tribuant, communicēt, ac thesau-
" rizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt appre-
" hendant veram vitam. Quibus in verbis operæpretium

fuerit multò maximum animaduertiſſe Paulinam antitheſin, quæ rem, de qua in præſens agitur, egregiè illuſtret. Homines opulentos iubet admonendos, ne ſuæ ſalutis fiduciam in iſtas incertas atque fallaces diuitiarum opes collocent: ſed in Deum viuum omnis boni authorem. Quo autem pacto ſe illius regni cæleſtis faciãt compotes atque conſortes, clariſſimis docet verbis, vt bonis operibus diuites facilè indigis impartiendo, libentérque ſimul & liberaliter egenis ſua communicando, ſibi de mammona iniquitatis theſaurizent theſaurum bonum, quaſi firmum, certúmque illius immortalis vitæ iacientes fundamentum, quo nixi ac freti apprehendant, atque nanciſcantur tandem vitam æternam. Propter hanc enim adipiſcendam hortatur diuites, vt ſibi ſuæ ſalutis ex diuitiarum in egenos largitione certiſſimum iaciant fundamentum. Nam, vti ait Oecumenius hunc in locum: ἡ τῶν ἀγαθῶν ἔργων πράξεις, ἣν καὶ θεμέλιον ὠνόμασε, τὴν ἀπόλαυσιν ἐκείνης προξενῆσαι δύναται, piorum factorum operatio, quam & fundamentum dixit, nobis illius vitæ æternæ fruitionem conciliare atque impetrare valet. Quãtum ergo quis ſibi hîc collegerit, atque theſaurizarit bonorum operum, tantũ & fiduciæ de vita æterna poſſidenda, quæ operibus merces veniet reddenda, concipere queat: haud ſecùs, atque qui domũ ſuam ſibi cõſcit bene ac ſolidè fundatã, confidit eam diu ádmodũ perſtaturã.

Quanquàm autem ex bonis iſtis operibus maxima oriatur æternæ ſalutis fiducia, veráq; cæleſtis hæreditatis ſpes, quę non confundit, nec fruſtrare poteſt: illud tamen pios admonendum duximus, ne ſuis quaſi diuitiis ſibi nimiùm blanditi, prioris vitæ, lapſuúmq; quotidianorum obliuiſcantur, vt taceam, ne aliquando multa lateant culpanda, quæ pleriq; putamus non eſſe culpanda. Delicta enim quis intelligit? Et, Quis gloriabitur mundum ſe habere cor, cùm iudex in Throno ſederit? Quare iuſtus cogitare debet, vti præclarè monet D. Aug. de perfectione iuſtitiæ, ne aliquid inueniatur, quod ipſe nõ videt culpandũ: Sed credẽdo, ſperando, amando, corpus

Iuſtis et piis qui vita trãſigenda.

Quæ ratione possim' Christo iudici præsentari iusti & mũdi ex August. castigando, eleemosynas faciendo, iniurias ignoscendo, orando agitur, vt cor mundetur, & peccatum omne tollatur, & quod iustus iudex cùm in Throno sederit, occultum inuenerit, minúsque mundatum, misericordia mundetur. Hunc in modũ D. Ipse August. post tot præclara eximiæ adeò pietatis opera, post tot indefessos in excolenda Christi vinea labores, post tot vigilias, ieiunia, chamonias, & xerophagias, cùm mortis sibi imminere sensisset diem, Psalmos illos, vulgò pœnitentiales dictos, maiusculis descriptos literis lectulo appensos callidis madens lachrymis lectitabat. *August. qui se ad Christi tribunal præparauit. Vide Possidonium.*

Testatur & D. Hieronymus epistola ad Abigaum, sese quotidie in oratione flexis genibus post durissimam illam prioris vitæ castigationem tot iam annos perdurantem Domino loqui: Delicta iuuẽtutis meæ & ignorantias meas ne memineris. *Hiero. quotidie flexugenibus deprecatur adolescẽtiæ lapsus.*

Caput XXII.



Vita æterna an bonorum operum merces & stipẽdium

CÆterùm vt hunc de piis operibus gratia Christi factis locum tandem concludamus, paucis coronidis loco restat explicandum, An vita æterna piis illis operibus sit soluenda stipendium, mercésque reddenda? Hæc quæstio etsi ex Scripturis luculentissimis manifestam habeat dissolutionem, Merces vestra copiosa est in cælo, Matth. 5. Et: Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam, illam videlicet, quam reddet, quum dicet in illa die, Venite benedicti patris mei, sitiui enim, & dedistis bibere: tamen propter Aduersariorum illusiones verè sophisticas nonnihil est explicanda fusiùs. Cùm enim Diuus Paulus ad Roma. vitam æternam doceat esse gratiam, clamitant eam non esse mercedem, aut piorum operum iustum stipendium, quod de morte malis operibus in stipendium persoluenda, disertè Paulus pronuntiat. *Matth. 10. Matth. 25. Rom. 6.*

Hunc nodum, quòd D. August. quem & ipsi reuerenter habent, si quem alium veterum Patrum, luculenter

dissoluat, nos ex eius sententia patiemur decidendum. Contra Pelagianos aurea illa ad Sixtum epistola disputans, ostensurus, vitam æternam verè esse bonorum meritorum & mercedem & stipendium, tametsi eam Paulus dixisset esse gratiam: Vnde ipsa vita æterna, inquit inter alia, epist, 105. quæ vtique in finem sine fine habebitur, & ideo meritis precedentibus redditur: tamē quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficiētiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, nō ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Vbi autem inuenimus vitam æternā etiam gratiam nuncupari? Habemus apud eundem gratiæ magnificum defensorem Apostolū Paulum: Stipendium, inquit, peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Vide obsecro te, in quanta breuitate quàm vigilanter verba posuerit? quibus diligenter consideratis, quæstionis huius aliquantulùm dilucescat obscuritas. Cùm enim dixisset: Stipendium peccati mors, quis non congruentissimè & consequenter addere iudicaret, Stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati, tanquàm stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquàm stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere, iustitiæ, diceret, fidei, quoniam iustus ex fide viuit. Vnde etiam & merces appellatur plurimis sanctarū Scripturarum locis: nusquàm porrò dicta est merces iustitia, vel fides, quia iustitiæ vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium. Sed beatus Apostolus aduersus elationem, quę vsqueadeò magnis tentat irrepere, vt & sibi propter ipsam dicat datum Angelum Sathanæ, à quo colophizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret. Aduersus hanc ergo elationis pestem vigilantissimè militans, Stipendiū, inquit, peccati, mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iustitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens: Stipendium iustitiæ vi-

Vita æterna & stipendiū & gratia.

ta æterna: ſed gratia, inquit, Dei vita æterna. Et hæc, ne præter mediatorem aliqua alia via quæreretur, adiecit: In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Quibus aureis Aurelij Auguſt. verbis, vt nihil dicatur ſanandis iſtorum meriti Chriſtiani hoſtium nauſeabundis ſtomachis ſalutarius, ita nullius ore hæc res de operum merito deciſionem accipiat aut illuſtrioré aut veriorem. Quare cùm ſuperuacaneum foret, vti ad Solis lucem illuſtrandam, accendere faculas, hîc plurium veterum cumulare ſententias, atque teſtimonia nobis idé conteſtantia, conſultò hoc ſuperſedebimus labore. Proinde hunc locum concluſuri, aliò tranſuolantes, vnum huic tabulæ, priuſquàm manum de ea tollamus, appingemus emblema, quod verum piis omnibus bonorum operum, fide & Chriſti gratia factorum, loquatur elogium.

Aureũ bonorum operum encomium.

Quod igitur Diuus Cyprianus Sermonem de eleemoſyna epilogo concluſurus dixit in hypotheſin, nos aptè in theſin conuertamus. Præclara & diuina res, fra-
" tres chariſſimi, inquit, ſalutaris operatio, ſolatium gran-
" de credẽtium, ſecuritatis noſtræ ſalubre pręſidium, mu-
" nimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati, & res poſita
" in poteſtate facientis, res grandis & facilis, ſine pericu-
" lo perſequutionis corona pacis, verũ Dei munus & ma-
" ximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo
" Chriſtianus adiutus, præ ſe effert gratiam ſpiritualem,
" promeretur Chriſtum iudicem, Deum computat debi-
" torem. Ad hanc operum ſalutarium palmam libenter &
" prõptè certemus, omnes in agone iuſtitiæ Deo & Chri-
" ſto ſpectante curramus, & qui ſeculo ac mundo maiores
" eſſe iam cœpimus, curſum noſtrum nulla ſeculi ac mun-
" di cupiditate tardemus. Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc
" operis agone currentes dies nos vel redditionis, vel per-
" ſequutionis inuenerit, nuſquàm Dominus meritis no-
" ſtris deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro
" operibus dabit, in perſequutione purpuream pro paſſio-
" ne geminabit, Amen.

Caput XXIII.


His itaque, quantum in præsens satis est, perstrictis, ad illud nunc accedamus verbi Dei Euangelici caput explicandum, quod venerãdas Christi Domini ac sanctorum hominum imagines tradit rectè apud Catholicos haberi, eorum etiam festa rectè celebrari, postremò ad intercessionem atque opitulationem citra omnem aut Christi iniuriam aut idololatriam rectè, piéque inuocari. Hæc vti & superiora, ex illo Apostolicæ doctrinæ seminario in Ecclesiæ Catholicæ hortulis olim fuisse piè sata, pro virili demõstrare studebimus. *De imaginibus venerãdis*

Quandoquidem Christus Dominus sui Euangelij cultoribus eximiam pollicitus est gloriam, ac ingentia veræ virtutis decora & ornamenta, Qui mihi ministrauerit (inquiẽs) honorificabit eum pater meus, in dubium vocari iurè non potest, illáne honoris insignia huc pertineant, quæ sanctis Dei amicis per Christianum orbem à Catholica impenduntur, exhibentúrque Ecclesia? Imagines dico, dies festos in eorum gloriam institutos, ac prærogatiuam illam, qua apud clementissimum Patrẽ nostrum cælestem valere creduntur, pro fratribus nondum exilio isthoc euocatis, intercessionem. Quum enim hæc omnia in sanctorum cum Christo regnantium gloriam, Christiana celebret Ecclesia, more vetustate Apostolica roboratissimo, quísnam adeò profligata fuerit audacia, qui hæc ornamentorum insignia illis falsò aut immeritò esse tributa asserat? *Apostolos nobis imagines tradidisse.*

Verùm quum isthoc seculo Antichristi ministrorum opera furibundo sacris omninò omnibus imaginibus indicitur passim bellum nouum, ab instituti ratione non abhorruerit, initiò de imaginibus seruatoris Christi vetustissima proferre testimonia, quæ illas ab Apostolis traditas, eorúmque ætate vsitatas fuisse doceant, tum sanctorum quoque simulachra ex eadem Apostolorum doctrina Ecclesiam demonstrent accepisse. *Tragedia imaginib omnibus anno 780. mota, quonã Dei verbo extincta.*

Cùm per Orientem olim regnante illo Leone III. omnes inuniuersum Diuorũ, adeóque Christi ipsius, Icones

templis arísq; auulsæ perderentur, multi etiam Episcopi suis calculis tantum scelus comprobare non dubitarunt. Itaq; tranquillitate nonnihil Ecclesiis reddita, coiit illa Synodus Nicæna secunda, quę Sanctis suum honorem à sacrilegorum vindicauit iniuria. Inter eos itaq; Episcopos qui veritatē intereà edocti, cęcā exuerant hallucinationem, quidam numero septem, præ cæteris ab Iconoclastarum insania resipiscentibus, pręclarum Fidei atque opinionis seriò in melius commutatæ attulerunt argumētum, quo veram animi sui docuêre pœnitudinem, ac
" Orthodoxiam suam Catholicis omnibus illic congrega
" tis Patribus omninò persuaserunt: sese nimirùm ab Ico-
" noclastarum castris deficere, atq; Catholicis consentire,
" quòd sacras imagines nunc crederent ac confiterentur
" colendas atq; venerandas secūdum fidem, inquiunt Act.
1. à S. Apostolis & Patribus traditā doctrinam. Sed cùm Tharasius Constantinopolitanus istius cōfessionis efflagitaret rationem, audi quęso Lector, quánam Gregorius

Canon Apostolicus de imaginibus.

" Pessinunton Episcopus inter illos resipiscentes quartus
" attulerit: In Antiochena Synodo, inquiens, sancto-
" rum Apostolorum dictum est, seruatos non debere am-
" pliùs ad idola aberrare, sed certandum esse ante colum-
" nam Dei, hominísque Iesu Christi Domini nostri. Cu-
" ius ætiologiam resipiscentiæ Leo Rhodi Episcopus, er-
" roris hactenùs socius, verbis hisce liquidò confirmauit:
" Cuncta piè ac verè loquimur, inquiens, suo & sex Episco
" porum secum ab Iconoclastarum furore ad Catholicis-
" mi sanitatem redeuntium, etiam si indigni & peccatores
simus. Ex legali Prophetica, Apostolica, Patrúmque Traditione instructi sumus, hanc esse veritatem, pietatémq; vt in sanctis Ecclesiis venerandæ imagines colantur, docente idem multorum annorum consuetudinę, ab Apostolorum temporibus huc vsque probata, atque his persuasi simus. Isthæc Gregorij Pessinuntini, atque Leonis Rhodij Episcopi sententia, quæ Apostolicæ Traditioni imagines docet esse acceptas referendas, plus apud æquū rerum arbitrum inueniat cùm fidei tum ponderis, quod omnis ille Catholicorum Episcoporum 350. chorus, suo approbarit consensu atque suffragio. Imò nisi ille Ca-

nõ adductus genuinè fuisset Apostolicus, nõ passi essent sanctissimi illi iuxta ac doctissimi Patres Catholici, hæreticos illos, & eos Episcopos septem fictitia DD. Apostolorum doctrina in rectam Orthodoxæ veritatis viam reuocari.

Sin præfractior aliquis pleniorem huius rei fidem requirat, eius profectò saluti perlibenter saluberrimum, quod potero, adhibebo pharmacum. Illa itaque Christi imago apud priscos nobilissima ab illa herba, specie quidẽ omnibus incognita, vt testatur Damascenus de imaginibus, sed viribus cõtra omnia in vniuersum morborum genera pellenda, veteribus mirificè laudata, Apostolorũ seculo Panëade (vbi Christiana, si vsquam alibi, fides imprimis florebat) Sotiriorum causa à Bernice pia illa hemorrousa matrona erecta, rem præsentẽ satis superq; declarat. Eam Apostolos nõ vidisse fieri omninò nequit: quòd ex illius matronæ à Christo hemorrhoidibus liberatæ epistola ad Herodem Regem CC. Flacco & Ruffino data (quam Damascenus 1 ad verbum ex Ioannis Antiocheni Chronographia recitat) certò conuincatur. Nec de eius veritate dubitandum, quum historici 2 celeberrimi eam à Iuliano, vt Christi hoste acerrimo, ita suæ impotenter Deitatis studiosissimo (quam &si non viuus, at mortuus tamen à Sophistis 3 aliquot adulatoribus, Porphirio & Libanio est vanissimè consequutus) testentur deturbatam: execrabilíque istius Apostatæ imagine columnam illam fuisse onustam, donec eam Deus Max. fulmine horribili suæ in sceleratas Athei Apostatæ reliquias vindictæ administro videbatur detrudere. Plura qui scriptòrũ vetustissimorũ desideret de imaginũ antiquitate clarissima testimonia, tres libros D. Damasceni legat, Romæ pridẽ Græcè in lucẽ editos, nuper à D. Tilmanno Carthusiano Latio donatos. Si quis minùs hisce fuerit satiatus, acta Nicæni Concilij secundi consulat, vnde plus satis exaturatus abire poterit.

Christo Domino ætate Apostolorum erecta fuit statua.

Vide Theop. in Math. 9.

1 Vide Damasceni libellos de imagi.

2 Eusebius, Nicephorus.

3 Vide istorũ adulationes apud Nice.

Iulianus Apostata suam in Christi domini imaginis locũ collocat.

Cæterùm vniuersus imaginum aut Christo aut Sanctis in trophæum erectarũ vsus, tantùm abest, vt ad idololatricam pertineat impietatem (quod isthoc seculo veterum Camerinarum perturbatores in vulgus euomere

Cultus imaginũ docetur religiosus & Apostolicus

erimus breues, quòd aduersarij nobiscum cõmuniter nõ pauca retinent festa sanctorum, citra vllum verbum Dei scriptum, puta Aposto. omnium, D. virginis matris aliquot, quorum quædam temerè respuunt, sicuti quædam pari temeritate volunt apud suos obtinere. Rursus vnum aut alterum post Pascha & Pentecosten. Hoc igitur dogmate ex illorum consensu approbato, ad aliud est transeundum, vbi nos pro eo atque huius operis postulat ratio dies DD. Apostolis & Martyribus sacros Apostolicæ vindicauerimus doctrinæ.

Festos quosdam dies nostros maiores obseruasse sanctis sacros ex Apostolorum doctrina paucis efficiemus vt liqueat. Non quasi hisce diebus sanctos quasi Deos, aut etiam semideos putarint colendos, quod sicuti olim imperitissimè, vnde & veniam merebantur, existimabant homines Pagani, eandem in Christianis videntes rituum & cæremoniarum cultúsque externi faciem, quam suis ipsi Diis præstabant, vt inferiùs declarabitur: ita hodie impiissimè ab istis sectariis Catholicę obiicitur Ecclesię, sed qua cum culpa, sua ipsis testis est conscientia. Cæterùm quò liqueat, sanctorum festa Apostolos habere authores, suffecerit, vnum aut alterum de vetustissi. Patrũ nostrorum scriptis prõpsisse locum. Origenes ille Adamantius illustre Alexand. Eccle. lumen, in D Matth. scribens: Benè & secundum Dei voluntatem, inquit, in illud Vox in Rama, Innocentum memoriam S. Patres celebrãdã mãdarunt sempiternã in Ecclesiis, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis & gentibus credituris, velut etiam pro ipsis parẽtibus: quorũ parentes præ nimio dolore percutiebãtur, vt eis intercessio filiorũ apud Deũ plurimum profuisset. Quod Origenes sic de Innocẽtum memoria sempiterna in Ecclesiis celebranda docet, aptè ad diem illis sacrũ quadrare equidẽ arbitror. Quod & si quis de D. Stephani festo, de Cathedra Petri, de Pauli cõuersione, aliísq; nonnullis opinetur, nos faciles habeat suffragatores. Cæterùm quia nobis cum Aduersariis maior versatur quæstio, quónam ritu dies sanctis festi sint Christianis Apostolorũ doctrinæ cõcorditer celebrandi quàm, an dies, Sanctis festi celebrandi nolumus illam

persequi fusiùs: quòd suo istud confirmant exemplo, Apostolorum festa plerique adhuc celebrantes. De hac autem dicetur copiosiùs, quod quidem præsentis retulerit instituti, an videlicet dies Sanctis festi piam eorundem habuerint inuocationem coniunctam? Porrò quæ ad veram colendi Sanctorum festi rationem pertinent, quomodo dies illi transigendi? quid tum peculiariter meditandum, agendum, factitandum? sicuti alium postulant locum, ita & otium.

Meditatur author commentaria sacrarum Originum.

De his igitur, sicuti & de Dominicæ diei cultu verè Christiano in nostris Originum sacrarum Commentariis, Deo vitam largiente, dicemus fusiùs. Illud in præsentia suffecerit adnotasse, sic piis omnibus colẽdos dies festos, quemadmodum August. docet contra Faustum lib. 20. ca. 21. & † D. Hieronymus in Ezechielem Templi Prophetici explanaturus ænigmata.

Quomodo colenda festa Christianis.

† Vide infrà cap. 37.

Festos igitur Sanctorum dies Aduersariorum obseruatione nobis consentanea, atque verbo Apostolicæ doctrinæ confirmatos præteribimus, ad eorum vsum properantes, nõ eum quidem in vniuersum, vt diximus, persequuturi, sed modò quod in controuersia, hodie est positum, an scilicet pro nobis superstitibus orent Sancti? Si orent, quod Aduersariorũ saniores & propè omnes concedunt, an sint item inuocandi? quod omnes cõcorditer inficiantur: sicuti illud discorditer opinantes, suum dissensionis & non pacis Spiritum produnt. Nos igitur Catholicæ doctrinæ, quæ etiamnum per orbem vniuersum obtinet vna, atq; vbiq; consentiens à Spiritu pacis nata & propagata, vestigiis insistentes, primùm Sanctos pro nobis orare paucis ostẽdemus, ne quid videamur omisisse, quòd fratribus hallucinãtibus ad Euãgelicæ doctrinæ lucem pleniùs perspiciendã conducere queat. Mox ostẽso Sanctorũ inuocationẽ fuisse ante annos 1200. Ecclesiis vsitatissimam, ad Apostolorũ ætatem, adeóq; doctrinam pertinere, pro virili demonstrare aggrediemur.

Caput XXV.

ORare igitur Sanctos pro fratribus, nondum isthoc exilio in patrias sedes amœniss. euocatis vel Ange-

lorũ indubia pro nobis oratio demonſtret. Quid enim? an minùs paterni affectus noſtros maiores in ſuos habere credas filios, quàm Angelos noſtri cuſtodes? an ita pectus paternum exuiſſe, pietatémque omnem ſemel existimes excuſſiſſe, vt noſtri apud clementiſſimum, eundémque benigniſſimum Patrem Deum meminerint núquàm? Sed iſtam impiam de ſingulari fratrum noſtrorũ, imò patrum, matrúmque amantiſſimorum cum Chriſto Domino regnantium, in nos miſeros ſtudio opinionem ille ſuo ſaxeo perſuadeat pectori, quem durus Caucaſus pepérit, aut Marpeſia cautes. *Sanctos orare pro nobis ſuperſtitibus.*

Iam ſi, vti Chriſtus ipſe ait, Moyſes Iudæos impios accuſat apud Deum Patrem, quòd Prophetam illum à ſe prædictum ſibi per omnia ſimilem in propria veniẽtem non ſuſciperent, an non contrà illos pios ſuis apud Deũ Opt. commendet precibus, qui ſuis obſequuti monitis Chriſtum Ieſum ſuum ſequuntur magiſtrum? an virum Dei mitiſſimum, ac illo ſingulari in pios animo pietatis ac ſtudij abundantiſſimo tantùm ad accuſandum, nõ ad excuſandum etiam credas, apud Dominum valere? Si quod in reproborum eſt pernitiem, agit indubiè cur nõ multò magis, quod ad piorum ſalutem commendãdam ac prouehendam facere poteſt, gerere eſt cenſendus? Orat igitur, omnibúſque piis benè conſultum cupit. De noui verò Teſtamenti Patribus, quid fruſtrà id comprobare annitar, quorum tam præclara flagrantiſſimæ in nos charitatis extant teſtimonia? An orare dubites pro fratribus, nondum in regnum ex iſto carcere Babylonico excitis, qui in eorum gratiam tot immenſos exantlarunt labores? tot inſumpſere vigiliarum, peregrinationum, ac periculorum, ærumnarúmque ſudores? Licèt vniuerſi Sancti (ait D. Maximus Taurinenſis Homil. in Martyres Tauricos) vbique ſint & omnibus proſint, ſpecialiter tamen pro nobis (Taurinenſibus) interueniunt, qui & ſupplicia pro nobis pertulerũt. Sic & Petrus Chryſologus Homil. 7. Apollinarem. Cæſatius Arelatenſis Homil. in Litaniis, Sanctos orare demonſtrat. Sed ne in meridie, quod habet prouerbiũ, lampadas videar accendere, veterum Scriptorum teſtimoniis commemorandis

Ioan. 5.

Sancti peculiariter pro ſuis diſcipulis orant.

superſedendum exiſtimo, illud tantùm admonentes, vt pius Lector meminerit, hanc Sanctorum pro viuis fratribus orationẽ ita fuiſſe Chriſtianis omninò omnibus olim purſuaſam, vt eam conuellere nitens Vigilantius, Eccleſiæ iudicio fuerit damnatus hæreticus.

Sed quia Aduerſariorum plerique hîc nobiſcum conſentiunt, vt qui Auguſtanam retinent Cõfeſſ. Saxonicã, & Vvirtemberg. horum ſuffragio ſatis contra diſſentiẽtes muniti, ad illam oppugnatiſſimã ab omnibus eorundem Sanctorum inuocationem ex Catholica ſimul & Apoſtolica corroborandam doctrina nos accingamus.

Caput XXVI.

Sanctorũ inuocatio ante annos 1200. Eccleſiis vſitatiſſima.



Qui obtinentẽ apud Catholicos de Sanctorum inuocatione doctrinam oppugnant, ac veluti idololatricam volunt exploſam, & Eccleſiis eiiciẽdam, ij ante Gregorij Magni tempora veteres Scriptores eius meminiſſe audent negare. Hieronymus contra Vigilantium, ait Apologia. Auguſt. Confeſſ. de honoribus loquitur Sanctorum, non de inuocatione. Neque reliqui Scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis. Quod Apologiæ capitulum, quàm à vero abſit longiſſimè, nullo negotio, vt videas, faciemus Lector candide, Solis luce manifeſtius. Ex iis igitur Scriptoribus ſtatuenda nobis eſt Sanctorũ inuocatio, qui ante Gregorij ætatem floruêre: ex quibus ad Apoſtolorum quàm poſſumus ſeculum, aſcendemus proximè, vt æquo rerum arbitro non niſi ex verbo Dei per Apoſtolos orbi Chriſtiano ſemel tradito, atque vti Iacobus appellat, ἐμφυτῳ, id eſt, inſito liqueat, hanc Sanctorum inuocationis doctrinam fuiſſe prognatam, atque in hæc noſtra vſque tempora ex perpetuo illo Apoſtolicæ doctrinæ ſeminario propagatam.

Apologiæ Auguſta. vanitas oſtẽditur.

Eruitur inuocationis SS. antiquitas ordine retrogrado vſque

D. Auguſtinus huius Catalogi teſtimoniorum veteris Eccleſię ante Gregorium florentis meritò ceu anteſignanus primum occupabit locum, quòd eius authoritas eximiè præ cæteris omnium apud Aduerſarios locum nondum amiſerit. Hic igitur quid nam de Sanctorũ in-

ad Apostolorum ætatem D. August. Sanctos inuocat anno 400.

uocatione non modò senserit, sed publicè adeò docuerit, vno loco fecerit contestatum. Suas itaque ouiculas Christianæ doctrinæ pabulo pro concione pascens, hũc in modum ad D. Laurentij inuocatiouem exhortatur Hom. 1. in eundem: Oremus igitur, inquiens, D. Laurentium fratres, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per fidei ignem gehennę incendia superari, & amore Christi diem iudicij non timeri. Et ne quid supersit scrupuli, audi quæso, quàm disertis verbis Augustinus D. Cyprianum cum Christo regnantem sibi inuocet auxiliatorẽ: Beatus Cyprianus, inquit lib. 7. cap. 1. de Baptis. contra Donatist. sereniùs iam perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatẽ. Adiuuet itaq; nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquã in caliginosa valle laborantes, vt donante Domino, quantùm possumus, bona eius imitemur.

Augustin. D. Laurentium inuocat, & D. Cyprian. vt adiuuet.

D. Ambrosius Occidentalis Ecclesiæ lumen clarissimum, suos illos Mediolanenses hortatur ad Martyrum inuocationem: Obsecrandi, ait lib. de Viduis, sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Idem in fine orationis funebris fratrem suum Satyrum inuocat: Properantem expecta, inquiens, festinantem adiuua. Rursus in fine orationis de fide Resurrect. ad eundem: Tuis intercessionibus (ait, fratrem alloquens cum Christo regnantem) mihi spero hoc posse conferri, vt citiùs desiderantem tui aduoces.

D. Ambrosi⁹ ad SS. inuocationẽ hortatur, & ipse adeò inuocat anno 380.

Hunc in modum omnis veterum Scriptorũ chorus, qui ante Gregorij ætatem effloruit, concorditer concinit: quos nemo reprehendet recitari copiosiùs, quò illud Apologiæ Augustanæ Confessionis dictum vanissimè simul & imperitissimè appareat dictum.

Diuus Theodoretus ille Cyrensis vitam D. Ephrem conclusurus: Tu diuino, inquit, assistens altari, vitæque principi, ac sacrosanctæ vnà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrûm recordare, nobísque veniam impetra peccatorum.

Theodoretus anno 428.

Eadem ætate & apud Germanos D. Vigilius Triden-

D. Vigilius

Tridentinus anno 480. tinus Episcopus: Nunc me immeritum (ait in vita D. Sisinnij & aliorum ad Simplicia) vtroque consortem paterno amore consolare, & cum eisdem Sanctis apud ipsos exorator accede, quatenùs possim die illa fimbriam aut Sacerdotum aut Martyrum iam omnibus sepositis peccatis attingere.

D. Paulinus Nolanus anno 400. Quid Paulinum illum Nolanum singulare pietatis in pauperes exemplar, ac verè Euãgelicum hîc commemorem? quem qui legere non grauatur, dubitare non potest, quin eius ætate, hoc est, anno Domini 400. omnis Italia, imò totus Occidens hac Sanctorum inuocationis opinione fuerit non tantùm imbuta, sed plenissima. Non possum tamen omittere, quin vnum ex plurimis depromam locum, quò, pius Lector, ad veritatem persuadeatur pleniùs, nostram doctrinam de Sanctorum meritis & precibus non esse nouitiam, sed apud vetustissimos quosque luculenter extare. Ait igitur 3. natali in D. Felicem Paulinus,

Quem bonitate pium, sed maiestate tremendum
Exora, vt precibus plenis, meritisque redonet
Debita nostra tuis. Cùm tu quoque, magna piorum
Portio, regnantem Fœlix comitaueris agnum.

S. Laurentiũ inuocat Africa an. 390. Iam per Africam simili prorsus fide, Sanctos fuisse ad auxilium inuocatos, quî dubites, qui Augustinum audis verbis adeò disertis iamiam commemoratis, D. Laurentium in concione publica docentem inuocandum? Oremus igitur fratres D. Laurentium: quî, &c. Si de populi, quem docuit, more publico ambigis, cui nõ persuadent illa, quæ Augustinus de Ciuit. Dei, libr. 22. cap. 8. narrat D. Laurentij miracula? sanè vnus Diui Ambrosij germanus frater Satyrus, publici magistratus causa ibi agens, suo vnius demonstret exemplo, quid nam tota Africa ad Laurẽtij excurrens reliquias, egerit: Tuis votis (ait Ambrosius in oratione funebri) apud D. Laurentium Martyrem impetratum esse nũc cognoscimus commeatum: atque vtinam non solùm commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses.

Ad SS. Reliquias confluunt Christiani intercessionis causa.

D. Hieron. Paulam Ro. Quid? quod Diuus Hieronymus suam illam Paulam Rom. in Epitaphio inuocat: Vale ô Paula, & cultoris tui senectu-

ſenectutem vltimam orationibus iuua. Fides & opera te Chriſto ſociant. Præſens faciliùs impetrabis quod poſtulas.

inuocat, anno 380.

Idem in ſuo Hilarione narrat Conſtantiam matronam in Cypro ad illius ſepulchrum peruigiles duxiſſe noctes, & quaſi cum præſente ad adiuuandas ſuas orationes ſermocinari ſolitam.

D. Hilarion inuocatur, anno 360.

Hunc inuocationis moré, per vniuerſam ea ætate obtinuiſſe Græciam, nũc illuſtrioribus aliquot clariſſimorum Scriptorum teſtimoniis eſt confirmandum. Diuus Gregorius Nyſſenus in vita Theodori: Quanquàm vitam, ait, hanc tranſcendiſti, humanas tamen moleſtias & neceſſitates non ignoras: Impetra nobis pacem, & quę ſeq. Et paulò antè: Tu legationis munere fungere apud communem Regem pro patria tua. Sic & Prudentius D. Laurentium: Audi benignus ſupplicem, Chriſti reum Prudentium, Et ſeruientem corpori Ablue vinclis ſeculi. Sic & alios aliis in hymnis.

Gregorius Nyſſenus D. Theodorũ inuocat 370.

Prudentius D. Laurentium anno 360.

D. Gregorius ille Theologus, eadem qua nos fide, D. Baſilium ſuum inuocat auxiliatorem: Carnis ſtimulum, inquiens, in Baſilium monodia, nobis diuinitùs datum Magiſtrũ: ἢ στήσαις ταῖς σεαυτοῦ πρεσβείαις, ἢ πείσαις καρτερῶς φέρειν: Id eſt, Aut tuis ipſius ſiſtas interceſſionibus, aut animum, vt toleráter ferat, inducito.

Nazianzenus Baſilium inuocat anno 370.

Sic & D. Ephrẽ Baſilij diſcipulus: Precamur beatiſſimi Martyres, ait Hom. in Mart. à Camaldul. verſa, vt pro nobis miſeris & peccatoribus & negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, & quæ ſeq. & infrà: Me miſerum veſtris iuuate precibus, vt in illa iudicij hora miſericordiam cõſequar, &c. Et iterum: Pro me igitur miſero ante thronum maieſtatis adſiſtite, vt veſtris precibus ſaluari merear.

D. Ephrem Sanctos inuocat, anno 360.

In virginis verò matris encomio idem, poſteaquàm variis eam virtutum gemmis decoratã & præconiis prędicatam, dixiſſet eam ſpem deſperantium, peccantiũ adiutricem, mundi ſolatium, orphanorum ſuſceptionem, ægrotantium exultationem, omnium denique ſalutem, » adiecit, crebris lachrymis te ô celeberrima mater imploro, & aduoluor tibi Domina mea: & quæ ſequuntur. »

Diuæ virginis encomium.

Basilij ætate fuisse Sãctos publicè inuocatos anno 350.

Quid autem Magnus Basilius ipse de hac Sanctorum inuocatione senserit, simul & docuerit, operæpretium existimo fuerit animaduertisse. Locum igitur vnum ex Homil. in 40. Martyres scriptâ huc adferemus, quo luce ipsa meridiana efficiatur clariùs, non modò illius ætate Sanctos variis de causis cùm animæ, tum corporis ac valetudinis, fuisse publico Christianorum more inuocatos: sed suo etiam calculo istud comprobasse, adeóq; ad Sanctorum inuocationem fuisse exhortatum: πόσα ἂν ἔκαμες ἵνα ἕνα που εὕρῃς ὑπὲρ σου δυσωποῦντα τὸν κύριον; τεσσαράκοντά εἰσιν ἤδη σύμφωνον ἀναπέμποντες προσευχήν. ὅπου δύο ἢ τρεῖς εἰσι συνηγμένοι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, ἐκεῖ ἐστιν ἐν μέσῳ αὐτῶν· ὅπου δὲ μ΄ τίς ἀμφιβάλλει θεοῦ παρουσίαν; Quantum tibi laborandum, inquit, vt vnum quempiã inuenias, qui pro te Dominũ deprecetur? Quadraginta iam sunt, qui consonantem fundũt orationem. Vbi duo aut tres in nomine Domini cõueniunt, illic inter ipsos adest medius. Vbi quadraginta igitur, quis de præsentia Dei ambigat?

Chrysostom. Sanctos docet inuocandos an. 366.

Ioannes Constantinopolitanus ab aureo orationis flumine dictus Chrysost. eandem vt cum illis Theologis professus est fidem, ita hanc de Sanctorum inuocatione doctrinam aureis suis cõdecorauit verbis. Itaq; Hom. 1. in epist. ad Philipp. hunc in modum docuit Sanctos esse inuocandos: His, inquiens, cognitis, nec Sanctorum preces cõtemnamus, neque totum in illas proiiciamus. Hoc quidem, ne temerè insidiis exponamur: illud verò ne extra nullum lucrum & profectum excidamus, sed oremus, vt pro nobis precentur, manúmque porrigant.

Nectarius Constantinopolitanus S. Theodorum inuocat anno 350.

Sic in eadem Ecclesia docuit antè Nectarius ille Cõstantinopolitanus. Nam Theodorum martyrem laudãs, hisce verbis alloquitur: ὦ μαρτύρων ἄγλαισμα, καὶ ἁγίων ὡραϊσμός, ὦ θεοῦ δῶρον, ὡς ἀληθῶς. ὦ φύλαξ καὶ πρόμαχε πιστῶν ἀρραγέστατε μὴ ἐπιλάθῃ πτωχίας καὶ ταπεινώσεως, ἀλλ' εἰς ἀεὶ ὑπὲρ ὑμῶν πρεσβεύων μὴ ἀποκάμοις πανθαύμαστε.

Et poſt pauca: ὡς οὖν ἐγχιστῳ ζῶν, καὶ αὐτῷ πλησιέστερον παριστάμενος ἵλεω τοῦτον ταῖς λιταῖς τοῖς δούλοις σου ποίησον, ὡς ἂν διὰ σοῦ τῶν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγέντες ἀναρρῶν καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἀγαθῶν ἀπολαύωμεν. Quod Latinè eſt: O Martyrum ſplendor ac Sanctorum decus, ô verum Theodorum ac Dei donũ, ô inuictiſſime Chriſtiani populi cuſtos & propugnator, ne noſtræ obſecro obliuiſcaris inopię ac humilitatis ſiue afflictionis noſtræ: nec vnquàm ô admirãde pro nobis fatigeris intercedẽdo. Et iterùm poſt quædam: Cùm itaq; apud Chriſtũ viuas, illíq; proximus aſſiſtas, tuis eũ precibus reddas ſeruis tuis propitiũ, quò hiſce diris malis per te liberati, bonis iſtis cœleſtibus tandem perfruamur.

Adhæc ne quid ſuperſit ſcrupuli, quin totus Oriens ante annos 1300. hanc Catholicam de Sanctorum inuocatione doctrinam non modò tenuerit, ſed predicarit adeò, agè illum alterum Eccleſiarum poſt Apoſtolos magiſtrum, aiebat Hieronymus, audiamus Originem illum Adamantium, qui perſpicuis admodùm verbis, quid hac de re ſenſerit, facit libris editis conteſtatiſſimum. Sub finem igitur ſecundi libri, in D. Iob ſcripti, hunc in modum eundem inuocare nihil addubitauit: O beate Iob, inquiens, ora pro nobis miſeris. Rurſus, ſi vno tanti viri non mouearis teſtimonio, alterum accipe: Incipiam me, ait in Lamento, genibus proſternere, & deprecari vniuerſos Sanctos, vt mihi non audenti petere propter nimietatem, ſuccurrant: O Sancti Dei, vos lachrymis & fletu dolore pleno rogo, vt procidatis miſericordiis eius pro me miſero.

Origenes Sanctos inuocat anno 230.

Verùm nolo multus eſſe in pluribus vetuſtiſſimorum Scriptorum teſtimoniis recitandis, quòd quibus hæc modò commemorata, non ad veritatem perſuadeant, Patres ante Gregorium Romanum anno Domini 600. clariſſimis iuxtà ac diſertiſſimis verbis non inuocationís Sanctorum meminiſſe tantùm, ſed inuocaſſe etiam, nulla ſanè perſuadeant vnquàm.

D. Cypriani ætate fuiſſe Sanctos inuocatos ſub annum Domini 160.

Vnum tamen ſupereſt exemplum, quod primæ illius apoſtolicę ſucceſſionis tẽpore (ſic enim Priſci appellabãt

secundum Christi nati seculum, in quo Apostolorum floruerunt Discipuli, Eusebio teste, 2. lib. cap. 23.) Solis luce demonstret clariùs, Sanctorum inuocationem ante annos circiter 1400. fuisse Christiano populo tum cognitum, tum vsitatum etiam.

Ex Gregorio Nazi͂azeno Sanctos ante annos plus minus 1400 fuisse inuocatos.


Panagyricam orationem ille prima Oratorum gloria, Nazianzenus Diuo Cypriano scripturus, protestatur, se illius vitam ac primam ad Christum Iesum ex Paganismo conuersionem, ex libro, quem ipse Cyprianus de sua, inquit, ediderat vita, descripturum ac deprompturum. Quanquàm Theologi huius verè Theologi fides tanta est apud omnes liberaliter educatos & institutos, vt de rerum, quas pro concione non modò in Angelorum præsentia narrare audebat, sed etiam literis mandatas, orbi toti in Christi iudicis conspectu exhibere legendas, veritate nullus sit relictus ambigẽdi locus. Audi ergo, Christiane lector, Euangelicæ de inuocandis Sanctis doctrinæ citra partium studium cupide, quíd nam ante annos plùs minùs 1400, in more publico Catholica habuerit Ecclesia.

D. virginem Mariã virgũcula Christiana Cypriani philtris ac pharmaceutris tẽtata inuocatam 160.

Erat quum Cyprianus ille, nondum nomine Christo Iesu dato, sed auitis cæci Paganismi adhuc mersus hærebat tenebris, virgini cuidam ex Christianorum choro formosissimæ insanas moliretur potiundi insidias. Eius itaque amoribus discruciatus, cùm spem honestè consequendi, quod venabatur, videret nullam, alia rem aggreditur via. Illam, quam deperibat infelix, magicis artibus (quarum cognitione, vti & Philosophiæ omnis peritia insigniter præstabat) & pharmaceutricis philtris, adeóque dæmone quodam conciliatore ac internuntio tentat, via planè execrabili, ac scelere nefario. Quæ simulátque malum persentiscere, ac insidias suæ structas pudicitiæ deprehendere, πάντων ἀπογνοῦσα τῶν ἄλλων, ait Nazianz. Orat. in D. Cyprian. ex eius lib. ἐπὶ τὸν θεὸν καταφεύγει. καὶ προστάτην ποιεῖται κατὰ τοῦ μισητοῦ πόθου τὸν ἑαυτῆς νυμφίον. & post paucula: καὶ παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ. τὸ τῆς νηστείας καὶ χαμευνίας

προβάλλεται φάρμακον, quod est: Omnibus in vni- »
uersum aliis diffisa præsidiis, ad Deum cõfugit, & aduer- »
sus execrandum amorem sibi propugnatorem cõstituit »
suum sponsum, virginémq; Mariam (addit paucis inter- »
textís) suppliciter deprecata, vt laboranti ac grauissimo »
in periculo constitutæ virgini virgo ferret opem, ieiunij »
& chameunias siue humicubationis pharmacum illius »
Cypriani carminibus obiecit. Quod exemplum virginis Christianę in disciplina Domini haud dubium rectè institutæ, sicuti Sanctorum inuocationem luce meridiana clariùs præ se fert, imò illustrat Cypriani ætate fuisse Christianis hominibus vsitatissimam: ita & eiusdem inuocationis antiquitatẽ planè arguit: quòd nimirùm ante annos circiter mille quadringentos fuerit in familiarem Christiani populi vsum recepta. Siquidem hâc Comœdiam (quæ Cyprianum Christo adduxit, ait Nazianzenus, imò ipse Cyprianus in sua vita) illi virgunculæ castissimæ Cyprianus, nondum noster, fœdis adolescentiæ ignibus æstuans exhibuit: quod tempus in annum Domini circiter 160. incidisse argumento fuerit accuratior historiarum veterum calculatio.

Caput XXVII.



Ed anteâ maximum in primis mihi facturus videor operæpretium, si hanc Sãctorum inuocationem tot luculentissimis testium vt vetustissimorum, ita locupletissimorum testimoniis ante Gregorij Romani seculum contestatam atque corroboratam, ad ipsam Apostolorum ętatẽ, quibus cœpi gradibus, subuehere atque adducere perrexero, quàm Apologiam Augustanam vanitatis modò demonstratæ aggrediar pleniùs conuincere. Iactent illi igitur apud imperitam iuxtà ac miseram suam plebeculam, veteres Scriptores non meminisse inuocationis Sãctorum: quod si adhuc ignorant esse vanitatis plenissimum, sunt sanè ipsi quidem imperitissimi. Sin cognorunt, bis sunt impiè sacrilegi, bis sacrilegè impij: quòd illiberalibus adeò mendaciis lectissimum Christi gregem fallunt, at-

Inuocationẽ Sanctorũ ad Apostolorum & ætatẽ & doctrinam pertinere.

que à verò seducunt Euangelio: tum quòd se ipsi inexpiabili contaminant scelere ac sacrilegio. Quisquis autem superiora cum animi legerit ac relegerit iudicio peruicacia non excæcato, Solis luce opinor perspiciet clariùs, non ante Gregorij ætatem tantùm, qui sub annum Domini 600. Catholicæ præfuit Ecclesiæ, sed etiam dum ERA. scribebatur 500. & 450. 300. imò 200. adeóque 150. Cypriani adolescentis ætate: quæ in Apostolorum discipulos incurrebat Irenæum, Polycarpum, Iustinum atque Pantenum, & alia illa florentis Ecclesiæ Christianæ columina.

Eruitur Sanctorum inuocationis antiquitas Apostolica.

Quod vbi mecum pensiculatiùs voluo ac reuoluo, sæpè animo meo subit, num vllis argumentis ad veritatem propensis hanc Sanctorum inuocationem doctrinæ liquidò Apostolicæ posset quis referre acceptam, verámque illius seminarij Apostolici esse propaginem demonstrare, adque illud doctrinæ mysticæ pertinere depositum? Quod me effecturum diffiderem nihil, si optata librorum aliquot desideratorum mihi contingeret copia, quos apud quosdam cum blattis & tineis digladiari accepimus. Agedùm experiamur tamen cælesti freti auxilio, quòd veritatem Catholicam inuestigantibus vndique micantes affundit veritatis scintillas, ad illud doctrinæ Apostolicæ, etiamnum per omnem Christianum orbem obtinentis seminarium forti animo contendamus, si hinc fortè manifestioris nonnihil effulgeat lucis. Sicuti enim Sanctorum inuocationem iam annos circiter centum altiùs proueximus, quàm aliquando magnorum virorum censuris credentes existimauimus: ita alteros totos centum annos nos posse conscendere altiùs confidimus: Hoc est, ad annum vsque Christi quinquagesimum, quod vbi demonstrauerimus æquo rerum arbitro æstimandum relinquemus, num hæc de Sanctorum inuocatione doctrina meritò Apostolos habuisse authores sit censenda, necne? Quò igitur res quæ modò in manibus est, sanè perobscura plurimùm clarissimæ capiat lucis, hoc videbatur anteà Epicheremate conclusa lectoribus exhibenda. Sanctorum festa fuere Apostolorum ætate celebrata, quare

Festi dies Sanctis ab Apostolis dicati, Sanctorũ arguunt inuocationem.

& Sanctorum inuocatio ab Apostolis fuit tradita. Antecedens illud non longa eget ostensione, quòd aduersarij non inficiabuntur, festa Sanctorum fuisse ab Apostolis instituta, quia ad imitationem atque martirij exhortationem fuisse instituta contendent, quod de aliis festis affirmant. Ne illorum tamen consensu nimis cuipiam videamur nixi, erit hoc paucis ex Origene Adamantio de SS Innocentium festo demonstrandum.

Quòd festis Sanctorum diebus sancti ad auxilium fuerint Apostolorum ætate inuocati.

Iam de argumentationis nexu atque consequentia est dispiciendum, quæ hunc in modum, quod quidem arbitror, rata queat demonstrari. Prisca Christi Ecclesia clariss. Apostolorum discipulis illustrata, Martyrúmque, qui illorum discipulos audierant, auditoribus florens festa Sanctorum cum eorundem inuocatione celebrauit. Efficitur hinc, quòd non nisi ab Apostolis Sanctorum inuocatio sit exorta. Huius Epicherematis antecedens ex D. August. Basil. Nazian. Nectario, Paulino, Petro Chrysologo, Origene denique ac Concilij Sardic. Canone confirmabitur: quo euicto, effecerimus, quod erat demonstrandum. Agè igitur audiamus Adamantium illum Alexandr. quidnam de Sanctorum Innocentium festo illa ætate anno Domini 220. Catholica Christi tenuerit, crediderítque Ecclesia.

Extant ex innumeris illis Adamantij scriptis, quæ Diuus Hieronymus epistola quadam ad Paulam cum M. Varronis operibus conferre non dubitauit, fragmẽtum Hom. in D. Matthæi Euangelium, quod haud sanè obscura, quantum mihi quidem videre videor, suppeditet vestigia, quæ antiquitatis Christianæ Lectorem studiosum in antiquiorem præsentis de Sanctorum inuocatione dogmatis prouehat origenem. Eius autem verba ita habent: Benè & secundum voluntatem Dei, ait Homilia in illud Matthæi, Vox in Rama: Innocentium » memoriam Sancti Patres celebrari mandarunt sempi- » ternam in Ecclesiis, velut pro Domino morientium, ve- » lut pro Iudæis & Gentibus credituris, velut etiam pro » ipsis parẽtibus: quorum parentes pro nimio dolore per- » cutiebantur, vt eis intercessio filiorum apud Deum plu- » rimùm profuisset. »

Quibus ex verbis initiò Sanctorum festa ad Apostolos esse referenda, satis manifestè licet perspicere: quod suo superiùs loco licèt ostensum est fusiùs, tamẽ hîc vno verbo admonuisse non fuerit abs re: Memoriam, inquit, celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesiis, quod quídnam aliud dicas, quàm quotannis diem illis fuisse designatum anniuersarium, qui dirum illud Herodis facinus præclarámque Innocentium Martyrum non loquendo, sed moriendo Christum Iesum confitentium, victoriam hominibus Christianis in memoriam reuocaret? Quòd si quis hîc tergiuersator obstrepat, memoriam illorum esse posse sempiternam, etiamsi festum eis diem non celebrarent Christiani: non poterit sanè effugere, quin vel illorum nomina fuisse publico in conuentu aliquando recitata fateatur: quî enim aliâs mandatũ illud Patrum de celebranda illorum memoria sempiterna à piis posteris fuisset rebus ipsis impletum? Hæc autẽ res superiùs est pertractata fusiùs.

Iam si quis argutior rixari velit de illis voculis, Sancti Patres, iste suã miser prodat imperitiam turpiùs, quàm vt vlla sit oratione persequendus. Quos enim hîc alios accipias Sanctos Patres, quàm illos Ecclesiæ Christianæ authores & parentes Apostolos? qui vltra annum Christi centesimum eandem administrarunt. Vt nihil hîc dicam de hac loquendi formula, vt apud alios vetustissimos Scriptores, ita apud Origenem cùm primis vsitatissima. Sic enim αὐτονομαστικῶς visum fuit Maioribus appellare nostræ fidei ac salutis parentes verissimos illos Euangelij Christi Iesu Apostolos.

Cæterùm illud quod additur, Innocentium puerorũ festum etiam pro parentibus tristi calamitate affectis fuisse celebrandum, vt filiorum intercessio plurimùm prodesset, nòn tenuiter, quod inuestigamus, redolet.
" Nam vti Sanctorum pro nobis orationem clariùs luce
" meridiana confirmat: ita minimè surdum habet inuo-
" cationis vestigium. Nam indefessa est Sanctorum pro fratribus superstitibus apud Deum Optimum Patrem deprecatio: verùm quæ die illis sacro pro nobis eorum adeò non oblitis, vt pios optemus patronos, Deo fun-

dicitur plus aliquid patrocinij auxiliíque salutaris polliceri, imò complecti videtur. Ideo enim à Patribus hæc est in omnem posteritatem instituta festiuitas, ad illorũ memoriam immortaliter celebrandam, vt & Iudæis & Gentibus seu Ethnicis credituris, non parentibus modò ac Gentilibus suis prodesset plurimùm eorũ memoria. Innocentium igitur pro Domino Christo enecatorum commemorationem, quánam obsecro credas ratione illo celebratam seculo? an alia quàm Basilij ætate Martyrum? an dispari, quàm Augustini, Ambrosij ac Hieronymi, Diuorum Laurentij, Geruasij, & Protasij festum? hisce ergo diebus Martyrum cuipiam sacris ad Sãctorum conueniebatur Memorias, siue sacellum in Martyrum memoriam Deo Optimo cõsecratum, vbi sacris ex more operabãtur antistites, populus sacras audiebat lectiones, conciones, certaminis denique gloriosi triumphos: quibus cùm ad similes incitabãtur pro Christi fide subeundos agones, tum ad mundi huius pereuntis vitæque præterfugientis contemptum ardentissimũ instigabantur, accendebantur, inflammabantur.

Festa Martyrum olim piam habuerunt Sãctorum inuocationẽ cõiunctam, præter imitationis atque fidei exempla.

Verùm hosce pulcherrimos iuxtà ac suauissimos ex illis Synaxibus, atque ad Sanctorum sepulchra conuenientibus non solùm reportabant fructus, vt volunt aduersarij: sed emolumẽti etiam salubrioris plurimùm, quod ex ardẽtissima Diuorum precibus solicitatorum intercessione à Deo Optimo consequebantur. Quòd postremum, puta Martyrum inuocationem, si recolendis eorum pro Fide Christi depugnatis agonibus demonstraro, illa prisca Diui Augustini, Ambrosij ac Basilij ætate fuisse ex publico Christianæ Ecclesiæ more adhibitum, atque die Martyribus festo frequentatum, videbitur opinor candidatis rerum obscuriss. arbitris Sanctorum Innocentium festũ non sine ipsorum inuocatione iuxta Apostolorum voluntatem fuisse peractum atque celebratum.

Quo pietatis fructu olim festa Martyrum colebãtur.

Porrò illa florentis Ecclesiæ Christianæ ætate adhiberi ex more solitam Diuorum hanc inuocationem, quando ad illorum celebrandam memoriam populus concurrebat Christianus, ex sanctissimorum iuxtà ac

Ecclesias Occidētis nostri Sāctos inuocasse diebus festis.

doctissimorum Patrum Panagyricis & concionibus die illis festo ac loco illis sacro habitis perspicuum est cognoscere. Id primū de Occidente, mox & toto de Oriēte declaratum dabimus. Diuus Augustinus suos erudiēs Hyponenses, quónam modo diem Diuo Laurentio sacrum Christiani colerēt, præter alia, quæ ad fidei illius, ac constantiæ, tolerantiæ, & cæterarum item virtutum imitationem faciunt, hisce est verbis exhortatus: Oremus igitur fratres, inquiens Homil. 1. Diuum Laurentium, qui de fide sua, & quæ seq. superiùs recitata.

S. Laurentiū inuocat Augustinus cum Africanis Ecclesiis.

Quid autem Romę anniuersariis truculentissimi spectaculi diebus, quod Diuum Laurentium Archidiaconū lentis ignium flammis coctum absumpsit, à pio Christiano populo nulla superstitione imbuto, aut corrupto fieri consueuerit, vnus nobis Prudentius Cæsar Augustanus V. cl. nostræ religionis rituúmque veterum Scriptor luculentiss. hymno huic Martyri scripto faciat cōtestatū: qui quòd passim omnibus est in manibus, paucula huc inde adferemus. Laurentium igitur in cælesti regia depingens triumphantem ac cælestis Romæ creatum perpetuum Consulem ita canit:

Laurentium inuocat Prudentius cum Italis & Hispanis.

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia.
Quibus ROGATVS *annuis,*
Quod quisque supplex POSTVLAT
Fert impetratum prosperè.
POSCVNT, *litantur,* INDICANT,
Et tristis haud vllus redit.

Statim & ipse Poëta sua Christianæ fidei vota promens, post tetrastichon attexuit:

Hos inter ô Christi decus
AVDI, *& Poëtam rusticum*
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua,
Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat:
Sed per Patronos Martyres
Potest medelam consequi.

Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et seruientem corpori
Ablue vinclu seculi.

Idem diem D. Hypolito sacrum describens, hunc cecinit in modum:

Mira loci pietas & prompta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate iuuat.
Hic corruptelis animique & corporis æger
Oraui, quoties stratus opem merui?

Et rursus aliquot versiculis intertextis Rom. populi pietatem depingens:

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt Solis ad vsque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul & peregrinos
Permistim populos relligionis amor.

Ambrosius Sanctos inuocat cum Mediola.

Iam de Ambrosio Romę & nato & instituto quis ambigat, an Sanctos dissimili ratione docuerit colendos? qui eum ita audit docentem: Obsecrandi sunt Martyres, inquit libr. de viduis, qui &c. Rursus qui eundem audit suum germanum fratrem Satyrum clarissima oratione, pectoris verò Christiani pietate plenissima inuocantē: Tuis intercessionibus (inquit orat. fune. de fide Resur.) mihi spero hoc posse conferri, vt citiùs desiderātem tui aduoces. Rursus sub finem orat. 1. funebris: Properantem, inquit, expecta, festinantem adiuua. Hunc in modum prisca illa Ecclesia Christiana florens in Occidente, etiam aduersariorum iudicio, Sanctos Dei Martyres diebus illis sacris præter agonis fortissimi memoriam, ac gratiarum actionem, sedulúmque imitandæ Fidei & professionis studium salutarem etiam adhibebat publico ex more Sanctorum inuocationem.

Ecclesias Orientis Sāctos inuocasse diebus festis. Nectari9 Sanctos in-

Porrò per Orientem eandem fuisse colendorum festorum Martyribus dicatorum rationem, ex vno atque altero Scriptore vetustissimo faciemus Solis luce manifestius. Nectarius ille tantoperè ab aduersariis celebratus, huius rei apud istos mereatur fidem locupletissimā, quē in confessionis negotio laudibus adeò eximiis prædicare hunc non dubitant. Hic oratione die D. Theodoro

Inuocat cũ Ecclesia Constãtinopolit.

Martyri sacro habita, hũc in modũ alloquitur sanctum à Iuliano illo interemptũ: Cùm igitur apud Christũ viuas, illíq; assistas proximus, ἵλεω τοῦτον σαῖς λιταῖς τοῖς δούλοις σου ποίησον, tuis cum precibus reddas seruis tuis propicium atque placatum. An non hoc sit inuocare sanctum Dei Martyrem ἵλεω ποίησον redde placatum? tuis orationibus fac propicium? Eũdem in modum sanctos illos quadraginta Martyres Cæsarienses D. Basilius oratione in eos scripta publico ex more à Christianis hominibus fuisse inuocatos die illis anniuersario, luculentissimis demonstrat verbis, non vulgi morem duntaxat memorãs, sed sua etiam adhortatione ad morem inuocandi tuendum & conseruandum instigans.

Toto orbe sanctos fuisse festis diebus inuocatos.

Vnum ad hæc ex D. Theodoreto attexam testimonium, quod hunc Martyres inuocandi morem per omnem Christianum orbem doceat fuisse illa ætate publicum maximè, atque apud omnes Christi Ecclesias receptissimum.

Libris igitur, quos omni eruditione atque eloquentia plenissimos de curatione Affectionum Græcanicarum inscripsit, Apologiam texens honorationis Martyrum Christianorum: Qui prospera sunt valetudine (inquit lib. 8. depingens, quídnam Christiani apud sanctorum Martyrum busta diebus potissimùm festis agerent) conseruari eam sibi à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres dari sibi filios petunt, qui verò parentes sunt, integra sibi & propria custodiri, quæ consequuti sunt dona. Qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt martyres sibi esse comites in via, vel potiùs itineris duces: qui verò iam sospites redierunt, gratias agunt acceptum beneficium confitentes.

Quid prisci à Martyribus petierunt.

Hunc planè in modum ante annos haud dubiè mille & centum, nedum Gregorij Romani ætate, qui annno Domini 600. floruit, per Occidentem testibus Augustino, Prudentio, Ambrosio: hunc in modum per Septentrionem testibus, Nectario, Chrysostomo, & Vigilio nostro Tridentino: hunc denique in modum per Meri-

diem & Orientem, vnde nata est religio, testibus D.Basilio, Nazianzeno,& Theodoreto sanctorum festa colebantur, non ad commemorationem tantùm,aut ad imitationis exemplum dũtaxat:sed ad inuocationem etiam. Hac enim fide ad Martyrum busta illo seculo prisco, quod Apostolorum discipulis ac Martyrum auditoribus floruit, accurrebatur vndique, vt sanctorum intercessione precariò impetrata ipsis aut malorum adferrent remedia,aut bonorum diuinitùs largiendorum solatia.

Caput. XXVIII.



Anc Martyrum Christianorum Dei Max. benignitate per orbem celeberrimorum, ac ex Christi Domini promisso non tantùm clarissimorum gloriam homines aliquot maligni suo à magistro inuidiæ œstro diabolo perciti, eis inuidere,linguáque maledica detrahere audebant,atque insectari:quemadmodum D. Hieronymus libello aduersus Vigilantium Gallum istius belli instauratorem testatur: quorum nugas partim à Tertulliano, partim ab aliis Catholicæ doctrinæ propugnatoribus quàm strenuis fuisse explosas ibidem docet.

Hanc Martyri. gloriam Dæmones inuidebant & impij.

Verùm inter alios,Eustathius quispiam extitit audacia magis profligata, qui non sanctorum modo templa, siue vt appellabant prisci, memorias atq; martyria, conuentúsque ad Martyrum sepulchra damnare, ac delere aggrediebatur: sed ipsam quoque sanctis fusam orationem atque inuocationem semel abolere. Porrò temerariam,imò sacrilegam,istius in sanctos Martyres iniuriã, quónam pacto Catholica Christi Iesu vindicarit Ecclesia,ex Concil.Gang.nunc superest demõstrandum,quod hac in primis de causa fuit conuocatum. Ideóque ipsum & nos recitabimus libentiùs,quòd hunc colendi sanctos Martyres orando & ad auxilium inuocando ritum Apostolis adeò ipsis clarissimè referat acceptum.

Eustathius inuocationis sanctorũ hostis damnatus in Conci. Gangr. ante annos 1240

Epistola igitur Synodica ad Episcopos Armeniæ data, vbi Eustathiana pestis Manichæorum rabie partim inflammata grassabatur potissimùm, Patres causam, cur Gangras Paphlagoniæ conuenissent, exponentes, inter

Synodus Gãgr. ante Nicænam conuocata, pro-

pter SS. honores et inuocationẽ propugnandam & statuendã

alia ita scribunt: Collecta (inquiũt) in Gangris Synodus ob necessarias causas & Eustathij gesta cognoscenda, inueniens multa indecenter fieri ab his, qui eundem Eustathium sequuti sunt, necessariò statuit palàm omnibus facere & tollere, quæ ab illo malè commissa sunt. Declaratũ enim est, hos nuptias culpare, &c. & infrà: loca sanctorum Martyrum, vel Basilicas contemnere, & omnes qui illuc conueniunt, & Sacramenta conficiunt, reprehendere. Istum igitur Eustathij errorem vt de Christianorum mentibus iam illo veneno malè afflatis delerent, ita Canone 20. statuunt: Si quis (iquiunt) per superbiam tanquàm perfectum se existimans, conuentus qui per loca & Basilicas sanctorũ Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriásque sanctorum contemnẽdas, anathema sit.

Eustathij prisci hæretici errores tres damnati in Concil. Gãg.

Quibus sacri Concilij in vniuersali illa sexta Constant. in Trullo regio palatio confirmati, verbis triplicem Eustathij errorem inter alios cognoscere in promptu est, Primò, non esse conueniendum ad Martyrum templa, Secundò, Liturgias non esse ibi peragẽdas, Tertiò, templa Martyrum esse contemnenda.

Templa martyrum quo sensu docuerit contemnenda.

Quali porrò animi opinione Eustath. iste Martyrum templa voluerit contemnenda, satis ex eo liquet perspicuè, quòd ad ea noluerit Christianis esse conueniẽdum, siue vti est significantiùs in Canon. Græco βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων quod abominans Synaxes Martyrum siue publicos illos Christiani populi conuentus fastidiens, quos apud Martyrum busta faciebant, & ad loca eis dedicata ex more confluerent, reprehenderit, adeóque ceu impium damnauerit. Quòd autem inter alia, quæ ibi ex more populi Christiani gerebantur, Eustathius arroserit & sanctorum inuocationẽ, ex eo fiat conspicuum, quòd hæc Martyrum inuocatio iam tunc Niceni Concilij tempore, quo isthæc Synodus est conuocata, toto passim orbe Christiano fuerit peruagata atq; vsitata: quod ex superiore illo testimoniorum liqueat catalogo, quem dudum texuimus ad huius sanctorum inuocationis vetustatem cùm eruendam, tum

demonſtrandam.

De quo ſi quis ſibi in mentem reuocet, quod ex D. Cypriani vita à Nazianzeno ex illius ſcriptis recitata de Africanæ Eccleſiæ more diximus, vbi virguncula matrem Mariam inuocabat anno 160. Rurſus quod ex Origene Adamantio tam diſertè ſanctos inuocante de Alexandriæ, id eſt, Orientalis Eccleſiæ conſuetudine anno 220. demonſtrauimus, addubitare non poterit, quin ante Concilium Nicænum hæc ſanctorum inuocatio fuerit paſſim in vulgus non tam nota, quàm peruagata. Cæterùm ne quid apud accuratiores rerum priſcarum perſcrutatores deſit argumenti, quò clariùs & in Armenia, vbi Euſtathius ſanctos oppugnabat, demonſtretur ſanctos fuiſſe inuocatos, agè ex D. Baſilio Cappadocum gloria hoc doceatur: vt ſemel conſtet probatum, & ab Euſtathio hanc ſanctorum inuocationem fuiſſe exagitatam, & Concilij Nicæni temporibus ad Martyres auxilij cauſa inuocandos fuiſſe concurſitatum. *Ante Concilium Nicænum fuiſſe ſanctos publico Eccleſiarũ more inuocatos.*

D. igitur Baſilius quadraginta illos Martyres, qui ſub Licinio Imperatore apud Sebaſten, quæ Armeniæ ſecundæ Pētapolis eſt, vt ait Euſtathius 1 Theſſal. in Dionyſium, quæ Epiphanio 2 eſt Pontus, in Aërio, glorioſiſſimum pro Religione Chriſtiana pugnarunt agonem, ſuo celebraturus panagyrico, hiſce verbis publicum Armeniæ minoris ſiue Ponti, depinxit admodùm luculenter morem ad Martyres hoſce concurrendi: πόσα ἂν ἔκαμες, inquit, ἵνα ἕνα που εὕρῃς ὑπὲρ σοῦ δυσωποῦντα τὸν κύριον; Τεσσαράκοντά εἰσιν ἤδη σύμφωνον ἀναπέμποντες προσευχήν. ὅπου δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἐκεῖ ἐστιν ἐν μέσῳ αὐτῶν. ὅπου δὲ ·μ΄· τίς ἀμφιβάλλει θεοῦ παρουσίαν; ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ᾽ αὐτοὺς ἀποτρέχει ὁ μὲν ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν, ὁ δὲ ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. ἐνταῦθα

1 Vide Euſtathium in Diony. de ſitu orbis.

2 Epiphaniũ contra hæreſ.

γυνὴ εὐσεβὴς ὑπὲρ τέκνον εὐχομένη καταλαμβάνεται, ἀποδημοῦντι ἀνδρὶ τὸν ἐπάνοδον αἰτουμένη, ἀῤῥωστοῦντι τὴν σωτηρίαν. Quod eſt: Quantum tibi laboris eſſet ſumendum, vt vnum quempiam alicubi inuenias, qui pro te Deum deprecetur? Quadraginta ſunt iam, qui conſonantem fundunt orationem. Vbi duo aut tres in nomine Domini conueniunt, illic inter ipſos adeſt medius. Vbi igitur quadraginta, quis de præſentia Dei ambigat? Qui aduerſis rebus conflictatur, ad quadraginta iſtos refugit: qui ſecundis lætus gaudet, ad eoſdem accurrit: Ille quidē vt aduerſis liberetur, hic verò vt res florentes ipſi conſeruentur. Hîc videre eſt matronam piam, quæ & pro filiorum ſalute deprecetur, & marito peregrè profecto reditum petat incolumem, & ægroto ſanitatem.

Epiſt. 88. inter Baſilianas. Quæ aurea D. Baſilij, quem iure τὸ τῆς πίστεως ἔρισμα fidei columnam dixit Nazianzenus, verba, præterquàm quòd clariſſimè docent ſua ętate ſanctos hoſce 40. Martyres certatim fuiſſe ad auxilium inuocatos, illud etiam non obſcurè loquuntur, haud nouum fuiſſe hominum illius ætatis inuentum, Martyres ad opitulationem implorare: ſed publico de more Chriſtianæ Eccleſiæ eſſe vſitatiſſimum: πόσα ἂν ἔκαμες ἵνα ἕνα τινὰ εὕρῃς, Quantum laboris, ait, inſumas, vt vnum alicubi inuenias, qui pro te Dominum deprecetur? Vt vnum alicubi, inquit, inuenias. An non hîc, Lector Chriſtiane, vetuſtiſſimam illam peregrinandi ad ſanctorum buſta audias conſuetudinem?

Illud verò: Qui rebus aduerſis conflictatur, ad iſtos accurrit, an non veterem ſignificet concurrendi ad iſtos 40. conſuetudinem?

Poſtremò illæ voces, τὸ εὐχομένη, & τὸ αἰτουμένη matrona, inquit, pro filiis orat, & marito ſaluum petit reditum, an non diſertiſſimè ſanctorum Martyrum pro ferendo auxilio ſonant inuocationem?

Cùm igitur hi quadraginta Martyres ante Concilium Nicænum ſub Licinio Imperatore trucidati, per Armeniam, vbi graſſabantur Martyrum hoſtis Euſtathius, fuerint

fuerint tanto Christiani populi concursu frequentati, & inuocatione ad omne auxilij genus disertè inuocati, effectum opinor, quod fuit demonstrandum, præter Synaxes ad Martyrum templa ab Eustathio illo improbatas, & ipsam Martyrum inuocationem, quæ vel maximè videbatur priscis illis hæreticis, sicuti & nostræ tempestatis, in Dei Optimi Maximi gloriam iniuria, fuisse & oppugnatam, & quantum ei licuit apud Eustathianos damnatam atque deletam.

Eam igitur sanctissimi Patres in Concilio Gangr. imò Catholica veriùs Ecclesia (quippe quæ hosce Can. 6. vniuersali Synodo in Trullo approbauit) credidit vindicandam ab ista Eustathij temeraria prophanatione, omnia illa probantes, quæ per illud tempus in Martyrũ templis more publico à Christianis agerentur, & conuentus laudandi Dei causa, & Liturgias siue sacrificia, quæ illic de more vni Deo in Martyrum gloriam offerebantur, & ipsam deniq; sanctorum Martyrum ad auxilium ferendum inuocationem. Sed quánam ratione moti sanctissimi illius Synodi Patres, hosce populi Christiani mores ab illa Eustathij reprehensione & damnatióne vindicarint, operæpretiũ est animaduertere. Hinc enim liquebit illud, ad quod demonstrandum copiosiùs de his disseruimus, inuocationem sanctorum Apostolicam redolere traditionem, ætatémque resipere Apostolicam. Synodum igitur sancti Patres claudentes, ac redditis Canonum atque constitutionum causis quasi cõsignantes, inter alia hũc in modum scribunt: Hæc autem, inquiũt, „ scripsimus (vobis Armeniæ Episcopis) non abscindentes „ eos, qui in Ecclesia Dei propositum continentiæ eligũt, „ siue vti est Græcè, ἀσκῆσαι βουλομένους, qui Asceti- „ cam siue Monasticam vitam viuere volunt. Rursus post pauca: Et domos Dei honoramus (de Martyriis loquuntur, quę deleta voluit Eustathius & neglecta) & cõuentus, qui in eis fiunt tanquàm sanctos & vtiles suscipimus, pietatem in priuatis domibus non includentes, „ sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honora- „ mus, & congregationem in eadem Ecclesia factam pro „ vtilitate communi, recipimus, & bona opera quæ supra

Sanctorum inuocationẽ & cultũ Patres Cõ. Gã. tuentur Apostolica Traditione.

Tẽpla PP. domibus priuatis præferunt.

vires in fratres pauperes exercentur secundum Ecclesiasticas Traditiones μακαρίζομεν beata prædicamus. καὶ πάντα συνελθόντας εἰπεῖν τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν παραδόσεων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα: Et vniuersa, vt in summa dicamus, quæ nobis siue per scripturas diuinas, siue per Traditiones Apostolicas sunt tradita, in Ecclesiis fieri optamus. Clarissimis hisce verbis Patres illi sanctissimi iuxtà ac eruditissimi omnia illa ac vniuersa constituerunt in Ecclesiis & seruanda & peragenda, quæ impius ille Eustathius aut temerarat aut violarat: inter quę & Sanctorum inuocationem fuisse liquet ex iis, quę iam dudum demonstrauimus. Cùm enim Martyres huius Synodi Gangren. tempore fuerint inuocati, imò ante annos centum, ac propè ducentos, vt ex Origene & Cypriano est comprobatum, quale est, quod Eustathius Martyrum voluisset negligenda templa, ibíque non esse Liturgias peragendas, siue offerenda Deo sacrificia, & vsitatissimam populo Sanctorum inuocationem æquo tulisset animo: cùm hæc multò grauius de Max. Dei honoribus detrahere videatur, si quid aliud, quàm vllum aliorum aliquid, quæ ore sacrilego audebat damnare impius?

Cùm igitur Patres illi Gangrenses & publicos illos Christianorũ ad martyria siue Martyrum memorias atq; busta conuentus, & Liturgias ibi peractas, piámq; Diuorum inuocationem ab Eustathij hæretici calumniis & temerario sacrilegio vindicarint, se omnia, inquientes, velle in Ecclesiis fieri atque peragi, quæcunque tradita essent vel per Scripturas, vel per Traditiones Apostolicas, manifestum est ea omnia, cùm in scripturis nihil inueniatur de Liturgiis in templo Martyrum celebrandis, conuentibúsque illis peragendis, ex Traditione Apostolica Ecclesiis priscis fuisse tradita. Efficitur itaq; & Sanctorum inuocationem, quę illis ad Martyrum memorias atq; sepulchra conuentibus admiscebatur, imò non extrema erat actio, eadem ex Apostolica doctrina fuisse exortã, quã Patres isti ex traditionis Ap. authoritate nihil

addubitant aduersus Eustathij sacrilegium corroborare.

Post bellum istud Martyribus ab Eustathio excitatum sedulo SS. Patrum studio consopitum atq; profligatum, nouus hostis non Martyrum modò, sed ipsius adeò Christi Iesu totiúsque religionis veræ nouum instaurat bellum Iulianus Augustus, meritò Apostata dictus, libris illis tribus aduersus Euangelia & Christianismum scriptis: quos doctissimè iuxtà ac solidissimè D. Cyrillus refutauit.

Iulianus apostata sanctos oppugnat.

Vide D. Cyrillũ li. 6. ad Iulianum.

Sanctos igitur Martyres Iulianus vnà cum Christo adeóque Deo vero semel abominatus non modò appellabat mortuos, ad antiquum illum, inquit, mortuum (Iesum Iudæum) multos recèns mortuos addentes: sed illorum quoque imagines cultúmq; criminabatur esse idololatriam, quod quò viuidiùs intelligatur, quàm isti Euãgelici eodem agantur, quo Iulianus Apostata, spiritu, nonnihil depingemus luculentiùs. Imagines Sanctorum Iulianum esse calumniatum, vnus Diui Basilij locus ex epistola contra Iulianum dudum commemoratus declarat manifestissimè. Porrò Sanctorum cultum tunc temporis à Christiana Ecclesia Martyribus exhibitum fuisse illum quoque execratum, ipsius Iuliani verbis nunc veniat confirmandum, vt ex eius defensione liqueat, num Sanctorum cultus atque inuocatio Apostolos habeat authores.

Sanctos appellat mortuos, vti hodie Euangelici illũ imitati Apostatã

Vide supra. cap. 23.

Cùm Iulianus illam gigantomachiam conaretur instaurare, vt θεομαχεῖς Deóque congressus Deum verum, quem Christiani post Iudæos colimus, cælo exturbaret, suo Ioue in sedes Patri ereptas restituto (putabat enim demens sibi cæli quoque sceptra, sicuti terræ, contigisse, vt cui optasset, traderet: cui inuidisset, eriperet) Christianos de reiecta idololatria criminatus: Vnum Deum, inquit, pro multis Diis coluissetis, non hominem (Iesum Iudæum mortuum) imò non multos homines miseros, vsos lege dura quadam, &c. Sed hoc quidem malum, (Iesum esse Deum) accepit à Iohanne (Euangelista) principium. Quæ autem vos deinde adinueneritis, addentes ad illum antiquum mortuum (Iesum Iudæum) multos recèns mortuos quis pro dignitate

Iuliani Apostatæ criminatio in christianos, quòd Iesum Iudæũ mortuum & mortuos alios multos colãt: quodque ad mortuorũ sepulchra aduoluti Deum inuocarent.

abominaretur? Omnia monumenta impleſtis: quanquàm vobis nunquàm dictum ſit: Aduolui ſepulchris, & ea amplecti debere. In hanc autem veniſtis maliciam, vt ſuper hac re neque verba Ieſu Nazareni audienda eſſe putetis: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, & cætera. Si igitur immunditiâ Ieſus eſſe dicit plena ſepulchra, quo modo vos apud illa inuocatis Deum? Adiicit autem illis, quòd & diſcipulo quodam dicente, Domine permitte mihi, vt primùm abeam, & ſepeliam patrem meum: ipſe autem dixerit: Sequere me, & ſine mortuos, ſepelire mortuos ſuos. His igitur ſic ſe habentibùs, quare aduoluimini ſepulchris? Impia iſthæc Iuliani verba copioſiùs recitauimus, quò liqueat, quid eum in pio ſanctorum apud Chriſtianos, quorum caſtra deſeruerat Apoſtata, cultu habuerit malè, quod impius reprehendendum, inſectandum, abominandum crediderit. Qui recitata illius verba mente aſſequitur, videt liquidiſſimè illos criminationum aceruos in duo potiſſimùm refluere capita, Chriſtum & Sanctos illum pro Diis coli apud Chriſtianos exiſtimaſſe: Quódque apud ſanctorum ſepulchra, quibus aduoluebantur, amplecterentur, addo exoſcularentur, Deum inuocarent.

Prius illud calumniæ Iuliani caput reſponſionem meretur nullam, quòd ſua vanitate vltrò in ventos abierit, niſi quòd fumos quoſdam Euangelicis excitat. Alterum verò, quia nunc ab Euangelicis renouatur in Germania, ſicuti olim à Vigilantio in Gallia, maiorem deſiderat operam, ſed huic loco non ſatis opportunam. Inferiùs enim refutabitur aptiùs Cap. 37. Proindè quò res, quæ in præſentiarum agitur, demonſtretur liquidiùs, putà Sanctorum inuocationem Apoſtolos habere authores, animaduertendum perdiligenter, ecquid iſtis Iuliani calumniis Patres noſtri Orthodoxi reſponderint. Diuus Cyrillus abundè ſatisfactum arbitratus: Sanctos, inquit, Martyres, neque Deos facimus, neque adorare (vt Deos) conſueuimus. Laudamus eos potiùs ſummis honoribus. Rurſus: Proinde non eſt indignum, imò etiam neceſſarium, eos qui claris operibus glorioſi ſunt, perpe-

Vide Diuũ Cyrillũ li. 6. cõtra Iulia.

tuis honorari laudibus. Et quoniam optimus iſte Sanctos (inquit paulò pòſt) non ſinit abſque reprehenſione venerari, &c. nos autem non Deos factos eſſe Sanctos Martyres diximus, ſed omni honore dignari conſueuimus. Quibus verbis Diuus Cyrillus ſuam & Christianorum omnium vti expoſuit, ita defendit fidem, ſatis illius calumniis reſponſum arbitratus, ſi animum, quo ſanctos Chriſtiani venerantur & colunt, omníq; dignantur honore, expoſuiſſet. Verùm Diuus Baſilius iſtam Martyribus & Sanctis ad vnum omnibus inflictam ab Auguſto iniuriam funditùs propulſaturus, originem huius Sanctorum venerationis, quam Iulianus totam inſectabatur, Chriſtianis familiarem demonſtrat Apoſtolicam: Suſcipio & ſanctos Apoſtolos (inquit epiſtola ad Iulianum, cuius nobiliſſimum fragmentum Actis Concilij Nicæni 2. extat) Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deũ ſupplicant, quò per illorum mediationem propicius ſit Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palàm adoro. Hoc enim nobis traditum à ſanctis Apoſtolis non eſt prohibendum.

Quo ſenſu ſanctos colãt Chriſtiani.

Quæ aurea D. Baſilij verba etſi diſertè Sanctorum imagines euincant Apoſtolicas, quiſquis tamen animaduerterit & Iuliani verba ex D. Cyrillo commemorata, quibus Chriſtianorum venerationem, Sanctis tunc temporis exhibitam idololatriæ cùm accuſabat, tum damnabat adeò, agnoſcet perſpicuè, hunc D. Baſilij locum & Sanctorum inuocationis eandem originem continere, quam dicit eſſe eorundem imaginum, hoc eſt, Apoſtolicam. Chriſtianos enim Sanctos ad auxilium atq; interceſſionem inuocaſſe, Deúmq; apud eorũ ſepulchra adoraſſe Iuliani ætate, non modò ex eius liqueat æqualibus & ſynchronis Nectario, Chryſoſtomo, Baſilio, Nazianzeno, Nyſſeno, Prudentio, Ambroſio, Ephrem, Hieronymo, Paulino, Vigilio, aliiſq; dudum commemoratis, ſed ipſiſſimis etiam iſtius Apoſtatæ verbis: Si immundicia Ieſus eſſe dicit plena ſepulchra, quomodò vos apud ea inuocatis Deum? Rurſus: Nuſquàm vobis dictũ eſt, Aduolui ſepulchris, & ea amplecti debere. Iam quo ritu ma-

iores nostri apud sepulchra Martyrum inuocarint Deũ, an alio quàm nos? Rursus: Quorum Martyrũ sepulchris aduoluerentur, & amplexantes exoscularentur, an non eodẽ quo nos hodie & cõsilio & auxilij spe, ex iis quę du dum ex Patribus attulimus notius fiat, quàm quod sit re memorãdũ. Audite igitur Euãgelici, cuiúsnã sit antiqui tatis simul authoritatis Sanctorum inuocatio: Suscipio " & SS. Apostolos (inquit Basil. contra Iul. SS. hostem) " Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deũ supplicãt, " quò per illorum mediationem propitius sit Deus noster. " Sanctos D. Basil. agnoscit mediatores, quò calumnias " Iuliani in sanctos impiè eiaculatas depelleret, quibus vnà " cum illlorum imaginibus, eorundem & venerationem & cultum tunc temporis per Ecclesias Christianas toto orbe receptissimum oppugnabat.

Porrò Sancti inter Deum & homines se præstant medios nõ vltrò tantùm, suáq; pietate in nos spõtanea: sed à nobis etiam, multò ardentiùs & vehementiùs solicitati, aduocati, interpellati: ad quem modum tunc temporis fuisse cultos, & publico ex more inuocatos, dudum demonstrauimus. Quare cum SS. cultum omnem tunc Christianis solennem Iulianus immundo agitatus spiritu oppugnarit, equidem arbitror D. Basil. hoc vno velut Aiacis clypeo non tantùm SS. imagines propugnasse sed alia honoris, cultúsque sanctis per id tempus à Christianis piè exhibiti genera. Alioqui enim ne ex dimidio quidem Iuliani Apostatæ calumnias de SS. venenera- tione impia intentatas obtriuisset, aut aboleuisset. " Sicuti ergo sanctas Martyrum imagines non esse pro- " hibendas, ait Basil. Mag. quòd ab Apostolis essent tra- " ditæ: sic & omnis veneratio cultúsque Sanctis in Ec- " clesia piè exhibitus non est prohibendus, quòd sic tra- " ditum sit ab Apostolis. Inter cultus autem & veneratio- nem sanctis tunc temporis cùm ista & Iulianus oppugnaret, & Basil. aliíque defenderent, fuisse solennem vsitatissimámque toto orbe Christiano SS. inuocationem, qui sibi lucem veritatis non inuidet, ex superioribus luce meridiana videat clariùs. Sed nos vela contrahamus, ad alia properaturi.

Sanctorum igitur inuocatio cùm Augustini ætate, Ambrosij atq; Prudentij, id est, anno Domini 400. per Occidentem: ætate Basilij, Nectarij ac Nazianzeni, id est, anno Domini 300. per Orientem: ætate Origenis & Cypriani, id est, anno Domini 200. imò 160. in Africa & Alexãdria Principibus Ecclesiæ Christianæ membris fuerit vsitata, atque festis Martyrum diebus celebratissima, valdè ad veritatem videtur propensum & Apostolorum ætate, qua Innocentium festum teste Origene colebatur, SS. Innocentes fuisse ad auxilium atque intercessionem inuocatos.

Hæc eò persequuti sumus copiosiùs, quò illa impudens adeò Apologię Confess. Augustanæ asseueratio vanitatis multò impudentissimæ Solis luce liquidiùs conuinceretur. Eant nunc Protestantes, & suo isto Melanchthone apertę adeò vanitatis siue per imperitiam, siue per fraudulentiam authore freti iactitent, Scriptores veteres ante Gregorij tempora non meminisse Sanctorum inuocationis, quam non solùm ante centum annos, id est, Augustini, Hieronymi & Ambro. ætate: sed & ducentos atque trecentos, imò circiter quadringentos quadraginta, hoc est, Cypriani adolescentis ætate, adeóq; ipso Diuorum Apostolorum seculo demonstrauimus fuisse Ecclesiis Christianis ab ipsis Apostolis traditam. *Cõfeßio Augustana impudẽtißimæ vanitatis cõuincitur cum authore suo Melanchth.*

Caput XXIX.



CÆterùm quia Philippus Melanchthon Apologiæ Confessionis Augustanæ architectus, multum sibi inde pollicetur patrocinij, quod inficiari audebat D. Hieronymum aduersus Vigilantiũ Gallum velitantem nihil de Sanctorum inuocatione agere: De honoribus, inquiens, loquitur Sanctorum, non de inuocatione, agè Lector Christiane, & hanc eius affirmationem demonstremus Melanchthonicam, id est, atro mendaciorum pulueri vti alia plurima non aspersam modò, sed planè infectam. Citant & Hieronymum, inquit, contra Vigilantium. In hac arena, ante mille & centum annos, vicit *D. Hieronymũ aduersus Vigilãtium defendisse Sanctorũ inuocationem, quod negat Melãchthon Apolog. Augustana*

" Hieronymus. Vigilantium. Hîc triumphant aduersarij,
" quasi iam sit debellatum. Nec vident isti asini apud Hie-
" ronymum contra Vigilantium, nullam extare syllabam
" de inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, nō
" de inuocatione. Neque reliqui Scriptores ante Grego-
" rium fecerunt mentionem inuocationis. Hæc Philip-
" pus in Apologia. Sanè isthæc Melanchthonis sententia, verè scilicet Aristarchica, maximum in animo attenti scriptorum Diui Hieronymi lectoris relinquant scrupulum, an hunc Diui Hieronymi aduersus Vigilantij hæreses libellum ipse legerit vnquàm (nisi nominis fortè authoritas præclarum Theologum ab ista coniectura vindicet) qui tanta oris confidentia pronunciat, nullam
" in eo Hieronymi scripto extare syllabam de Sanctorum
" inuocatione: sed de honoribus, inquit, loquitur, non de inuocatione. Equidem vereor, ne istud Philippi emblema de illorum sit genere, quæ adolescens imprudens ab illis, quos iam senex præfatione Locorum Communiū, anno 46. appellare non pudet θεοδιδάκτους, acceperat majore animi nouorum cupidi studio, quàm rationis iudicio: quod frequens adeò ac propè annua eius palinodia, pristinæque sententiæ, scriptorúmque suorum in vulgus effusorum non solùm reprehensio aut excusatio, sed aperta etiam damnatio doceat liquidiùs, quàm vt aliena vlla sit opus demonstratione. Adeò vt suam ipse sententiam, sed adolescentis, de libero arbitrio non dubitet, nunc sexagenario maior, Locis Communibus anno 52. editis Manichæorum pronunciare furorem: quod Locis Communibus, anno vigesimo secundo, in orbem proiectis ipsissimum plenis buccis crepitabat Euangelium. Verùm ne illorum suorum, quos dicit θεοδιδάκτους, Dei Spiritu afflatorum magistrorum immodicè videatur nixus authoritate, eadem præfatione in Locos suos Communes anno 46. & suum in Ecclesiæ doctrina cognoscenda, insumptum exponit studium: Mediocri cura, inquiens, & solicitudine inquisiui Ecclesiæ doctrinam. Sanè mi Philippe cura mediocris tot dogmatibus innouatis non sufficiebat, sed quàm nè mediocris quidem fuerit tibi Philippe huius rei solicitudo,

Quàm sedulus & accuratus veterum Theologorū lector Melanchthon.

arguunt loca plurima ex veteribus quidem recitata, sed qua fide recitata, qua diligentia lecta, qua totius scripti animaduersione pensitata, aliâs opportunior fuerit demonstrandi locus. Certè præsens locus de Vigilantij doctrina: Rursus de Fabiolæ matrimonio, quod suo infrà loco pertractabitur aptiùs, cuiuis æquo lectori demonstrent Solis luce clariùs, quàm oscitanter, quàm negligenter, quàm nullo cum animi aut iudicio aut præsentia legeris, quod à Diuo Hieronymo hisce de rebus est literis commendatum. Sed ex diuerticulo ad institutum redeat oratio. Conatur Melanchthon Vigilantium sui erroris non tam parentem quàm renouatorem ab iniusta infamiæ nota, qua Sanctorum inuocationem proculcare aggrediebatur, repurgare: quò ipsius dogma mille centum posteà annis repullulascens, Catholicam faciliùs si non opprimat, vexet saltem doctrinam. Sanctorum honores vult illum Melanchthon oppugnasse, non inuocationem item. Sed Vigilantius ipse suam contra Sanctos isthac vita defunctos causam agat. Non ei opus est Melanchthone Oratore atque patrono, per quem ei nulla sit apud prudentem iudicem victoriæ spes, quòd meliorem eius causæ partem fraudulenter suppressam reticendo, indubiam aduersario adferat victoriam. Ipsa igitur Vigilantij verba audiamus, ne cuiquam de quæstionis inter illum & Diuum Hieronymum controuersæ statu reliquus sit ambigendi locus. Dum viuimus (inquiebat, vti recitat Diuus Hieronymus) mutuò pro nobis orare possumus. Postquàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cùm Martyres vltionem sanguinis obsecrantes impetrare non potuerunt. Quòd si quis apertiùs Vigilantij sententiam explicatam cupiat, is & illud accipiat: Ergo cineres (inquiebat, teste Hieronymo) suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, sempérque præsentes sunt, ne fortè si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint. An qui istas Vigilantij voces animo sibi præsente audiat, expressius quid desiderare queat, quo manifestiorem Vigilantij sententiam pleniùs assequatur? An non illud, Ne fortè si aliquis

Melanchthō suo etiã Vigilantio demonstratur perfidus mutilator.

Vigilantij verba, quibus SS. inuocationẽ oppugnabat quod negat Melãchthon.

precator adueniat, absentes Martyrum animæ audire non possint, clarissimè Vigilantij sensum omnibus loquatur, quibus vel sensus communis quantumcunque pinguissimus sit reliquus? An precatores suos Martyrum animæ audire queant nisi inuocatæ? Quod si Melanch. concedat, certè tantò est Vigilantio illo verè Dormitantio dormitantior, quantò confessam illam, adeóque argumenti loco ab illo assumptam sententiam maiori animi malitia, quàm imperitia nefario sacrilegio detrahere studebat. Quum itaque disertis adeò verbis Vigilantius ipse SS. inuocationẽ rideat: Ne si fortè (inquiẽs) precator adueniat, absentes audire non possint, quis non stupeat, imò lugeat potiùs, illiberalia isthæc Melancht. tot liberalibus frustrà disciplinis eruditi mendacia: quibus vetustam illam Cathol. Christi Ecclesiæ de SS. inuocatione doctrinam euertere atque delere conabatur. Nec vident, inquit, isti asini apud Hieronymum nullam extare syllabam de Sanctorum inuocatione. Certè Philippe an non veriùs istis asinis, quos egregia isthac Euangelica, scilicet dicis modestia, te magis asinum facias, iudicet quilibet æquus rerum arbiter, quòd perspicuam illam sententiam, nedum illas duarum vocum, Precatores & Audire, tot syllabas asinina prorsus ruditate, nec audieris clarè apud Hieronymum personantes, nec videris luculenter emicãtes. At Hieronymus loquitur de Sanctorum honoribus, non de inuocatione. An quia Diuus Hieronymus hanc materiam (vt ipse ait) quę apertam habuit blasphemiam, quæque indignationem magis scribentis, quàm testimoniorum multitudinem efflagitabat, non ad viuum prorsus resecuerit, commotus nimirùm Vigilantianæ doctrinæ blasphema impietate, Ideóne tantum de Sanctorum honoribus, non similiter de inuocatione (quod tamen vtrunque districtis telis nominatim ille oppugnabat) egisse credendus sit, quum Vigilantij errorem non eius proprium aut inuentum, sed Priscum veterum hęreticorum esse figmentum, claris verbis pronunciat? hæreseósque nota infamat, atque ad Porphyrij adeò maledicta referendum demonstrat? Nisi enim Sanctorum inuocationem sibi il-

Apologiæ Augustan. confutatio.

Melanchthõ φιλαυτῶς Catholicos asinos appellitans, sese magis asinũ esse demonstrat.

contra Vigilantij calumnias libello defendendam su-
pisset, quorsum post expugnatas illius de Martyrum
noribus ratiunculas, nouas Vigilantij attulisset sen-
tias, quibus & Martyres non esse inuocandos ille a-
uere conabatur? Quæ cùm apertam, ait, haberet blas- »
emiam, non aliud impiæ illius contra Martyrum in- »
cationem doctrinæ opposuit, quàm, Oportebat, in- »
iens, te in vltimas terras deportandum, rides de reli-
iis Martyrum, & cum authore huius hæreseos Euno-
iis Martyrum, & cum authore huius hæreseos Euno-
o Ecclesiis Christi calumniam struis, quæ ille contra
clesiam loquitur. Omnes enim sectatores eius Basili-
s Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur. Scri-
t aduersus hæresim tuam Tertullianus in Scorpiaco,
quæ seq. Quibus verbis Diuus Hieronymus certissi-
è Vigilantium credidit iugulatum, quòd eius errorem
veteri Caynæ hæreseos germine, & recentioribus Eu-
omij hæretici reliquiis repullulascentem demonstra-
, nolens apertam sopiti dudum dogmatis impij blas-
emiam refutare diffusiùs: quam Tertullianũ ante an-
s plus minùs ducentos euertisse commemorat. Poste-
rum namque innouatos errores ad originẽ reuocasse,
futasse est. Cæterùm pergit Melanchthon teterrimas,
assissimásq; vltroneæ improbitatis dicã, an imprudẽtis
ecitatis suæ tenebras prodere: Sed neq; reliqui veteres
riptores, inquit, ante Gregorium fecerũt mentionem
uocationis. An non tibi satis erat Philippe vnũ Hiero
ymũ sacrilego isto mendacio contaminasse, nisi & om-
m veterũ Scriptorum Chorũ vsq; ad Gregoriũ eâdem
editate cõmaculasses? Itáne omnes in vniuersum Sacræ
heologiæ studiosos putas Demiphones Philippe, qui-
s Phormiana isthac confidentia sic illudas? Non tã al-
m dormiunt vestris insanis clamoribus nimis quàm
citati, non tam iacet porrò veterum Scriptorum lectio
ei consilio in lucem retracta. An igitur quenquã vete-
m Scriptorũ Lectorem tua scripta lecturũ existimasti?
existimasti, turpissima te ipse fœdasti imperitiæ macu
, quæ tuam veterũ Scriptorum lectionem nullo planè
gotio cõuincũt aut turpi ignauia oscitantem, aut per-
ciosæ fraudis studio dissimulãtem. Si non existimasti,

Vide hic Sãctorũ hostes sua in herba enectos.

Philip. Melanchthon plurima imperitè & impudenter asserit.

rectè sanè tibi apud coniuratos istius factionis popellos controuersiarum arbitros victoriam pollicebaris, qui tibi graui adeò doctrinarum planè omnium cēsori primas haud grauatim deferunt, tuo illi αὐτὸς ἔφα prorsus suffragaturi, vbi confidentem istam asseuerationem suo pro iudicio expēderint. Verùm quàm eos cæco tuo præiudicio miserè fallas, quàm eis tuo imperitissimo errore præsentissima sempiternæ perditionis pericula crees, quàm denique eos tuo magisterio vt oppidò incautè, ita multò infelicissimè credulos in horrendas à clarissima Catholicæ veritatis luce abducas tenebras, omnibus nullo prorsus negotio fiat perspicuum, qui vel perfunctoriè veterum Scriptorū monumenta perlustrarint. Quorum ex scriptis quia paulò antè prolixum contexuimus Catalogum, nolumus in re adeò perspicua recensenda inutiliter esse copiosi: quem Lector antiquitatis Christianæ studiosus nullo illinc potest repetere negotio.

Philip. Melanchtho. vanitas proditur.

Tot illustribus igitur clarissimorum veterum Patrū, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Nectarij, Origenis, adeóque D. Cypriani testimoniis suprà commemoratis, quis non mortalium ingenuè victus agnoscat Sanctorum inuocationem ante Gregorij tempora fuisse in Catholica Christi Ecclesia visitatissimam? cuius præclari isti authores nobis cōmemorati disertis adeò verbis ita meminêre, vt & ipsi Sanctos ad orandum pro se, suísque apud Deum Optimum peccatis delendis suppliciter sint deprecati. Quare Melanchthonis semidoctam dicam Theologiam, an perniciosè fraudulentam, quis non iure miretur, imò execretur potiùs? quòd locupletissima hæc simúlq; clarissima veterum Patrum testimonia, aut impetitus turpiter ignorarit, aut iniquo veritatis agnitæ odio fraudulenter dissimularit. Si ignorauit, non profectò sibi istas Theologi partes inter tam varias disciplinarum arreptas professiones, vt vanam suę Encyclopędias opinionem hominibus excitaret, vsurpare debuit. Sin istorum conscius (nam nullum illorum perlegisse quis meritò dubitet?) prudens dissimulauit, non debuit sanè contra omnem fidem bonam suos patronos, imò clientulos

veriùs, quos fucato verborum lenocinio à veritate abductos susceperat Apologiâ illâ defendendos in re tanta, quæ certissimo æternæ salutis cum discrimine est cõiuncta, exitialiter fallere.

Caput XXX.



Æterùm post euicta Melãchthonis mẽdacia, de Sanctorum inuocatione aduersus Vigilantium, vt aiebat, ab Hieronymo non defensa, nec apud veteres ante Gregorium non commemorata, hîc nũc caput de Sanctorum inuocatione foret concludendum, ni ipsum aliis variis hæreticorum erroribus, tanquàm symptomatibus exhulceratum, aut vulneribus potiùs quasi afflictum, medicam alicuius Hypocratis manum desideraret accuratiorem. Quò igitur fratribus infirmioribus, qui aduersariorum oratione ad popularem fraudem miro ingenio comparata facilè à verò seducantur, consulamus, dabimus pro nostra virili, operam, vt reliqui circa Sãctorum inuocationem errores nunc tempestatis grassantes, ad veritatis Euangelicæ Solem producti, tanquàm meridiano die nebulæ perspiciantur vltrò euanescere. Proinde reliquos Melanch. si non furores, at errores tamen dolẽdum magis, quàm mirandum in modum cæcos allato licet non Anticyris helleboro, longè sanè illo salubriori ex veterum Scriptorum hortis, tanquàm de Narthecio, studeamus purgare, atque ad sanitatem, si quo modo liceat, reuocare.

Refutantur errores Philip. Melãch. Apolog. August. circa Sanctorũ inuocationẽ.

Sanctos itaque orare pro nobis affirmat, sed ne inuocandos agnoscat, pro singulis orare negat: In genere tantùm, inquit, orant Sancti pro Ecclesia vniuersa, & posteà: Hæret & hic error apud doctos, quòd singulis Sanctis certæ procurationes commissæ sunt, vt Anna diuitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæ persuasiones planè sunt ortæ ex Ethnicis exemplis. Sic enim putabatur Iuno ditare, Febris arcere febrem, Castor & Pollux defendere equites, &c. Et in Confessione Saxonicæ doctrinæ Tridentino Concilio

Sanctos etiã pro singulis orare, nõ modò in genere pro Ecclesia.

Impoſtores in peius & maiorē impietatē proficiunt.

(quod ipſi aiunt) oblata id paſſus planè quod de iſtius generis hominibus D. Paulus diuinitùs pronunciarat: Mali homines, inquit, & ſeductores (ſiue vt Paulus habet γόητες, qui facundiæ præſtigiis, atque fucato eloquētiæ lenocinio homines imperitos in animi ſtuporem, ſuíque obliuionem præcipitatos, veritatis fuco circumſcribunt, vt voluptaria quadam erroris titillatione deliniti, haud aliter atque maleficio affecti & præſtigio ludificati ſua incommoda atq; pericula vel præſentiſſima non videant, nedum timeant) huiuſmodi, inquit Paulus, ſeductores in peius promouent errantes, & in errorem præcipitantes, quod ex impiis iſtis vocibus non fuerit cuiquam obſcurum animaduertere: Proſtrati ad ſtatuas, inquit, Melanchth. cum toto Vvirtembergenſi conciliabulo, inuocant alij alia numina: ab Anna petuntur diuitiæ, vt à Iunone: à Georgio victoria, vt à Marte, ab aliis alia. Denique hi furores manifeſtè contumelioſi ſunt aduerſus Deum. Quanquàm iſta Melanchthonis ſine mente voces ob apertam, quam habent, blaſphemiam, piorum potiùs excitent indignationem, quàm vberiorem, fuſiorémque deſiderent ex veterum teſtimoniorum recitatione confutationem: tamen quòd infirmioribus fràtribus ex inſanæ iſtius blaſphemiæ profligatione, imò medicatione, nonnihil ſperemus ſalubrioris antidoti, ſimul & firmioris auxilij acceſſurum, videbatur fidei noſtræ ratio copioſiùs reddenda. Quòd igitur aſſeuerat Melanchthon, Sanctos in genere tantùm pro vniuerſa Eccleſia orare, paucis nūc eſt antè perſtringendum, alia deinde ſuo ordine pertractanda. Sanctos itaque non in genere tantùm orare, ſed pro ſuorū quoſque ſingulis nominatim preces Deo Optimo fundere, ex perſpicua illa vetuſtiſſimorum Patrum inuocādi formula fiat Solis luce manifeſtius. Niſi enim Sanctorum orationes pro Chriſtianorum ſingulis, non tantùm in genere, apud Deum Optimum fuſas, ſingulis item conducere tota Chriſtianæ Eccleſiæ crediſſet antiquitas, qua temeritate, imò fruſtranea certè ſtoliditate veteres omnes inuocāt Sanctos, vt ſui memores pro ſeſe Deum Optimum deprecentur? Quorſum Origenes illos inge-

Veteres Patres orant Sanctos, vt ſui memores pro ſeſe intercedant.

minat threnos: Incipiam deprecari vniuersos Sanctos, vt mihi non audenti petere succurrant, O Sācti Dei vos lachrymis peto, vt procidatis misericordiis eius pro me misero? Quorsum illud Nazianzenus, nisi Diuum Basilium pro se nominatim Deo Optimo supplicaturū credidisset, καὶ νῦν ὁ μὲν ἐστὶν ἐν οὐρανοῖς, κἀκεῖ τὰς ὑπὲρ ἡμῶν, ὡς οἶμαι, προσφέρων θυσίας καὶ τοῦ λαοῦ προσευχόμενος: Nunc (inquit) in cælis beatus agit Basil. illícque pro nobis, quod equidem arbitror, offert sacrificia, atque pro populo deprecatur: & illud superiùs recitatum, σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν, & cæte. Tu vero nos cælitùs aspice, carnísque aculeum nobis diuinitùs datum tuis ipsius precibus aut siste, aut tolerāter perferre persuade? Quorsum Chrysostomus populum suum sanctos inuocare docet: Oremus, inquit, etiam, vt pro nobis precentur, nisi singulorum vota à sanctis apud Deum commendanda, & sanctos pro singulis orare, & ipse indubius credidisset, & suis omnibus indubitanter persuasum cupiuisset?

Vide hæc totidem. superius pleniora.

Iam de Augustino quis relinquatur dubitandi locus, qui cùm publicè suos exhortabatur: Oremus, inquit Hom. I. in D. Laurentium, fratres, Beatum Laurentium: tum priuatim de suo sibi Nibridio certum adeò pollicebatur intercessionis apud Deum patrocinium, vt scripto fuerit contestatus: Non sic arbitror Nibridium, inquit Confess. libris inebriari ex fonte viuo, vt obliuiscatur mei. Hieronymus suam fidem disertè promit: Blesilla tua filia, inquit ad Paulam, pro te iam Dominum rogat, mihíque vt de eius mente securus sim, veniam impetrat peccatorum. Sic & illa Apostolicorum discipulorū ætate, quò breuis sim, Diua virgo mater Maria ab illa Cypriani nondum nostri amasia in auxilium inuocabatur, quæ, vti Nazianzenus ex Cypriani vita ab ipso ait, descripta παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ: Mariam virginem supplex deprecabatur, vt sibi periclitanti virgunculæ ferret opem aduersus intentata ab illo impuri amoris philtra.

An post clarissima isthæc doctissimorum Patrū Ca-

tholicæ Christi Ecclesiæ reuerà columinum testimonia quispiam citra dementiam affirmare audeat, Sāctos pro vniuersa Ecclesia in genere tantùm orare, non pro singulis item, quum illas nihil minùs quàm genericas audiat ab omnibus ingeminatas voces, Sanctos orare pro me, pro te, pro nobis, pro vobis?

Caput XXXI.

Sāctos rectè ad certi generis auxilium & patrocinīū inuocari.



Iam porrò illum errorem, quem Melanchthon dicit apud doctos quoque hærere, in lucem protrahamus, vt ex Melanchthonicis erutus tenebris, illustre sibi suum veritatis lumen recuperet: Quòd singulis, inquit, Sanctis certę procurationes commissæ sint, vt Anna diuitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo Comitiali, Georgius tueatur equites. Haud bona certè fide facis Philippe, qui ob stulta potiùs quā impia aliquot anicularum deliria Catholicam Christianæ Ecclesiæ fidem contumeliosiùs tibi existimaris proscindendam, imperitísque priscæ veritatis Catholicæ adolescentulis propinare volueris deridendam. An quia illæ Sanctorum inuocationem, vt certè non tam superstitione, quàm delira aut imperita veriùs persuasione fortassis contaminarunt, ita non inuexerunt item, hinc Sanctis singulis certas commissas esse procurationes (vt tu inuidiosiùs exaggerando vocas) consequatur? Quid si illæ non tam mentis delirio, quàm rerum familiarium inopia pressæ diuitias sibi D. Annæ precibus polliceantur in Saxonia, certè in nostro Belgio, quod equidem sciam non faciunt, an isthac ratione sanctorum inuocatio sit cōtaminata, quæ ad illa in vniuersum omnia, quæ Dei erga nos misellos clemētia destinat in salutem bona faciliùs impetranda, semper à Christianis hominibus fuit adhibita? Quid igitur, si quispiam hæc aut illa corporis animíve bona ita ab vno sanctorum quopiam petat, vt non idem ab alio, an sancto huic hanc in rem innocato deprehēdatur iniurius, qui vnum sibi illius precibus

Istud fortassis in Annaberga factū putabant.

cibus

cibus optet à Deo Optimo impetratum, cuius opera & intercessione ad vniuersa semel sibi vel ad vitæ communis conuictum, vel periculorum deprecationem, vel bonorum conseruationem necessaria, eadem planè facilitate & eodem prorsus iure vtatur? Quid non enim rerum nobis necessariarum fratribus suis à Deo benignissimo simul & liberalissimo patre impetrent facilè Sancti, cuius gratia ipsi & bona isthæc omnia contempsêre hilariter, & vitam adeò ipsam commutauêre alacriter?

Per Sanctos quoslibet quælibet cõsequimur bona.

Verùm falsa nouitatis opinio istos nostri seculi hæreticos offendit. Quare hunc Catholicæ nostræ Ecclesiæ morem, à veteribus quoq; Patribus ante annos mille ducentos, solenni etiam Christianis omnibus consuetudine fuisse vsitatissimum, comprobemus. Diuus Basilius suæ Ecclesiæ Cæsariensis morem luculenter admodùm viuis adhibitis precationum coloribus depingit Homilia in quadraginta Martyres conscripta, post narratam eorum clarissimam aduersus impios victoriam, & fortissimam inter intolerabiles corporis in Christiana fide constantiam, ita subnectens eorum præconia: οὗτοι εἰσὶν οἱ τὴν καθ᾽ ἡμᾶς χώραν διαλαβόντες, οἱονεὶ πύργοι τινὲς συνεχεῖς ἀσφάλειαν ἐκ τῆς τῶν ἐναντίων καταδρομῆς παρεχόμενοι· οὐχ ἑνὶ τόπῳ ἑαυτοὺς κατακλείσαντες, ἀλλὰ πολλοῖς ἤδη ἐπιξενωθέντες χωρίοις, καὶ πολλὰς πατρίδας κατακοσμήσαντες, καὶ τὸ παράδοξον, οὐ καθ᾽ ἕνα διαμερισθέντες τοῖς δεχομένοις ἐπιφοιτῶσιν, ἀλλὰ ἀναμιχθέντες ἀλλήλοις, ἡνωμένως χορεύουσιν. Et paulò pòst: ἡ ἄφθονος εὐεργεσία, ἡ μὴ δαπανωμένη χάρις, ἑτοίμη βοήθεια χριστιανοῖς ἐκκλησία Μαρτύρων, στρατὸς τροπαιοφόρων, χορὸς δοξολογούντων τὸν κύριον. πόσα ἂν ἔκαμες, ἵνα ἕνα που εὕρῃς ὑπὲρ σοῦ δυσωποῦντα τὸν κύριον; Τεσσαράκοντά εἰσιν ἤδη σύμφωνον ἀναπέμποντες προσευχήν. ὅπου δύο ἢ τρεῖς εἰσι συνηγμένοι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, ἐκεῖ ἐστιν ἐν μέ-

Quàm sit vetus Sanctos ad certi generis auxilia inuocare.

σω αὐτῶν· ὅπου δὲ τεσσαράκοντα, τίς ἀμφιβάλλει θεοῦ παρουσίαν; ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς μὲν καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει. ὁ μὲν ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν· ὁ δὲ ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. ἐνταῦθα γυνὴ εὐσεβὴς ὑπὲρ τέκνων εὐχομένη καταλαμβάνεται, ἀποδημοῦντι ἀνδρὶ τὴν ἐπάνοδον αἰτουμένη, ἀρρωστοῦντι τὴν σωτηρίαν. μετὰ μαρτύρων γενέσθω τὰ αἰτήματα ὑμῶν, οἱ νεανίσκοι τοὺς ἡλιώτας μιμήσθωσαν. Quòd est: Isti sunt, qui regionem
« nostram complexi tanquàm continentes quædam arces
« ab hostium incursionibus securitatem nobis præstant,
« non vno loco sese includentes, sed multis iam regioni-
« bus hospitio excepti, multas etiam prouincias exornan-
« tes, & quod fidem omnem superat, non singulatim di-
« uisi ad suos ventitant hospites, sed sibi mutuò coniun-
« cti vnà ingrediuntur. Et quibusdam intextis: Benefi-
« centia copiosissima, gratia prorsus inexhausta, paratum
« Christianis auxilium est Martyrum ædes, triumphato-
« rum exercitus, chorus Deum laudibus celebrans. Quā-
« tum tibi laboris esset sumendum, vt vnum quempiam
« alicubi inuenias, qui pro te Deum precetur? Quadra-
« ginta iam sunt, qui concordem fundunt orationem.
« Vbi duo aut tres in nomine Domini conueniunt, illic
« inter ipsos adest medius. Vbi igitur quadraginta, quis
« de præsentia Dei ambigat? Qui aduersis rebus confli-
« ctatur, ad quadraginta istos refugit: qui secundis lætus
« gaudet, ad eosdem accurrit: ille quidem, vt aduersis li-
« beretur: hic verò vt res florentes ipsi conseruentur per-
« petuæ. Isthic videre est matronam piam, quæ & pro fi-
« liorum salute deprecetur, & marito peregrè profecto
« reditum petat incolumem, & ægroto sanitatem. Cum
« Martyribus vestræ fiant preces, adolescentes suos imi-
« tentur æquales.

Preces Christianorum ad SS. ante an-

Quibus D. Basilij verbis an quispiam Christiani pectoris preces sanctis martyribus fusas viuidioribus depingat coloribus? quos qui clara præsentis animi acie

acutū cernit, & accuratè perſpicit, an nō illas Chriſtianorum ad ſanctos orationes cum noſtri populi Chriſtiani precibus planè per omnia conſonare lætus agnoſcat? Præterquàm enim quòd egregias aliquot ſanctorū Martyrum laudes prædicat, quódque ſuo interceſſionis præſidio totas regiones ab hoſtium vexationibus liberant, quódque Chriſtianis præſentiſſimum exhibeant auxilium: Inſuper adeò ipſos iam adeſſe præſentes diſertè pronunciat, qui Deum ſuis, inquiens, pro te precibus placant, Deúmque præſentem tibi reddunt, alioqui abfuturum, vt tibi opem adferat, alioqui non exauditurus. Quod quia dictum implicatiùs, diſtributione gemina adhibita euoluit apertius: Qui, inquit, rebus afflictioribus laborat, & qui florente rerum fortuna gaudet, ad iſtos quadraginta Martyres accurrit: ille quidem vt ab ingenti calamitatis incommodo expediatur: hic verò vt res ſecundæ ſint ſibi perpetuæ: eodem & pia matrona accedit pro filiis precatura, vtque marito peregrè agenti reditum felicem petat, ægroto bonam valetudinem. Quid igitur Diui Baſilij interſit, vnúsne omnia iſta, ſi ita res ferat, ſibi quiſque à ſanctis Martyribus poſtulet, an varij varia? an ideo ſanctorum gloria fuerit imminuta, quòd non ſimul, quæ impetrare à Deo Optimo queant, omnia ab omnibus petantur? Quàm igitur inſanum eſt, hic Cæſarienſem aliquam matronam rebus alioqui omnibus florentem, ſed mariti tantùm abſentis reditu diſcruciatam, aut ægrotantis labore afflictam, à ſanctis iſtis quadraginta poſtulantem per illorum interceſſiones ſiue ſaluum in patriam reditum, ſiue bonam illi imprecantem valetudinem, accuſare aut idololatriæ, quòd Sanctos inuocet: aut ſuperſtitionis, quòd certum rei genus à certis ſibi Sanctis exoptet, quam Baſilij illius Magni doctrina, adeóque exhortatio, ſic inſtituit? quam illius authoritas defendit? quam illius denique ſententia ab omni ſuperſtitionis, nedum idololatriæ nota abſoluit? Sed hodie, inquiunt, ita à Valentino comitialis morbi quæritur curatio, à Sebaſtiano peſtis depulſio, quaſi illi vni rei aut præſtādæ aut deprecandæ ſoli ipſi valeāt, quaſiq;

nos 1200. cū hodiernis cōgruunt.

Petitur à Sāctis ætate Baſilij bona fortuna, & valetudo, optatúſq; peregrinationis ſucceſſus.

Certū patrociniū Sanctis tributum nō eſt idololatricum.

certa istorum duntaxat malorum procuratio eis sit solis credita. An quia peculiares quasdam Dei dotes sanctis agnoscimus distributas, hinc in eos deprehēdamur iniurij, quòd ipsorum laudes prædicamus, aut Dei Opt. dona celebramus, quibus illos diuinitùs esse præditos quotidiana discimus atque conspicimus experientia? An non ad illustrandam SS. gloriam, qua Deus Max. fidos sibi ministros ex promisso celebres efficere est dignatus, mirificè faciat, quòd Valentinum comitialis morbi curatiōe reddiderit apud Christianos gloriosum? Quòd Sebastianum teterrimæ pestis auersione nō dubiis probata sæpiùs exemplis effecerit Christianis celeberrimum? An igitur quòd hisce in rebus, frequenti rerum experientia teste, isti sancti singularia Christianis illorum opem apud Deum Opt. implorantibus attulerint præ cæteris solatia, hinc aliis in negotiis aut prosperis cōseruandis, aut aduersis deprecandis minùs valere sint piis existimandi? Non certè, Melanchthon, non. Posset & Valentinus, cui comitialis morbi procurationem tu eius præsidium atque auxilium ludēdo commissam dicis, isti quoque Melanchthon phrenesi adferre inuocatus opem, nisi vsitato Phreneticorum more & Diuorum simul & hominum auxilia impius contempsisses.

Quum igitur Diuus Basilius Christiani sui populi preces apud venerandos iure optimo, imò diuino mandato Sanctorum cineres fusas laudet, adeóque ad eas frequentandas disertè exhortetur, quibus prisci Maiores nostri Catholicæ Christi Ecclesiæ matris omnium nostrûm filij reuerà Germani à Sanctis Martyribus & diuitiarum largitionem & cōseruationem, mariti item absentis reditum felicem, & ægroti valetudinem meliorem sibi exoptare assolent, quid istis hominibus sanæ mentis esse reliquum est existimandum, qui Catholicis totius Christianæ Ecclesiæ moribus tanta impudentia obstrepere, imò contentiosè contradicere nihil verentur? Sed ne istam Diui Basilij sententiam quasi vnius tantùm Ecclesię propriam vitiligatores oratione sua studeant eleuare, alterum item locum ex Theodoreti thesauro adducemus, quem θηραπευτικὴν τῶ

Ἑλληνικῶν παθημάτων inſcripſit, quo peruerſis Ethnicorum affectibus in vniuerſum omnibus ſalutare medicamentum quaſi de Narthecio promptum adhibere nititur: vt & Perſicæ Eccleſiæ mos vſitatiſſimus, quinimò Catholicæ veriùs, nullos dubitatiuncularum ſcrupulos apud ſtudioſos veritatis amplexandæ indagatores relinquat: qui hoc nomine fuerit noſtro inſtituto longè aptiſſimus, quòd totius Orientalis, imò vniuerſalis Chriſtianæ potiùs Eccleſiæ, ritum atque conſuetudinem toti Ethnicorum populo vbique gentium degenti legendam diſertè proponit. Martyrum templa, inquit Theodoretus libro octauo, conſpicua cernuntur, magnitudinéque prȩſtantia, omni prætereà ornatus genere variata. Neque verò huc per annum ſemel, aut bis, aut quinquies aduentamus, ſed in eis ſæpenumerò dies feſtos peragimus, ſæpè diebus ſingulis eorum Martyrum Domino laudes hymnóſque cantamus. Qui proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à Martyribus petunt. Qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles mulieres, & viri, dari ſibi filios petunt: qui verò parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodiri, quæ conſecuti ſunt dona. Item qui peregrè aliquò proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi eſſe comites in via, vel potiùs itineris duces: qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agũt, acceptum beneficium confitentes: Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei Martyres, tanquàm diuinos homines, interceſſoréſque ſibi eos apud Deum aduocent, atque precentur. Piè verò fideliterque precatos ea maximè conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirùm adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulachra ſuſpendunt ex argento, auróve confecta: gratiſſimè namque accipit eorum Dominus, qualiacunque ſunt, dona, nec exigua nec vilia, dedignatur: quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. An iſto Theodoreti teſtimonio quidquam dicatur apertiùs, ad veteris Catholicæ Chriſti Eccleſiæ mores atque conſuetudinem expri-

Quid Diui Theodoreti ætate à SS. Chriſtiani petierint per orbem totum Chriſtianũ.
Vide libr. 8. Theodor. de curat.
Templa Sãctorum.
Feſta Sanctorum.
Valetudo bona.
Morbos deprecantur.
Sterilitatẽ.
Saluum reditum.
Sanctorum comitatum.
Reduces offerũt Sãctis anathematas
Vota ad Sãctos in periculis.
Sotiria Sanctorũ oblata.
Pedes cærei.
Manus,
Oculi aurei.

mendam? An à sanis ingeniis, nullo peruicaciæ fascino delusis quidquam desideretur locupletius ad veritatem priscæ istius doctrinæ discendam? Nam viuida simul hypotiposi, & accurata precum ad Sanctos fusarum distributione totam de Sãctorum inuocatione, cultu, anathematibus, sotiriis, donísque aliis beneficiorum à Deo Optimo Maximo Sanctorum intercessione impetratorum testibus doctrinam ita disertè explicatam complectitur, vt vel illud solùm hominibus, citra pertinaciam veritatis Euangelicæ studiosis, abundè prorsus sufficiat ad effrenem ingenij lasciuientis luxuriam comprimendam, & maledicam oris impuri blasphemiam cohibendam.

Caput XXXI.

Inuocationẽ SS. ad certi generis auxilia non esse natã ex Ethnicis exẽplis



Sta igitur ante mille centum annos Sãctorum inuocationis exempla, quæ totius Catholicæ Christi Ecclesiæ vsitatã doctrinam apud eximios illos Diuum Basilium, & Diuum Theodoretum Ecclesiæ Christianæ Proceres pro indubitata simul & saluberrima impetrãdi faciliùs à Deo Optimo ratione populo Christiano propositam expressè continent, rabidum Melanchthonis & Saxonum furorem nimis manifestè produnt: hæ persuasiones, inquiunt in Confessione Saxonica, planè sunt ortæ ex Ethnicis exemplis. Sic enim putabatur Iuno ditare, Febris arcêre febrim. Vtinam Christianæ antiquitatis ita fuisses peritus Philippe, atque istius Ethnicæ studiosus, nunquam profectò in sacrilegas istas animi impij conceptiones fuisses prolapsus. Sed dum omnium disciplinarum gloriosam illam imprudenter magis, quàm vtiliter, sectaris Encyclopędiam atque scientiarum orbem, eam quæ in primis tibi fuerat perdiscenda incognitam tibi, prudẽtia planè, vt ille ait, animali reliquisti. Si quis (ait Salomon) erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Et quidem perfunctorium Theologiæ solidioris studium (vt nihil de veterum Theologorum

Philippi error impius in Sãctos ex solidioris Thelogiæ imperitia.

1.Cor.2.

ſcriptis nunc commemoretur, quę ſeſe, quod ex tuis recitationibus conuincatur, vix cōteſtētur lecta atq; relecta, niſi quando tuis ſomniis aduerſaria atroces perpetiebantur mutilationum truncationes, & calamitoſas diſtortionum eluxationes) commenta iſthæc tua in ſacras literas nouo ſenſu conficta: & loci tui Theologici nimis apertè pronunciant. Nam vt illa ſi quis ſerio atque ſedulo perlegat ſtudio, nulla prorſus difficultate veram eruditionis iſtius inopiam prudenti atque vigilanti Lectori produnt: quæ variis diſciplinarum profeſſionibus intenta hîc veluti fatigata ſupinatur, & quaſi languida oſcitat, dum fragmenta fragmentis centonum more conſuuntur, dum ramenta ramentis farraginis in morem ferruminantur: Ita iſti ob variam ſententiarum tuarum de principibus adeò Fidei dogmatibus inconſtantiam te Protêa quendam clamitant. Adeò námque tua ſcripta abs ſeſe ipſa mutuò diſſonant diſſidio, vt qui nouiſſimam Melanchthonis de controuerſo aliquo dogmate deſideret cognoſcere ſententiam, non huic quadrimum ingenij iſtius mirè abortientis fœtum, à quo trimus noua ſit doctrinæ facie alienus: non huic etiam trimum animi tui catulum, à quo bimulus tota ſit dogmatum ſpecie diuerſus inſpexiſſe rit ſatis, ſed hornotinus item partus diligenter ſit quotannis interrogandus: Ecquid eius parens nunc immutatum, atque à veteri ſua ſententia innouatum in lucem ediderit? At iniuriam tibi fecerit aliquis Melanchthon, ſi Leſbiam illam hæreticorum planè omnium regulam, qua ſua ſibi conficta dogmata, quoties libeat, non liceat item, teſtamentorum more eâdem authoritatis ac meræ poteſtatis facilitate refingere, te demonſtret allatis rerū exemplis ſtudioſè obſeruaſſe: quòd de ingenij tui indole omnium planè hæreticorum communi, qua perſonæ tuæ decorum miro ac conſtanti prorſus varietatę inconſtantię artificio doctiſſimè exprimis, addubitaſſe immeritò videri queat. Sed agam in pręſentia, quod agitur, illa aliàs fuſiùs. Si tam aſſiduus fuiſſes Philippe literarum ſacrarum, atque bonarum, quas dicūt cultor, non potuiſſet, mihi crede, tibi in mentem veniſſe

Commētarij Melāchtho. cētones atq; farragines incondita.

Loci commu. Philippi Melācht. ſua doctrinæ varietate anthoris produnt inſcitiā Theologicam.

Doctrinæ inconſtantia omnium hæreticorum teſſera à Melanchth. egregiè expreſſa.

vnquam, publicas istas populi Chr istiani toto planè terrarum orbe vno ac consentiente, isto sanctos inuocandi modo vtentis ex ipso vsque sui exordio persuasiones ab Ethnicis planè exemplis, vti ais, esse ortas, quas paulò superiùs ex sanctissimis puri Christianismi informatoribus, Basilio, inquam, & Theodoreto, ante annos mille ducentos docuimus fuisse, non solùm Christianæ plebi ad faciliùs Deum Optimum exorandum propositas: verùm etiam aduersus quotidiana Ethnicorum conuitia defensas. At quia humilem Theologiæ cognitionem sublimis bonarum literarum (vtinam tibi bonarum) vicit fastus, hinc quod firmius erat inualidiori: vanitati, veritas, errori, fides denique ipsa Christi, prô dolor, cedere cogebatur. Medioeri quidem cura & solicitudine, ais præfat. Locorum Communium. anni 46. te inquisiuisse Ecclesię doctrinam: sanè qualis fuerit, disertiùs tui ingenij fœtus tam sibi dissimiles, vt pugnantes non dicam, arguunt, quàm vt in præsentiarum sit fusiùs persequendum. Sed nos ad rem reuertamur. Christianum itaq; de sanctorum ad certi generis auxilium, opémque prestandam inuocatione dogma ad Ethnicorum exempla irreligioso prorsus reuocas sacrilegio. Sic enim, inquis, putabatur Iuno ditare, Febris arcere febrim, Itáne verò Philippe, quod Christianorum cum Paganismo si voces spectes, est commune, statim Paganismi dixeris reliquias? an quia cæca Ethnicorum mens: Iunonem incestam meretriculā diuitias adferre posse hallucinabatur, Febrímq; vanissimo Deę ornatā titulo arcere febrim, ideóne ex eorum dicendum sit ortum exemplis, quòd isthæc à Diuis sibi pro suę quilibet egestatis ratione postulamus? Distribuit enim Deus Max. dona sua prout vult. Quosdam igitur sanctorum donare dignatus est miraculorum prærogatiuis, quas pro suo pius arbitrio in Ecclesiæ suæ, hoc est, corporis Christi filij sui adhuc plurimorum donorum indulgentiæ obnoxij vsum, Sanctorumq; honorem celebrandum, suámque in primis gloriam illustrandam, interdum quidem, vt fides feliciùs crescat, & vegetiùs adolescat, effundit liberaliùs: interdum verò ne eadem fides illorum consuetudine frigescat, quorum nouitate

Patrocinia sanctorum certa impiè ad exempla Ethnica à Melancht. reuocari.

Cur sancti quibusdam clarent miraculorū prærogatiuis ad tēpus.

flagrauit, adhibet parciùs. Petuntur igitur ab Anna diuitiæ, à Valentino salubritas, quid tum? Sed ita olim (inquis) à Iunone & Castore. O acutum Philosophum. Et iam ab igne algentes petimus calorem, à Sole lucem, ideóne petitur, vt à Romanis olim Vestam sacrúmque ignem colentibus petebatur? aut à Persis suum mitram? Res ergo eadem persistens, alio atq; alio modo in vsum adhibita aut legitimè vsurpatur, aut impiè colitur. Petũtur ergo ab Anna diuitiæ, vt olim à Iunone: sed vt iam rectè ab igne calor petitur, atque ciborum concoctio: à Sole item lumen: non quidem vt Deo, sed vt veri Dei, qui eas functiones dedit, ministro atque necessario naturæ istius instrumento: Ita & ab Anna, aliisque petuntur diuitiæ, sanitas, saluus in patriam reditus, felix puerperarum partus, & alia, quæ miserrima exilij istius ærũna, corporísq; infirmitas, quæ multos heu nimiùm subit casus, ad faciliorem commodiorémque sui & in aduersis sustentationem, & in prosperis conseruationem necessariò efflagitare cognoscitur. Non quidem Annam vt Iunonem quempiam diuitiis, aut Georgium vt quempiam Martem victoriç, aut Rochum vt Apollinem quempiam pestilentiæ præfectos credimus, quibus has velut commissas esse procurationes, docet Christianorum Ecclesia Catholica: quasi vni isti dono à Deo Optimo sua quisq; intercessione ad porrigendum mortalibus impetrato ita sint aut alligati, aut contenti sancti, vt nullum more Iunonis incestæ, aut Martis parricidæ nequeant adferre aliud: sed quòd aut rerum experientia docuerit, Deum Opt. Max. ad huius Martyris sacras reliquias quædam morborum per Martyrum inuocationem curasse genera, quæ alibi certa causa, licet occulta (quid enim temerè faciat diuina illa sapientia?) non curabantur: aut Christiani illos sanctos suis quotidianis malis eximios præ cæteris sensere alexios atque depulsores, quorum inuocatione quotidianus vsus testabatur res afflictas faciliùs instaurari, aut prosperas feliciùs conseruari. Nam quemadmodum Christus pullulantem suam Ecclesiam in arido mundi istius agro atque sabuloso, difficilísq; de veritate Euangelicorum dogmatum persuasionis sterilita-

August. 1. Retractat. cap.13.

Vnde nata certa Diuorũ ac Martyrum patrocinia, vt aut pesti, aut febri medeantur.

Eadem miraculorũ apud Sanctorum corpora fuit ratio,

quæ exoriēte Ecclesia donorū spiritus sancti. te infœcundo exundantissimis charismatū Spiritus irrigauit riuulis & pluuiis voluntariis, hoc est, satę Euangelicæ doctrinæ dulcissimis, ac iuxta Prophetæ vaticinium accepta à Deo patre dona, vti Paulus interpretatur ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, hominibus elargiebatur (quibus admirandam suę religioni nouæ opinionem ita apud omnes excitauit, vt exitus matutini & vesperæ (ait ille) delectarit, id est, Orientem vnde aurora prodit, & Occidētem, qui vesperam aduehit, blandissimo Apostolicæ prædicationis omnigenis signorum, miraculorúmque formis instructa fomento atque illectamento animos hominum incredulitatis asperitate scabros leuigarit, atque iucundissimo suauissimè affulgentis Euangelicæ veritatis blandimento demulserit: Ita eandem suam Ecclesiam Christus toto passim orbe firmiter iam constitutam, ac feliciter florentem tenui quodam miraculorum quasi rore non tam irrigauit, quàm aspersit leuiter. Quòd enim linguas, id est, facultatem varia hominum idiomata atque dialecticos sonandi diuinitùs datam D. Paulus in signum datasesse nō fidelibus, sed infidelibus, id est, ad τοὺς ἀπίστους Ethnicos, Iudæósque nondum Christo ascriptos in fidei obedientiam inducendos, nō ad Christianos aut erudiendos aut confirmandos, disertè affirmat, perspicuè de aliorū Christi donorum Ecclesiæ suæ minùs necessariorum generibus intelligendum, rei ipsius veritas docet apertiùs, quàm quòd sit pertractādum copiosius. Illos igitur qui durissimam totius orbis non Romaní duntaxat, sed & Iudaici, Persici, imò Indici quoque & Gothici susceperant Christo conuertendi, atque tabernaculum Dauid, quod deciderat, eiusque diruta reædificandi prouinciam locupletissimis illis ταῖς τοῦ πνεύματος ἀπαρχαῖς Spiritus sancti primitiis vero bonorū omniū copiæ cornu cumulatos oportebat: ne quid vel ad linguas omniū planè nationū sanādas, vel pertinaces corporis morbos mirabiliter sanādos, vel admirandas in speciē Dæmonū præstigias miraculosè superādas deesse videretur. Istis igitur miraculorū charismatibus Christus sui nominis cultores initiò passim omnes pro suæ quęq; fidei ratione donabat. Deindè præci-

Ephe.4.

Psal.64.

1.Cor.14.

Amos.9.
Act.15.

Cur ortus Ecclesiæ tot spiritus sancti donis ornatus

Inclinatio miraculorū in Ecclesia quando.

puos tãtùm suę religionis propagatores ista Spiritus sancti dona singulariter ornabãt. Post hæc verò, satis iã orbi persuasa Christianæ fidei veritate, nõ potuit benignissimus animorũ simul & corporum saluator suis ouiculis deesse nec auxiliator nec liberator. Quod igitur Petr⁹ & Paulus viui per Græciã & Italiã stupẽda miraculorũ operatione perfecerant, id post duo aut tria secula D. Sphanus mortuus per Africã, Geruasius & Prothasius per Insubriã, alij per alias prouincias mirificè præstabãt: quorũ miraculorũ Catalogũ qui desideret verissimũ, cõsulat Augustinũ de Ciuit. Dei. li. 22. ca. 8. Verùm & hîc quoq; quosdã miraculorũ quasi gradus Christũ obseruasse, ipsa rerũ veritas veteribus ex historiis obseruata apertissimè loquitur. Nam nõ omnes sanctos omnibus planè in vniuersum malorũ generibus depellẽdis fuisse Dei consilio licèt obscuro, certò tamẽ, efficaces vel Augustini seculũ luculẽter testetur, quo nõ omnia apud omnes omniũ sanctorũ memorias perficiebãtur miracula, quæ apud quorũdã tãtùm peragebantur. Sed verba D. August. ep. 137. ad clerum suum populumq; Hypponensem ascribẽda duximus. Vbiq; quidẽ Deus est, inquit, & nullo cõtinetur loco, vel includitur, qui cõdidit omnia. Verũtamẽ ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt quis potest Dei cõsiliũ perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiãt, in aliis nõ fiãt? multis enim notissima est sanctitas illius loci, vbi beati Felicis Nolẽsis corpus cõditũ est, quò volui vt pergeret Bonifacius presbiter (à quodã stupri accusatus) quia inde nobis faciliùs, fideliúsq; scribi potest, quicquid in eorũ aliquo diuinitùs fuerit propalatũ. Nã & nos nouimus Mediolani apud memoriã sanctorũ, vbi mirabiliter & terribiliter Dęmones cõfitẽtur, furẽ quẽdã, qui ad eũ locũ venerat, vt falsum iurãdo deciperet cõpulsum fuisse furtũ cõfiteri, & quod abstulerat reddere. Nũquid nõ & Africa SS. Martyrũ corporibus plena est, & tamen hîc nusq̃ scimus talia fieri? Sicut enim, quod Apostolus dicit, nõ omnes Sancti habẽt diiudicationẽ spirituũ: ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista voluit fieri, qui diuidit propria vnicuique vt vult. Quibus ex verbis clarissimè demonstratur, etiam Diui Augustini ætate quædam SS. Martyrum miracula quibusdã in locis fieri,

D. Stephani miracula per Africam anno 300.

Geruasii per insubriam.

Non omnes SS. omnibus ornati Spiritus sancti donis aut omnia faciebãt miracula

Cur non omnia vbique fiant miracula Augustini ætate.

Miracula Mediolani fiebant quæ nõ in Africa.

quibusdam non fieri: alia Mediolani, quæ non in Africa: alia Nolæ, quæ non Hypponæ. At qua tandem de causa? Sanctorúm ne effœta miraculorum vi? O blasphemiam. Deí ne inuidentia, aut nostri negligentia? O deméτiam. Deus qui omnia condidit, nec vllo contentus loco, vbique omnibus æqualiter planè adest præsens, ista peculiaria quorundam Sanctorum miracula alicubi non vbique fieri volens operatur, qui sua cuique Sanctorum dona distribuit, sicut voluit. An igitur Augustinus illos duos suæ familiâs clericos ad sacras D. Felicis Nolensis reliquias Ethnico exemplo, velut ad Apollinis Pythij phanum, veritatis explorandæ causa ablegasse sit existimandus? an D. Felici hanc procurationem (vt loquuntur) commissam D. August. crediderit? aut SS. Protasio & Geruasio Mediolanensibus procurationem fures prodendi? Quid isthac impia blasphemia vel dicatur magis maledicum? vel cogitetur magis sacrilegum? Quæ & D. Augustinum Paganismi suggillat, & Sanctos ex Dei voluntate certis miraculorum donis ornatos cum idolis Iunone, Marte, Castore componit? Nec hodie igitur populus Christiauus citra atrocem blasphemiam dicendus est ex Ethnicorum exemplis eas accepisse ortas persuasiones, quòd ab Anna petat diuitias, à Georgio victoriã, à Valentino sanitatem, à Sebastiano pestis depulsionem, ab Anthonio ignis sacri extinctionem, à Quirino fistularum curationem, ab Apollonia dentium remedia, à Barbara periculorum euitationem: quum ex Diui Augustini testimonio alia SS. miracula fiant alibi, alia item alibi secundum Dei voluntatem, qui diuidit cuique sua dona pro benigno voluntatis suæ arbitrio. Quòd si apertissimis istis testimoniorum locupletissimorum vocibus conuicti, quibusdam Sanctis certa donorum genera diuinitùs esse tributa, aliis negata, inficiari citra dementiam non potestis, videte ne vos homines acriori iudicio rideant meritissimè, vt olim Cicero Stoïcos, quòd animas negarent immortales, & tamen à morte aliquot annis superesse faterentur.

Hodie idem facimus Catholici in Sãctorũ patrocinio certo, quod Augustinus.


Si igitur grauissimi illi Catholicæ religionis censores Basilius & Augustinus non vanæ superstitionis, sed

Homil. in 40. Mar-

veræ religionis esse censuerunt Sanctos quosdam, præ aliis omnibus, certis quibusdam malorum generibus repellendis à Deo Optimo esse nobis datos, an vos citra irreligiosam infandæ impietatis blasphemiam certa ista Sanctorum dona atque patrocinia ad Ethnicas transferatis persuasiones? *tyres. Augustinus epist.137.*

Quis igitur furiales istas Melancht. voces non iustissima indignatione execretur, quibus pias Christiani populi persuasiones à Basilio, Theodoreto, Augustino, non tam præscriptas, quàm Ecclesiæ vsu demonstratas, ex Ethnicorum exemplis ortas, blasphemando nefariè bacchatur? Tales nobis immodica bonarum literarũ studia Dei nec timore nec vallata, nec Catholicæ Ecclesiæ veneratione refrenata pariunt fructus, vt ex Christianis faciant impios, ex impiis hæreticos, ex hæreticis paganos.

Caput XXXIIII.



Sed non se potuit Melanchthon hæreseos œstro ex ipsis iã ephebis semel percitus cohibere, quin in apertiora paganismi barathra sese daret præcipitem. Itaque infelix iam seniculus prophana, quæ hactenùs ex paganismo pestilẽtissimo collegerat venena, impuro ore non dubitat in Catholicam Christi Ecclesiam euomere. Prostrati ad statuas, inquit, inuocant alij alia numina: ab Anna petuntur diuitiæ, vt à Iunone: à Georgio victoria, vt à Marte: ab aliis alia. Denique hi furores contumeliosi sunt aduersus Deum. Hæc ille, cum toto Vvirtembergensi conciliabulo in Confess. Saxonicæ doctrinæ, Concilio, vti aiunt, Tridentino oblatæ. *Catholicos Sanctis supplicando non inuocare alios alia numina.*

Quis non bonorum doleat, non illa tanta Melanchthonis bonarum literarum atque omnis propè generis disciplinarum ornamenta ad meliorem saniorémque mentem esse conuersa: sed quæ ab Ægyptiis capta essent spolia, non ad illorum, vti decuerat euersionem, verùm Christianæ religionis oppugnationem, eiusdémque delendæ machinas esse conseruata? An orbi obscurum semper fore tuum existimabas facinus Melancht. quòd eis- *Reuiuiscunt apud Saxones Ethnicorũ argumẽta cõtra Christi Ecclesiam.*

dem prorsus telis Catholicam inuadis Christi Ecclesiā, quibus olim ante annos 1200. ab Ethnicis fuit sæpè oppugnata? à Philosophis acriter conuulsa? ab hæreticis quoque plurimis exagitata? Quod dum agis, quid agas, prudenter velim mecum consideres. Prostrati, inquis, ad statuas inuocant alij alia numina. Quid ita Melanchthon? an quos in auxilium nostrum vocamus, statímne nobis numina constituamus? O vocem impiam: an quos nostris causis apud Deum Max. nostra aut culpa desperatis, aut improbitate deploratis inuocamus patronos, statim numina nobis efficiamus? O atrocē blasphemiā. An Diuus Paulus, dum orationes efflagitat & Ephesiorum, vt orent pro ipso, quò liberè Christi Euangeliū inuulgaret: & Colossensium, vt Deus ipsi aperiat ostiū sermonis ad loquendum Christi mysterium: & Thessalonicensiū denique, vt sermo Dei currat, & clarificetur, vtq; ab improbis & importunis hominibus liberaretur, an, inquam, istorum deprecationes sibi Paulus postulans, eós ne sibi continuò numina constituerit? Quod si nullius vtut isthac hæreseos rabie furiosi aures patienter ferant, cur eos qui istud ipsum à Paulo iam cum Christo in cælis regnante postulent, sibi Paulum constituere numen aliquod dixeris? Quid enim planè aliud à Sanctis Catholica sibi petit Christi Ecclesia, quàm vt orent Deum Opt. Max. nostris flagitiis meritò iratum, nos vt votorum nostrorum efficiat compotes, quicquid id tandem fuerit, quod Spiritus Christi pro nobis interpellans, quod est sua vnctione atque afflatu suggerens, præcipit à Deo postulādum. Quòd quò impetretur faciliùs, & exaudiatur gratiùs, Pauli exemplo adhibemus comprecatores, vt si non nostri causa tribuat Pater, suorùm saltem Sanctorum gratia pro nobis vnà nobiscum interpellantium propitius largiatur.

Sanctos quos inuocamus, non facimus Deos, sed Dei seruos.
Ephes. 6.
Coloss. 4.
2. Thess. 4.
Sāctos orando D Paulū imitamur, qui Sanctos Dei viuos rogat, vt pro se orent.

Caput XXXIIII.

Sanctos cum Christo regnantes nostras cognoscere preces.



T Paulus viuos, inquias, rogat, vt pro se Deum orent, vos verò mortuos. An quis sit ita infeliciter in Christiana doctrina institutus, vt cum Philosophia Pythagorica exi-

ſtimet mortem omnium rerum iſtarũ inducere ob liuionem? Non ita, mihi credite, non ita mors humanam afficit animam, vt omnem ei humanitatis ſenſum excutiat? nequaquàm ſanè ita obliuioſis ſeſe proluunt lethæis aquis, quod eſt in Poëtarum fabulis, vt noſtri nõ ampliùs meminerint, aut ſui erga nos ſibi gratiſſimos vel parẽtes vel filios curam abiecerint. Verùm eſto, noſtri curam ſibi retineant, aiat aliquis, noſtríque deſiderio teneantur, ſed tanto à noſtro mortalium orbe interiecto ſpacij ingentis interſtitio ſeparati, quum nec voces audiant, nec animi noſtri vota motúſue percipiant, nec cordis ſenſa videant (Deus enim ſolus eſt χαρδιογνώςης, cordis cognitor) quomodo non fruſtrà Sanctis preces veſtras funditis, vt ſurdis ſtultè cantaris? Iſthoc humanæ ratiocinationis ariete Sadducæi olim inter varias Iudæorum, Geniſtarum, Meriſtarum, Galilæorum, Baptiſtarũ, & Hellenianorum ſectas corporum reſurrectionem dementes exagitabant, ſtupendum certè Dei Maximi miraculum caligantibus cæcæ humanæ ratione oculis perſpicere conati: quod dum aſſequi nequirent, ſuæ potiùs ſtultæ rationi, quàm veriſſimæ Iudæorũ Fidei miſeri credentes, à vero aberrarũt. Quare quod illis olim à Chriſto reſpõdebatur, idipſum & vobis dictum putetis: Num ideo, inquiebat, erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei? Si & vobis admiranda Dei potentia, licèt nõ perſpecta, ſaltem tenuiter eſſet cognita, aut fortè credita veriùs, quid de ſtupendo miraculorum noſtræ religionis modo ambigeretis dubij, imò diffideretis increduli, quũ de rè ipſa, cuius modus vos, præter legitimum Dei myſteria perſcrutantes modum, meritò latet, apud vniuerſos Catholicæ Fidei Chriſtianæ Patres nihil omninò ſit dubitationis relictum? an non eâdem hac curioſa de modo rerum certa vobis fide creditarum perſcrutatione firmiſſimos, adeóque vobis indubitatiſſimos fidei noſtræ articulos liquidò quis euertat? Si incomprehenſibilem Trinitatis ſacroſanctæ modum Sabellius moleſtè vrgeat, aut Eunomius impudẽter efflagitet, an vos eis modum ita perſpicuè expoſueritis, vt ad mentis ſanitatẽ redeant? an non illud nobiſcũ ingenuè agnoſcere cogami-

Vide Diuũ Iuſtinum aduerſus Tryphonem.

Matth.12.

Qui modum myſteriorum citra modum requirunt, opprimuntur à gloria.

Diuina intelligere non possumus, nec perspicere.

† Nazianz. lib. 5. Theolog.

ni, quod doctissimus Theologus candidè profitetur: † οὐδὲν ἐστιν ὅ μοι τὴν διάνοιαν ἵστησιν ἐπὶ τῶν ὑποδειγμάτων θεωροῦντι τὸ φανταζόμενον; nihil est, inquit, quod mihi Deum meditanti mentis cogitationem sistat, quando conceptas rerum formas contemplor? Quòd si istud doctissimo viro in copiosissimo Græcæ etiam linguæ omnibus animi sensis præter alias omnes explicādis aptissimæ cornu vsu venit, quid in Latinæ linguæ, nedùm alterius cuiuscunq; sterilitate (quæ vti Nazianzenus testatur: διὰ στενότητα καὶ ὀνομάτων πενίαν οὐ δύναται διελεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας τὴν ὑπόστασιν propter sui angustiam & verborum inopiam ousiam ab hypostasi non potest separare, cóque personas huius loco induxit, ne tres essentias & ousias susciperet) quid, inquam, alibi sperandum nos posse eruere, quod astrusum miraculorum Dei modum apertè demonstret? an quia Iudæi virginis matris partũ, quónam modo vera fuerit, saluo prorsus virginitatis hymenæo mater, non credunt, nos ideo Christianos quoque ab isto fidei articulo deturbet? An quia impius Auicenna stupēdum admodùm atque omnibus angelicis etiam mentibus, nedum crassis nobis hominibus imperuium sacræ Eucharistiæ modum tenui suo ingenioli modulo non comprehensum riserit, nobísne idcirco de re verè præsenti vllo pacto dubitandum existimemus? apagesis insana cum isthac Academicorũ ambiguitate Christianis pectoribus propinanda apagesis. Sic corporum resurrectionis modum quis ita humanis exemplis persuadeat, vt nullus ambiguitatis reliquus sit scrupulus, nisi eos fidei firmitas atque plerophoria, vt Paulus ait, plenáque animi persuasio deleat? Multa eiusmodi proferre possum, sed genus ipsum videtis. Verùm hisce solet callidis artibus vaferrimus humanæ salutis insidiator Diabolus Christianorum mentes à certa veritatis semita longiùs quàm veræ salutis ferat ratio, abducere: posteaquàm Christi fidem prorsus ex eorum animis delere non valuerit. Vbi enim fidei dogma firmius animo Christiano persuasum viderit, quàm vt bona ei spes fiat, se illud

Naziā. Cat. oratione in D. Athanasio.

Plurima credimus, quorũ ignoramus modum.

Cur Diabolus rerum obscurissimarũ modum suggerat inuestigandum.

posse

posse totum euertere, modum quo fiat in cogitationem, adeóque examen protrahit: quem si humana mens aut sui amore cæca & serpentinæ fraudis illius immemor, aut eruditionis typho tumida, aut fidei cancellos (quæ est non apparentium rerum argumentum atque persuasio) prætergressa studeat perplexis obscurissimarum rerum quæstiunculis indagare, iam non semicapta solùm, sed & captiuata tenetur misera. Istiusmodi enim tenebrosis diuinarum rerum sciscitatiunculis suis, tanquàm arbor fructibus, sese prodit ille tenebrarum princeps, istarum obscurissimarum quæstionum parens, vti est apud Nazianzenum. Sicut est enim vafer, ac mirificè si- *Nazianzen.* mulandi & dissimulandi peritissimus, ita omnem verita- *2. de Theolo.* tis simplicitatem infestissimè odit. Ideóque ingenua illa & simplici scripturarum & dogmatũ tractatione in contemptũ adducta, τὸ σκόλιον ϗ γριφῶδες ἐπεισάγει, ait ille, tortuosum atque sphyngium quæstionum genus obscurissimum inuexit.


Quare diabolicos istos quæstiuncularum gryphos, certissimáq; salutis præcipitia fugiẽs, simplicem exponã veritatem. Quorsum namq; de modo, quo Sãcti nostras cognoscunt preces, accuratius disputare est opus, quos earum esse conscios clarissimis veterum testimoniis efficiemus palàm? Quid enim referat mea, Christúm ne viderim præsens resurgentem, aut in cælos redeuntem, an absens audierim, aut legerim, modò id contigisse indubitatò sciam? Verum hîc nimis Sadduceïsmum resipiunt Lutherani, nimísq; suo illi animali homini cõgruenter inuestigant de Sanctorum Spiritibus, qui & Angelorum *Sanctos no-* similes & Dei præsentia vtuntur beatissimi, & agnum, *stras preces* quocunq; ierit, sequuntur felicissimi. Si igitur nihil du- *cognoscere.* bitamus Angelos nostrarum orationum esse conscios, *Matth.20.* quid de Sanctis ambigendũ, quos Angelis Christus pro- *Marc.12.* misit futuros similes? At orationes (inquias) cognoscant: *Luc.20.* sed non item cordis vota atque suspiria, quum Deus so- *Sapien.1.* lus sit cardiognostis. Deus certè solus sua naturæ omnia *Sancti dono* continentis præsentia abstrusissimos quosque cogita- *Dei nostras* tionum sinus perspicit, atque habet exploratos: verùm *cognoscũt pre-* hanc perlustrationis, aut si mauis, perspectiuæ prærogа- *ces & vota*

quod vel mortalibus cōcedit non rarò. tiuam immeritò admireris Sanctis cum ipso regnantibus diuina benignitate esse communicatam, quam Deus clementiss. vel miseris adhuc mortalibus impartiri non est dedignatus. An quis profligata adeò fuerit aut temeritate, aut impudentia, qui Danielem cogitationum Nabuchodonosor fuisse conscium inficietur? Si igitur illa animi visa, quæ Nabuchodonosor Regem terrebant fugientia, & mente confusum latebant ignorata, Daniel Propheta disertis adeò verbis Regi in memoriam reuocare potuit, quod certè nisi eorum conscius non potuit, quòd videlicet dum COGITARE cœpisset in strato suo, quid esset post hæc futurum, Deus qui reuelat mysteria, illi somnium illud imaginis mira æramentorum ferruminatione conflatæ dudum ostendisset: quid de illis sentiendum, qui æquis passibus agnum illum sequuntur, qui cælitibus omnibus est λύχνος atque lucerna? an clementissimus pater filiorum suorum gloriæ multò studiosissimus ignorare ipsos sinat, quod in maximum eis honorem cedat? an celare inuidus sit credendus (etsi non persentiscamus assiduè Sanctos percipere atque cognoscere) quod eos suauissimo recreet gaudio? Quid ni enim Sanctos nostra vita in melius commutata, aut cælestis patriæ desiderio inflammatior reddita illos oblectet suauiùs, quos & impiorum improbitas vnà cum Angelis mœrore afficit dolentiùs? Sed quid hîc diffusiùs amœnos delibamus scripturarũ flosculos, quos venenata sua astutia irreligiosa impiorum calliditas atque versutia multis cauillorum commentis conetur corrumpere? quum prisca veterum semel omnium ita conspiret consensio, vt qui eis serio veritatis studio animaduersis ampliùs, an Sancti nostras cognoscant & preces & vota ambigat, non immeritò sciens & prudens insanire sit censendus. Quis igitur istud non agnoscat verissimum, qui meminerit Apostolos adeò ipsos Innocentium festum perpetuò in Ecclesiis celebrandum mandasse, vt eorum intercessio (quod testatur Origenes) omnibus prodesset? Cur, inquam, Apostoli ipsi à Dei Spiritu omnis veritatis Euangelicæ magistro instituti, Innocentium festum perpetuò mandarint cele-

Apoca. 14.
Apoca. 21.
Luc. 15.

brãdum, vt sua intercessione apud Deum omnibus prodessent, si inuocati nostras non cognoscunt orationes? Nisi enim nostrorum sint votorum conscij, frustrà eorum memoria celebratur, vt ipsorum intercessio prosit: frustrà apud illos gemimus: frustrà eorum auxilium nobis imploramus.

Caput XXXV.



Ed quónam tandem modo cognoscũt, videndóne? certè non vbique adsunt præsentes: an audiẽdo potiùs? atqui nostræ orationum voces in cælum vsque non reboant. Quo igitur modo? Ita solent impij cæca mentis rabie perciti, ad stupidum brutorum sensuum refugere arbitrium, quando diuina mysteriorum nostræ fidei lux cœperit illustriùs effulgere. Sed quemadmodum Sacramẽtarij quæstiunculis aliquot à sensibus istis crassissimis miro stupore petitis, & vestram illam Eucharistiam pane sordidatam, & nostram mera panis specie ac Sacramento obtectam re ipsa verissimam insani exagitant, vbi & vos merito illorum stuporem crassissimum flagellatis: Ita hîc vos sensuum iudicio freti, pueriliter admodùm fallimini. Nam beatissimi Sanctorum Spiritus Angelis (vt Christus promisit) æquales, quemadmodum non nubent, necnuptui tradentur: Ita nec sensuum istorum cum brutis communium officiis nunc vtuntur: ac proinde cùm nemo nisi humani planè nominis oblitus, de Angelis quærat, quónam modo nostras orationes cognoscant, videndóne? certè vt nec vbique sunt pręsentes, ita nec oculos habent: an audiendo potiùs? atqui nec aures ipsis sunt: Ita vos insulsis istis, bardis, stolidísque scitatiunculis vos ipsi præ impotenti contentionis rabie proditis rationis expertes. Cùm namque Sanctorum animæ meri, purissimíque sunt Spiritus, præter omnem & Philosophiæ rationem, & sensus vel communis iudicium de sensuum istorum corporeorum officiis illos vexatis. Stultè igitur, an videant, quæritur, stultè an audiant, stultè quónam modo Sancti nostra cognoscant.

Quónam modo Sancti nostras cognoscant preces & vota.

Impij ad sensus iudicium confugiũt in Fidei dogmatibus.

Matth.22. Luc.20.

Stultè quæritur quónam modo Sancti nostra cognoscant videndo an audiendo.

Sãctis idem est videre & audire, iuuare et manum porrigere.
1 Nazianz. in Monodia.
2 Hymno D. Laurent.
3 Confes. lib.
Varia sensuum & cognitionũ officia Sanctis tributa idem significant.
4 Libro 2. Threnor.
5 1. Thess. 1.
6 Orat. ad Virg.
Sãcti omnia vidẽt vbiq;.
Vbique sunt.
Nũquam separantur.
Sancti sunt patroni.
Defensores.
Mediatores.
Adiutores.
Spes desperantium.
Salus omniũ.
7 Vide Basilium lib. de Virgin.
8 Sermone de Martyr. Taur.

Sanctis siquidem beatorum spiritibus idem est audire, quod videre (vt D. Augustinus annotat) itẽ videre quod audire. Quare cùm Sanctos inuocant pij nostræ religionis proceres, interdum, vt videant, rogant, vt 1 Nazianzenus Basilium suum: interdum vt audiant, vt Prudentius 2 Laurẽtium suum: interdum vt sui apud Deum sint memores, vt Augustinus 3 suum Nibridium: Interdum vt procidant misericordiis Dei pro se, vt 4 Origenes: vtque manus porrigant, & precentur, vt Chrysostomus 5 Hom. interdum vt iuuent, 6 vt D. Ephrem. Quibus variis in speciem officiorum vocibus vnam prorsus rem ab omnibus omnes postulant veteres, vt videlicet nostri dignanter memores Sancti nos Deo suis precibus, nostráque commendent, deprecentur mala, imprecentur bona.

Quo igitur pacto citra apertissimam furoris insaniã quis sanctos Dei præsentia beatos inficietur nostras viuentium orationes cognoscere, qui videntem omnia vident? qui oculo incorporeo (quod habet Basilius 7 de Virg.) planè in vniuersum omnia, & vbiq; vident intuẽtes, & comprehendunt cognoscentes? qui & vbiq; sunt, ait 8 D. Maximus, & omnibus prosunt? qui á suis gregibus, ait Petrus 9 Chrysologus, nunquàm separantur spiritu? quorum insuper memoriam Apostoli 10 mãdarunt perpetuò in Ecclesiis celebrandam, vt eorum intercessio omnibus prosit? quos 11 Martialis vnus ex 70. Christi discipulis etiam ara D. Stephano extructa docuit inuocandos? quos sibi patronos, vt 12 Prudentius, & 13 Augustinus: defensores post hanc vitã, vt 14 D. Maximus: mediatores, vt 15 Basilius, & 16 Nazianzenus: quos denique adiutores, vt 17 D. Maximus: spem desperantiũ & salutẽ, vt 18 D. Ephrem Basilij discipulus, appellant atq; inuocant, suísque fidei Catholicæ alumnis cùm suo ipsorum exemplo, tum diserta oratione inuocandos docent, atq; præscribũt? Quod si quem mirandæ cognitionis modus adhuc obturbat, atque remoratur, is stolidam animi sui

9 Sermone in D. Apollinarem. 10 Origen. in Matth. 11 Epist. ad Burdega. 12 Hymno Laurentij. 13 De Cura ca. 4. 14 Serm. de Sãctis. 15 Epist. contra Iulian. 16 Epist. Basil. 88. 17 Sermone de Sanctis. 18 Oratio D. Virgin.

pertinaciā ſexcentis aliis rebus vincat oportet, quas fieri nihil ambigit certiſſimus: quo tamen fiant modo, neſcit idem certiſſimus, neq; id ſolùm in rebus noſtræ religionis propriis vſu euenit: verùm & in ipſis etiā, quæ in oculos, adeóq; tactum ipſum, quem tamen eſſe omniū certiſſimum aiebat ille, aſſiduo ſui vſu incurrūt. Nam nec animalium, nedum Spirituum, nec elemētorū naturas quiſquam mortalium habet aut perſpectas aut cognitas, tātùm abeſt, vt ſuum ipſe corpus, nedum animam, tot ſtupendis artificis naturæ miraculis admirādum, quot mēbrorum articulis numeroſum quis pernoſcat. Quæ vniuerſa quum miſellum noſtri ingenioli modulum infinitis certè partibus ſuperent atq; excellant, quæ nihilo tamen minùs ita, atque credimus, ſeſe habere dubitamus, quin & hîc in neceſſario ſalutis æternæ negotio Catholicę Chriſti fidem habemus Eccleſiæ, vni veritatis Euangelicæ colūnæ? quid ni lubentes, volentes, alacréſque hîc vniuerſas ſemel ingenij caligantis vires in fidei Cathol. tot aliis ſui partibus indubitatò creditæ obſequiū captiuemus? prodamus? tradamus? Nihil nos hîc igitur obſcuriſſ. adeò rerum offendat ignorātia, quum tot, tantarūq; aliarum non diuinarum modò, ſed iſtarū etiā humanarū inſcitiam feramus patienter. Magna enim, ait Auguſt. patientia multa hic nobis ſunt neſcienda. Cæterùm vt maieſtatis diuinæ ſcrutator à gloria opprimitur, ita qui diuinarum rerum modum præter modum tranſcendere conatur, ab impietatis labe non eripitur. hoc ipſum ſiquidem, vt eſt apud D. Saluianum, genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias, quàm ſinaris. Ne quis tamen ſuſpicetur nos hæc non tam reprimēdæ iſtius temeritatis ſacrilegæ, quàm difficilem rei obſcuriſſ. explicatum ſubterfugiendi ſtudio dicere, agedum hāc perobſcuram quæſtionem, Quónam modo Sancti noſtras cognoſcāt orationes, affuſa luce ſtudeamus illuſtrare. Præſenti igitur quæſtionis huius nodo diſſoluendo nihil equidem in præſentiarum video aptius atque congruentius, quàm quod D. Auguſt. ſimili argumēto, imò eidem ipſi, reſpondet de mortuorum pro viuis cura. Quo in loco, quia rem diffuſiùs pertractat, non patitur hoc inſti-

Quomodo Sācti preces cognoſcant, non eſt quærendum, vbi cōſtat eos cognoſcere.

Modus quo Sācti noſtras cognoſcunt preces.

Spiritu Dei reuelāte Sācti noſtratia cognoſcunt.

tutum inde repetere verbosiùs: sed nos summos rerum apices delibātes, ipsum ad fontem, vnde istud hauriatur copiosiùs, studiosos remittimus lectores.

Quod igitur August. lib. de Cura pro mortuis ca. 15. ait: Mortuos non solùm præterita vel præsentia, sed etiā futura (Spiritu Dei reuelāte) cognoscere, idipsum de Sāctis Dei Martyribus aliisq; ad vnū omnibus cū Christo regnantibus beatis dicimus, Sanctos nostras preces atq; vota Spiritu Dei reuelante cognoscere. Cuius rei si quis luculentiorem desideret explanationē, is eam ex cap. 16. petat, vbi Augustinus: Alia sunt, inquit, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Ideo potiùs intelligēdum est, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturā propriā viuorū rebus interesse non possunt. Hanc D. Augustini doctrinā solida niti veritate agnoscet, quisquis animaduerterit Deum Opt. suos Sanctos etiàmnum viuos hac rerum occultarum notitia dignatū. An non Helizæus absens longissimè cognouit, quídnam Giezi cum Naaman egerit? Nónne cor meū, inquit, 4. Reg. 5. in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? An istud Syros latuit, qui Regi suo de insidiarum suarū proditoribus suspicanti respondebant: Helizæus Propheta, inquiūt, 4. Reg. 6. indicat Regi Israël omnia verba, quęcunq; locutus fueris in cōclaui tuo? Ad eundem modū & in nouo Testamēto D. Paulus docet, Deum Christianos suo Prophetiæ dono dignari, quo vel occulta cordiū ipsis sint manifesta. Si omnes prophetēt, inquit, 1. Cor. 14. intret autē quis infidelis aut idiota, cōuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta enī cordis eius manifesta fiūt. Quod si verum est, vt est verissimū, quia Dei verbū, Sanctis viuis occulta cordis esse manifesta; quid mirum, si iam beati eodem reuelāte Spiritu Dei nostras cognoscāt preces? Si id præstat Deus cultoribus suis hoc in exilio miseris, vt dono Prophetiæ occultissima quæq; consilia cognoscant, imò vt Paulus ait, τὰ κρυπτὰ τ̃ καρδίας αὐτ̃ φανερὰ, ꝙ abstrusa cordis illius infidelis aut idiotæ illis fiāt manifesta, quid anxij laboramus, ecquo tandē modo Sācti iam cū Christo beati nostra co-


Sācti intersunt rebus viuentium per diuinam potentiā.

Sancti etiānum viui occultissima hominum consilia cognoscunt Dei spiritu.

Sancti etiānum viui occulta cordis alieni habēt manifesta.

gnoscant vota aut orationes? Certè qui aliquid videt, aliud hîc dicere non potest quàm quod dudum dixit Au- ››
gustinus, Sanctos non solùm præterita & præsentia, sed ››
futura etiam Spiritu Dei reuelante cognoscere.

CAPVT XXXVI.



Ed Christum habemus, inquiunt, aduocatũ apud Patrem, cuius promissione freti, vel solius eius pro nobis intercessione atque oratione nihil non omnium impetraturos dubitamus. An non & Paulus istam Christi promissionem tenuerit? Si non, certè Christus ei mutilum cælitùs tradidit Euangelium: sin autem, cur igitur illa non côtentus Christi promissione alios quoq; fatigat, assiduas illorum efflagitans pro se, Christíque adeò negotio, orationes? quod tamẽ haud dubiè Deo Patri longè omniũ erat & gratissimum, & omnibus modis quàm commendatissimum? Quòd si ille tantus Christi Apostolus Paulus (verissimum electionis vas) causas vidit, cur vnà cum Christo pro ipso haud dubium interpellante alios adhibuerit apud Deum Patrem pro se precatores, an non & nos miselli homũculi peccatis vt quotidianis, ita & Dei Optimi iram grauissimè promerentibus, aliorum quoque preces nobis rectè asciscamus subsidiarias? quidni & nos igitur nobis ipsis de promissa Patris benignitate atque exaudiendi facilitate diffisi, eos nobis aduocemus comprecatores, quos scimus procul dubio Deo Optimo ita esse gratissimos, vt nos meritò veremur illi esse offensionum de causa, si non hostiliter fortassis exosos, at minùs tamen, quàm vt facilè exaudiamur, gratiosos?

Ioan.16. Ephes.6. 2.Thess.3. Non esse in Christũ côtumeliosam Sãctorũ inuocationem. D. Paulus alios præter vnum Christũ adhibet côprecatores & mediatores.

.Verum est tamen illud Christi: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, nec illi Sanctorum inuocationi vlla ex parte pugnans. Siue enim nos soli Patrem petimus, siue nos magna quædam turba, non nisi iuxta Christi præscriptum in Christi nomine petimus. An non D. quoque Paulus & suis & Ephesiorum nixus precibus, petebat à Deo Patre per Christum, vt daretur sermo in apertione oris cum libertate ad promulgandum mysterium Euangelij, vt auderet loqui, prout oportebat? An Christi promissioni diffisus Paulꝰ,

Ioan.16. Sãctorũ inuocatio non pugnat cum oratione in Christi nomine: sed Sãctos inuocãdo petimus patrẽ in nomine Christi. Ephes.6.

Corinthiorum efflagitarit comprecationes: Speramus in Deum, inquiens, quòd nos eripiet in posterum à periculis, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis? Si Paulus in Christum non fuit iniurius, nec in eius promissionem sacrilegus, quòd præter vnum Christum intercessorem etiam Corinthios adhibuerit comprecatores, quónã obsecro pacto nos Catholici censeamur idololatræ, & in Christi promissionem impij, quòd nos nobis cõprecatores adiungimus, imò aduocamus aut supplicamus veriùs, Sanctos Dei amicos nostræ salutis studiosissimos? Dum igitur multis stipati amicis, imò fratribus & patribus, Deo in Christi nomine supplicamus, an quid contra singulare illud exauditionis solatium peccamus? minimè sanè, minimè. Atqui non petitis, inquias, in Christi nomine, sed in Sanctorum nomine. O calumniam plus quàm paganam: an non vbiq; gentium nostra Deum Patrem orat Ecclesia, suas cõcludens preces omnes, Per Christum Dominum nostrum? Dum igitur nobis solis diffisi alios aduocamus Sanctos, siue cælites siue superstites, adeò illud Christi promissum non violamus, vt magis, si vocem Christi vrgeas, impleamus. Quicquid petieritis, inquit, quod solus non facias: sed si alios habes comprecatores, iam demùm verum est, quod promissio prærequirit. Itaque de exaudiendo est, quod securiùs confidamus, si non soli Patrem in Christi nomine petamus. Quemadmodũ Paulus igitur hanc Christi promissionem optimè callens, nihil peccabat, alios sibi optans, imò implorans comprecatores: ita nec nos vllius suggillandi sumus aut impietatis, aut diffidentiæ. Quanquàm enim nihil dubitamus Patrem in Christi gratiam omnia facturum, quæ petimus, eúmque Patri suo esse omnium gratissimum: veriti tamen, ne Pater nobis peccatoribus offensior, frigidas atque languidas reiiciat, aut dedignetur oratiunculas, Sanctos illi gratissimos, quibus & negare difficiliùs queat, quod nobiscum postulãt, adhibemus precatores. Sic omnis olim prisca factitabat Ecclesia, vti ex superioribus liqueat omnibus vera videre volentibus: quod dum Germani Patrum nostrorũ verè Euangelicorum filij æmulamur,

illius piam pectoris verè Christiani humilitatē sibi suæ offensionis cōsciā imitamur, qui ex solēni Christianorum ritu ante annos plùs minùs 1200. D. canebat Lau.

Indignus, agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat:
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.

Vide Prudētij hymnū de S. Laurētio.

Hac igitur Christiani pectoris sibi aut offensarum, aut frigidæ admodum deuotionis cōscij humilitate nostri Maiores inducti, Apostolorumque exemplo persuasi, Sanctos Dei homines sibi adhibuêre comprecatores, atque inter ipsos & Deum Optimum mediatores, nisi mauis conciliatores, qui Patrem offensum intercedendo faciliùs, quàm suis ipsi precibus frigidis cōciliarent, vt cum eo in gratiam minori negotio redirent.

At quomodo, inquias, citra atrocissimam Christi iniuriam fiat, qui vnus est mediator & intercessor, quòd ei quasi aut imbecilli auxiliatores, aut impotenti adiungitis comprecatores? Catholica Christi Ecclesia sponsa suo sponso castissima, ac serua item redemptori suo gratissima, vnum suum Dominum agnoscit Christum Iesum, cui soli reconciliatoris partes tribuit, & singulare item inter Deum & homines officium mediatoris. Quòd si Sanctos igitur inuocat Ecclesia mediatores, aut intercessores, alia id fit longè ratione, atque Christus nobis creditur, aut intercessor, aut mediator. Sicuti enim verissimè Scriptura singulare illud citra controuersiam omnem saluandi munus vni Christo Iesu vel ex Etymo proprium etiam aliquando tribuit aliis vt verè, ita citra omnē Christi iniuriam aut contumeliam, quia longè alia quàm illi ratione: ita & mediatoris non tantùm nomen, sed & rem aliis eadem Scriptura communicat. De Timotheo enim Paulus affirmat: Attende tibi ipsi & doctrinæ, inquit, permane in illis. Hæc enim faciens, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου, & teipsum saluum facies, & qui te audierint. Sic & Diuus Iacobus: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errorē viæ suæ, σώσει ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ θανάτου, saluabit

Christus solus mediator quo pacto nō excludat Sanctos mediatores.

Alij à Christo saluāt teste Scriptura

1. Tim 4.

Iac 5.

Galat.3.
Moyses mediator est in Scriptura.

animā eius à morte. Moysen Paulus disertè docet fuisse inter Deum & homines mediatorem: Lex, inquit, propter transgressiones posita est, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Si hæc igitur vocabula, quæ principem officiorum Christi locum facilè tenent, etiam aliis Scriptura citra omnem idololatriæ vel suspicionem tribuit, quę (malùm) insania de intercessoris vocabulo nos adeò cōtentiosè committit? Hîc si aduersarij planè idem fieri ingenuè velint agnoscere, quod modò de Mediatoris & Saluatoris vocabulis demonstrauimus, res sanè nō aspera crescet contentione, sed benigna componetur conciliatione.

Vide Augu. lib.2. contra Perm.cap.8.
Christus qui vnus & solus mediator dictus.

Proinde cùm sanctis longè alia ratione intercessorū aut mediatorum tribuimus titulos, non eo significatu, quo Christo Domino, qui pro nobis proprio suo & sanguine, & merito reconciliatis Patrem interpellat, ita vt ipse pro omnibus se mediatorem præbeat, & nemo pro illo intercedat, aut det mediatorem: cōtrà sancti solùm pro aliis, sed saluati Christi merito & intercessione, interpellant, non est impium, nec in Christi gloriam iniurium sanctos appellare aut mediatores, aut intercessores. Christo igitur intercessori nostro atque mediatori vnico (eo significatu quem dudum ex D. August. sententia libr.2. contra Permen. cap.8. declarauimus) nequaquàm alios adiungimus, aut quasi imbecilli auxiliarios, aut quasi exorationis impoti comprecatores: sed quia nos nostræ pudet aut offensationis, aut trepidationis ex mali conscientia obortæ, Sanctos fiduciæ maioris causa & facilioris exauditionis spe adhibemus, qui sese inter nos & Deum Opt. dent mediatores atq; conciliatores, & pro nobis supplicibus in gratiam recipiendis intercessores? sed iuuando & commendando, non vt Christus promerēdo atq; efficiendo. Certè in iustificationis, quam Scholæ primam dicunt, negotio equidē arbitror, saluo & hîc aliorum iudicio, Christum vnum & solum nobis esse & mediatorem & reconciliatorē, quòd Deus eum, ait Paulus Rom.3. proposuit propitiatorem in sanguine suo. Hunc in modum rectè cū August. negabimus

An negandum plures esse mediatores.

poſſe multos cõſtitui mediatores: ſed ſenſu tali, qualem Auguſtinus explicat libr. 2. contra Permen. cap. 8. quòd Chriſtus ſolus pro omnibus, & nullus pro ipſo intercedat: quod (ſicuti demonſtrat Donatiſtarum arrogantiæ criſtas conculcaturus, qui ſeſe præ eximia ſanctimonia iactitabant mediatores) nec in vllum mortalium, nec vllum cælitum atque beatorum competat. Verùm ſi generaliter accipias mediatores, qui ſeſe dant inter Deum & homines conciliandi cauſa medios, ſic & Diuus Auguſtinus vnà cum aliis Orthodoxis Patribus ſentit, Sanctos eſſe mediatores atque interceſſores, quemadmodũ in Pſalm. 85. in illud: Quoniam tu Domine adiuuiſti me: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inquit, adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis, & quæ ſeq. Quo autem modo interpellent, declarat vt alibi ſæpè, tum in primis, vbi ipſe Sanctos inuocat adiutores, vti D. Cyprianum: Adiuuet itaq; nos Cyprianus (inquit li. 7. cap. 1. de Baptiſ.) orationibus ſuis in iſta carnis mortalitate laborantes. Sic & Patronos dicit Sanctos, qui noſtras cauſas apud Deum Patrem exorandum agũt; vti ſuperiùs ex lib. Auguſtini de cura pro mortuis agenda, eſt demonſtratum. An nõ eodem recidat, Sanctos appellare, aut interceſſores, aut patronos, aut mediatores, ſed ſenſu nuper explanato viderit æquus rerum iſtarum arbiter.

S. Auguſtino ſunt interpellatores & patroni & adiutores.

Vide Augu. de cura pro mort. cap. 4. & 18.

Sanè D. Baſilius ſenſu haud dubium pio atq; Orthodoxo Apoſtolos, Prophetas, & Martyres agnoſcit mediatores: Qui pro me, inquit epiſt. contra Iulia. Apoſtatam, apud Deum ſupplicant, quò per illorũ mediatorem propitius ſit Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur.

Baſilio Apoſtoli ſunt mediatores.

Vide huius epiſt. fragmẽtum actis cõcilij 2. Niceni.

Adhęc D. Gregorius Naziãzenus, ob ſingularẽ Theologiæ ſcientiam meritò dictus Theologus, D. Baſilium diſertiſſimis verbis dicit mediatorem: Laudas ſanctum noſtrũ patrem Baſilium, ſcribit Simpliciæ, quæ epiſtola eſt inter Baſilianas octuageſimaoctaua, fidei columen & veritatis regulã: & poſt quędã eius encomia: τὸν τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπου μεσίτην Dei & hominis mediatorẽ.

Nazianzeno Baſilius eſt mediator.

Catholica igitur Eccleſia D. Pauli doctrina, ipſiúſque

adeò exẽplo erudita, & Basilij, Naziãzeni, Augustini, &c. testimoniis confirmata, sanctos Dei homines inuocat comprecatores: quos cum Chirsto regnantes tanta persuasum habent valere apud Deum Optimum impetrandi gratia, vt eos citra omnem Christi Dei iniuriam appellet, & intercessores & mediatores, adeóque non veretur idololatriæ crimen, vt non dubitet Christo rem longè gratissimam facere, quòd eius amicos omni honorum genere ab illo exornatos implorat auxiliatores, aut comprecatores. Tãtum abest, vt in Christum suum Dominum sit aut proteruè iniuria, aut procaciter contumeliosa, aut impiè sacrilega.

Epist. contra Iulianum.

Non igitur ad statuas prostrati adoramus, vt dicis Melanchthon, numina alij alia, sed apud imagines sanctorum in Ecclesia ex Apostolorum traditione, D. Basilio teste locupletissimo, depictas, aut erectas statuas nostra desideriorum vota vel effundimus prostrati humiliùs, vel offerimus astantes confidentiùs: qua in re non eis diuinos tribuimus honores, vt vel nobis sint Saluatores, vel peccati remissores, vel primarij apud Deum intercessores: sed indignationis iustæ nostris offensionibus veritæ deprecatores: sed veniæ nobis exoptatæ impetratores: sed nostræ denique infirmitatis, qua & orationes languent & desideria frigent, auxiliatores.

Caput XXXVII.

Non esse idololatriã sanctos inuocare



Stas Sanctorum à Catholicis inuocatorum partes qui ad diuinos dixerit honores pertinere, an vel nomen ipsum sano cuiquam mortalium rectè tenere videatur? Istas sanctorum partes, quas eis Catholica tribuit Ecclesia, dum piis eos inuocat supplicationibus adiutores, qui ad idololatriam referunt, an citra immane suę idolomaniâs scelus, quo suos sibi errores idola faciũt, haud secùs, atque auarus opes, apud piorum aures queant vnquam effutire? Sed isti sunt noui istius, quod dicunt, Euangelij non noui, sed vetustissimi fructus: quibus veras veri Euangelij doctrinas ab Apostolis Catholicæ Christi Ecclesiæ se-

mel traditas horribili adeò blasphemia infando idololatriæ crimine audent suggillare. Quod enim argumentorum pondere, aut rationum probabilitate, aut sententiarum testimoniis, aut denique scripturarum capitulis fuerat demonstrandum, id omnibus istis legitimis docendi artibus destituti vanissimo aliquot crepitantium vocularum idololatriâs & idolomaniâs strepitu, qui non animos solùm à veritate, sed & aures quoque ab istorum impietate audienda auertat, insano conatu moliuntur efficere. Verùm non terretur istis extremæ impietatis vocibus aërem tantùm vano crepitaculo verberantibus Catholica Christi Ecclesia super incōcussam, inuictámque Apostolicæ doctrinę petram firmissimè fundata: (licèt infirmiorum aliquot sui corporis articulorum lugendam pestis istius contagionem uehementer admodùm doleat) quòd non atrociores solùm contumelias indubitato Christi sui sponsi semper præsentis pręsidio inuicta sustinuerit, sed easdem istas nostræ istius tempestatis blasphemiarum procellas sit experta sæpiùs. Istam siquidem idololatrię labem, & idolomaniâs maculam Catholicæ Christi Ecclesiæ ante annos mille ducentos inferorum portæ per Ethnicos exprobrare, per Philosophos aspergere, per hæreticos affricare conabātur. Hinc assiduæ illæ veterum Theologorum ad Ethnicos pro Christianismo Apologiæ * tanta frequentia istam de Christiana religione suspicionem delere studebāt. Quid igitur, inquiebat Theodoretus, viri Græci aduersus nos indignationem concipitis, cùm nullum nostrorum hominum referamus in Deos, quanquàm debitos honores Martyribus persoluamus? Nos, Græci, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deíque amicissimos honoramus. Et Augustinus in absolutissima totius Christianæ fidei Apologia, quam de Ciuitate Dei inscripsit: Nec tamen, inquit lib. 8. cap. vltimo, nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquàm sanctorum hominum Dei. Nos Martyres nostros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus

Lutherani blasphemando volunt euertere quod legitima nequeunt ratione docere.

Ecclesia Lutheranorum maledictis non terretur qua ad ista iampridem occaluit.

Blasphemia idololatriæ frequenter Catholicæ Ecclesiæ obiecta.

Veterum Patrum Apologiæ quorsum scriptæ.

**Aug. de Ciui. Dei li. 8. ca. vlt et 22. cap. 10.*

Theodoretus libr 8 de cur. affect.

D. Cyril. contra 3. libros Iuliani Apostatæ, libr. 6. & 10.

Philosophi non ferebant martyres præ suis Diis coli

Eius epistola est inter Augu. 43.

Mygdon, Sanaë Nãphanion, Lucitas. aphricani Martyres.

colimus, nec sacrificia illis offerimus, &c. Et li. 22. ca. 10. prolixiùs. Istum admodum Ethnicorũ probra olim hac ipsa de re diluebãt Catholici. Iam quid Philosophorum argutationibus fuerit responsum, videamus. Sed impatientem me esse tanti doloris (scribebat Maximus Medaurẽsis Augustino) dissimulare non possum. Quis enim ferat Ioui fulmina vibrãti præferri Mygdonem: Iunoni, Mineruæ, Veneri, Vestæque Sanaën, & cunctis (prô nefas) Diis immortalibus Archimartyrem Namphanianẽ, inter quos Lucitas etiam haud minore cultu suscipitur, atq; alij interminato numero, Diis, hominibúsq; odiosa nomina, qui conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus factísque suis exitum maculati repererunt. Horum busta si memoratu dignum est reiectis templis, neglectis maiorum suorum manibus, stulti frequentant, ita vt præsagium vatis illius indignè ferentis emineat, Inque Deûm templis iurauit Roma per vmbras. Sed mihi hac tempestate propemodùm videtur bellum Actiacum rursus exortum, quo Ægyptia monstra in Romanorum Deos audeant tela vibrare minimè duratura. Cuius Philosophi idololatræ cauillis atq; conuitiis hũc in modum D. August. respondit: Ad summam tamen, inquit, ne te hoc lateat, & in sacrilega conuitia imprudẽtem trahat, scias à Christianis Catholicis, quorum in vestro etiam oppido Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique vt numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia. Istorum atrocem in sanctos Martyres blasphemiam singularem etiam dicas modestiam, si Faustum illum ex Christiano Manichęum sua non tam verba, quàm rabiei tonitrua, audias sonantem. Sed nec vestrum quidem schisma (scribebat 1 Faustus Mileuitanus Manichæus libro contra Christianam fidem Catholicorum, quos Semichristianos appellat) si me dixeris, verum est, quamuis Christum veneror & colo, quia alio cum ritu 2 colo, & alia fide quàm vos: qui desciscentes à gentibus, Monarchæ opinionem primùm vobiscum diuulsistis, id est, vt omnia credatis ex Deo:

Fausti Manichæi in Catholicos conuitia ob SS. cultum.

1 Vide Aug. contra Faustum li. 1. ca. 1. et 20, ca. 1.

2 Erat enim Manichæus hæreticus.

ſacrificia verò eorum vertiſtis in Agapas, idola in Martyres, quos votis ſimilibus colitis: defunctorum vmbras vino placatis & dapibus: ſolennes gentium dies cum ipſis celebratis, vt calendas & ſolſtitia. Sacrilegas iſtas Manichæorum in Catholicam Chriſti Eccleſiam blaſphemias D. Auguſtinus obiecta vera Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrina euertit: Quod etiam hinc nobis, inquit, calumniatur Fauſtus, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola conuertiſſe, non tam me mouet, vt huic calumniæ reſpondeam, quàm vt ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi ab ipſis Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe. Et paulò pòſt: Populus autem Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memoriis Martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorum corporũ aſſiſtens, altari aliquando dixit, offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit apud memorias eorum, quos coronauit. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines: at illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, Latinè verò vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, niſi vnum Deum. Cùm autem ad hũc modum pertineat oblatio ſacrificij, vnde idolatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam Martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Ipſi enim ſancti vel homines vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt.

Martyres qua religiõe & fructu coluerint priſci Chriſtiani ante annos 1200. Deo, non ſanctis offertur ſacrificium.

Colũtur martyres Auguſtino, non diuinis honoribus adorãtur

Latria non exhibetur ſanctis.

Caput XXXVIII.



HAſce Paganorum & hæreticorum in ſanctos Chriſti Martyres blaſphemias, ſuis vnà cum refutationibus diffuſiùs appendendas duximus, quò iſtorum hominum noſtro iſthoc ſeculo veteres tantùm calũnias odioſè recoctas eructan-

tium insaniam omnibus demonstraremus euidentiùs, vt agnita erroris vetustate minùs habeat fidei atque momenti apud sana adhuc ingenia, aut anticipatæ opinionis non stultè pertinacia. Cùm itaq; Melanchthon cum suis illis Saxonici Euangelij Symmistis (quos non quidem nomine audent dicere Episcopos, re verò audent Superintendentes, ne quid cum Catholicis sibi commune videantur seruasse) ita scribit: Prostrati ad statuas, inquiunt, inuocant alij alia numina, Ab Anna petuntur diuitiæ, vt à Iunone: à Georgio victoria, vt à Marte: ab aliis alia. Deniq; hi furores contumeliosi sunt aduersus Deũ. Hîc igitur vtrum magis admirer haud facilè dixerim, stupendámne eorum animi cæcitatem, qua sese in veteres veterum hæreticorum paganorúmque calumnias, disertè olim à Catholicis Patribus frequenter obtritas irruere, atque grauiter impingere nec vident, nec animaduertunt: an immanem potiùs insaniam, qua infestissimos verę Dei Maximi religionis hostes Paganos, & inexpiabiles Catholicæ Christi Ecclesiæ inimicos Manichæos impiè maledicendo atque sacrilegè blasphemando vincunt infeliciter atque superant? Siquidem Pagani illi vt Christianæ religionis atque doctrinæ rudes, ita nostrorum rituum, mysteriorúmq; prorsus expertes, credebant Christianos sanctis suis Mygdoni, Sanaë atq; Archimartyri Namphoniani & Lucitæ eos tribuere honores, quos illis suis Ioui, Iunoni, Veneri, Vestæq́ue: quorum templa dolebant præ illorum bustis iacere apud Afros contempta atque neglecta. Sed veniam merebatur horum latratus, quòd aduersus incognita Christianorũ mysteria obstreperet. At Melanchthon cum suis à puero in Christi Ecclesia enutritus & institutus, rectam colendi sanctos rationem nescire non potuit, nos vnũ & Martyrum & Sanctorum planè omnium & nostrum inuocare Deum. Vnde eius sacrilegum maledictum veniam mereri nequit, quo sciens & prudens affirmat, Catholicos ad statuas prostratos alios alia numina inuocare: Annam vt Iunonem: Georgium, vt Martem. Illi ergo Pagani, quòd nostros corporum in adorando atque inuocando ritus, & cæremonias in frequentandis Martyrum bustis

Lutheranas blasphemias Paganorum & Philosophorum in Catholicos ob SS. cultũ conuitia superare.

exteriores cum ſuis illis idolorum cultibus externa ſpecie viderent congruere, noſtram veram Dei religionem à ſua idolorum ſuperſtitione (quòd animi cultum Deo ſoli exhibitum non poſſent agnoſcere) rerum imperitia atq; inuocationis latriæ atq; duliæ inſcitia falſi errabãt: hi verò Saxonici Superintendentes (nam Epiſcoporum nomen meritò imprudentes venerantur, quòd illud eſſe veriſſimum ſibi probè ſint conſcij, Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?) Catholici ritus non ignari, neque adorationis Deo Maximo propriæ, inuocationiſque SS. omnium communis haud inſcij, Catholicos tamen idololatriâs nomine apud imperitum popellum falſò traducunt, nos ſanctis honorem Deo ſoli debitum tribuere nos Diuos homines facere Deos, nos ſanctorum agmina facere numina: cùm Catholica tota vbique clamet Eccleſia, nullum ſanctorum vt numen adorari: nullum ſanctorum vt Deum coli præter Deum vnum, & Filium eius, & Spiritum ſanctum? cui Deo ſi quid ſupplicetur, ne alius quiſpiam Chriſti mediatoris partes occupaſſe credatur, illud in ſolẽnibus omnibus occinitur precibus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Iam Lutheranorum ſacrilegas in Catholicam Chriſti Eccleſiam blaſphemias cum Manichæorum conuitiis, acerbis quidem illis, minùs tamen atrocibus, ſi componas, illos tantò in Sathanica maledicendi arte cognoſcas his eſſe ſuperiores, quàm Archilochus ille rabido armatus Iambo Eſchile: quàm Timon ille Scillographus aliis maledicentiſſimis Poëtis. *Catholicos Lutherani falſò traducunt.*

Exprobrabant ſiquidem Manichæi, Catholicos (quos Semichriſtianos vocitabãt) ob non receptum ſuum Manem (quem Paracletum à Chriſto miſſum ſomniabant) à gentibus auulſos eorum ſacrificia in Agapas conuertiſſe: idola in Martyres, quos votis ſimilibus colerent: defunctorum vmbras vino placare & dapibus: ſolennes gentium dies cum ipſis celebrare calendas & ſolſtitia. Sed iſthæc illi externa rerum inter ſe tantùm ſpecie ſimiliũ falſi, nec veræ Catholicæ doctrinę nondum ita vulgò propalatæ, aut ſcriptis promulgatę conſcij debacchabãtur: quòd noſtra S. Euchariſtiæ conuiuia (Agapas dixere *Vide Aug. cõtra Fauſtũ & Calũnia & Manichæorũ in Catholicos ſunt Lutheranorum maledictis leniores.* *Agapæ quid veteribus.*

Agapæ priscorum extat vestigiũ eleemosyna publica, quam Spinden dicimus, vti & mensam S. Sancti.

Christianorum cæremoniæ & ritus cum Paganorum superstitione magnã habent affinitatem externam sed nullã internam.

veteres, vbi apud priscos olim post sacram Communionem integra pauperibus apponebatur cœna, apud posteros verò August. ætate fruges & carnes erogabantur) festas Iunonis epulas illas prorsus referre viderentur, atq; exprimere adeò. Martyrum prætereà statuas, vt illi Iouis erigerent: Busta Cypriani & Stephani, vt illi suorum numinum phana, inuiserent: mortuorum animas allatis ad sepulchra vino & edulio, anteà in mysteriis Deo oblatis, quæ deinceps pauperibus distribuebantur, primo rei intuitu videbantur placare, quibus Deum studebant reddere propitium. Sic Neomenia & Solstitia, si quando in illa dies aut diuinæ Christi Oeconomiæ, aut Martyribus sacri inciderent, idololatrico ritu, quod ad externas planè attinet cæremonias, Manichæis iudicabantur celebrare. Sed vt dixi, isti iusta fortè digni essent venia, quòd abstrusis Christianorum mysteriis, & quónam hæc peragerentur affectu atque animi studio, cæca illorum mens consuetis idololatricarum cæremoniarum formis decepta, non potuit à falsis vera discernere. Vnde imperitia potiùs, quàm malitia: cæcitate magis animi, quàm improbitate, veritatem nondum satis nec illustratam nec agnitam pro suis aris focísque conseruandis acriter cùm publicè scriptis oppugnabant, tum priuatim conuitiantes maledictis conscissam blasphemabant. Verùm Melanchthon cum suis tantò illis inexpiabili magis sese obnoxiũ implicauit sceleri, quãtò clarissima Euãgelicę veritatis lux toto iam orbe & splẽdet illustriùs, & veterũ planè Scriptorum omnium atque Conciliorum consensu illuminata fulget splendidiùs. Si in meridiana igitur luce, imò fulgidissimo Solis splendore, cum bubonibus tantùm cęcutirent miseri, lachrimis potiùs quàm verbis eorum persequenda esset cæcitas. At quum in istã maledicendi rabiem ita deploratè exarserint, vt Catholicam Christi Ecclesiam toto iam mundo concordi variarum regionum discordia dispersam immani cùm idololatriãs conuitio proscindere, tum idolomaniâs blasphemia, ob piam Sanctorũ inuocationem, impiissimè, adeóque sacrilegè accusare atq; suggillare non pudeat, essent quidem Satyrica illorum conuitia conuitiis retundenda,

ſi quis vel pari cum illis, nedum maiori, inueniatur afflatus Archilochica maledicentia, qua in re libentes etiam palmam eis damus: Sed quia Chriſtus abſolutiſſimum omnis virtutum generis exemplum ſuis, tantùm abeſt, vt regeranda permiſerit maledicta, vt benè precandum etiam iuſſerit conuitiantibus, nos pro diris in Catholicam Chriſti Eccleſiam, noſtram verè matrem lœdoriis maledicis eius hoſtibus licèt maledicentiſſimis nihil acerbius, nec grauius præter ſanam mentem Catholicæ fidei luce relucentem, atque depoſito ſchiſmatis faſtu cum reliquo Chriſti corpore redunitam exoptamus, atque ex animo imprecamur.

Caput XXXIX.



Vare omiſſo illo capite, quo ipſorum veri nominis idololatriam, quæ idoli, ſiue id ſit Iuno, ſiue Plutus atque aurum, ſiue ſua cuique opinio, cultus eſt poſſemus luculenter euincere, quod vt auri amor, ſic omne mendacium de Deo (vt rectè Tertullianus adnotauit) genus eſt idololatrię (quid enim referat, Deóne affingātur mendacia, quibus eum affirmes aut corporeum, aut perſonarum Trinitate indiſtinctum, aut Chriſtum non verè Dei filium, nec verè ex Maria natum, aut crucifixum? an eius verbo per Chriſti Spiritum Apoſtolis primùm, deinde Eccleſiis toto prorſus orbe conſtitutis, nobis denique nouiſſima iſthac mundi hora degentibus, de Sanctorum imaginibus, & cultu religioſo, de Miſſæ ſacrificio, de piis pro mortuorum requie precibus, tradito non habeatur fides? cùm eadē ſit ſacrilegæ in Deum impietatis ſpecies, falſa hominum ſomnia Deo Max. ſtultè affingere, & vera Dei Opt. eiúſq; religionis dogmata execrabiliter auerſari, ac de manifeſto eius verbo tam ſacrilegè detrahere?) omiſſo, inquam, iſthoc de idololatriâs capite, illud poſtremò refellamus, quod adiiciunt coronidis, aut fortè rectiùs inſani Epiphonematis loco, quo furiētē ſuæ rabiei

Sanctorū cultum & inuocationem nō eſſe in Dei contumeliam.

tragœdiam apta exordiis cataſtrophe claudant. Denique hi furores (inquiunt) contumelioſi ſunt aduerſus Deum. Bona verba, ſaltem ſana, quæſo viri boni. Certè contumelioſa aduerſus Deum eſſet Sanctorùm inuocatio, ſi illos nobis faceremus Deos, aut autocratera aliquot inuocaremus numina. Atqui Catholica Chriſti Eccleſia vnum duntaxat & ſuum, & Martyrum & Sanctorum etiam in vniuerſum omnium inuocat Deum: nihil vt Deum colit, quod creatum eſt: nihil vt numen inuocat, quod natum eſt: nihil vt diuina dignatum aut dignitatę aut maieſtate veneratur, quod fabricatum eſt. Quanquàm enim Sanctis aut hominum aut Angelorum ſpiritibus quoſdam multis ſanè paraſangis, totóque quod dicitur, cælo diuerſiſſimos impendat & honores & cultus, cùm non diuinam eis vllatenùs tribuat ſingularis illius latriâs ſeruitutem, hinc certè tamen non magis aduerſus Deum æquis rerum arbitris cenſeatur Eccleſia contumelioſa, quàm res quælibet publica ſuum iuſta pietate, reuerentia, & veneratione colens Principem: aut aliquis Abraham alterius gentis Regem congruo adorans honore. Quo igitur ore Chriſtianam porrò dicunt Eccleſiam in Deum contumelioſam, quæ Sanctis Dei amicis nimis, vt ille vaticinabatur, honoratis cum Chriſto haud dubiè regnantibus legitimos honoris atque dignitatis gradus impendit, quos Regibus miſeris etiamnum in communi iſthoc omnium exilio reptantibus, piè atque citra idololatriæ crimen, aut in Deum contumeliam exhibemus? ſtatuas, dico virtutis teſtimonia, victorię de ſeſe ipſis glorioſiſſimæ trophæa, ſuperati cacodæmonis triumphos. Atqui iam Lutheranorum, qui præ cæteris aut eruditionis præclaræ titulo ſibi placentes videntes humaniores, aut cùm grandiori ætate, rerúmque euentu redditi Epimethei quidam, detritis primi illius Lutheranæ furiæ caloris cornibus, vitulorum luxuriantium more, facti temporis lapſu manſuetiores, pium, legitimúmque imaginum ſtatuarúmque vſum arbitrantur concedendum, verùm piæ legitimæque Sanctorum inuocationi in priori adhuc hærentes impietatis luto, nondum poſſunt reconciliari, quam anticipata, adeóq; ſemel obſtinata animo-

Inuocando ſanctos non fecimus Deo cõtumeliam.

Sanctorum honores & cultus non ſunt diuini aut latriæ officia.

Rom.13.

Gene.23.

Pſal.138.

rum opinione ita statuerunt obtinere, atque pro Euangelio defensare, vt huius sine horridulo idolomaniàs tonitru, nunquam vel in Grammaticis scriptis suis queant meminisse. Sed agedùm, qua obsecro ratione aduersus Deum pronuncias contumeliosum Melanchthon, qui ad Georgij statuam prostratus, victoriam ab eo petit? an quòd ab eo petit, quòd à Deo sit petēdum? Sanè, inquies, quòd à Georgio petit, vt à Marte victoriam. Quid ita? an Christianorum aliquis vel ineruditissimus ita & sui & Dei obliuiscatur, vt Georgium in fidei Christianæ confirmationem triumphali victoria in cælos transuectum, ex homine effectum Deum insanus credat? Quid igitur (inquias) ab eo petit, quod dare non potest? Dare certè ipse nō potest, sed Deus potest, verùm & per Georgium potest, per alios potest: quos eius benignitas tantis interdum nostri causa miraculis ornat, vt per eos ipsum dare nemo sani cerebri, vtut fuerit Academicus, dubitare porrò queat. Martyres (inquit Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, libro vigesimo secundo, cap. 10) faciunt miracula, vel potiùs Deus vel orantibus vel cooperantibus eis, vt fides illa proficiat, quam, & cætera. Rursus de Cura pro mortuis: Quomodo opitulentur Martyres his, quos per eos (inquit capite decimo sexto) certum est adiuuari, vires intelligentiæ meæ superat.

Sāctorum ad statuas inuocatio non est idololatrica.

Deus per sanctos dat victoriam, sanitatē, &c.

Martyres an faciant miracula, an potiùs per eos Deus.

Quid igitur à Sanctis petitur, inquias, quod dare nequeunt? Non eos Melanchthon petimus, vt Plutos & diuitiarum largitores, non vt perditæ, vel afflictæ valetudinis recuperatores, non vt victoriæ authores: sed Dei nobis irati conciliatores: sed malorum impendentium deprecatores: sed donorum Dei impetratores. At quid istos, inquiat aliquis, aut conciliatores, aut deprecatores aut impetratores in Christum contumeliosi quæritis, qui ista omnia munia apud Deum Patrem abundantissimè vel solus obeat? Sanè pia hæc sanctorum inuocatio ignominiosam Christi conciliatoris aut mediatoris contumeliam nihil minùs, quam habet coniunctam. Quàm enim sit secundum Dei voluntatem, nos Christi Spiritus in Paulo disertè loquens singulariter docuit. Si namque ille absolutissimā Christianæ fidei nactus plerophoriam

Sancti inuocati nos adiuuant, sed quomodo, est perobscurū.

(Si quis vnquàm Christianorũ alius) atque indubiã certitudinis persuasionem citra Christi bonorum omnium vt fontis vnici, ita vnici largitoris contumeliam rogat suos Ephesios, vt sibi ab Optimo Deo impetrent orando parrhesiam, atque docendi Euangelij libertatem intrepidam: Colossenses, vt deprecentur apud Dominum amolienda Euangelicæ prædicationis impedimenta: Thessalonicenses deniq;, vt assiduis deprecationibus impetrent à Domino, vt Euangeliũ feliciter currat (inquit) & clarificetur, vtq; ab improbis hominibus eius vitæ insidiãtibus & Euangelio aduersantibus liberaretur. Si, inquam, D. Paulus Sanctos Dei homines citra Christi contumeliam solicitat parrhesiæ & intrepidæ libertatis sibi postulatores, si impedimẽtorum Euangelij, imò periculorum sibi ab improbis impendentium deprecatores, si denique Euangelij Christi victoriæ & gloriæ procuratores, quid nos vanis idolomaniâs verberibus Melanchthõ flagellas immeritos, quid D. Pauli non ab hominibus, neque per homines, sed à Christo ipso eruditi locupletissimum iustè ac piè sequimur exemplum?

Ephe. 6. *Coloss. 4.* *Thess. 3.* *Galat. 1.*

CAPVT XL.

Sanctorũ inuocationem Deus sibi ipse testatur multò gratissimam indubiis miraculis Sanctorũ miracula olim etiam à Porphirio et Eunomio aliisque hæreticis præstigiæ dicta.



Æterùm Sanctorum inuocationem Deo Maximo esse multò maximè gratissimã, tantùm abest, vt sacrilegæ in ipsum contumeliç aliquo pacto sit affinis, ipse miraculis quẽadmodũ innumeris ita indubiis sæpenumerò cõprobauit, nec cõprobare in hunc adeò diem desinit. Quæ posteaquàm cũ Porphirio illo Apostata (qui ex Malcho ridicula tunc opinor, vt nunc, voce Augustale nomen ob tumidæ eruditionis sophisticæ fastum à 1 præceptore impositum vsurpauit) & 2 Eunomio hæretico dæmonum appellare mauultis præstigias, quàm ea diuinæ virtuti per Sanctos vel orantes & cooperatores (inquit Augustinus lib. 22. cap. 10. de Ciuitate Dei) operanti ascribere, cui deinceps mortalium relinquatur ambiguum, vtriúsnam Spiritus vos transuersos agat, Deíne, cuius gloriã Sanctis promissam impio idolomaniâs nomine amẽtes detestamini? an Dia

1 Porphirius ex Malcho dictus, vide eius vitam de non mact. animal. *2 Vide Hieronym. contra Vigil.*

boli potiùs, cuius pristinas aduersus Sanctos, sui & euersores & expulsores, machinas per Porphyrium Apostatam olim constructas, sed à Catholicis disturbatas, posteà à Eunomio redintegratas, sed iterum à Christianis disiectas, à vobis denuò post multa aliquot secula renouatas, confirmare irrito labore conamini? Meritò sanè ad Catholicam Christianæ Ecclesiæ de pia Sanctorum inuocatione concordiam vos huius rei inducat, ô Euangelici, consideratio: quòd sicut Catholicis Christianæ fidei cultoribus ob Sanctorum statuas, cultum & dies festos initiò idololatriæ crimen ab Ethnicis sit stultè obiectum, à Philosophis frustrà exprobratum, ab hæreticis falsò intentatum: ita à vobis hodie immaniori planè barbarie iterum obiicitur, & iniquiori de causa iterum intentatur. Quod dum facitis, quis non vestri misertus, vestram quidem pernitiem doleat, suam verò sibi inter verissimos vestro vel iudicio Catholicos sortem seriò gratuletur? vestram quidem doleat pernitiem, quòd immaniter adeò in vos potiùs ipsos dente sacrilego sæuientes, sanctam Catholicæ Christi Ecclesiæ consuetudinem (quam hactenùs constanter totus mundus meritò veneratur & obtinet) accusatis: suam verò Catholicæ fidei sortem sibi lætus gratuletur, quòd vos Catholicæ Dei Ecclesiæ hostes infensissimi vestris ipsi vocibus atque sententiis nos quidem pronunciatis Catholicos, vos verò hæreticos. Cùm namque eadem planè vos tela in nos iaciatis, quæ olim & Ethnici & Philosophi, & hæretici in Christianos indubiè Catholicos, cui rogo, qui sanæ sit mentis, de cætero est ambigendum, vos extra Catholicam esse Christi Ecclesiam, quam tempore quidem posteriores, sed causa studióque pares, vnà cum illis eodem blasphemiarum telo oppugnatis? Nos verò esse Catholicos Christianæ fidei alumnos, & tunc ab illis, & nunc à vobis eodem de fidei Catholicæ dogmate impetitos? Quis non igitur, ista qui animi cum iudicio considerat, à vestris in vniuersum omnibus aut reuocatis contra veterum Catholicismum dogmatibus, aut de nouo confictis, quasi à facie colubri (vt monet Scriptura) fugiat, qui apertam adeò vestram insaniam

Ab effectu facilè agnoscatur Lutheranorum Spiritus.

Sancti quia dæmones expellunt, eos et eorum mancipia hæreticos patiuntur hostes.

Idololatria Catholicis immeritò & falsò semper obiecta.

Lutherani suis se ipsi verbis cōuincunt hæreticos, et nos verè Catholicos, ex argumentorū Priscorum renouatione pridem contra Sanctorum cultum obiectorum ab hæreticis.

tot 1 mendaciorum plaustris onustam, tot blasphemiarum Iliadas in Catholicos iauehentem, tot veteribus veterum hæreticorum, Paganorum, adeóque Apostatarum furoribus agnouerit rabidè insanientem? Verùm ista diffusius sumus persequuti, quòd hoc in argumento aduersarij magnificè suam prædicent victoriam (quàm id verè, iudicet æquus bonus arbiter) quódque fraudulentis istis artibus, vehementibus putà affirmationibus, contumeliosis conuitiis, atrocibus blasphemiis, fucato suo euanidæ eloquentiæ lenocinio concinnatis naturâ magis, quàm arte instructis, plebeiorum non paucos à vero seduxerint.

1 Horũ specimen vide in Tabulis nostris hæreseon istarum analyticis, & anascenasticis.


Quare boni consulant, qui hisce commentationibus minus sese adiutos existimant, quod in laborantium fratrum salutem ac minùs eruditorum aduersus hæreticorum insidias ac fraudes præsidium me adferre coëgit opitulandi studium. Sed hic modus sit iis verbi Dei Euangelici partibus confirmandis atque explicandis, quas ad dogmaticum genus pertinere diximus. Ad alteram igitur non scripti verbi Dei Euangelici partem, quam Mysticam diximus, aut Ritualem, tempus est, vt proficiscatur oratio.

†

FINIS LIBRI TERTII
Panopliæ Euangelicæ.



LIBRI IIII. PANOPLIAE
Euangelicæ, argumentum.



Lterum verbi Dei Euangelici non *Sacramentũ.* ſcripti genus hic liber perſequitur, quod circa ritus ſacros atque Sacramenta verſatur. Principiò itaque ex doctrina docetur Apoſtolica, quidnã Sacramentum ſit Euangelicum, an à Moſaïcis diuerſum? Non talia eſſe ſigna, qualia circuncïſio Abrahæ, aut vellus Gedeonis. Ea ab Apoſtolis plura eſſe tradita quàm aut vnum, vt Lutherus: aut duo, vt Caluinus: aut tria, vt Confeſſ. Auguſta. aut quatuor, vt hodie Philippus Melanchth. aut denique ſex etiam, vt Vvilhel. Poſtellus. Nec verum eſſe quod ait Caluinus apud Eccleſiaſticos ſcriptores, & in primis Auguſt. ſolùm duo reperiri Sacramenta. Baptiſ- *Baptiſmus.* matis ritus ex eodem demonſtrantur Apoſtolico fonte fluxiſſe, Exorciſmum, Exufflationem, Abrenunciationem. Omnes peccato originali naſci obnoxios, contra Zuuinglium: etiam Chriſtianorum filios perire non baptizatos, contra Caluinum. Fontem item eſſe conſecrãdum, ac Apoſtolorum exemplo infantes baptizandos. Aquam ſimiliter baptiſmi elementalem verè mundare, non ſolùm ſpiritualem, vti contendit Caluinus, Chriſti Baptiſmum à Ioannis eſſe alium, longæque alia efficere, ac ideò verè mundare animam, peccata verè remittere ita vt non ſint, verámque adferre iuſtitiam. Ad hæc, Catholicos multò illuſtriùs Chriſti gratiã prędicare, quàm Aduerſarios, qui imputatiuam fingunt iuſtitiã, nec peccata verè remitti. Similiter concupiſcentiam in baptizatis non eſſe proprij nominis peccatum. Ritus, qui Baptiſma ſequuntur, paucis perſtringuntur.

Póſthæc Confirmationem iam vſque ab illis Apo- *Confirmatio* ſtolorum temporibus Sacramentum Euangelicum fuiſſe creditam: vbi Caluini ſophiſmatibus reſpondetur, quibus illam ex Sacramentorum albo delere conaba-

tur, eiúsque temeritas ostenditur, qua volebat manus impositionem, quòd miracula visibilia non habeat nunc coniuncta, esse abiiciendam: cùm nec Augustini, nec Cypriani ætate habuerit. Chrisma quoque Apostolicam redolere ætatem, eiúsque vsus & effectus à Caluini sannis vindicatur. Quódque baptizati ex Apostolica doctrina inungebantur Chrismate, Nouatianósque primùm omnium hoc Sacramentum contempsisse. Huius Sacramenti ministrum rectè doceri Episcopum: vbi & D. Melchiades à rabidis Caluini suggillationibus liberatur, ac Donatismi, cuius Catholicos insimulare non veretur, esse affinis, reúsque conuincitur ex proculcato ad illorum exemplum sacro Chrismatis oleo.

Eucharistia. Mox Eucharistiæ Synonymis explicatis Missa docetur vox esse latina, veteribúsque fuisse gemina, Catechumenorum, scilicet, & Fidelium. Imperitáque G. Maioris depellitur calumnia, Catholicos præposterè in fine dicere, Ite missa est, quod olim dicebatur initiò. Eucharistiæ materiam esse panem, vinúmque aquâ mistum, ex Christi facto & Apostolorum traditione. Hæc piè, rectéque offerri Deo Optim. Maxim. non ex sacerdotum idololatria, vti G. Maior impiè criminatur, sed Melchisedech Christíque exemplo. Canonis minoris defensio aduersus Georgij criminationes & profanationes, non esse idololarricam orationem. Consecrationem mysticam non ritè fieri, nec ab Apostolis factam, verbis ex epistola Corinthiorum recitatis, sed aliis, ex Iustino & Basilio solenníque apud Catholicos forma panem in corpus Domini conuerti, adeóq; transsubstantiari: quod explosis Sacramentariorum nugamentis, ac Caluini quiritationibus retusis, demonstratur ex concordi Orthodoxorum Patrum vetustissimorum sententia. Vbi argumenta quinque Confessionis Vvirtembergensis refutantur, quibus transsubstantiationem vexat: & Valentini Vannij vanitates ostenduntur euanescere. Defenditur & eleuatio, gestatio, sacræ Eucharistiæ adoratio, atque conseruatio. Iam ostenditur porrò, Eucharistiam verè esse sacrificium: rectéque

in edicto Cæsareo, Interim appellato, ex Diui Irenæi verbis esse confirmatum, & aduersus Georgij Maioris cauilla. Ab eodémque Cypriani voces Offerre & Sacrificare, ad distributionem populi improbè detorqueri. Posteà Missam esse sacrificium propitiatorium, & peruersum Valentini Vannij de Missa iudicium vanissimæ conuincitur vanitatis. Confessio quoque Saxonica refutatur, & Augustanæ Confessionis argumenta sex, & Vvirtembergensis argumenta dissoluuntur. Ad hæc Missam esse sacrificium pro peccatis mortuorum delendis, ex doctrina certò Apostolica: Vbi Buceri fraus proditur, qui Aërij dogma Catholicis affingit, Epiphanium verbis mutilat, sensumque distorquet. Augustinum deprauat. Responsiones quoque Melanchthonis refutantur, quibus Orthodoxorum Patrum testimonia conabatur à genuino sensu deprauare. Illúdque eiusdem ostenditur vanissimum, Augustini ætate non fuisse oblationem pro mortuis, sed Gregorij tempore irrepsisse. Eucharistiæ insuper communionem ostenditur sub vtraque specie non esse necessariam.

Pœnitentiam esse á Christo institutam, ac nouis lapsibus noua remedia quærenda, quod negat Caluinus: vbi variæ explicantur Excommunicationis formæ, quarum vna necat, ideóq; formidanda. Rursus variæ Communionis formæ, quid olim Communio Laïca, quid Peregrina. Eandem hodiè apud Catholicos obtinere doctrinam, quæ Apostolorum fuit ætate. Pœnitentiæ Sacramentum non esse fictitium, vti fingit Caluinus: sed veri nominis demonstratur Sacramentum. Mox de gemina apud priscos Pœnitentia, publica & priuata. Eandémque apud nos esse priuatam, quæ olim apud veteres. Deinde Pœnitentiæ partes docentur non esse duæ, contra Apologiam Confessionis Augustanæ, sed tres. Quid vera contritio. Confessionem omnium, quæ suggerit animus, esse necessariam: Hanc omnium enumerationem Apostolica ætate fuisse adhibitam lapsis. Refutatur Confessionis Augustanæ Apologia, quæ negat, absolutionem esse iudicium, confessionémque omnium esse possibilem: Confessionem denique Sacramentalē ab

Pœnitentia.

Confessio.

Apoſtolorum ſucceſſoribus fuiſſe perpetuò obſeruatã: nec fuiſſe liberam, vti commentatur Caluinus. Vbi Nectarium demonſtratur non ſuſtuliſſe Confeſſionem ſacramentalem: nec Chryſoſtomi ſententias illi repugnare, ſed Audianos hæreticos, teſte Theodoreto, primos omnium ritum Confeſſionis priuatæ conatos abolere. Dehinc ſatisfactionis oſtenditur neceſſitas propter reſtantem peccati dudum remiſſi pœnam, quæ vel hîc vel in poſterum luenda eſt, expiaríque poteſt vtrobique ex doctrina liquidò Apoſtolica: imò aliorum operibus piis mitigari poſſe. Vbi indulgentiarum origo eruitur ex D. Cypriani ætate, more apud Catholicas Eccleſias peruagato. Quinetiam Apoſtolos adeò ipſos nonnihil pœnæ luendæ pœnitentibus propter pia aliorum opera indulſiſſe atque remiſiſſe. Abſolutionem denique non eſſe Euangelij annuntiationem contra Apologiam Confeſſionis Auguſtanæ, ſed iudicium atque commiſſorum remiſſionem.

Indulgẽtia.

Ordo.

Ordinationem Eccleſiaſticam veri nominis eſſe Sacramentum ſemper habitam ex doctrina Apoſtolica, ſimul & liquidò Catholica. Vbi differentia oſtenditur veriſſima iuxtà ac vetuſtiſſima, quæ vulgò inter Laicos & Clerũ obtinet. Mox de gradibus Eccleſiaſticis, eorúmque officiis, quínam Apoſtolicam reſipiant ætatem. Coronam Clericorum eſſe Traditionis Apoſtolicæ. De ſacerdotio Chriſtiano, quódnam eius munus proprium: an omnium Chriſtianorum commune. Quòd Sacerdotum, imò totius adeò populi Chriſtiani caput ac paſtor eſt Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, qui vti Petri Apoſtoli ſucceſſor eſt (qui non tantùm Romæ fuiſſe liquidò demonſtratur aduerſus Caluinum & Molinæum, ſed & Romanæ Eccleſiæ Pontificatum adminiſtraſſe nequaquàm fabuloſum, vti Caluinus fabulari non erubuit) ita & totius Eccleſiæ Chriſtianæ curam ac gubernaculum illi diuino eſſe iure creditum: quod tam ex priſcorum Conciliorum indictione, abrogatione, atque confirmatione, quàm Epiſcoporum omnis nationis, etiam Græcorum & Aſiaticorum obedientia, confirmatione atque appellatione: Rurſus deiectione etiam, atque ex-

Romanus Pontifex.

turbatorũ adeò vel per Concilia, restitutione, omniúmque Ecclesiarum cum Romana reconciliatione liquidò demonstratur.


Matrimonium veri esse nominis Sacramentum, ac inter Christianos re ipsa indiuiduum, atque omninò indissolubile. A Philippo Melanchthone imperitissimè doceri apud veteres fuisse dissolubile, ex Fabiolæ Romanæ exemplo, ac aliarũ aliquot, vbi insignis eius proditur aut inscitia, aut oscitantia, imò vanitas liquidò demonstratur. *Matrimonium.*

Vnctionem denique extremam veri esse nominis Sacramentum, veterum Scriptorum concordi sententia ex D. Iacobi verbis. Mox subsequitur coronidis loco variarum rerum consecratio, aduersus friuolas imperitásque antiquitatis Christianæ calumnias istius tempestatis defensa: videlicet virginitatis propositum, atque dedicatio, siue deuotio. Monasteria non fuisse olim disciplinarum scholas, sed pietatis Euangelicæ Gymnasia. Item panis, Altarium, salis, aquæ, & similium consecratio, in vsus salutares ex prisca Maiorum antiquitate: vbi & ostenditur, quæ nam Traditiones obseruationis sint liberæ, quæ non. *Extrema vnctio.*



LIBRI IIII. DE VERBO DEI EVANGELICO METHODVS ATQVE EPITOME.

Euãgelicum Sacramentũ



Acramenta Euangelica demõſtrantur ex do-ctrina Apoſtolica eſſe actuoſa, efficaciáque gratiæ ſigna.

2 Diſcrimen ſacramentorum Euangelicorum à Moſaicis. Vbi calumnia Caluini retunditur, quòd Catholicos ait miſeros Sophiſtas deceptos verborum Auguſtini hyperbole, illiúſque fraudulẽta veritatis apud Auguſtinum agnitæ diſſimulatio proditur.

3 Efficacia ſacramentorum copioſiùs demonſtratur, & vberiùs explanatur ex ſcriptoribus vetuſtis, tam Græcis quàm Latinis.

4 Non eſſe ſacramenta ſigna iſtiuſmodi, qualia commentantur aduerſarij: nec ſigilla miſericordiæ exhibitæ, quale circuncíſio Abrahæ, vt Caluinus: nec ſymbola gratiæ certò dãdæ, quale vellus Gedeonis, vt Philippus

5 Definitiones ſacramenti recens à Lutheranis & Caluino confictas pugnare cum Auguſtini, aliorúmq; Orthodoxorum doctrina,

6 De ſacramentorum Euangelicorum numero: plura ſcilicet eſſe ab Apoſtolis tradita, quàm vel vnum, vti Lutherus: vel duo, vti Caluinus: vel tria, vt olim Philippus: vel quatuor, vti nunc ſuſpicatur Philippus Locis communibus anno 25. editis; aut denique ſex, vti ait Poſtellus.

7 Plura apud Auguſtinum eſſe ſacramenta, quàm duo, vti Caluinus ait, ex eiſdem Auguſtini locis demonſtratur, quibus ille ad figmentum ſuum aſtruendum nitebatur.

8 De Baptiſmo eiúſque ſacris ritibus quaſi anteambulonibus & pediſſequis priuſquàm dicatur, antè oſtenditur, non contingere cuiquam ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, niſi per fidem & ſacramenta.

Exorciſmus. 9 Exorcizari Baptizandos ex doctrina Apoſtolica, teſtibus Auguſtino & Chryſoſtomo. Exorciſmo verè à

Baptizandis expelli Dæmonis poteſtatem, atque ab eius tyrannide in libertatem aſſeri Chriſto Domino.

10 Paruulos ad vnum omnes naſci peccato illo originali contaminatos, ex Apoſtolica doctrina. *Peccatum originale.*

11 Chriſtianorum infantes eodē peccato naſci obſtrictos, immundos, adeóque damnandos cõtra Caluinum, niſi baptizentur.

12 Exufflationem & Abrenunciationē ab Apoſtolis fuiſſe Eccleſiis traditam.

13 Fontem Baptiſmatis ex Apoſtolorum doctrina eſſe conſecrandum.

14 Infantes rectè baptizari, ex Apoſtolica demonſtratur doctrina. *Infantum Baptiſmus.*

15 Aquam Baptiſmi elementalem eſſe neceſſariam, veréque eam mundare, non autem ſpiritalem, vti Caluinus nugatur, aquam eſſe intelligendam.

16 Baptiſmum Chriſti à Ioannis fuiſſe alium. Vbi Caluini argumenta diſſoluuntur, eiuſque arrogantia retunditur, qua Chryſoſtomum imperitię, Auguſtinum argutiæ calumniari non verebatur.

17 Baptiſmi effecta ediſſeruntur, quòd verè animam ſaluat à peccatis, regenerat atque renouat. *Effecta Baptiſmi.*

18 Baptiſmum veram, non imputatitiam peccatorũ remiſſionem adferre, verámque Spiritus ſancti animabus ſanctimoniam communicare atque elargiri.

19 Baptiſmo verè nos iuſtificari, donaríq; vera ac animis inhærente, non imputatitia Chriſti iuſtitia.

20 Quídnam veteres Theologi de Baptiſmi effectis cenſuerint, Clemens Alexādrinus, Iuſtinus, Cyprianus, Reticius Auguſtodunēſis, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus.

21 Catholicos Chriſti gratiã in Baptiſmo multò prædicare illuſtriùs, quàm aduerſarij: quódq; Bucerus, Caluinus, & alij verè in Chriſtũ ſunt ſacrilegè iniurij, adeóque Ieſum faciunt non Ieſum, & non Seruatorem.

22 Chriſtum in ſuis peccata omnia ſemel abolere, ita vt non ſint ampliùs, non ſolùm manentia non imputentur.

23 Impiè Caluinum docere, nos per Baptiſmum pecca-

to non eximi, peccatóque originali non solui.

Concupiscẽtia in renatis. 24 Concupiscentiam in Baptizandis non esse veri nominis peccatum, sed ita eius reatum esse prorsus remissum, semélque abolitum, vt omninò non sit.

25 De sacris ritibus, qui apud Catholicos Baptizati adhibentur, Candida, Inunctione, &c.

Confirmatio. 26 Explicatis sacramenti confirmationis synonymis, quibus antiquitùs apud priscos appellabatur, ostẽditur, eam semper ab Apostolorum vsque temporibus pro vero habitam sacramento Euangelico.

27 Sophismatibus Caluini respondetur, quibus Confirmationem ex sacramentorum albo delere conabatur, & D. Leonis ac Hieronymi loca, quibus nititur, ei extorta iugulare ipsum demonstrantur.

28 Cõfirmationem non esse posterioris ætatis figmẽtum, vti Caluinus nugatur.

Chrisma. 29 Vsum Chrismatis, siue olei sacri, in Confirmatione adhibiti Apostolicam redolere fragrãtiam, ac vetustatẽ habere, liquidò demonstratur.

30 Chrismatis vsus in Confirmatione, ac eius effectus aduersus Caluini ratiunculas & scommata defensus.

31 Non sine verbo Dei Confirmationem à veteribus sacramentum creditam, quod suspicatur Caluinus.

32 Apostolicam manus impositionem altius habuisse mysterium, quàm donorum visibilium collationem, quod putabat Caluinus. Ideóque non esse abiiciendam hodie, vti ille vult, sed retinendam, quòd hodie eadem sit, quæ Augustini, Ambrosij, & Cypriani ætate sine visibilibus miraculis, quæ Caluinus temerè à nostris efflagitat Episcopis.

33 In Cõfirmatione Baptizatos Chrismate inungi solitos ex Apostolorum doctrina, vt gratiam copiosiorem acciperent, & quòd olim à Nouato negligi cœpta, à Nouatianis fuerit contempta: quos sectantur istius seculi hæretici, non modò Chrismatis contemptu, sed & oratione infideli atque impia.

34 Caluinus sibi noui Apostoli partes arrogans, verus Antichristi demonstratur Apostolus.

35 Confirmationis effectum non esse diabolo ascribendum

bendum, quod iste blasphemat, sicuti nec eius vim in Baptismum esse iniuriam.

36 Confirmationis ministrum rectè doceri solùm esse Episcopum, sicuti & Cypriani ætate, imò Apostolorum seculo. Vbi D. Melchiadis Christi Martyris clarissimi de Confirmatione elogium à rabidis Caluini maledictis liberatur, ostenditúrque, illum Catholicos impiè Donatismi calumniatum, cui ipse conuincitur affinis, propter spretum ac proculcatum illorum exemplo sacrũ oleum.

37 Eucharistiæ Sacramentum cur tertio tractetur loco, déque illius synonymis. Vbi Missa nomen ostenditur esse Latinum, quódque apud priscos fuerit gemina, Catechumenorum & fidelium. Ideóque imperitam esse Georgij Maioris calumniam, qui Catholicos nugatur hodie in fine dicere, Ite Missa est, quod olim initiò dici solet. *Eucharist.*

38 De Missa fidelium, in qua sacrificij Christiani materia præparatur, panis & vinum aquâ permistum ex Traditione Apostolica. *Missa olim duplex.*

39 Quòd rectè offeratur panis & vinum aquâ permistum Deo Optimo ex Traditione Apostolica, non ex Sacerdotum idololatria, contra Georgij Maioris blasphemias. Melchisedech igitur panem vinúmque obtulisse initiò demonstratur ex Cypriano, Irenæo, Hyppolito, Appollinario, Eustachio Antiocheno: Christum etiam obtulisse in cœna panem & vinum, ex Cypriano, Irenæo, Athanasio, Photio, Theophilacto, Oecumenio.

40 Canonis minoris defensio contra Georgij Maioris criminationes, & impiam eiusdem prophanationem: non esse idololatriam, panem vinúmque Deo Optimo offerre: quod eiusdem Georgij verbis sui obliti confirmatur ex Irenæo, quo nitebatur. *Christus in Cœna obtulit.*

41 Eucharistiæ consecratio non rectè fit recitatione loci ex Epistola Corinthiorum, qui historiam rerũ gestarum habet: nec Apostolos illa consecrandi formula fuisse vsos, sed alia, ex D. Iustino & Basilio. *Cõsecratio.*

42 Illa consecrandi formula Catholicis vsitata, panem vinúmque in verum Christi corpus & sanguinem conuerti & transsubstantiari. Primùm igitur nugæ Sacra- *Transsubstãtiatio.*

mentariorum explodũtur, atque Caluini quiritationes, quòd iſta Berengarij hæreſis renouata non recipiatur à piis, retunduntur, falſóque illum affirmare, D. Auguſtinum à ſe & Zuuinglio ſtare.

43 Ex Orthodoxorum ac vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis docetur, panis viníque ſubſtantiam in verum Chriſti corpus conuerti atque tranſſubſtantiari.

44 Refutantur argumenta quinque, quibus Confeſſio Vuirtembergenſis Berengarianorum dogma defendens transſubſtantiationẽ vexat, & vaniſſimæ Valentini Vãnij nugæ exploduntur.

45 Antequàm de ſacrificio agatur, Eleuatio Euchariſtiæ, & adoratio contra Lutheranos defenditur.

Euchariſtiã eſſe ſacrificiũ propitiatorium.

46 Variis veterum Orthodoxorum Patrum teſtimoniis Euchariſtia docetur eſſe ſacrificium, tam ex Chriſti inſtituto: Hoc facite in meam cõmemorationem, quàm ex Traditione liquidò Apoſtolica, rectéque in Edicto Cæſareo, quod interim nominatur, ex D. Irenæi loco fuiſſe confirmatum, contra Georgij Maioris criminationes.

47 Malachiæ vaticinium, Offertur nomini meo inter gentes oblatio munda, Orthodoxè de ſacrificio Miſſæ intelligi.

48 Diui Cypriani voces Offerre & ſacrificare, à Georgio improbè ad diſtributionem detorqueri.

Miſſa quale ſacrificium.

49 Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium demõſtratur, & peruerſum Valentini Vannij de Miſſa iudicium demonſtratis eius aſyſtatis, vaniſſimæ arguitur vanitatis: quibus attexitur Confeſſionis Saxonicæ refutatio, ac argumentorũ, quæ contra ſacrificium Miſſæ obiicit.

50 Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium pro delendis hominum peccatis demõſtratur, quod vim ſuam ex illa cruenta Chriſti hoſtia haurit.

Confeßio Auguſtana refutata.

51 Confeſſionis Auguſtanæ cõtra propitiatoriũ Miſſæ ſacrificium argumenta ſex, refelluntur.

Confeßio Vvirtemb. confutata.

52 Confeſſionis Vuirtembergenſis confutatio, argumentorúmq; contra Miſſæ ſacrificium propitiatorium diſſolutio.

53 Euchariſtiam eſſe ſacrificium pro peccatis mortuo-

rum delendis: ex doctrina certò Apostolica, vbi nugæ Apologiæ August. contra Missæ sacrificium proiectæ euanescere demonstrantur, & Melãchthonis sua in Ecclesia, quam inscripsit, Sophistice in loca Cypriani, Tertulliani, & Augustini liquidò omnibus ostenditur. *Apologia Confessio. August. refellitur.*

54 Fraus Buceri, qui hæretici Aërij errorem renouaturus eum Catholicis affingit, statúmq; disputationis, qui Epiphanio est cum illo, inuertit. Similiter & Augustini locum deprauasse conuincitur lib. 2. de vera & falsa cœnæ administratione. *Buceri sacrilegia.*

55 De alio sacrificij Christiani siue Missæ vsu, quod rectè offeratur pro aliis rebus, aut impetrãdis, aut deprecãdis.

56 Eruitur S. Eucharistiæ sub vna specie antiquitas, quod anno Dom. 180. 220. 340. &c. sic passim accipiebatur: ostenditúrque vtriusque speciei communio hodie Laicis non necessaria. Mox explicatũ discriminis, quod Eucharistiam facit aut sacrificium, aut Sacramentum, excipit parasceue ad pœnitentiæ Sacramentum. *Communio vtriusq; speciei cur non necessaria. Pænitentia.*

57 Cur pœnitentiæ Sacramentum necessariò à Christo Domino institutum, quòd iustificati gratiam Spiritus sancti amittere possunt contra fanaticos Anabaptistas: mox contra Caluinum, Pœnitentiam esse lapsis necessariam, nouísque lapsis noua esse quærenda remedia, quod ille negat.

58 Apostolica ætate quísnam fuerit lapsorum à Baptismi gratia status: Vbi de excommunicationis speciebus, quòd quædam occidat, & necet, ideóque vehemẽter extimescendam. Rursus de Communionis speciebus apud priscos, quid olim Communio fuerit Laica, quòd nõ est vnius speciei communio: quid peregrina. *Excõmunicatio. Communio Laica & Peregrina.*

59 Eandem hodie apud Catholicos esse de Pœnitentia doctrinam, quæ Apostolorum seculo: etsi veteris Pœnitentiæ agendæ nunc vix tenuia existant vestigia.

60 Pœnitentiæ Sacramentum non esse fictitium, vti criminatur Caluinus: sed à Domino ostensum, & ab Apostolis Ecclesiæ traditum.

61 Pœnitentiam veri esse nominis Sacramentum, vbi varia eius synonyma declarãtur, & quid olim circa pœnitentiam peccarit Nouatus hæreticus.

Pœnitentia publica. 62 De Pœnitentia apud priscos gemina, publica scilicet & priuata. An publica solùm propter peccata publica olim fuerit indicta? vti suspicatur Philippus: quódque hodie est eadem Pœnitentia priuata, quæ apud veteres.

Pœnitentiæ partes tres. 63 Pœnitentiæ partes non esse duas, fidem & contritionem, contra Apologiam Confessionis Augustanæ.

Confeßio singulorum est Apostolica. 64 Tres esse Pœnitentiæ Euangelicæ partes, & quid contritio.

65 Confessionem singulorum, quæ animus suggerit, esse necessariam.

66 Confessionem singulorum discretam fuisse Apostolica ætate adhibitam lapsis à gratia Baptismatis.

67 Refutatio Apologiæ Augustanæ, quæ negat Absolutionem esse iudicium: Confessionem item Catholicæ Christi Ecclesiæ esse possibilem.

68 Confessionem peccatorum disertam fuisse ab Apostolorum successoribus etiam obseruatam perpetuò.

69 Confessionem apud priscos non fuisse liberam, vti *Nectarius quid in Cõfeßione.* commentatur Caluinus. Vbi Nectarium demonstratur non sustulisse Confessionem Sacramentalem: nec Chrysostomi sententias ei repugnare: Audianos vero hæreticos ritum priuatæ Confessionis sustulisse.

70 Satisfactionis ostenditur necessitas ex pœna restãte peccati iam remissi.

71 Pœnam illam restantem posse in vita lui, ac pendi ex doctrina Apostolica: Eandem post huius vitæ finem posse nos luere ex Cypriani & Augustini doctrina.

Satisfact. 72 Satisfactionis energia & vis.

73 Pœnam peccati remissi restantem aliorum quoque *Indulgentiæ.* operibus mitigari posse, & expiari. Vbi indulgentiarum origo eruitur ex Cypriani ætate, imò Apostolorum etiam temporibus. Ipsos adeò Apostolos Pœnitentibus pœnæ luendę non sanè paululùm indulsisse, ac remisisse propter piorum fratrum pias lachrymas, aliáque pietatis opera.

74 Absolutionem non esse Euangelij annunciationẽ, vti ait Apologia Confessionis Augustanæ, sed peccatorum remissionem.

Ordo. 75 De Sacramento Ordinis, principiò veram esse illam

populi Christiani in Clericos & Laicos distributionẽ.

76 Ordinationem veri esse nominis Sacramentum ex doctrina Apostolica.

77 De gradibus Ecclesiasticorum, quòd Corona Clericalis est Traditionis Apostolicę, ex D. Germano Constantinopolitano Archiepiscopo, & Çoelfrido Ingrinẽsi Abbate in Anglia.

78 Gradus Ecclesiastici explanati, ac suo officio vendicati. *Gradus Ecclesiastici.*

79 De maioribus gradibus, quid Subdiaconus, Diaconus, & Archidiaconus.

80 De sacerdotio, variis eius synonymis, de Episcopo & Presbytero, Papa, atque vero Sacerdotis officio, Laicis non communi, quod offerunt Christi corpus, ideóque rectè appellari mediatores. De discrimine, quod semper inter Episcopos fuit obseruatum.

81 Diuum Petrum toti Christi familiæ fuisse Præpositum, ac vice Christi Pastorem à Christo ipso creatum, variísque prærogatiuis ornatum, vti quòd omnium primus Baptizatus, & ab eo alij omnes, & primus factus noui Testamenti Sacerdos, & Episcopus, & ab eo alij omnes, primum etiam factum Apostolorum, & caput. *D. Petrus Apostolorũ primus.*

82 Petrum Romæ & fuisse, & Episcopali illic functum munere contra Caluinum, & alios.

83 Romanum Pontificem esse D. Petri Apostoli successorem. *Rom. Pontifex.*

84 Romanum Episcopum eadem esse in Ecclesiam potestate præditum, qua fuit D. Petrus Apostolus: nõ fuisse institutam à Christo Episcoporũ paritatem, sed Romani Episcopi principatũ & excellentiam semper fuisse ab omnibus priscis Episcopis, Basilio, Athanasio, Augustino, Cypriano, aliísque agnitam.

85 Quòd non ordinatione Canonica Concilij Nicæni Romanus Pontifex aliis præsideat, vti suspicabatur Melanchthon, nec primatum ei à Cęsaribus datũ fuisse, sed confirmatum.

86 Iure diuino igitur Romano Episcopo summam in omnes authoritatem & principatum contigisse declaratur.

87 Ex Episcoporum vbique omnium, Africanorũ, Græcorum, Orientalium, & Occidentalium in Romanum Episcopum obedientia demonstratur Romani Pontificis primatus & principatus Ecclesiasticus.

88 Ex Episcoporum omnium totius orbis confirmatione corroboratur Romani Pontificis primatus: quod ex Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, Hierosolymitani & Constantinopolitani exemplis liquet.

Legatio D. Zozimi ad Africanos.

89 Ex Episcoporum omnium totius orbis ad Romanũ Pontificem appellatione ostẽditur illius in omnes principatus: vbi Canon ille Africanis pro Nicæno à D. Zozimi legatis recitatus demonstratur liquidissimò esse Concilij illius Nicæni primi: Vnde & falsi crimine hodie passim intentato purgatur Zozimus.

90 Ex Episcoporum in Synodis damnatorum & eiectorum absolutione & restitutione per Romanos Pontifices docetur eius in omnes principatus.

91 Ex Conciliorum, & eorum vniuersalium confirmatione ostẽditur Romani Pontificis primatus, ídque exemplo quatuor primorum Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis.

92 Ex primarum toto orbe Ecclesiarum cum Romana reconciliatione demonstratur Romani Episcopi præ aliis omnibus primatus & principatus, ídque exemplis illustratur Antiochenæ, Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, & totius Africanæ.

Vniuersalis Papa.

93 Romani Pontificis nomina eius excellentiã & principalitatem testantia perstringuntur: Cur sanctissimus, beatissimus, Papa, &c. Cur D. Gregorius titulum reiecerit Episcopi vniuersalis, quem anteà sanctissimi Martyres agnouerant & vsurparant, & Concilium adeò vniuersale Chalcedonense concorditer Leoni Magno attribuit, & acclamauit.

Matrimonium.

94 Matrimonium veri nominis esse Sacramentum.

95 Quòd Christianorũ Matrimonium est prorsus indiuiduum atque indissolubile. Vbi Melanchthonis vanitas demonstratur, qua affirmare audet, Fabiolæ exemplo, & aliarum, licuisse apud priscos coniuge superstite alteri nubere.

96 De extrema vnctione, quòd sit veri nominis sacramentum, apud veteres ante annos mille ducẽtos habitũ. Quòd apud priscos etiam oleum adhibitum fuerit. Vbi Caluini nugæ ostenduntur vanissimæ *Extrema vnctio.*

97 De altero rerum genere, quod circa res alias consecratas versatur, vti crucis consignatio, variis Christianorum vsibus adhibita. *Crucisignatio.*

98 Monachismi origo eruitur, virginitatem matrimonio maioris esse apud Deum & dignitatis & meriti, quódque Apostolorum ætate voto firmata, sicuti & paupertate. *Monachismus.*

99 De Ecclesiarum dedicatione, Panis, olei, aquæ sacræ, salis, &c. benedictione. *Vota.*

100 Vniuersum Traditionum non scriptarum corpus perstringitur. Vnde cuius quæque sit authoritatis, & an obseruationis liberæ, an secùs, cognoscatur. *Aqua sacra.*



EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO, LIBER QVARTVS.

Authore D. Vuilhelmo Lindano Dordraceno, S. Th. Doct. & Professore.

Propositio libri Quarti eiusque methodus.



VANDO eas verbi Dei Euangelici nõ scripti partes, quæ ad dogmaticũ pertinere videbantur, pro eo atque instituti huius ratio exposcebat, sumus persecuti, nunc ad alterum Nõ scripti verbi Dei genus accedamus explanandum: quod, circa ritus sacrorum quia versatur, Mysticum, aut si mauis Rituale, diximus. Hoc igitur verbum Dei Mysticum, quia aut Sacramentis ferè est coniunctum, eos initiò pertractabimus ritus sacros, qui illis aut exhibendis veluti pręambulones pręcedunt, aut comitantur exhibita. Deinde illos persequemur, qui rebus Deo, aut vsibus hominum Christianorum cõsecratis de publico Reip. Christia. more in Catho. Christi Iesu ętiamnùm obtinent atq; adhibentur Ecclesia.

Caput Primum.



Aximum mihi facturus videor operępretium si antè Sacramentorum ritus, quàm ex verbo Dei non scripto per Apostolos Catholicæ Dei Ecclesiæ certò traditos pertractemus, de Sacramentorum natura siue efficacia & numero, paucula præmittamus: ex quibus intelligatur perspicuè, quàm ex diametro istorum hominum doctrina, quę vel vnum, vel duo, vel tria, vel quatuor, vel summum sex contendit statuere, pugnet cum doctrina liquidò Apostolica, & indubitatò Catholica.

Principiò, ne quis in Sacramenti nomine fallatur, illud cum primis refert animaduertere, Sacramenta Catholicis esse efficacia diuinæ gratiæ signa, intellectu augustissima & obseruatione castissima: quæ ipse Dominus & Apostolica (ait August. de doct. Chr. 3. cap. 9.) tradidit disciplina. In ipso signi nomine vt nobiscum aduersarij conueniunt, ita de re significata plus quàm bis per omnia, quod dicitur, dissentiunt. Illi enim aut diuinæ promissionis signa, quasi nobis exhibitæ testimonia: aut misericordiæ iam præstitæ, quasi sigilla Dei veritatem obsignantia intelligũt, quæ fidem nostram aut dormitantem excitent, aut nutantem confirment: ita vt nihil ipsa quidem operentur, sed ignauia sint & mera signa. Verùm Sacramenta illa longè alterius notæ esse signa, quàm noua comminiscitur aduersariorum doctrina, nullo prorsus negotio intelligas licebit, Christiane Lector, si Scripturarum loquendi formulis insistens, veterum Patrum de saluberrima Sacramentorum facultate sententias animaduertendo obserues, consideratéque expendas. Scriptura de Sacramento Baptismi loquens, docet hominem per aquam & Spiritum sanctum renasci, Ioan. 3. item regenerari & renouari: mundari quoque Ephes. 5. atque adeò saluari 1. Petr. 3. & ad Titum 3. Quas Scripturarum voces, qui vel crassissimè intelligat, num ambigendum sibi vllo pacto credat, quin id prorsus intùs in anima efficiàt sacrum illud Baptismi, siue ablutionis, aut si malis tinctionis, signum, quod illa La-

Sacramenta quid.

Vide Au. cōtra Faustū. li. 19. c. 11

Augu. 3. de doct. cap. 9.

Signa cuiusmodi Sacramenta.

Signa efficacia.

Homo Baptismi signo regeneratur, renouatur & saluatur.

tinis auribus sonant? hominem putà per aquam & Spiritum sanctum regenerari, vt iam spiritus sit, sicut anteà caro, Ioan.3. Renouari, vt deposita carnalis Adæ vetustate, noua in spirituali Adam Christo fiat creatura: Mundari quoque, vt à peccatorum sordibus, quibus ex originali peccato, aliísue propria malicia additis erat inquinatus, atque contaminatus, expurgetur, expietúrque: Saluari denique, vt sua culpa perditus, benignissima Dei Opt. gratia salutem animæ simul & corporis recuperet. Atque hæc quidem scripturarum testimonia abũdè sufficiant, quæ operatoriam & actuosam Sacramentorum in vniuersum omnium facultatem, atque efficacem vim suo patrocinio apud homines Euangelica mansuetudine præditos, miniméque contentiosos tueantur. Quod enim de vno sacramenti genere perquàm manifestè est demonstratum, Baptisma scilicet efficax esse diuinæ gratiæ atque spiritualis sanctificationis signum, quia regenerat in Spiritum, mundat, innouat, atq; adeò saluat, de qualibet istiusmodi Sacramenti specie necessariò sentiendum venit. Quare hoc labore in alium locum reiecto supersedentes, paucissimis iisdémque breuissimis veterum Scriptorum testimoniis saluberrimam Sacramentorum Catholicæ Ecclesiæ vim atque efficaciam dabimus confirmatiorem.

Augu.3. de doct.ca.9.

Quòd sacramẽta Patres vetustißimi intellexerint signa efficacia.

Hanc itaque Sacramentorum actuosam vim & efficaciam veteres illos quoque Patres ex doctrina illa Apostolica, quæ eis sacramenta tradiderat, vt August. testatur intellexisse, nemo quisquam dubitet, qui paucula eorum verba æquus iudex audire non grauetur: quæ hisce de rebus mirum quàm sobriè atque tenuiter in suis monumentis extare voluerunt, quòd de fidei nondum ab omnibus receptæ mysteriis apud prophanas aures, necdúmque sacris initiatas dicebant. Qualia igitur signa priscos Scriptorum Ecclesiasticorum chorus vniuersúsq; Christi populus ille primitiuus intellexerit esse sacramenta, ex apertissimis D. August. testimoniis efficietur clarissimum: cuius patrocinium hac in causa præcipuè nobis aduocandum duximus, quòd eum vel aduersarij ipsi in sacramentorum negotio vt Optimum ex tota an-

Cur Diui Augu. testimonio hic potissimum vtẽdũ

tiquitate (ait Caluinus institutionum suarum cap. 16) ita fidelissimum testem pro se adferre commoliantur. Verùm quibus istud faciant artibus, quámque modis liberalibus, res ipsa statim loquetur.

Proinde quídnam testis iste fidelissimus de sacramẽtalibus signis antiquam Ecclesiam Catholicam credidisse testetur, quæso Christiane Lector, vt attento animo accipias. De sacramẽtis enim, quibus in nomen religionis homines coagulantur, loquens, affirmat, non nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio homines colligari: quorum sacramentorum (inquit contra Faustum, libr. decimo nono, capite vndecimo) vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideò cõtempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.

Caput II.

Discrimen sacramentorum noui Testamenti & veteris.



Erùm ne quis eandem sacramentorum veterum & nouorum vim atque parem efficientiam sibi commentus cum aduersariis, perniciosè fallatur ex eiusdem D. Augustini fidelissimi, ex tota antiquitate testis scriptis, testimonia quædam nobis sunt promenda, quæ horum discrimen disertè proloquantur, quò res præsens fiat dilucidior. Prima sacramẽta, inquit eiusdem libri cap. 13. quæ obseruabantur & celebrabantur, ex lege prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cùm Christus suo aduentu impleuisset, ablata sunt, & ideò ablata, quia impleta: & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Virtute, inquã, sanctificationis inuisibilis maiora, ita vt verè atque re ipsa in animo efficiant, quod foris signaculo suo in corpore fieri adumbrant: hoc est, vt animam Baptismus gratia inuisibili à peccatis lauet, mũdet & sanctificet, sicuti corpus aqua visibiliter abluitur, mũdatur, atque sanctificatur. Hoc illud enim est, quod D. Augustinus tractatu in Euangelium Ioan. 80. stupens admiratur: Quæ tanta, inquiens, est vis aquæ, vt corpus tãgat, & cor abluat? Ad parem inuisibilis sanctificationis

Aug. cõtra Faustũ. li. 19

Discrimen sacramentorum nouorũ à Mosaycis.

Baptismi aqua, cor abluit.

modum & alia, siue Pœnitentiæ, siue Ordinationis, siue Confirmationis Sacramenta secundum Apostolicā veterum Patrum doctrinam esse accipienda, suis infrà locis declarabitur. Cùm igitur Euangelica Sacramēta Mosaïcis virtute sunt maiora, fieri nequit, vt hæc minùs Christianos, quàm olim Moyses & Dominus Sacerdotes Leuiticos aut sacrificiis, aut oleo sanctificabat. Non « Moyses (ait Augustinus quæstio. 84. in Leuit.) pro Do- « mino, sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministe- « rium suum: Dominus autem inuisibili gratia per Spiri- « tum sanctum, vbi est totus fructus eorum atque vtilitas. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt? hanc autem inuisibilem gratiam Baptizatis donari per Baptismi sacramentum paulò pòst de Samaritanis cum Simone Mago baptizatis « demonstrat: Nihil quippe Simoni, inquiens, profuit vi- « sibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit: sed « quibus ista inuisibilis sanctificatio, quoniam adfuit, profuit. Rursum ne quid de veterum & nouorum Sacramētorum discrimine hæsitemus, ea inter se cōparans, idem D. Augustinus in Psalm. 73. præcepta veteris & noui Te- « stamenti, inquit, sunt eadem, Sacramenta non sunt ea- « dem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia pro- « mittentia Saluatorem: Sacramenta noui Testamenti « dant salutem, Sacramenta veteris legis promiserunt Sal- « uatorem. Quod Diui Augustini testimonium cùm manifestiùs vetera à nouis Sacramenta, quod quidem ad efficientiam pertinet, discriminet, quàm vt vllam æqui iudicis tergiuersationem admittat, Caluinus pro ingenij sui dexteritate per hyperbolen accipiēdum censet, atque huiusmodi immodicis, ait, Sacramentorū encomiis miseros, quos dicit, Sophistas vult fuisse deceptos. Verùm Caluinum ipsum hoc in loco re ipsa Sophistam, hoc est, veritatis furem, teste Aristotele, agere ex ipso Diuo Augustino, cuius verba in alium, atque ille scripsit, sensum peruertere conatur optime Lector, nullo prorsus negotio agnoscas. Non enim aliud, inquit, illic voluit Augustinus, quàm quod idem alibi scribit: Sacramenta Mosaïcæ legis Christum prænunciasse: nostra verò annun-

Caluinus Catholicos immeritò accusat sophisticés.

Sic ex Arist. D. Clemens Alexād. stro. Sophista Aristoteli veritatis fur.

ciare. Et contra Faustum, fuisse illa promissiones rerum complendarum: hæc indicia completarum, ac si diceret, illa figurasse, cùm adhuc expectaretur: nostra velut præsentem exhibere. Porrò de modo significandi loquitur, sicut & alibi indicat, &c. Istũ quidẽ sensum Caluine, illa D. Augustini verba, ꝙ Sacramẽta noui testamenti dant salutem (quæ tu quidem hyperbolica dicis, & immodica Sacramentorum encomia) recipere nihil negamus, cùm hic sensus non rarò apud August. fiat Lectori obuius: Verùm quòd aliud nihil Aug. voluerit, quod tu affirmas, nunc ex locis ipsis abs te iamiam recitatis à veritate alienum esse demonstrandum est: ne ista tua vanitas ad imperitorum fraudem comparata, tardioribus ingeniis perniciosè abutatur. Posteà enim quàm D. August. illam inter vetera & noua Sacramenta tradidisset differentiam, quòd hæc dant salutẽ, illa promiserint Saluatorem, planis verbis è vestigio subiectis, quid intellèxerit, expressit. Cùm ergo, inquiens, iam teneas promissa, quid quæris promittentia Saluatorem, iam habens? Hoc dico, teneas promissa, non quòd iam acceperimus vitam æternam, sed quia iam venerit Christus, qui per Prophetas prænunciabatur. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Et apertiùs altero loco abs te recitato, Qui Sacramento Baptismi, inquit, rectè abluitur, quod illa aspersionis aqua figurabatur, mundatur spiritaliter, id est, inuisibiliter in carne & in anima, vt sit mundus & corpore & Spiritu. Viden' Caluine, aliud quippiam D. Augustinum illa Sacramentorum differentia voluisse, quàm quod tu comminisceris, vetera fuisse Sacramenta rerum complendarum: noua verò, rerum duntaxat in Christo completarũ? cùm noui Testamenti Sacramenta disertè pronunciet, & salubriora, quod ægris peccato animabus adferãt salubritatem: & feliciora, quòd veram hominibus Christianis ipsa pariant felicitatẽ. Quem D. Augustini germanum sensum nescio vtrùm magis admirer te fugere potuisse, quod suspicari non patitur diligens tua Augustini lectio, quum haud infrequẽtiùs quàm alter ille occurrat sæpiusculæ repetitus: an potiùs te fallendi studio

Quæst. super Num. 33.

Libr. 19. cap. 14.

Quid sit August. Sacramenta noua dare salutẽ.

Ex ipsis D. August. locis tribus à Caluino recitatis veritas Catholica ab isto dissimulata demonstratur.

Qui baptizatur, Augustino totus mundatur.

dissimulare potuisse, adeóque incunctanter pronunciare ausum, nihil aliud Augustinum voluisse? cùm disertis adeò verbis quæst. Numerorum 33. abs te allata, doceat eum, qui Sacramento Baptismi abluitur, ita spiritaliter mundari, id est, inuisibiliter in carne & anima, quod illa aspersionis Mosaïcæ aqua significabat, vt sit corpore & spiritu mundus. Hanc quoque salutarem Sacramentorũ efficaciam ex tertio loco abs te cõmemorato fuisset discere, si tam Priscæ doctrinæ eiusdémque Catholicæ veritatis propugnandæ, quàm nouæ, Ecclesiísque inauditæ, prauitatis promulgandæ studium te ad scribendum impulisset. Eiusdem enim libri 19. cap. 16. vbi de Baptismi aqua & omni illa actione corporali, quæ agitur, inquit, cùm baptizamus, & fit, verbísq; quibus Baptismus consecratur, fuisset locutus, continenter adiecit: Hæc omnia, inquiens, fiunt & transeunt, sonant & transeunt. Virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet. Quanta autem hæc sit Sacramentorum virtus, nec te vllo vnquàm pacto latere potuisset, nisi apertissimis oculis saluberrima illa Diui Augustini eiusdem libri cap. 11. verba, quæ isti insaniæ præsentissimum attulissent remedium, maluisses infeliciter dissimulare, quàm reiectã semel Catholicam veritatem ab errore resipiscens, salutariter reuocare. Quorum Sacramentorum, inquit Augustinus, vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideo cõtempta sacrilegos facit: impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. An tu igitur istam Sacramentorum inenarrabilem vim non contemnens solùm, verùmetiam ludens atque deridens, Augustini censura sacrilegij tenearis conuictus, nec ne, penes æquum bonum Lectorem arbitrium esto.

Fraus Caluini prodita ex Augustini verbis ab illo dissimulatis.

August. cõtra Faustũ. lib. 19. ca. 11.

Caput III.

Quanta sit Sacramẽtorum nouæ legis efficacia.



E quid tamen in hac de Sacramentorum efficacia atq; vi controuersia desideretur, quod ad Catholici dogmatis faciat confirmationem, paucula insuper cùm ex Augustino, tum ex aliis quoque veterum patrum scriptis sunt proferenda testimonia. Aduersus Pelagianos igitur (qui li-

cèt Baptiſmi vim ſacrilegè extenuabant, minùs tamen impiè de Baptiſmi efficacia, atque hodie iſti Euangelici, ſentiebant) Sacramenti huius virtutem defenſurus, totum hoc fit (inquit 1. de peccatorum mer. cap. 19. quòd paruuli ſcilicet verè pœnitentes habentur per Suſceptorum abrenunciationem, & inter credentes numerantur per eorundem fidem) in ſpe vi Sacramenti & diuinæ gratiæ. Et infrà eiuſdem libri cap.33. quòd paruulos baptizatos inter fideles rectè ponimus, ſicuti vniuerſæ vbique Eccleſiæ clamat authoritas, hoc eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium reſponſionem. Hæc ſiquidem eſt illa noui teſtamenti præ veteris Sacramentorum virtus maior, & vtilitas melior, atque vis ſalubrior & felicior, quòd hæc reipſa mundant hominem, atque à peccatis purgant, quòd illa futurum figurabant, vti ex D. Auguſt. verbis iam nunc commonſtrauimus, quæſt. ſuper Num. 33. & contra Fauſt. 19. cap. 11. Quænam autem obſecro erit iſta Sacramentorum Euangelicorum virtus maior, & vtilitas melior, & vis efficacior, ſi nihil ipſa operentur? nihil ipſa vi ſibi diuinitùs indita efficiant? nihil denique ipſa præter meram gratiæ, quæ quidem fide apprehendatur, non Sacramento conferatur, notationem hominibus adferant? Cæterùm cùm noui Teſtamen. ſanguis à Chriſto eius mediatore atque conciliatore pro noui populi ſalute effuſus, emundet conſcientias ab operibus mortuis atque peccatis, hyrcorum autem & taurorum ſanguis & cinis vitulæ aſperſus, veterum populum inquinatum ſanctificabat ad emundationem carnis, teſte Apoſtolo Paulo Hebræo. 9. quis fronte ſit adeò perfricta, atque audacia ita profligata, qui clariſſimis hiſce Diui Pauli ſententiis refragatus, porrò cõtendat noui Teſtamenti Sacraméta à veteribus, non niſi modo ſignificandi, vt Caluinus ait, non etiam efficacia ſanctificãdi, eſſe diſcreta atq; diſtincta? Sanguis autem filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, atq; eius mors peccatorum omnium, quibus miſeri mortales & laboramus morbidi, & Deo viuimus obnoxij, verum & potens & ſingulare remediũ eſt, adeòq; ſingulare piaculum, quo & ab animarum noſtrarum languoribus

Auguſt. de pecc. mor. 1. cap. 11.

Ibi. cap. 33.

Cur Sacramenta noua neceſſariò ſint efficacia gratiæ ſigna.

Hebr. 9.

Sãguis Chriſti mundat conſcientias à peccatis, ſed per Sacramenta.

Auguſtin. ad articulos ſibi falſò impoſitos.

Quibus prosit sanguis Christi. vitiisque sanamur, & delictorum reatibus expiamur: sed tum demùm, cùm hęc saluberrima Sacramentorum medicamenta atque purgatoria piacula hominibus fuerint ritè adhibita. Poculum quippe immortalitatis, ait Augustinus in articulis sibi falsò impositis, art. 1. quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit, adeò vt qui hoc seculum (vti paulò antè docet) sine fide Christi & regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. *Sacramentorũ necessitas.* Quod licèt D. Augustinus de solo Baptismatis Sacramento illi suo instituto conuenienter tradat, de Pœnitentiæ tamen Sacramẽto, quod in pristinum fœdissimorum peccatorum volutabrum relapsis purgationem atque expiationem adfert, pari planè sententia est accipiendum: quemadmodum Diuus Hieronymus Dialogo contra Pelagianos: Sanguis, inquiens, Iesu Christi mundat nos, tam in Confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis. Et Dialogo 1. Pœnitentia Baptismatis gratiam imitatur per ineffabilem clementiam Saluatoris.

Sãguis Christi nosmũdat in Sacramento Baptismatis et Pœnitentiæ.

Hiere. 3 Pela. Dial 2.

Idẽ Dial. 1.

Sanguis itaque Christi Iesu conscientias nostras à peccatis emundat & saluat, sed per lauacrum regenerationis & renouationis in aqua & verbo vitæ, aqua visibili inuisibilis gratiæ Symbolo adhibita, vt Diuus Cyprianus libro secundo, epistola secunda ad Donatum testatur: Sed postquàm, inquiens, genitalis vndæ auxilio superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, & quæ sequuntur, illustrem habentia sacri Baptismi effectorum, gratiarúmque per Baptismum acceptarum catalogum, qui suo inferiùs loco aptiùs rememorabitur.

Cyprian. lib. 2. epistol. 2. auxilio aquæ labes detergi.

Hunc quidem in modum Latini Scriptores de admiranda Sacramentorum vi atque efficacia Catholico dogmati conuenienter consentiunt. Id quoque & Græcorum Theologorum suffragiis, quàm fieri potest, breuiter est comprobandum. Quemadmodum, inquit Diuus Chrysostomus Homil. 24. in Ioannem, terra inanimata, immobilis, diuina voluntate ad tanta miracula producenda vires accepit: ita spiritu & sensibili aqua omnia

hæc admirabilia, & humanam excidentia cogitationem » facilè exoriuntur: & Hom. 35. de probatica piscina, quẽ- » admodum huius aquæ natura, piscinæ videlicet probaticæ, per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed duntaxat cùm ab Angelo mouebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur in Baptismo, sed cùm spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.

Aqua Baptismi omnia abluit peccata.

Quia verò istam peccata abluendi atque expurgandi efficientiam Baptisma habere sensit D. Epiphanius, rectè de Baptismo loquens, τὴν καθάρσιον appellauit δύναμιν, quod est, vim Baptismi purgatoriam, quód Baptismus vi sibi diuinitùs indita animæ sordes peccata eluat, expurget, atque emundet. Hinc & D. Clemens Alexandrinus in Christiani hominis institutione siue Pædagogo libri 1. cap 6. Baptismi synonyma explicaturus aduersus sui seculi hæreses, quæ Baptismum, ceu inutilem deridebant: Gratia, inquit, vocatur, qua remittuntur pœnę, quæ peccatis debẽtur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem illam lucem intuemur, hoc est, per quam id, quod est diuinum, perspicimus. Et paulò inferiùs, Et qui est solummodo regeneratus, quemadmodum etiam illuminatus dicitur. Illuminatus quidam protinùs à tenebris liberatur, & ab eo tempore lucem accepit. Quemadmodum ergo qui somnum excusserũt, ab eo tempore protinùs intùs vigilant: vel potiùs quemadmodum qui oculorum suffusionem conantur amouere, non extrinsecùs eis lucem suppeditant, quam non habent: Sed quod oculis impedimentum afferebat depellentes, liberam relinquunt pupillam: ita etiam qui tingimur, abstersis peccatis, quæ diuino spiritui instar caliginis tenebras offundebant, liberum, ab omníque impedimento vacuum & lucidum habemus spiritus oculum: quo quidem solo, quod diuinum est, intuemur, cælitùs influente nobis sancto Spiritu. Hæc est æterna splendoris temperatura, qui videre potest æternam lucem: quandoquidem quod simile est, est amicum simili. Et rursùm quibusdã interiectis. Cognitio ergo, inquit, est illuminatio quæ delet ignorationem, & perspicacem videndi facultatem inserit. Quin etiam eorum, quę sunt

Baptismus Epipha. vim habet purgatoriam.

Epiphan. in hæres.

Cle. Alex.

Baptismus cur gratia et illuminatio.

Baptiſmus medicamentum pæoniū.

deteriora, reiectio, eſt meliorum reuelatio. Quæ enim malè colligauit ignoratio, ea pulchrè reſoluit agnitio. Hęc autem vincula quàm celerrimè remittuntur, humana quidem fide, diuina verò gratia, cùm remittũtur peccata vno medicamento pæonio, nẽpè verbali Baptiſmo. Omnia ergo peccata eluimus, & è veſtigio mali non ſumus ampliùs. Vna eſt hæc gratia illuminationis, ꝙ non ſint iidem mores, qui erant, antequàm lauaremur.

In eundem ſenſum D. etiam Gregorius Nazianze. ob eximiam ſacrarum literarum ſciẽtiam meritò Theologus dictus, Sacramenti Baptiſmatis intellexit efficaciam. Siquidem ipſa Baptiſmatis gratia atque vis, inquit, in oratione in ſanctum lauacrum, non mundi diluuium, vt olim, ſed vniuſcuiuſque peccati continet purgationem, & omnimodam fœditatum & inquinationum, quæ à prauitate ingreſſæ ſunt, reiectionem. Proinde cùm duplices ſimus, ex anima dico & corpore, illúdque viſibilis, iſta verò inuiſibilis ſit naturæ: ita & duplex eſt purgatio, per aquam, inquam, & Spiritũ: & hæc quidem viſibiliter & corporaliter ſuſcipitur, at illa incorporaliter & inuiſibiliter concomitatur: ac vna quidem eſt figuralis, ſed altera vera, quæ & profunda expurgat, prioris generationis adiutorium exiſtens: nouos pro veteribus, ac Dei ſimiles: pro eo quod nunc ſumus, efficit, abſque igni conflans, & ſine confractione irradians: ſi enim breuiter dicere oportet, Baptiſmatis vis, cum Deo vitæ ſecundæ, ac purioris conuerſationis eſt pactum cenſendum.

Caput IIII.

Sacramenta nouæ legis nõ eſſe gratiæ ſigilla, aut ſymbola.



X quibus quidem Sanctiſſimorum Patrum, eorundémque ſcriptorum clariſſimorum teſtimoniis Sacramẽtorum Eccleſiæ Chriſtianæ naturam, indolem & efficaciam quilibet luculenter ſatis, vti confidimus, agnoſcat propoſitam, explicatam & confirmatam: quòd ſcilicet ſunt ſigna efficacia, per quæ tanquàm ſiue remedia, ſiuè cauſam ſine qua nõ, quam dicimus, ſiue inſtrumenta veriùs atque canales in

hunc vſum diuinitùs aptatos (nam hæc quæſtio in præſentiarum minus aptè pertractetur, quæ inter cõcordes Catholicæ matris Eccleſiæ filios de Sacramentorum effectis Orthodoxè conſentientes diſcordi concordia diſputatur) Deus Optimus ſuam gratiã, ſanctificationem putà inuiſibilem operatur: non quaſi indubia ſuæ erga nos externa duntaxat beneuolẽtiæ ſymbola, aut promiſſionis tantùm teſtimonia, aut denique gratiæ donatæ ſigilla, quæ nobis ea ita certò teſtentur contigiſſe vt circumciſio, iuſtitiam Abrahæ: aut vmbra horologij retrograda, Ezechiæ meliorem valetudinem: aut ſigillum diplomati Regio appenſum priuilegia ciuitatibus. Hæc enim omnia vt cùm Apoſtolica doctrina, quæ & Sacramenta tradidit, eorúmque vim & efficientiam poſteris prodidit, & in conſentientibus veterum ſcriptorum ſententiis manifeſtiſſimè relucet, prorſus pugnant: ita Sacramenta etiam faciunt nefario cum ſacrilegio non Sacramenta, quòd eis ſacrandi atque ſanctificandi vim ſacrilegè detrahunt, quódque eis magna cum abſurditate meram ſignificandi vim, aut tantùm ſigillandi ſymbolum concedunt. Iſta ſiquidem nihilò minorem coniunctam habent abſurditatem, quàm ſi ornamentum interpreteris ornatus ſignum, aut medicamentum, medicationis ſymbolum. Cęterùm quòd ad circumciſionem attinet, pulcherrimè ea Diuo Paulo ſignaculum iuſtitiæ Fidei dicta eſt: quod ſanè elogium rectè Baptiſmo etiam tribuatur, ſi hic ad eum Chriſtianis omnibus contingeret modũ, quo illa Abrahæ noſtro Patriarchæ. Sed cùm ea iuſtificato ad indubitatum acceptæ iuſtitiæ ſit donata teſtimonium, quî obſecro Epitheton circumciſioni propter vnius priuilegium ſemel tributum, in totum queat Sacramentorum genus aptè congruentérque conuenire, per quæ ipſa ex impiis Deus Optimus pios, ex immundis mundos atque Sanctos efficere dignatur? per quæ iuſtitiam non donatam ſignat, ac quaſi ſigillo obſignat, ſed abſentem adfert, præſentémque donat? per quæ denique non gratiam ſuam antè ſe donaſſe teſtatur: ſed eorum virtute, vt Auguſtinus loquitur, atque auxilio, vt Cyprianus, Sanctificationem efficere dignatur?

Sacramenta nõ eſſe ſigna, qualia volũt aduerſarÿ.

Geneſ. 17.
Rom. 4.
Eſa. 38.

Sacramenta aduerſarÿs non ſunt Sacramenta.

Sacramenta non eſſe iuſtitiæ ſignacula, vt circũciſio Abrahæ.
Rom. 12.

Circumcisio ipsa non fuit omnibus signaculum iustitiæ, nedum Baptismus.

Prætereà ne quis imperitior cum aduersariis existimet rectè circuncisionis Epitheton in Christiana Sacramenta trãsferri, vt signacula dicantur iustitiæ, non quæ actu donetur, sed dudum data obsignetur, is rogo meminerit, nec ipsam adeò circumcisionem omnibus in vniuersum circumcisis eiusmodi fuisse sigillum. Nempe circũcisio iustitiæ sigillum Paulo quidem dicta est, sed iustitia fidei Abrahæ: non omnium etiam circumcisorum. Quemadmodum Diuus Augustinus contra Donatistas lib. 4. cap. 24. clarissimis verbis docet: Sicuti ergo, inquiens, in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit circumcisio, signaculum iustitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro Baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circumcisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei: & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat, & quæ sequuntur.

In Isaac præcessit signaculũ iustitiæ, sequuta verò tandem iustitia.

Cùm igitur Baptismus & Pœnitentia, aliáque Catholicæ Christi Ecclesiæ Sacramenta, aut in peccatorum remissionem, sordium emundationem, atque iustitiæ donationem, aut iteratam cum Deo Optimo reconciliationem, maiorémue animorum sanctificationem nobis adhibeantur, non aptè nec congruenter ad circumcisionis modum gratię donatæ sigilla appellantur, quòd hæc ob vnius Abrahæ priuilegium isto nomine fuerit insignita. Porrò quod de Ezechiæ signo, atque Gedeonis adfert Philippus, quasi ad istorum modum & nos oporteat tam certò esse persuasos, dum sacris hisce signis, aut, vt ipse vocat, cæremoniis atque ritibus vtimur, de gratia atque peccatorum remissione, ac si Deus ipse nobis præsens loqueretur, præterquàm quòd impiè excludit infantes, phreneticos, atque lethargicos (quòd istam gratiam fide opinatur apprehendi, non Sacramentorum virtute effici atque conferri) etiam insignem habet coniunctam imperitiám ne dicam, ad insipientiam? Cùm nec scripturæ vsquam Sacramenta illis signis cõponant, nec veterum scriptorum quisquam istam deliram Sacra-

Sacramenta nõ esse signa, vt vellus Gedeonis, aut vmbra horologij retrograda.

Philip. Melanchtho definitiones Sacramenti.

menti commẽtationem ne per somnium quidem, quod dicitur, vspiam viderit, meminerítue.

Caput V.



Vare ista de Sacramentis somnia noua nouis istis Prophetis nouo suo noui Euangelij Spiritui idonea relinquamus: ne tamen imperitis hominibus nouitatis opinione suspecti displiceant, haud quaquàm eos vanissimæ illius iactationis pudet, suas Sacramenti definitiones cũ D. Augustini definitionibus sensu cõuenire. Atqui ex recitatis dudum D. Augustini testimoniis ista Caluini vanitas ad perniciosam imperitorum fraudem cõcinnata manifestissimè redarguitur, simul & refutatur. Caluinus enim Sacramẽtum esse vult diuinæ in nos gratię testimonium externo signo cõfirmatum: siue externum symbolum, quo Deus beneuolentiæ erga nos suæ promissiones cõscientiis nostris obsignat: Augustinus verò, inuisibilis gratiæ visibilem formam, siue rei sacrę visibilia signa. Quæ Augustini & Caluini definitiones adeò sensu non cõueniunt, vt plus quàm bis, quod habet prouerbium, per omnia dissonent. Siquidem D. Augustinus inuisibilem gratiam, siue rem sacram apertiùs sese effectum gratiæ, atq; sanctificationem nobis per Sacramẽta diuinitùs elargitam intellexisse, plurimis in locis est testatus, quàm vt attentus scriptorum eius, Lector, aut ambigat, aut addubitet, quod ex locis pauculis suprà allatis est manifestissimum. Cùm enim Sacramentorũ virtutem inenarrabiliter plurimùm valere libr.19. contra Faustum cap.11. dicat, & in Psal. Salutem dare, ex instituto ad Mosaïcorũ differentiam, doceat, alibi etiã eorũ efficaciam admiratus, exclamat: Quæ tanta vis aquæ, vt corpus tãgat, & cor abluat? Tractat. 80. in Ioãnem. Et rursum quæstion. Numer.33. ita Sacramento Baptismi hominem ablui, vt corpore & spiritu mundus sit: Hæc, inquã, omnia cùm disertis adeò verbis Diuus Augustinus per Sacramenta effici affirmet, húncque diuinæ sanctificationis effectum vocabulo rei sacræ siue inuisibilis gratiæ plærumque semper sese in

Aduersariorum Sacramenti definitiones pugnare cũ D. August. cũ quo tamen sensu eas cõuenire nõ pudet iactare.

Caluini definitiones Sacramenti, sensu pugnare cum Augustino.

Quod D. Augustino gratia Sacramentorum inuisibilis est res Sacramenti atque effectus.

definitionibus Sacramenti intelligere ipse interpræte- tur: Caluinus verò in suis nihil efficientiæ, præter merã atque ignauam significationem Sacramentis tribuat, quis ita hîc sit sensus obtusi, crassæque naris, cui non te- tra isthæc & illiberalis Caluini callidè ad fraudem stru- cta stropha subolescat? Taceo quòd gratiam multò aliã, atque Augustinus intelligat, de quo pòst in Baptismi ef- fectis congruentiùs disputabitur. Viderit nunc igitur Caluinus, an suæ illæ definitiones Sacramenti nouæ, & pòst Christianorum memoriam inauditæ: sensu nihil à Diui Augustini differant? nempè, si est sensu nihil differ- re, nec vocabulis, nec sententia concinere, sed δὶς διὰ πα- σῶν καὶ διὰ πάντη dissonare? imò, inquit, rem ipsam me- liùs atque certiùs meæ explicant: Scilicet, vt quis à Ca- tholica Apostolorum veterúmque Scriptorum doctrina ad nouos istos, quos αὐτοδίδακτοι confingebatis, errores infeliciter seductus, pro ipsa Sacramentorum re, atq; so- lida, veráque animorum sanctificatione per illorum vir- tutem donanda atque efficienda, prophana vestra illa externa signa, inaniáque symbola infeliciùs suscipiens, infelicissimè se ipse perditum eat.

Caluini & iactantia &

Istas tamen tuo ingenio gloriosè, imò thrasonicè tri- butas laudes si alius prædicarit, quis fortè suspiciat: sed cum tibi eas ipse arroges, meritò in suspicionem ve- niunt vanissimæ ostentationis. Quid enim melius de di- uina Sacramentorum natura, quàm esse visibilia inuisi- bilis gratiæ signa, non autem iustitiæ, quæ dudum data est, sigilla, aut testimonia? quid certius, quàm quod ha- bet consentiens cum veterum Patrum doctrina, id ea in animo re ipsa efficere, quod foris in corpore fieri adum- brant? In hanc igitur sententiam Catholici Sacramenta Christianæ Ecclesię à Domino & Apostolis, teste Augu- stino, tradita intelligimus Sacramenta, sicuti Latinis au- ribus ornamentum sonat, & medicamẽtum. Sicut enim ab ornando dictum est ornamentum, & quòd medelam ægrotis præstet, medicamentum: ita Sacramẽtum, quòd animas hominum prophanas sacret, Deóque sanctas cõ- secret, Spiritúsque gratia à peccatis expiatas & cælesti- bus dotibus ornatas, verum Dei viui templum efficiat.

Thrasonica Caluini ostẽtatio, qua se D. Augustino præfert.

De doctr. Christi.

Sacramẽtum Latinis dictum ab effectu, vti medicamentum ornamentũ, &c.

Hanc vocabuli proprietatem vnà cum saluberrima animabus nostris Sacramentorum efficacia, nō minùs impiè quàm pernitiosè Catholicæ Dei Ecclesiæ conantur aduersarij surripere, aduersus quorum improbum studium noxiúmque hæc paucula ex saluberrimis veterum scriptis, quasi nartheciis, videbantur depromenda, ne quis ea externa tantùm opinetur esse gratiæ symbola, aut mera beneuolentiæ erga nos diuinæ signa siue testimonia. Non nescimus sanè, Baptismum aliquando sigillum Basilio aliísque esse dictum, & obsignationem Tertulliano: verùm alio longè sensu atque volunt aduersarij, eisdem vocibus ad simpliciorum fraudem pernitiosè abutentes. Illi enim fidei sigillum & obsignationem appellant Baptismum, quòd eo fides in Deum concepta, tanquàm sigillo literæ, aut priuilegium, regísue diplomata, sigilletur atque obsignetur, obfirmetúrque. Non quòd suas promissiones omnibus Sacramenta suscipientibus Deus sigillet ratas atque obsignet efficaces, quasi Deus necesse habeat, inquit Tertullianus lib. de Pœnit. præstare etiam indignis, quod spopōdit. Hoc enim Dei liberalitatem esset seruitutem facere. Quid quòd ea hypocritæ frustrà inanitérque suscipiunt: contra infantes atque amentes, nihil quidquam eius, quod agitur, conscij, vtiliter ratéque sibi salutaria experiuntur.

Baptismus quo sensu dictus fidei sigillū Basilio.

Istæ igitur veterum loquendi formulæ cùm nihil officiant doctrinæ Catholicæ dudum explicatæ de Sacramentorum vi atque salutari efficacia, nihil item fictitiis aduersariorum commentis patrocinentur, quasi inania sint gratiæ symbola, aut mera beneuolentiæ sigilla, quē non miserat Caluini verè miseri, qui errore plus quàm phanatico captus, clarissimam hanc, atque ex veterum Scriptorum suffragiis probatissimam de salutari sacramentorum vi doctrinam audet quasi exitialem, & Dei Ecclesiæ pestilentem suggillare? adeóque tanquàm planè diabolicam, inquit, & à Sophisticis Scholis confictam incusare? An non ista, dicam calumnia, an insania, Hieremiæ threnis habeat opus? An non illi meritò cōminetur Esaias: Væ qui dicis bonū malum, & malum

Caluini impotēs vox in Catholicam de Sacramētis doctrinā.

bonum? lucem tenebras, & tenebras lucem? Verùm sic impiis hominibus in more positum est, vt rationibus, quibus quod volunt efficiant, destituti, quod libet, appellant. Sic Iulianus Catholicum de Infantium peccato Originali dogma debacchabatur Cyprianum, Ambrosium, Augustinum de pestilentissimo Manichæorũ fonte hausisse. Non est Caluine, non est hæc de Sacramentorum vi doctrina Ecclesiis pestilens, aut exitialis, sed saluberrima atque in primis salutaris: Non est diabolica, sed verè Apostolica, atque Scripturis diuinis consentanea: non est denique sophisticis in scholis cõficta, sed ab Apostolis initiò tradita, in Ecclesia Christi Catholica veterum Scriptorum studio semper conseruata, atq; in hæc nostra nouissima vsque tempora perpetuo decursu deriuata ac propagata.

Vide Aug. contra Iulian. lib. 6. cap. 23. de natu. & gratia.

Caput VI.

De numero Sacramentorum.

Aduersarij de Sacramẽtorũ numero & inter se ipsi & nobiscũ variãt.



NVnc postquàm edisseruimus, Scriptorúmque veterum testimoniis confirmauimus, quænam sit Sacramentorum natura atque vis, de eorum numero priùs est agendum, quàm singula pertractemus. Sacramentorum igitur partitionẽ aduersarij non modò à nobis variè, sed à se quoque ipsi dissentientes, aliam atque aliam faciunt: neque sanè mirandum in specierum numero à Catholicis eos variare, qui toto, quod aiunt, cælo à Sacramenti definitione, vti demõstratum est, aberrant. Illi enim aut vnum, vti 1 Lutherus, aut duo tantùm, vt 2 Caluinus, & 3 Philippus in Locis communibus illis prioribus anno 22. editis, nec plura apud Augustinum inueniri vterque affirmare non veretur. In eáque sententia pertinaciter Caluinus persistens, loca quædam adfert, quibus dum imperitis fucum facere conatur, se ipse sciens prudens turpissimi erroris conuincit, vti quàm primùm demonstrabitur. Philippus verò cum ætate factus prudẽtior, tria tantùm agnoscit Sacramenta in Apologia Augustana anno tricesimo.

1 Captiui. Babyloni. 2 Institut. 3 Loc. suis.

I. Lutherus vnũ tãtùm. II. Caluinus duo tantùm. III. Philippus duo tantùm.

Cui & Cõfess. Vvirtemberg. accedit. Verùm nec hoc

in numero sibi consistendum existimauit: siquidem in Locis anno 52. recusis, ex sua censura contra Symmystarum omnium sentẽtiam quartum cuperet additum, suã quasi iuuenilem temeritatem senili tandem prudentia castigans: Mihi maximè placet, inquiens, etiam addi Baptismum Cœnæ Dominicæ, & Absolutioni Ordinationem, vt vocant, id est, vocationem ad ministerium Euãgelij, & publicam eius vocationis approbationem: quia hæc omnia mandato Euangelij præcipiuntur, vt ad Tit. Constitue Presbyteros, vt iussi. Et est addita promissio, &c. Euãgelium est potentia Dei. Alius porrò est ex istis nouo isthoc Spiritu afflatis, qui omnes omnium nõ hæreticorum modò, sed & Iudæorum atque Turcarũ adeò, ne dicam Atheorum conciliaturus cum Christiana veritate opiniones, scribit sex semper fuisse credita Sacramenta, licet alicubi septem. Sic enim est in libello, cui ab omnium monstrorum conciliatione nomen Panthenosia fictum est: cuius equidem plurimis ex causis haud futilibus authorem opinor Vvilhel. Postellum, qui se in frõtispicio Heliam fingit Pandocheum, quasi errãtium omnium sua fallacia saluandorum hospitem. Verùm hunc Sacramentorum siue binarium (nam de vno Sacramento, quod finxit Lutherus, si secundum Scripturas loquendum esset, cùm & Discipuli in eius verba vel iuratissimi abominentur, non patitur rei absurditas, vt vel verbum addamus vnum) siue ternarium, siue denique quaternarium, atque adeò Senarium cum tradito ab Apostolis, atque probato à maioribus Sacramentorum numero non pariter respõdere, quàm licet breuiter iuxtà ac luculenter iam manifestabimus. D. itaque Cyprianus, clarissimum florentis Christianæ Ecclesiæ lumen, vbi in sermone, cui de pedum ablutione titulum fecit, Baptismi & aliorum Sacramentorum meminisset, docetur Petrus quæ sit, inquiens, Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas, è vestigio per distributionem subiecit: Nam Baptismum repeti, inquit, Ecclesiasticæ prohibent regulæ. Nemo sacros ordines semel datos renouat, nemo sacro oleo lita iterum linit aut consecrat, nemo impositioni manuum vel ministeriis derogat Sacer-

IIII. Philippus tria tantùm.

V. Philippus quatuor tãtùm.

Postellus sex tantùm.

Ex D. Cypriano de Sacramẽtorum numero.

" dotum. Ipse summus Sacerdos est sui Sacramenti insti-
" tutor & author, in cæteris homines Spiritum sanctum
" habuêre doctorem, & sicut par est Spiritui S. & Christo
" diuinitas: ita suis institutis æqua est authoritas & pote-
" stas: nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto
" Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui
" commemorationem fieri præcepit. Quæ aurea prorsus D. Cypriani verba, quòd apud Euangelicos istos ille pręcæteris ferè omnibus Orthodoxis Scriptoribus fidem mereatur irrefragatam, accuratiori studio duximus trutinanda, quod maximùm in rem præsentem adferant operæpretium. Luculenter enim perspecta multorum dogmatum, cùm Catholicorum solidissima continent firmamenta, tum hæreticorum vanissima demonstrant nugamenta. Hîc igitur, hîc mihi aduigilate Euangelici omníque excussa oscitantia, animis adeste præsentes, vt D. Cypr. tantoperè vobis celebratum de sacramẽtorum numero, de diuina Traditionis nostræ authoritate, déque regularum non scriptarum potestate salubriter audiatis nostrarum cõtrouersiarum iudicem incorruptissimum. Docetur ergo Petrus quæ sit, inquit, Baptismi & aliorum sacramentorum stabilitas. Auditísne illud, Baptismi & aliorum sacramentorum? Quis ergo locus nouo vestro dogmati contra omnem antiquitatis doctrinam confícto de vno tantùm aut de duobus tantùm Sacramentis est reliquus? Quòd si quis & hîc errori suo ex illa Sacramentorum voce latibulum quærat, è vestigio à D. Cypr. Catholicæ veritatis propugnatoré propellitur, excluditur, atque profligatur. Nam illud quod superioribus verbis simpliciter adseuerabat Baptismi & aliorum Sacramentorum, disertè per distributionem confirmat. Nam Baptismum repeti (inquit) Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus consecrans præsumit accedere, quia contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari possit, quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat: Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, nemo sacro oleo lita iterũ linit, aut consecrat, nemo impositioni manuum vel mi-

Baptismus. *Cõfirmatio.* *Ordo.*

nisteriis derogat Sacerdotum. Hîc Euangelici animum diligenter si aduertatis, non fuerit sanè arduum agnoscere, quàm vos à recta Euangelicæ veritatis semita toto aberretis cælo. Auditis D. Cyprianum illum summa iniuria ad vestræ perfidiæ partes defendendas aliquando detortum, sacros ordines & Sanctificationem, quam hodie (vt 4. libro demonstrabitur) Confirmationem vocamus, inter Sacramenta Christiana connumerare, ídque nõ in leui aliqua exercendi causa ingenij disceptatiuncula: nõ in coacta aduersum hostes velitatiuncula: sed in graui apud Christianos cõcione, sed in seria populi sui in fide Catholica institutione, sed in meditata ouium suę fidei creditarum eruditione. Porrò si nondum vobis persuadet simplex adeò atque apertissima veritatis Euangelicæ professio, qua D. Cyprianus Catholicam Christianæ Ecclesię sui seculi fidem atque doctrinam suis ouiculis proponit, velut nulli indubitatam atque omnibus certissimã: illud saltem resipiscere vos cogat, quòd in multò firmissimum simplicis illius assertæ veritatis adducit patrocinium, nulla arte dissolui nesciũ, nulla impudentia inficiandũ, nulla stropha, vtut Sophistica, labefactandum. Ipse, inquit, summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & author, in cæteris homines Spiritum sanctũ habuêre doctorem. Et sicut par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita est in suis institutis æqua authoritas & potestas. Nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniformis in suo genere stat actio omnium. Nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari. Quid ista Cypriani confirmatione apertius? quid firmius? quid flagitari queat neruosius? An hîc vllum vobis restat effugium? an vllum relictum diuerticulum? an reliquum aliquod superest noui istius erroris latibulum? Auditis Baptismo & S. Eucharistię vestro etiam iudicio sacramentis, additam vocem, In cæteris: vt nec exoleto Lutheri de tribus tantùm sacramẽtis dogmati, nec nouo Lutheranorũ errori, de tãtùm duobus, locus vllus sit reliquus apud eos,

Absolutio.

Sanctificatio hodie Confirmatio.

Ratio à D. Cypr. adducta pro Sacramẽtorum numero.

Sacramentorum cõstitutores Christus & Apostoli per Spiritum sanctum.

quibus vel mentis vnciola superest sana. Videtis igitur prorsus pari eiusdem diuinæ authoritatis momẽto, quatuor illa Sacramenta hîc à Cypr. commemorata, Christianis omninò omnibus indubitatò esse suscipienda: Quòd, inquit, eadem sit Spiritui sancto & Christo diuinitas, eadem doctrinæ amborum authoritas, eadem Sacramentorum per vtrosq; institutorum potestas. Quòd si vos offendant homines aliorum illorum Sacramentorum institutores, animum diligenter aduertite, Cypr. offendiculum planè de medio sustulit: Nec minùs, inquit, ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit. Videtis, quanta impietate Christi Spiritum violatis, dum sacramenta ab eo quidem instituta, sed per Apostolos tradita, Christi Ecclesiæ subtrahitis. Videtis, quàm temerario cum sacrilegio sacrosancta sacramenta à Christo instituta temeratis, dum alia æquè, imò non minùs rata, infirmatis: videtis, in quæ hæreseon præcipitia vestros sectatores, vósque ipsos, si modò animo tenetis, quòd libellis toties abortientibus & Cameleontis speciem præ dogmatum varia inconstantia præ se ferentibus, orbi legendum extruditis, dum solam scripturam Christianæ fidei regulam, atque vnam salutaris doctrinæ magistram imperitissimè sectamini. Quid igitur ad mentis sanitatem recuperandam, atque constantem semel Euangelicæ fideì doctrinam retinendam sit vobis reliquum, hic sapienter velim aduertatis, eiúsque grauissima verba iudicio expendatis: vnicum scilicet restare sanæ mentis, veræque fidei Christianæ remedium, quo imbuti, Cypriano illo orbis totius (ait Nazianzenus) miraculo, doctore, ab insana ista de Sacramẽtorum numero persuasione, omniũ ferè errorum vestrorum scaturigine, recedatis: quo remedio vestræ sanitati restituti, Ecclesiasticarum regularum (quæ, inquit, Baptismum repeti prohibent) vim atque sacrosanctam authoritatem à vobis nimiùm indignè conculcatam, in pristinam honoris sedem atque dignitatem restituatis: quo denique remedio & sanati & confirmati, augustissimam traditionis Ecclesiasticæ maiestatem semel agnoscatis: qua sola fretus, obiter qua-

tuor hęc ex ſeptem, Baptiſmum, Euchariſtiam, Ordinem atque Confirmationem ſacramenta commemorando aurea iſta Catholicę Chriſti Eccleſię dogmata tanquàm ex tripode pronunciat. Cuius ſi iudicium animabus veſtris vt quàm maximè ſalutare, ita conſilium Chriſti Eccleſiæ quàm maximè neceſſarium, & teſtimonium doctrinę Catholicę locupletiſſimum vos ſequi non pudeat; Deum immortalem quanto tripudio iſtam vobis mentem eſſet gratulandum? quod ardentiſſimis votis aſſiduè Deo Opt. Max. ſupplicare non ceſſamus. Verùm ad inſtitutum recurrat oratio.

Caput VII.



Plura duobus ſacramẽta eſſe Auguſtino & Patribus contra Caluinũ.

VNa hæc D. Cypriani ſententia erat ſanè plus ſatis idonea, quæ ingeniis minimè contentioſis, nec ſuarum partium ſtudio præoccupatis, ad diſcendam Apoſtolicæ de ſacramentorum numero doctrinæ veritatem optimo merito faceret ſatis: quod & plura duobus, quod Caluinus negat, & plura, quàm Lutherus, aliáque quàm Philippus quatuor, enumerat: Apoſtolos, inquiens, imò Spiritum ipſum ſanctum, non minùs ratè, quàm Chriſtus Euchariſtiam, Eccleſiis alia à Baptiſmo ſacramenta tradidiſſe, tam diſertè quàm apertè pronunciat Verùm aliorum quoque priſcorum Patrum ſententiæ in huiuſce quæſtionis diſceptationem ſunt aduocandæ, non ſolùm vt ſui ſeculi doctrinam cum illa certò Apoſtolica ex D. Cypriano recitata, prorſus congruẽter conſentire conteſtentur: verùm etiam, vt Catholicam noſtram de ſacramentorum ſeptenario indignis hac tempeſtate modis exagitatam tueantur atq; defendant. Quia igitur D. Auguſt. ſuffragio ſeſe defenſos glorientur, ſunt iis teſtimoniis, quæ ipſi pro ſe facere autumant, in ipſos retortis & alia adiicienda, quæ luce quauis meridiana manifeſtiùs cæcas iſtas nouellorum errorum caligines illuſtrent. Principiò veniat in medium Caluini ratio, qua duo tantùm apud Eccleſia. Scriptores ſacramenta inueniri confirmat: quum de iis, inquit, ſignis loquuntur, quæ diuinæ in nos gratiæ teſti-

Apud Auguſt. plura eſſe ſacramẽta duobus.

Caluini argumenta refelluntur de ſacramentorum binario.

monia esse debent, duobus istis Bapt. & Eucharistia contenti sunt. Ne quis falsò iactari hoc à me putet, pauca Augustini testimonia hîc referam ad Ianuarium: Primò tenere te volo, &c. vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio corporis & sanguinis Domini, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur. At quorsum hoc tertium colon obsecro Caluine, apposuit Augus. Et si quid aliud, si duobus illis, quod tu affirmas fuit contentus Sacramentis? Hæc sanè verborum formula alium longè sensum Lectori veritatis studioso insinuat, quem tu oculis ad recipiendum clarissimæ lucis fulgorem, pertinaciter clausis, non minùs miserè quàm callidè dissimulas: quasi illa tibi aut non intellecta nihil loquatur, aut de superfluo adiecta videatur. Debuisset sanè tuum istud pectus simulatis adeò eruendæ doctrinæ Ecclesiasticæ ardoribus flagrans in leuissimam saltem animi hæsitatiunculam adduxisse, ne Augustinus fortè plura alicubi disertioribus recenseat verbis sacramenta, quod hîc Lectori non dormitanti, nec fraudis studio conniuenti, haud obscurè quidem subindicauit, quàm tu tibi habebas persuasissimum, quantum quidem tuis sanè ex verbis licet intelligere. Nam de tuo conscientiæ iudicio Christum Iesum viuorum & mortuorum Dominum tibi relinquentes iudicem, nihil dicimus.

Suo se gladio iugulat ipse Caluinus.

Quò igitur hunc scrupulum, si cui fortè oboriatur, prorsus eximeres, alterum callidè profers Aug. locum, qui tenues veritatis ex priori subemicantis scintillas, vt tibi videbatur, obscuret, cùm alios isthoc longè illustriores haud dubiè tibi perlectos & perspectos (quod ex ipsorum capitum, quibus includuntur, tuis recitationibus probetur) hanc in rem declarandam adducere potuisses, si res animo tibi candido atque syncero veritatis non obscurādæ, sed illustrandæ studio gereretur. Quid igitur tuas partes iuuat, quòd in doctrina Christiana lib. 3. ca. 9 non nisi duorum illorum nominatim meminerit? An vt suspicaris, non esse verisimile prætermissurum fuisse sa-

Altera claua Caluino è manibus extorta.

cramentorũ ſeptenarium, ſi tunc fuiſſet in Eccleſia inſtitutus? Haud quaquàm ſanè. Contrà potiùs, quòd non affirmat duo tantùm eſſe, plura eſſe credidit. Quid igitur ea, inquias, ſubticuit? quòd de ſignorum non agebatur numero, ſed natura, ſed vi, ſed efficientia, quibus noui populi ſocietas à Chriſto eſt colligata. Quod cùm iſta duo, Baptiſmus & Euchariſtia præ cæteris pręcipuè pręſtent atque efficiant, his duobus in præſentia contentus, alia ſilentio præteribat.

Cur alicubi D. Aug. duorũ ſacramentorum nominatim præ aliis meminerit.

Sed cur non omnia accenſuit, cùm ſit aliàs, inquis, in obſeruandis numeris curioſior, quàm neceſſe foret? quia hominibus in Catholica Apoſtolicę fidei doctrina inſtitutis, & perſeuerantibus ſcribens, rauca nondum veſtra audierat murmura contra ſaluberrimum Sacramentorum numerum obſtrepentia. Cur putamus? niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur: tali quæſtione nullus pulſabatur: vobis nondũ litigantibus ſecuriùs loquebatur.

Víſne audire, quídnam hac de diſputatione ipſe apertiſſimè dixerit? ſed vndè potiſſimùm indubitatò conſtet, Augu. ipſum plura duobus crediſiſſe ſacramenta? Sanè ex iis præcipuè locis, quæ Caluinus ipſe in ſacramentis corrumpendis, accidendis, euertendis denique adfert: vt hinc perbellum eius in ſuam noui Euangelij doctrinam ſtudium tibi Lector candide fiat notiſſimum, quàm mala cum fide, imò pernicioſa cum fraude, in re poſt hominum memoriam maximè ſalutari verſetur, vtque eius in adferendis PP. teſtimoniis fides in re iſta multò maxima ſemel perſpecta, in minimis etiam, vbi à Catholicis diſſentit, ſit meritò ſuſpecta.

Audi igitur Caluine, vel nunc tandem poſt iſtã diuturnam adeò diſſimulationem, Auguſt. diſertiſſimis verbis ſuam de ſacramentorum numero ſententiam explanantem, an duo duntaxat, an plura potiùs crediderit, quem iamdudum in ſilentio lectum audire ſurdus nolebas. Caput illud 14. lib. contra Fauſt. 19. toties abs te fruſtulatim recitatum, ánnon luculenter nobis indubitatum eius iudicium conteſtetur? Si ergo antiqui iuſti, inquit, pro illis nunciatiuis ſacramentorum de rerum nondum im-

Ex locis à Caluino recitatis ipſe refellitur.

qui & sacramentum chrismatis & oleum sanctificatum appellat: nunc ab effectu nomen habet Confirmatio. Sicuti enim à sacramenti verbo seu forma, quod scholæ vocant, Baptizo te, dicitur Baptismus, & ab illo, Absoluo te, Absolutio: & ab illo, Consigno te, Consignatio, Signum Christi, & signum Domini: ita quòd consignatorum hoc Christi signum confirmet animos, ne aut ludibriis victos pudeat professionis Christianæ, aut vitæ huius incommodis territos pigeat spei Euangelicæ, dictam equidem arbitror Confirmationem. Sed de hoc suo dicetur aptiùs loco. Cæterùm ne quis in præsentia dubitet Augustinum loco citato, aliud nouæ legis sacramentum intellexisse præter Baptismum & Eucharistiam, ex aliis prætereà eiusdem scriptis superest demonstrandum. Docens itaque August. lib. 5. contra Donat. cap. 20. Deum non impediri altaribus ab hæreticis erectis, quò minùs suis, inquit, Sacramentis adesse dignetur, cùm ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit oleum sanctificare. Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio: Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quo in loco quum Ecclesiasticorum proprij nominis sacramẽtorum catalogum texens, quatuor enumeret, Baptismum scilicet, oleum sanctificatum siue sacramẽtum Chrismatis, siue Christi signum, quod dicebat, Eucharistiam deinde, atque manus impositionem, siue absolutionem (vt in Pœnitentia docebitur ex Cyprian. & Hiero. aliísque) quid hîc quæso præter aures veri auditrices, animúmque iudicij verè Augustiniani æquum arbitrum in aduersariis desideremus? Denique ne quis Caluino, aliísue supersit tergiuersandi locus, vni cum ad hæc promendum est D. August. testimonium, quod ad rem præsentem in controuersia positam clariss. verbis disceptandam atq; dirimendam in primis faciat. Donatistæ in Africa Schismatici sese solos iactabant Christianos, solúmq; ab suæ factionis hominibus Baptismum conferri salutarem: eos verò qui ab Ecclesiis

Augu. quatuor hic enumerat sacramenta.

recederent, quam penes se solos hallucinantes somniabant, baptismum amittere dictitantes. Verùm solidiss. Catholicorum refutati argumentis sententia immutata, non eos baptismum amittere docebant, sed ius dandi tamen. Quod multis modis frustrà & inaniter à Donatistis dictum ostendens August. lib. 2. contra epist. Parm. cap. 13. Sacraměti ordinationis meminit. Primo, inquit, " quia nulla ostěditur causa, cur ille qui Baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit: vtrúmq; enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideóque in Catholica vtrúmque non licet iterari: & paulò pòst: Sed si nos malè facimus, ipsi explicent, quomodo sacramentum Baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti? quoniam dicunt, recedens ab Ecclesia, Baptismum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrúmq; sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est." Qui etiamnum ambigit an duo, an potiùs plura D. Augustinus senserit esse sacramenta, an non idem dubitet meritò, Sólne vnus sit, an plures? Desinat igitur Caluinus imperitis fucum facere, quod nusquam apud August. plura duobus legantur sacramenta: Desinant Protestantes in sua Confessione Augustana atque Apologia duntaxat tria iactare: Desinat Philippus quoq; non solùm duo, vt anno 20. nec solùm tria, vt anno 30. nec solùm quatuor, vt anno 50. agnoscere: cùm & D. Cyprianus clarissimũ illud florentis Ecclesiæ lumen, & D. Augustinus optimus ex tota antiquitate fidelissimus (vt & ipsi prædicant) testis, disertioribus dudum verbis quinque ista, Baptismum, signum Christi, & sacramětũ Chrismatis, vt Augustinus, siue sacrum oleũ, vt vterque, siue Confirmationem, vt hodie, Eucharistiã, Manus impositionem siue Pœnitentiam, atque Ordinationem enumerare audiant, quàm vt in posterum cum ratione inficiando esse queant.

Quintũ ordinationis Sacramentum D. August. agnoscit.

Ordo & Baptismus vtrũque est sacramentũ, quod nemo dubitat.

Quinque sacramenta ex doctrina Apostolica nũc cõfirmata ex Cyprian. & Augustin.

Proindè hæc veterum Orthodoxorum scriptorum de sacramentorum numero testimonia, Solis luce clariora, qui probè sibi habeat perspecta, mirum, ánnon cæcos

Caluini errores misereatur potiùs, quàm vanissimis eius de sacramentorum binario apud veteres tantum reperto iactationibus scurrilibúsque (quibus Catholicos insectatur) cõuitiis, falsisque nimiùm scommatibus indignatur. Sed quid vetustatem obiectant, inquit institut. cap. 19. de quinque falsò nominatis sacramentis, cùm veteres, dum propriè loqui volunt, nusquam plura duobus sacramentis recenseant? Si ab hominibus petẽdũ esset fidei nostræ præsidiũ, habemus arcẽ inexpugnabilẽ, nunq̃ veteribus agnita fuisse pro sacramẽtis, quę isti pro sacramẽtis emẽtiũtur. An nõ plura duobus sacramẽta veteres de iis propriè loquẽtes agnoscant, ex eorũ testimoniis suprà cõmemoratis, penès æquũ rerum arbitrũ esto iudiciũ. Præter enim Baptismũ & Eucharistiã, quæ sola, refragãtibus licèt Symmystis, sibi sacramenta habet, & sacrosanctum Chrisma, Ordinationẽ & salutarẽ Pœnitentiam veteres pro sacramentis agnoscere, vniuersis qui sine partiũ studio veritatẽ quærũt, manifestiùs confidimus esse demõstratũ, quàm vt maiori verborũ luce habeat opus. Arcem itaq; inexpugnabilem, quã iactabat Caluinus, si pręsidiũ fidei nostræ esset ab hominibus petendũ, quis nõ videat perspicuè, non modò iam non esse expugnatam, sed vt meris hominis vanissimi commentis substructam, & absque illo Ezechielis temperamento illitam, ita ad veritatis Solem labefactatam colliquescere & euanescere?

Arx Caluini inexpugnabilis expugnatur.

Ezech. 13.

Quòd porrò suum in Catholicos nomen per contumeliam transfert, suo dignum facit ingenio: Quare sacramentarios istos Doctores inquiens, non tantùm verbo Domini, sed veteris etiam Ecclesiæ consensione destitui dico, vtcunque hoc prætextu maximè superbiant. Ita est hæreticorum ingenium, vt sese suo, quo laborant vitio, non putent esse affines, si illud priores in aliũ detorserint. In quem modum Iouianus Ambrosium appellabat Manichæum, Augustinum Pelagiani hæreticum, & nunc Catholicos Caluinus, præter alia, quibus eos quàm frequenter condecorat, ornamenta, Sacramentarios: quod vtrum in nos veriùs hæreat, qui veteris Ecclesiæ consensionem sequimur in sacramentorum & numero & vera sanctificandi ratione, quàm in ipsum,

Aug. de Na. et gra. lib. 1.
Aug. serm. 14. de verb. Apostoli.

qui eiuſdem Eccleſiæ conſenſionem in ſacramentorum nec numero nec veritate ſibi habet ſuffragantem, vt nihil de Euchariſtia hîc dicam, penès alios eſto arbitrium.

Caput VIII.

Baptiſmus ſuis cum ritibus.



Roſligatis igitur aduerſariorum variis de ſacramentorum numero ex doctrina certò Apoſtolica, liquidóque Catholica erroribus, nunc ſingulatim eorum ſingula accuratiùs vt perſequamur, eſt locus ſimul cũ ſacris ſuis ritibus atq; cæremoniis, quibus veluti pediſſequis, aut anteambulonibus eo mitata, in Catholica perpetuò adminiſtrantur Eccleſia. Quãquam fortè cuiquã videatur, anteà nobis ſeptenariũ ſacramentorum eſſe ex doctrina Apoſtolica probãdum: verùm iſtud vt ab inſtituto noſtro eſt alienum (quippe quum Catholicæ noſtræ doctrinæ defenſionem potiùs aduerſus nouella hæreticorum dogmata ſuſcepimus, nõ ſingula noſtra nobis inſtant indè confirmanda, ſed vana illorum ſomnia tantùm diſcutienda, atque noua noui Euangelij commenta labefactanda & conuellenda) ita ſuo ſingula opportuniùs loco oſtendemus, rectè atque merito optimo à Catholicis reliqua duo illa Matrimonium & Extremam vnctionem pro ſacramentis fuiſſe & habita & credita.

De Baptiſmo & eius ritibus.

De Baptiſmo igitur, ſacríſque eius ritibus in Catholica Chriſti Eccleſia adhiberi ſolitis, initiò dicendum rerum ordo poſcit: De aliis deinde pro eo atque in Chriſtianorum ſalutem porrò perficiendam à Chriſto ſaluatore vnico ſunt vtiliter inſtituta, atque ſalutariter comparata.

Chriſtus vnde Ieſus dictus.

Chriſtus cur ſuam doctrinam appellarit Euange-

Cùm ſaluatori noſtro Chriſto auguſtiſſimũ I E S VS nomen מִן־הַיְשׁוּעָה à ſalute ſit, Angelo Gabriele Etymologo, atque interprete, impoſitum, non ex Tetragrammato illo יהוה vt plerique nunc Caballiſticè hallucinantur, maximo ſanè ſtudio, cura atque opera nobis eſt perquirẽdum, quánam ratione hæc miſeris nobis contingat mortalibus: Fidéne ſola, an fide & ſacramẽtis? an potiùs Fide, Pœnitentia, & Sacramentis? Chriſtus ita-

que ſuum illud Euangelium atque regnum Dei, quod ſcilicet, vt miſeris mortalibus lætiſſimum optatiſſimi remiſſionis atque liberationis à Diaboli tyrannide annúcium adferebat, ita beatiſſimam in Dei Max. cæleſtis Patris adoptionem credentibus, atq; ex animo obedientibus promiſſionem offerebat, hunc in modum legitur exorſus, Pœnitentiam agite & credite Euangelio, quoniam impletum eſt tempus, & appropinquabit regnum Dei. Qui igitur annunciati à Chriſto noſtræ confeſſionis, vt Paulus ait, Apoſtolo & fidei chorago regni Dei communionem beatiſſ. ſibi percupidi exoptant, iis duabus hiſce rebus cũ primis eſſe opus docet Chriſtus: Pœnitentia, inquam, quæ acerbum animi dolorem propter Dei offenſam in ſeſe veteris vitæ flagitiis laceſſitam habeat, & Fide, quæ Euangelio, id eſt, annunciatæ à Chriſto doctrinæ indubia credat. Hæc itaque doctrina Euãgelica ſaluté nobis per Ieſum Chriſtum Saluatoré vnicum atq; reconciliatorem ſingularem venire docet, modò nos ſalutaria illa remedia in noſtram ſalutem à Chriſto ſingulari animarum medico præſcripta noſtris vulneribus adhibeamus. Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Verùm quánam de fide loquatur, & an veteris vitæ pœnitudinem debeat habere coniunctá, necne, Diuus Petrus Spiritu ſancto vſus magiſtro, prima illa Hieroſolymis concione habita luculenter admodũ ediſſerit, nempè illa fide, quæ in Ieſum credat, quòd Filius Dei viui crucifixus à mortuis reſurrexerit: quod cùm crederent Iudæi illi, hortatur vt ſuorum ipſos peccatorum pœniteat, & baptizentur in nomine Domini Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, accepturi donum Spiritus ſancti. Qui tali igitur in Chriſtum fide, talíque in Deum pœnitentia, Chriſtianam voluerit ſuſcipere religionem, nouámque ſecundum Euangelium vitam viuere, is haud dubiũ ab Baptiſmũ accedat peridoneus ſiue hæc per ſe ipſe grandioris ętatis beneficio, cæleſtiq; perſuaſus auxilio poſſit præſtare, ſiue infantulus, demens, aut lethargicus, naturæ illa remora impeditus non per ſe quidem, ſed per alios ſaltem queat. Siquidem hunc in modum infantes ab ipſis inde Apoſtolorum vſque tem-

lium atque regnũ Dei. Marc. 1. Heb. 3 et 11

Duabus rebus ad ſalutem in primis opus pœnitentia & fide.

Fides doctrinam Euanlij de Sacramentis adhibendis docet ſuſcipiẽdam Act. 2.

Fides baptizando quæ neceſſaria.

poribus in Ecclesia Catholica semper fuisse sine fide atque pœnitentia propria Baptizatos, pôst clarissimis scriptorum veterum confirmabitur testimoniis. Nunc sacri illi ritus, qui à Catholicis toto Christiano orbe Baptizandis adhibentur, ex doctrina certò Apostolica aduersus stolidas hæreticorum subsannationes, & impia adeò sacrilegia sunt defendendi. Cùm igitur quispiam veteris suæ vitæ aut in atheo paganismo aut semijmpio Iudaïsmo transactæ pœnitens nouam ex Christi præscripto instituere meditatus, ad Catholicam Dei Ecclesiam accesserit, Exorcismo primùm à Sathana omnis nostri generis hoste acerrimo, eodémq; Domino hactenùs impotentissimo eripitur prorsus, atque manu mittitur, in verámq; à miserrima Tyranni illius seruitute verbo Exorcistæ quadam efficacissima, veráq; vindicta libertatem asseritur atque vindicatur. Deinde pristino illi Domino eiúsq; pompis atq; operibus abrenũcians ad Cathechismum, quod est, arcanam atq; agraphon Christianæ fidei institutionem admittitur, ac tum demùm quod satis est nostrorum mysteriorum eruditus, oleóq; sacro illitus, ac sale aspersus, cæteríſq; ritibus pręparatus, ad sacrum fontem accedit Baptizandus. Cæterùm quia Cathechismus extra quæstionem est positus, non est eius tractatio diffusior instituenda. Sed Exorcismi hodie passim non contempti modò, sed irrisi etiam atque proculcati, defensio nobis necessariò est suscipienda, sicuti & abrenunciationis, quæ ab aduersariorum quibusdam retinetur, ab aliis exploditur: Chrismatis quoque, & consecrati salis, fontis & similium maioris momenti rituum: quos vbi ex doctrina certò Apostolica, & indubitatò Catholica traditos rectè nobis obseruari monstrauerimus, reliquos etiã illos minoris momenti ritus, cereum dico, saliuam, vestẽ candidam, similésque hominibus minimè contentiosis abundè probatos fore confidimus, quod hi, quasi vmbra corpus, illos sequantur.

Exorcizatur Baptizãdus ex Apostolica doctrina.

Exorcismus verißima est vindicta.

Catechismus quid.

Catechismus olim sine scripto docebatur viua Catechistæ voce vti & vox ipsa sonat.

Exorcismum Baptizandorum aduersarij inutilem volunt esse cæremoniam, etsi vetustissimam, non tamen ab Apostolis, nec primaria quoque & antiqua Ecclesia in more atq; instituto habitam. Quod maioríne impietate

Exorcismi antiquitas & vtilitas.

an imperitia paſſim iactitent, meritò diligens veterum Scriptorum, Lector, admiretur. Proinde ſupina iſthæc eorum imperitia, aut quod equidem veriùs crediderim, malignum agnitam diſſimulandi veritatem ſtudium, initiò ex veterum doctrina eſt erudienda. Deinde ſaluberrimus, adeóque neceſſarius Exorciſmi vſus demonſtrandus. Ex Apoſtolica igitur doctrina Baptizandos anteà exorciſari, ſiue adiuuari, Ioannes ille Chryſoſtom. verbis planè aureis deſcribit homil. cui titulus de Adam & Eua: Illud etiam, inquiens, quod circa Baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia, ſiue ſint paruuli, ſiue iuuenes, vniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu, Quòd cùm ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ ingrediuntur, quàm Exorciſmis & exufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur, & deinceps vaſa eius eripiantur, in poſſeſſionem tranſlata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. His ergo Eccleſiaſticis regulis & diuina ſumptis authoritate documentis, ita, adiuuante Domino, confirmati ſumus: & quæ ſequuntur. Exorciſmos itaque atque Baptizandorum exufflationes, non ſolùm Chryſoſtomi ſeculo ſancta Chriſti Eccleſia in vniuerſo ſeruabat mundo, ſed ex regulis Eccleſiaſticis atque diuina, inquit, ſumptis authoritate documentis. Hinc vt plurimis locis Diuus quoque Auguſtinus in vniuerſa obſeruatum fuiſſe teſtatur Catholica Eccleſia, lib.2.cap.18 de Nupt. & concup. & eiuſdem cap.29.

Ita antiquiſſimam Eccleſiæ Traditionem affirmat eodem capite, & perquàm Priſcę Traditionis authoritate concelebrari, vt habet lib.2.cap.40. de gratia Chriſti & peccatorum origine, ſempérq; eum Eccleſiam habuiſſe, ſempérque tenuiſſe, Serm.10.de verb.Apoſtol. Quæ perſpicua duorum clariſſimorum Catholicæ Chriſti Eccleſiæ luminum teſtimonia, an quis hominum ſui adeò ſit nominis immemor, vt capite nondum ex caliginoſis ignorantiæ nebulis ſublato, hallucinãs dubitare pergat, vtrùm Exorciſmus Baptizandis omnibus vniuerſo prorſus Chriſtiano orbe ſemper adhibitus, ab Apoſtolis ſui

Exorciſmus antiquiſſima eſt Traditio Augu. quam Eccleſia ſemper tenuit.

exordium duxerit, nec ne? Cùm ille ex documentis diuina authoritate ſumptis, ſic vbique factum dicat: hic ex antiquiſſima priſcæ Traditionis authoritate, imò Eccleſiam ſic ſemper habuiſſe, ſemper tenuiſſe, hoc à Maiorũ fide percepiſſe, hæc vſque in finem perſeueranter cuſtodire, in acerrimis contra Pelagianos prælìis aſſerat.

Toto autem orbe Chriſtiano hunc Exorciſandi ritum, ante Baptiſma adhiberi ſolitum, ſi quis fortè iſtorum Academicorum fideliſſimis illis Priſcarum rerum teſtibus minùs quàm par ſit habens fidei, porrò ambigat, is & Nazianzenum audiat, graphicè veteres ſuæ Eccleſiæ ritus depingentem, in oratione in ſacrum Baptiſmum ſcripta: vbi decuſſis omnibus, quæ cunctantiores quoſdam à Baptiſmate ſuſcipiendo impediebant remoris, eam quoque ſtudet amoliri, quæ ob prolixitatem Exorciſmi delicatulis potuiſſet oboriri: Μὴ διαπλύσης Ἐξορκισμοῦ θεραπείαν μήδε πρὸς τὸ μῆκος ἀπαγρεύσης. βάσανος ἐστὶ καὶ αὕτη τοῦ περὶ τὸ χάρισμα γνησιότητος.

Vide Diuũ Optatũ Mileuitanum lib. 4. f. 48.

D. quoque Optatus Mileuitanus in eandem ſcribit ſententiam: Neminem fugit, inquiens, libr. 4. cont. Perm. Donatiſtam, quòd omnis homo, qui naſcitur, quàmuis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine Spiritu mundi eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lauacrum ab homine excludi, & ſeparari. Hoc Exorciſmus operatur, per quem Spiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur.

Exufflatio baptizandi.

Vide Nicephorum.

Ad hæc cùm iſta Diaboli eiuratio ſemper inſufflationem habuerit coniunctam, vti ex locis D. Auguſt. & Chryſoſtom. paulò antè commemoratis eſt liquidò agnoſcere, haudquaquàm fortè abſurdus videatur, qui & Diui Dionyſij Areopagitæ Athenienſium Archiepiſcopi à Diùo Paulo, quod eſt apud Dionyſ. Corinthium, epiſtola ad Athen. ordinati temporibus opinetur fuiſſe vſitatam. Is ſiquidem inter alios Baptiſmatis ritus in Eccleſiaſtica ſua Hierarchia (quem librum vnà cum aliis ceu germanum atque genuinum ſecundo dudum libro Dionyſ. Areopag. Pauli diſcipulo vindicabamus)

meminit, Baptizandum ad Occidentem conuersum, "
τὰς χεῖρας προσέχοντα καὶ ἀπωθοῦντα ἀπε- "
στραμμένας ἐμφυσῆσαι τρὶς τῷ Σατανᾷ, καὶ "
προσέτι τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι, "
manus illuc obiectas habentem atque protendentem in- "
sufflare tertiò in Sathanam, insuper & quæ sunt Abre- "
nunciationis illius profiteri. Quæ exufflatio in Diabolum tertiò repetita, & manuum auersatione illius Tyrannidem refugitantium firmata, Abrenunciatione denique de qua posteà fusiùs, consolidata, an aliò quàm ad Exorcismum spectet, viderit æquus rerum arbiter. Neque enim huc pertinere non est censenda, quod apud Dionys. ipse Baptizandus in Sathanam inflet, cùm apud Chrysost. & August. hoc ministris ascribatur, cùm hic de baptizando adulto, atque iudicio maturo, illi contrà de infantibus loquantur.

Ritus quosdam siue vt D.Cypria. institutiones Sacramentis fuisse ab ipsis Apostolis adhibitos.

Ex quibus veterum Scriptorũ testimoniis satis probatum appareat, cùm toto orbe hic salutaris in primis ritus fuerit ex tam Priscæ Traditionis authoritate semper adhibitus, tum sumptis ex diuina authoritate documentis vbique olim obseruatus, vt ex iis Apostolicis meritò reputetur esse institutionibus, quas D. Cyprian. Sacramẽtis Christianis commemorat ab Apostolis fuisse adhibitas: Verborum solennitas (inquit serm. de Baptism. Christi & manifestatione Trinitatis) & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis
Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sa- "
cramentum: rem verò ipsam Spiritus sanctus format, & "
efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter ma- "
num totius bonitatis author apponit, & plenitudinem "
gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo sanctificationibus "
officialibus infundit, & rem Sacramenti consummat, & "
perficit. Declarata igitur huius Exorcismi Baptizando vbique olim adhibiti antiquitate, eius quoque vis, facultas, & efficientia pari cum luce est manifestanda, tum breuitate etiam perstringenda. Nam de aliis exorcismi speciebus infrà in Ordinatione dicetur aptiùs ex Diuo Cypriano, Minutio Felice insigni Romani fori causidi-

Exorcismi effecta.

ico Christiano, aliísque vetustissimis Scriptoribus.

Caput IX.



Vàm olim turpissimam ignominiæ notam Christianis nostris Maioribus Vlpianus ille, nostræ religionis, ait Lactantius, hostis inurere conabatur, Exorcizare scribens esse impostorum vocem, quo probro illa tempestate moderatissimi quique, qui videbantur, leuissimè nostrates notabant: eam prorsus, vt equidem leuissimè dixerim, isthóc seculo aduersarij Catholicis exprobant, quòd hanc Exorcismi cæremoniam vbique gentium Baptizandis admouemus, quasi hominum arbitrio atq; libine, aut certè leui de causa, ait Caluinus, excogitatam, & quasi idololatriæ instrumentum quoddam. Quid?quod ille impius, ne dicam insanus, qui omnē Christianæ Ecclesiæ faciem fœdissimis lœdoriarum & Sarcasmorum sputis contaminare conatus, debacchans euomebat:

Vide legem Vlpiani nomine editā.

Exorcismi effecta.

Vlpianus Iureconsultus Exorcizare dicebat impostorum vocē, sic Christianos notans.

Ergo cruces pingit primùm, exufflátque potenter
Dæmonas, & trucibus mandat discedere verbis:
Scilicet, infantes habitari à Dæmone credit,
Quos populus Christi & Sancti genuêre parentes.

Quantum isthęc verborum sacrilegia prophanam vel Pelagianorum omnium post Christianæ religionis memoriam hęreticorū in salutarem Christi Seruatoris gratiam maximè iniuriorum superent impietatē, in Baptismi effectis statim demōstrandum erit. Certè non potuit ille Sathā salutis humanæ hostis vt infestissimus, ita vaferrimus certissimæ nostræ per Baptismum saluti insidiari aut perniciosiùs aut fraudulentiùs, quàm suæ ex atrio hucusq; tranquillè possesso exturbationis præludia euertendo: quàm nostræ ex eius seruitute plus quàm Ægyptia manumissionis primordia perturbando: quàm sacra hæc veræ libertatis per Dei filium calamitosissimis Adæ filiis asserendæ initia profligando. Siquidem videbat veterator ille callidissimus, cuius tanquàm manus operæ, sic animus insidiandi vsu, atque maligno in nos studio occalluit, certissimam sese viam ad Baptismi vires miri-

Cur Satā hodie ita Exorcismum adducere in cōtemptū moliatur.

ficè salutares non modò labefactandas, sed frangendas etiam sese hac ratione præstruere. Nec sanè sua illum fefellit coniectura. Qui namque Exorcismum meliorem ferè Baptismatis apparatus, exceptis Catechismo, Symbolíque confessione, partem semel abiectam proculcarunt, ita Baptismum quoque ipsum sacrilegis planè accisionibus dilacerarunt, vt præter inane ac propè merum Baptismi vocabulũ reseruarint nihil. Nam ex pessundata Exorcismi facultate ad impia ista dogmata plus quàm Pelagiana de vana Baptismi efficacia facilior erat gradus: quibus asserere nequidquã disputet, Baptizatos nõ verè à peccatorum sordibus mundatos ablui, sed Christi iustitia sordidos tegi: non à serpentis illius venenoso morsu sanari, sed venenatos atque superbiæ illius afflatu semper infectos perseuerare: nõ verè animas per Baptismum iustificari, aut pristinæ suæ integritati restitui, sed perpetuis peccatorũ vinculis irretitas, atq; iniustitia indelebili contaminatas Deo semper esse odibiles, licèt in Christi gratiam dissimulatis vitiis eas suo amore cõplectatur, sibíque gratissimas habeat. Quasi verò pernitiosum Adæ peccatum salutari illo Christi Iesu dono sit aut maius, aut potentius: aut vlla cõuentio Christi cum Belial, lucísue cum tenebris: aut purissimi Spiritus sancti tẽplum, qui non fictos modo, sed corpus etiã peccatis subditum fugitat, impurissimi Cacodæmonis turpissima simul ob non deletas, vti aiunt, sed dissimulatas: non ablutas, sed obuolutas impietatis, iniustitiæ, omnísq; iniquitatis sordes larua esse queat. Sed hæc in Baptismi effecta differamus, modò Exorcismi vim demonstraturi.

Pessundato Exorcismo aduersarij facilius in pia sua de Baptismo dogmata statuebant.

Roman.6.
1.Cor.3.
Sap.1.

Qui facit peccatum, seruus est peccati, ait in concione illa vera Euangelica ad Pharisæos Ierosolymis habita Christus humani generis Saluator vnicus. Quare cùm ad vnum omnes in Adam peccauerimus, pactúmque Dei irritum fecerimus, quî obsecro fieri potest, vt ad non vnum quoque omnes peccati serui atque miserrima nascamur mancipia? Cæterùm cùm peccati seruitute in ærumnosissimam redigamur Diaboli potestatem, merum in nos mortales infelicissimos vitæ ac necis possidet imperium, vnde non nisi vnius Saluatoris, atque singula-

Ioan.8.
Rom.5.
Homines in vniuersum omnes nasci peccatores, ideóque diaboli mãcipia miseri.
Genes.14.

ris redemptoris Christi Iesu copiosissima redemptione redimi, potentissimo auxilio in pristinam libertatem vindicari, salutaríque ope in veram possumus salutem restitui, atque reparari. Hanc humani generis ab interitus sui labe instaurationem, atque à pernicie salutem, Christus Saluator, vt per salutaria suæ Christianæ Ecclesiæ Sacramenta perficere dignatur, quod superius est demonstratum: ita per Baptismum felicissimè auspicatur. Verùm quia in Christi familiam recipi, aut in eius corpus, quod est Ecclesia, inseri non possumus, nisi ex pristini Domini regno atque dominatione emancipati, eiúsque corpore, quod est Babylon illa magna, euulsi, hinc sacris Exorcismorum formulis, quasi quęstionibus atque tormentis forensibus ille pristinus quidem Dominus Sathan atque Diabolus ad verum dominium hominis à se dudum possessi, Deo Opt. Max. deberi agnoscendum reddendúmque compellitur. Nos verò eisdem ab eius potestate eruimur, eripimur atque liberamur. Quæ Catholicæ Ecclesiæ doctrina adeò ante annos 1200. toto orbe fuit apud Christianos prorsus omnes indubitata; vt ne Pelagiani quidem, acerrimi licet gratiæ per Christum nobis allatæ hostes, infantulos è diaboli potestate per Exorcismos erui & eripi inficiando non fuerint. Quemadmodum D. Augustinus 6. contra Iulianum cap. 2. Sed id tu commemorare timuisti (inquit, paruulos scilicet exorcizando & exufflãdo per totam Ecclesiam de potestate tenebrarũ & principe mortis erui) tanquàm ipse ab orbe toto exufflandus esses, si huic exufflationi, qua Princeps mundi & à paruulis eiicitur foras, contradicere voluisses. Quòd autem reipsa, non per lusum, aut falsam imaginis speciem, efficiat in Baptizandis, quod præ se fert, notius est non dormitãtibus Scriptorum veterum lectoribus, quàm vt vllã admittat dubitatiunculam. In veritate itaque non in falsitate (ait August. lib. 1. de Nupt. & Concu. cap. 20.) potestas diabolica exorcizatur in paruulis, eíque renunciãt, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur. Et 2. cap. 18. Ac sic accusat (inquit de libri

Matth. 1. *Act. 3.*

Exorcism. *Diabolus baptizãdi Dominus expellitur.*

Quòd Exorcismus verè efficiat, quod præ se fert.

illius Pelagiani, Valerio Comiti à quopiã missi, authore » loquens) Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique o- » mnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, ni- si vt ab eis Princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur. Et eiusdem cap. 29. Hos iste » audeat, Ambrosium & gloriosissimæ coronæ Cyprianũ, » dicere Manichæos (propter defensum in paruulis Ori- » ginale peccatum) & antiquissimam Ecclesiæ Traditio- » nem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, & » vt dixi, exufflantur paruuli, vt in regnum Christi à po- » testate tenebrarum, hoc est, diaboli & Angelorum eius » eruti transferantur. Et aduersus Iulianum libr. 6. cap. 2. » Sed etsi nulla ratione indagetur (modus scilicet trans- » missi in paruulos originalis peccati) nullo sermone ex- » plicetur, verum est tamen, quòd antiquitùs veraci fide » Catholica prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, » quæ filios fidelium nec exorcizaret nec exufflaret, si nõ » eos de potestate tenebrarum, & principe mortis erue- » ret. Sic & Optatus Mileuitanus nullum nasci sine spiri- tu mundi, quem ante Baptisma necesse sit excludi. Hoc exorcismus operatur, inquit lib. 4. per quem spiritus im- mundus depellitur & fugatur. Quibus sententiis, vt Africanæ fidei Orientalis quoque accedat & Occiden- talis, quò dogma de salutari Exorcismorum efficacia prorsus probetur Catholicum, concorditer suffragatur & Diui Ioannis Chrysostomi calculus, Homilia de Adã » & Eua dudum recitata, quòd non priùs in vniuerso mũ- » do fontem vitæ ingrediuntur, siue adulti, siue infantuli » baptizandi, quàm Exorcismis & exufflationibus Cleri- » corum Spiritus ab eis immundus abigatur, & deinceps » vasa eius eripiantur in possessionem translata illius vi- » ctoriis, qui captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona ho- » minibus. Diuus quoque Celestinus Romanæ Ecclesiæ Episcopus sanctissimus, idémque doctissimus, in episto- la ad Galliæ Episcopos scripta, vbi auream illam vulga- tæ Chrysostomi versionis sententiam iam nunc recita- tam rememorat.

Diabolus Exorcismo verè pellitur.

Diuus Optatus.

Chrysost.

Celestinus.

Caput X.

Paruulos prorsus omnes originali illo peccato nasci cōtaminatos.



Onfirmato nūc ex doctrina certò Apostolica atque indubitatò Catholica Exorcismo, eiúsque facultate, efficacia, vi atque necessitate, clarissimis veterum Scriptorum testimoniis declarata, restrictè admodùm & doctrina de peccato Originali Apostolica simul & Catholica ex Patrum monumentis est depromēda. Cùm enim huius potissimùm delicti vitio in calamitosissimam istam diaboli sæuissimi Tyranni seruitutem vniuersum hominum genus sit prolapsum, recto ordine post ostensam diaboli in nos potestatem, qua nos captiuos detinet, atque nostræ per Exorcismū liberationis & manumissionis principium, ipse deinceps vitiorum omnium fons est perquirendus, vnde ceu perpetuus contagionis riuulus, damnatio in paruulos profluit, & in adultos perpetua vitiorū, ni cohibeatur, flumina promanant. Quare initiò ostendendum erit, infantes planè omnes ex Adamo nostri generis origine, siue per fideles nascantur parentes, siue infideles, Originale istud contrahere peccatū atque vitium: quod quidem Catholicæ Christi Ecclesiæ dogma olim à Pelagianis acutissimis simul & eloquentissimis hominibus fuit acerrimè oppugnatum, sed inuictis illis propugnatoribus Augustino, Hieronymo, Innocētio, Prospero, aliísque strenuè defensatum, atque Conciliis aliquot numerosis, Orientali, Africanis, atque Aurasiaco, magno denique Ecclesiarum omnium consensu cōcorditer damnatum. Verùm illam veterum Patrum sententiam nullos esse hæreseon errores adeò absurdos, qui non sectatores imò defensores inueniant, nostra isthæc miserrima tempora multò verissimam fuisse, nimis verè tam cōtestantur, quàm experiuntur: per quos inter alia damnatissimarum olim opinionum portenta fœcundissimè passim repullulantia, & istud ab orco perniciosissimè in lucem reuocatur. Quid igitur Lector Christiane hîc aliud quàm Originalem illam doctrinā certò Apostolicam atque Catholicam cōsulamus, vnde ceu ex per-

Infantes originali esse peccato contaminatos, probatur ex doctrina certò Apostolica.

petuo fonte nostra Catholicæ Ecclesiæ de Originali infantulorum peccato promanat doctrina? Apostolis igitur hanc doctrinam acceptam esse referendam, non modò suis in epist. ad Roma. Comment. disertè docet Origenes: Pro peccato, inquiens, Originali tollendo Ecclesiam ab Apostolis Traditionem accepisse, vt paruulos etiam baptizet: sed & ipse quoque Diuus Augustinus in elaboratissimo illo aduersus Iulianum opere clarissima voce contestatur. Postquàm enim ex probatissimis, sanctissimísque Christianæ fidei propagatoribus simul & propugnatoribus, Irenæo, inquam, Cypriano, Reticio, Augustodunensi, Olympo Hispano, Hilario, atque Ambrosio manifestissimè hãc de peccato paruulorum Originali doctrinam cõfirmasset Catholicam aduersus Iuliani calumnias, qui ex insanissimo Manichææ pestis errore Augustinum id docuisse blaterabat, ita post pauca, cùm & Innocentij Ecclesiæ gloriosissimo primi Apostolorum martyrio fundatæ præsidis adposuisset, calculum subtexuit: Quid enim potuit vir ille sanctus, inquit, Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? Et tamen eius successorem crimine præuaricationis accusas, quia doctrinæ Apostolicæ & sui decessoris sententiæ noluit refragari. En tibi, hanc de doctrina peccati in paruulis Originalis doctrinam disertè dicit Apostolicam, & quam sedes Romana eadémque Apostolica cum cæteris antiquitùs traditã tenet perseueranter. Porrò eandem fuisse per vniuersum orbem doctrinam Catholicam ante annos mille ducentos, sicuti iamiam recitati Ecclesiæ Occidentalis defensores & rectores, ait Augustinus, concorditer profitentur: ita & clarissima illa Orientalis Ecclesiæ lumina Gregorius Nissenus, Basilius, Chrysostomus, & Hieronymus, qui ex Occidentali ad Orientalem transiit Ecclesiam, eodem contra Iulianum libro manifestissimè declarant. Quorum testimonia si quis fortè requirat, nos breuitati studentes eum ad aureum illud D. Augustini contra Iulianum opus remittimus.

Origen. in epist. ad Roman. cap. 5.

Peccatũ originale olim Iulianus Pelagianus ex Manichæorum errore Catholicos hausisse calũniabatur.

Caput XI.

Quòd Christianorũ etiã liberi eodem originali peccato nascuntur cõtaminati.



T de Christianorum liberis, inquias, quòd ex sanctis sancti atque mundi nascantur, citra originis vitium est credẽdum. De infidelibus autem ceu immundis, minùs mirum est nasci immundos. Hoc illud est Iuliani illius sophisma, quo Catholicam olim oppugnabat doctrinam; Non peccat iste, qui nascitur: non peccat ille, qui genuit: non peccat ille, qui condidit. Per quas igitur rimas inter tot prę sidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? Istud humani ingenij non tam nouum commentum, quàm ex veteribus erroribus mutuatum, eisdem scripturarum verbis, per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum, & eisdem priscorum Patrum refutatur sententiis, quibus infantium originale probatur peccatum. Cùm enim totum infantulorum populum, vniuersúmque hominum genus prima natiuitate contagium contrahere mortis antiquæ, atque in commune damnatum esse, disertissimę Diuorum Irenęi, Cypriani, atque ad Olympiam Chrysostomi apud August. sententiæ pronuncient, vt alios suffragatores prætereamus, quis adeò sit omnis prorsus iudicij expers, vt Christianorum liberos feliciores, quòd ad primam ex carnali Adam pertinet generationem, cæca temeritate consultissimis illis iudicibus obstrepens audeat statuere aut decernere? Quare ne quid sibi patrocinij apud D. Aug. putent superesse reliquum, eius quoque censura prophana isthæc aduersariorum temeritas est profliganda. Sexti igitur contra Iulianum lib. initiò, cùm D. Augustinus varias ex D. Paulo attulisset sententias, Vnum pro omnibus esse mortuum, 2. Cor. 5. Et cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, Roma. 5. Rursum, Quicunque baptizati sumus in Christo, & sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur, quæ stabilimenta, inquit, fidei Christianæ, qui nititur asseuerando, aut de solis adultis, aut non generaliter, vt quidam intelligantur excepti, subuertere,

Omnes prorsus homines peccato mortuos, nedum infantes Christianorum.

stantibus

ſtantibus eis ipſe ſubuertitur: Has, inquàm, cùm attuliſ- ❞
ſet ſententias, quibus omnes in vniuerſum cùm adul- ❞
ti, tum infantuli ſine Chriſto cõuincantur peccato mor- ❞
tui, capite conſecuto in liberos quoque fidelium illas va- ❞
lere demonſtrat. Nam cùm Iulianus illis Auguſtini verbis, Quod dimiſſum eſt in parente, vt trahatur in prole, miris quidem modis fit, & quia modus ipſe non facili ratione indagatur, nec ſermone explicatur, ab infidelibus non creditur, mendaciter fuiſſet inſidiatus, magna ex parte ea mutilando, hunc in modũ fraudulentis eius calumniis reſpondit: Sed etſi nulla ratione indagetur, nullo ſermone explicetur: verum eſt tamen, quòd antiquitùs veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam: que FILIOS fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à principe mortis erueret. Similiter 1. de Nuptiis, & Concup. cap. 18. commemorat, Pelagianum illum, qui Valerio Comiti ſuppreſſo nomine libellum miſerat, Ec- ❞
cleſiam toto orbe diffuſam accuſare, in qua vbique om- ❞
nes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, niſi ❞
vt ab eis Princeps mundi mittatur foras, à quo neceſſe ❞
eſt vaſa iræ poſſideantur, cùm ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur. Et eiuſdem capite decimoſeptimo, cùm de vniuerſa humani generis natura dixiſſet, inquantum homines, ſunt bonum ex natura, cuius author eſt Deus: in quantum autem cum peccato naſcuntur, perituri, ſi non renaſcantur, ad ſemen pertinent maledictum ab initio illius antiquæ obedientiæ vitio: attexuit, ab hac fide Apoſtolica atque Catholica veraciſſima atque fundatiſſima, cum Pelagianis iſte diſcedens, non vult naſcentes eſſe ſub diabolo, ne paruuli portentur ad Chriſtum, vt eruantur à poteſtate te- nebrarum, & in regnum ipſius transferantur. Verùm ❞
igneum ſibi videntur aduerſarij vibrare telum, cùm ❞
Apoſtolicæ illi atque Catholicæ de paruulorũ ex Chriſtianis natorum peccato originali obiiciunt Pauli ſententiam, Alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autẽ ſancti ſunt, 1. Cor. 7. Prorſus idem huic ex veteri nouo nouorum Pelagianorum argumento, reſpondendum

Fideliũ filios cur Auguſtino vniuerſa Eccleſia exorcizat.

Omnes nati ad ſemẽ pertinent maledictum.

An Chriſtianorũ liberi ſint immundi.

est, quod priscis illis sui seculi Pelagianis respondit August. idipsum magno cum supercilio vrgentibus. Multi sunt, inquit, serm. 14. de verbis Apost. modi sanctificatorum, & multi modi sanctificationis. Non enim omne quod sanctificatur, ad regnū cælorum mittitur, de esca nostra, dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem. Disce ergo esse aliquem modum, & quasi vmbraculum quoddam sanctificationis, quod non sufficiat ad perceptionem salutis. Distat, & quid distet, Deo notum est. Tamen cum filio fidelium curratur ad Baptismum. Non sic errent parentes, vt putent eum iam fidelem natum. Natum enim possunt dicere, non renatum. Et statim pòst, ostendens simili sanctificationis modo, virum infidelem per vxorem fidelem sanctificari, nō tamen securitatem accipere, quòd in regnum cælorum intraturus est, & non baptizandus. Non regenerandus, non Christi sanguine redimendus, conclusit: Quomodo ergo sanctificatur vir infidelis in vxore, & tamen perit, nisi baptizetur: sic filij fidelium, etsi ad quendam modum sanctificati, pereunt tamen, si non fuerint baptizati. Sic & epist. 28. nullas paruulorū animas saluari sine Christiani Sacramenti participatione, quo regenerentur, adeóque iuxta Apostolicam doctrinam damnari paruulos etiam Christianorum non baptizatos.

Pelagianorū vetus argumentū hodie renouatū, veteribus Augustini verbis dissoluitur.

Filij fideliū pereunt nisi baptizentur. Vide infrà Cap. 15.

Filij Christianorū dānātur nisi baptizētur.

Hæc doctrina ante Diui Augustini ætatem tam erat toto Christianorum orbe omnibus nota & indubitata, vt D. Optatus disertè scribat: Neminem fugit, quòd omnis homo, inquit, libr. 4. contra Perm. qui nascitur, quamuis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum excludi. Hoc Exorcismus operatur, per quem Spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur.

Eant nunc aduersarij, & salutarem illum Exorcizandi Baptizandos ritum, quasi inutilem rideant cæremoniam, aut hominum arbitrio atque libidine, aut leui saltem de causa garriāt excogitatum, aut quoddam idololatriæ sacrilegè blasphement instrumentum, cùm ex

clarissimis vetustissimorum ante annos 1200. scriptorũ testimoniis sit quauis meridiana luce manifestiùs declaratum, hunc ipsum Exorcismũ, vt ab illo Vlpiano ignominiosè notatũ, ita aduersariis nostri seculi impiè subsannatum, ex doctrina certò Apostolica, atque indubitatò Catholica Baptizandis prorsus omnibus siue adultis, siue infantulis, etiam ex Christinis prognatis, ob Originale illud peccatum, quo homines in vniuersum omnes nascimur contaminati, vbique & semper fuisse adhibitum.

Caput XII.

Catechismus Baptizãdorum, & abrenunciatio.



Electo igitur per Exorcismum diabolo, Baptizandus Catechismo instruitur, vt depulsis quasi obscurissimæ noctis cùm impietatis, tum Dei ignorantiæ tenebris, paulatim illucescente Euangelij Sole, ad veram Dei cognitionem emergat, atque religionem erudiatur. Hunc Catechismum cùm aduersarij retineant, confirmare nihil est opus. Quare ad abrenunciationem transeundum, quam illorum quidam stultè repudiant, alij stultiùs retinent. Cùm enim Exorcismum ex æquo reiiciant, cur abrenunciationem potiùs à pueris extorquent Vvirtembergenses, qua diabolo renuncient, quàm Exorcismum adhibeant, quo diabolum ab eorum cordibus exigant? Abrenunciationem igitur inter præparatorios Baptismatis ritus temporibus etiam Apostolorum fuisse adhibitam, clarissimis verbis D. Ambrosius scriptum reliquit, ad receptam illam abrenunciandi diabolo & pompis eius alludens: Illic enim homo vetus, inquit in cap. 2. ad Coloss. deponitur, & nouus assumitur. Peccatis moritur, vt viuat iustitiæ. Elementis abrenunciat, vt Christo sociețur, resurrectionis futuræ tenens pignus exemplo Saluatoris, qui resurrexit ex mortuis. Hæc igitur commonet, vt perseuerent in abrenunciatione pompæ, & 1 præstigiarum Sathanæ. Qui idcirco elementorum suadet culturam, vt à Deo auocet, & participes apostasiæ

Abrenunciationẽ esse doctrina Apostolica.

In ordina. Ecclesiæ Vvirtemb.

1 Sic legẽdũ arbitror, quã uis impressã legant præstigiis.

Coloßẽses nõ nisi post abrenunciationẽ baptizati fuere Ambrosio. suæ volens efficere homines. Vbi dum annotat Paulum Colossenses admonere, vt in abrenunciatione pompæ & præstigiarum Sathanæ perseuerent, apertè pronunciat, & Colossenses ipsos non nisi post abrenunciationem Sathanæ fuisse baptizatos. Hunc autem abrenunciandi ritum, tota Catholica Christi Ecclesia suo seculo fuisse receptissimum, & D. Hieronymus suis in Amos Commẽt. testatur: *Hieron. in Amos cap. 6.* « Nisi mala opera, inquit cap. 6. in nobis occiderint, Christus non ascendet super nos: cúmq; illa occiderint, & Christum habuerimus aurigam, tunc nobis proficientibus & ad meliora pergentibus, in eodem Psalmo imperabitur, Cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem. Vnde & in mysteriis primùm renunciamus ei, qui est in Occidẽte, nobiscum moritur cum peccatis, & sic versi ad Oriẽtem, pactum inimus cum Sole iustitiæ, & ei seruituros nos ei promittimus. Africanæ etiam Ecclesiæ consuetudinem D. August. quibusdã locis indicat lib. 2. de Symbolo cap. 1.

Sicut & Chrysostomus Antiochenæ illius Apostolicę morem sequutus Homilia ad populũ Antiochenũ mulieres monet, abiiciendum capitis ex seculi huius more ornatũ, quòd diaboli pompis abrenũciauerint. Sic paulò antè & Atheniensem Ecclesiam Pauli discipulã, obseruasse, ex Dionysio Areopagita demonstrauimus.

Sal cõsecrat⁹ cur baptizãdis detur. Salem etiam consecratũ ex antiquissima Ecclesiarum consuetudine Baptizandis dari solitum, disertè testatur Canon 5. Concilij 3. Africani, cui & Diuus Augustinus interfuit, sicut & Chrismate inungi Baptizandos Diuus Ambrosius atque Dionysius Areopagita. Hos autem ritus vnà cum aliis illis ad Baptismum præparatoriis, fusiùs esse pertractandos minùs duximus necessarium; *Baptizãdus cur Chrismate inungendus.* quòd minutuli isti ritus, manus scilicet Baptizandi cereo ignito armata, cuius D. Augustinus in Psal. 65. meminisse videtur: quòd aures narésq; saliua oblitæ, cuius D. Ambros. 1. de Sacra. cap. 1. similésque illa potissima sacrorum rituum Baptismi pręparatoriorum capita diffusè confirmata, quasi corpus vmbra consequantur: quæ cùm ex doctrina Apostolica simul & Catholica luculẽ-

ter ſunt demonſtrata, quis de iſtis tollendis valdè laboret, quos apud veteres quoque ante annos mille & ampliùs trecentos videt, quaſi toto Chriſtiano orbe receptiſſimos commemoratos? cùm illos citra atrociſſimum Apoſtolicæ doctrinæ ſacrilegium nequeat repudiare.

Quare nũc tandem noſtrum illum Baptizandũ Apoſtolico ritu exorcizatum, catechizatum, cereo ſacro armatum, aliíſque abrenunciationis ritibus præparatum, ad ſacrum Baptiſmatis fontem producamus, quaſi ex locis, vt Auguſtinus loquitur, ſecretis in conſpectum totius Eccleſiæ, vt nunc publicè baptizetur, qui hactenùs priuatim fuit catechizatus.

Auguſt. de Symbo. ad Catechu. lib. 2. cap. 1.

Caput XIII.

De ſacro Baptiſmi fonte ex doctrina Apoſtolica conſecrando.



VErùm quia Catholicis ludibrio vertitur, quòd publico Eccleſiæ fonte non niſi conſecrato vtantur, anteà ritè nobis fontem ex Apoſtolorum doctrina conſecrari eſt demonſtrandum, quàm ſacri Baptiſmatis vim atque efficaciam exponere aggrediamur. Hunc autem conſecrandæ aquę Baptiſmatis ritum cùm Baſilius ille ob ſingularem Chriſtianæ doctrinæ pręſtantiam Magnus dictus, inter alios plurimos ad tacitam atque myſticam, vt ipſe loquitur, Apoſtolorũ referat Traditionẽ, quis profligata adeò fuerit audacia, vt veriſſimo tanti cẽſoris calculo refragetur?

Baſilius.

εὐλογοῦμεν δὲ τοὔδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ »
ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν βαπτιζόμενον »
ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης »
καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τήνδε αὐτὴν τοῦ ἐλαίου »
τὴν χρίσιν, τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; »

Cõſecramus (inquit lib. de Spiritu ſancto, cap. 27.) aquã Baptiſmatis & oleum vnctionis, atq; ipſum adeò Baptizandũ. Sed quibúſnã ex Scripturis? num ex ſilentio prodita & myſtica, ſiue arcana Traditione? Ipſam porrò Olei vnctionẽ, quæ nam ſcripta docuit doctrina? Quod Baſilij Magni teſtimonium tantò firmius rem propoſitam ſtabilit, quãtò hos ipſos Baptiſmatis ritus alióſque

illic numerosè recitatos, ad dogmatis de Spiritus ſancti diuinitate tunc in controuerſia poſiti confirmationem vehementiùs valere arbitrabatur: quos certè Baſilius ille ὁ τῆς πίστεως ἔρεισμα, vt Nazianzenus ait, fidei columen, & veriſſimum Reipublicæ Chriſtianæ ornamentũ, tanquàm indubitatò Apoſtolicos ad reuincendã Eunomij hæreſim in aciem produxiſſet minimè, niſi apud omnes ita in cõfeſſo fuiſſent. Quanquàm igitur moderatis ingeniis vnum hoc D. Baſilij illius Magni teſtimonium pro Catholicæ per orbem Eccleſiæ ritibus ſatis adferat patrocinij, vt tamen inſani iſtius ſeculi rabiei ſalutarem magis adhibeamus medicinam, ex aliis quoque Scriptorum veterum Nartheciis ea nobis eſt conficienda, ne quid prorſus ad ſanitatem recuperandam ei deſit, cùm doctrinæ certò Apoſtolicæ conſpirantem quoque Scriptorum veterum videat reſpondere conſenſum.

Diuus itaq; Dionyſius Areopagita ſacros Baptiſmatis ritus plùs quàm graphicè depingẽs, ita hac de re ſcribit: Poſtq̃ Epiſcopus Exorcizatũ oleo vnxit ad ſacrũ fontẽ, quẽ μητέρα τῆς υἱοθεσίας dicit, matrẽ adoptionis, accedit: καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό, καὶ ταῖς τοῦ μύρου πανιέροις ἐπιβολαῖς ἰσαρίθμως τὸ ἱερὸν τῆς τῶν θεολήπτων προφητῶν ἐπιπνοίας μελῴδημα συνεπιφθεγξάμενος, κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι, quod eſt: At vbi fontis aquam ſanctis inuocationibus ſanctificarit, ternáque ſacroſancti olei dilutione crucis in ſpeciem cõſecrarit, & vbi ad ternam illam ſanctiſſimam ſancti olei inſperſionem ſacrũ illud Prophetarum Dei Spiritu afflatorum cãticum inſonuerit, virum illum Baptizandum iubet accedere. Ad eundem modum & Diuus Cyprianus vnà cum Epiſcopis 32. Africanæ Eccleſiæ vetuſtiſſimum morem expreſſit: Oportet, inquiunt, epiſt. 12. lib. 1. mundari & ſanctificari aquam priùs à Sacerdote, vt poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.

D. quoque Ambrosius Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem ad viuum lib. de Sacramentis depingens, docet, formam Baptismatis, eiúsque vsum requirere, vt ante fons consecretur, & deinde presbiter super creaturam aquæ faciat inuocationem & precem, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternę: imò quantoperè hanc fontis consecrationem, extra necessitatis periculum, sit arbitratus necessariam, locus ille libri de his, qui mysteriis initiantur, demonstret, aqua sine prædicatione Dominicæ crucis, inquit cap.3. ad nullos vsus futuræ salutis est. Cùm verò fuerit salutari crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum spiritualis lauacri & salutaris poculi temperatur.

Ambr.1. de sacr.ca.5.

Iam quid Augustinum cõmemorem, qui locis quàmplurimis aquam dicit in Ecclesia precibus Sacerdotis sanctificari? libr.6. contra Donat. cap.20. Sic in Ioann. tract. 80. Hoc est, inquit, verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, vt mundare possit, consecratur & Baptismus. Ad hunc igitur Baptismatis fontem, Apostolico atque Catholico ritu consecratum, Baptizandus vel accedit adultus, vel adducitur infans, atque à sensu omni quispiam alienissimus, aut etiam stultus.

Vide Aug. lib.6. contra Iulian. ca.8.

Caput XIIII.



Ed quia infantium, omniúmque rationis expertium Baptismo Anabaptistæ non tam crudeliter inuident, quàm infeliciter obsistunt, priùs infantium Baptisma ex dogmatibus certò Apostolicis atque Catholicis est confirmandum, quàm eius necessitatem, efficientiam atque vim pertractemus. Paulò antè homines in vniuersum omnes lethali illo peccati originalis contagio esse contaminatos, apertissimis scripturarum docuimus sententiis, & clarissimis doctrinæ certò Apostolicæ atque Catholicæ illustrauimus testimoniis. Proinde infantulos eodem esse infectos, vitiatos, atque perditos, in pręsenti demonstrare, superuacaneæ esset operæ.

Infantium baptisma ex doctrina Apostolica cõfirmatum.

Hoc igitur labore superſedentes, quàm fieri poteſt breuiter ſimul & luculenter oſtendemus, Catholicam Eccleſiam nũc temporis paruulos planè omnes, ex Chriſtianis licèt parentibus ortos, doctrinæ certò Apoſtolicæ veſtigiis conſtanter inſiſtem baptizare. Apoſtolos paruulorum Baptiſma Eccleſiis tradidiſſe ad originalem illam peccati contagionem eluendam, diſertis verbis docet Origenes; Pro hoc (inquit de peccato, in quo Dauid ſe conceptum queritur, loquens in Epiſt. ad Rom. cap. 6. lib. 5.) & Eccleſia ab Apoſtolis Traditionem ſuſcepit etiã paruulis Baptiſmum dare. Sciebant enim illi, quibus miſteriorum ſecreta commiſſa ſunt diuinorum, quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipſum, corpus peccati nominatur.

Orig. com. in epi. ad Ro. 5.

D. quoque Auguſt. idipſum conteſtatur, Eccleſiam ab Apoſtolis didiciſſe: Conſuetudo tamen matris Eccleſiæ, inquiens ca. 23. li. 10. de Ge. ad lit. in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda, niſi Apoſtolica eſſet Traditio. Iam quorſum, congeſtis doctorum veterum teſtimoniis, Lectorem fruſtrà fatigemus, quibus hanc conſuetudinem oſtendamus, vbique terrarum ſemper fuiſſe obſeruatam, non magnoperè video neceſſarium, cùm priſci Scriptores plurimis in locis Pædobaptiſmi meminerint. Proin eos reſtrictè admodum, quòd ita inſtituti noſtri expoſcat ratio, perſtringemus. Africanæ Eccleſiæ hanc fuiſſe conſuetudinem D. Cyprianus cum ſuis ſexaginta ſex collegis Epiſcopis epiſtol. 8. lib. 3. ad Fidum cõteſtatur. Porrò D. Auguſtinus Eccleſiam vniuerſaliter hoc retinere affirmat, lib. 10. de Ge. ad lit. cap. 11. vt cũ viuentibus paruulis parẽtes ad percipiẽdũ gratiã ſancti Baptiſmi currãt, & viuẽtibus ſuccurrãt, ne cùm mortui fuerint, nihil poſſit fieri, quod proſit. Hũc etiã Baptizãdorum paruulorum morem adeò fuiſſe olim Eccleſiis familiarem, teſtatur Dionyſius Areopagita, vt ſuo illo ſeculo Ethnici paſſim luſerint, atque ſubſannarint, quòd pueros: inquiebant, diuina illa intelligendi nondum cõpotes Dei generatione impartirent, quódque Pontifices

Pueros fuiſſe baptizatos toto orbe ante ann. 1300

Cyprian⁹ cũ Epiſcopis ſexaginta ſex nobis de Africane eccleſiæ moribus conteſtatur.

Auguſtinus de more vniuerſarum Eccleſiarum.

Diony. in fine Eccleſi. Hierarch.

diuina infantulos docerent, siue catechizarent, cùm auditores essent minùs idonei: quódque alij ipsorum nomine abrenunciarent, & fidem confiterentur: quorum stultam reprehensionem atque impiam irrisionem, vt amanter ferendam docet, ita doctrina à diuinis magistris prisca Traditione initiatis accepta refellit.

Caput XV.



D hûc igitur modum Baptizandus, siue adultus, siue infantulus sacris Exorcismi abrenunciationis, aliísque Apostolicis, vti demonstratum est, ritibus præparatus, ad fontem Baptismi eodem ritu consecratum accedit, vt salutari Baptismatis aqua ablutus, veram animæ salutem, emundationem, sanctificationem, cæteráque Baptismatis effecta consequatur: quæ vt in posteriorem aliquantò locum sint differenda, facit quorundam Nouatorum, non tam noua à Catholicæ veritatis luce hallucinatio, quàm veteris erroris olim damnatissimi nefaria in lucem reuocatio. Nō enim sacra Baptismatis aqua Baptizandum mundari, aut à peccatorum sordibus lauari volunt, sed Christi sanguinem ea tantùm figurari, Quis nos aqua ista, inquit Caluinus Instit. cap.17. de Bapt. mundari dicat, quæ certò testatur Christi sanguinem verum esse atque vnicum nostrum lauacrum? vt non aliundè peti queat, certior ratio ad refellendam eorum hallucinationem, qui ad aquæ virtutem referunt omnia. Vnde & eos qui illam Christi saluatoris sententiam, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto nō potest intrare regnum Dei, de Baptismo aquæ intelligunt sub finem dicti capitis, falli magno suæ vnius censuræ cum supercilio pronunciat egregius iudex, qui in grege non vult esse vulgari, nullam hîc fieri inquiens Baptismatis mentionem. Aquam & Spiritum, inquit, simpliciter accipio pro Spiritu, qui est aqua. Scio alios (omnes nimirùm veteres Orthodoxos) aliter interpretari, sed hunc esse germanum sensum non dubito.

Aquam Baptismi esse necessariam verèque mūdare, non solùm aquam spiritualem.

Aqua Baptismi nos mundari negat Caluinus.

Nisi quis renatus fuerit, non de aqua accipiēdum Caluino.

Atque vt iustissimam huius superbissimæ censuræ

Non baptizati paruuli

Caluino sal uantur contra doctrinā certò Apostolicam.

pœnam diuinam, Lector Christiane, agnoscas, in atrocissimam mox prorumpit blasphemiam contra doctrinam, teste Augustino episto. 28. Apostolicam: qua contendit, paruulos non baptizatos æternæ morti non adiudicandos, nec Baptismum adeò necessarium, vt periisse protinùs existimetur, cui eius obtinendi adempta fuerit facultas. Verùm istam nouatam ex Pelagiana peste Caluini hallucinationem, qua asserit Baptismum paruulis non esse necessarium, nec eos perire paruulos, quibus subita morte abreptis eius obtinendi adempta fuit facultas, cum prædicatione pugnare Apostolica, Diuus Augustinus clarissimis verbis demonstrat: Quisquis dixerit (scribens Hieronymo, epistola 28.) quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliàs eos in Christo viuificari non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus, per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. Quàm verò isthæc Caluini doctrina conuenienter cum Pelagianis conspiret, iudicet æquus bonus rerum arbiter, qui paruulis etiam non baptizatis promittebant, vt testatur sententia Episcoporum Concilij Carthaginensis apud Augustinum epistola 90. habituros vitam æternam: nisi ea fortè impietatis parte illos superet, quòd illi non Baptizatis vitam modò æternam, non etiam regnum Dei pollicebantur: hic verò & vitam æternam, Dei simul regnum, aliáque prorsus omnia, quæ Baptizatis tantùm iuxta Catholicam atque Apostolicam doctrinam ex sacramenti Baptismi participatione obueniunt, atque contingunt. Quare rectè nouis istis dogmatistis pro paruulorum causa respondeatur, quod olim Diuus Augustinus Pelagianistis: Nulla ex nostro arbitrio (inquiens lib. 1. cap. 23. de pecca. mer.) præter Baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit scriptura diuina humanis ingeniis præferenda. Et sermone de verbis Apostoli

Pelagianismū renouat Caluinus.

An Caluinus impietate Pelagianos superet.

Caluinus humano ingenio promittit paruulis non baptizatis salutem, quam eis negat di-

14. Nolo paruulis ſine iſta fide & ſine iſto ſacramento huius fidei promittere vitam æternam. Et ſub eius finem: Quomodo ſanctificatur vir infidelis in vxore, & tamen perit, niſi baptizetur: ſic filij fidelium, etſi ad quẽdam modum ſanctificati, pereunt tamen, ſi non fuerint baptizati: quod ipſum pluribus Auguſtinus locis, quæ ex lib. de Nupt. & Concup. 2. cap. 17. aliiſque peti poſſint, fulcire ſuperſedemus, Græcos Theologos conſulturi, vt ex ipſorum cum Latinis conſenſu immota Catholicæ fidei veritas confirmetur. Chryſoſtomus itaque in doctiſſimis illis in Ioãnis Euangelium Hom. Baptiſmatis aquam vide mihi obſecro, quantùm doceat neceſſariam: Quòd pernece ſſaria, inquit Homilia 24. ſit aqua, vel inde perſpicuum eſt (quòd cùm ante aquam Spiritus inſpiraſſet, in hoc tamen non quieuit Apoſtolus, ſed ad aquæ neceſſitatem oſtendendam ait: Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? Quænam ergo aquæ neceſſitas? Iam abſconditum vobis myſterium aperiam. Sunt & alia, nũc verò ex omnibus vnum expoſuiſſe ſufficiat: primùm diuina in hoc conſummantur iudicia, ſepultura, mortificatio, reſurrectio, vita, & hæc ſimul omnia.

uina ſcriptura.

Pereunt, ſi nõ fuerint baptiſati paruuli.

Græcos Theologos aquam Baptiſmi cõteſtari neceſſariam.

Diuus etiam Baſilius ſacri Baptiſmatis neceſſitatem pulcherrima comparatione deſcribens, non minùs Chriſtianis ad ſalutem illum eſſe docet neceſſarium, quàm militibus acie infeſta concurrentibus ſui cuique imperatoris teſſera atque ſymbolum. Nemo cognoſcet te, inquit Homil. ad ſacrum Bapt. ſuſcipiendum exhortatoria, an noſter ſis an hoſtium, puta Dæmonum: ἐὰν μὴ τοῖς μυστικοῖς συμβόλοις παράσχῃ τὴν οἰκειότητα, ἐὰν μὴ σημειωθῇ καὶ σε τὸ φῶς τοῦ προσώπου κυρίου. πῶς ἀντιποιηθῇ σου ὁ ἄγγελος; πῶς δὲ ἀφέληται τῶν ἐχθρῶν, ἐὰν μὴ ἐπιγνῷ τὴν σφραγῖδα; πῶς δὲ σὺ ἐρεῖς τοῦ θεοῦ εἰμι, μὴ ἐπιφερόμενος τὰ γνωρίσματα;

« quod est: Nisi te ex mysticis symbolis atque tesseris se-
« cretioribus domesticum esse probaueris, nisi & lumen
« vultus Domini illius super te signatum fuerit, quónam-
« pacto te vindicabit Angelus? quo pacto ab hostibus eri-
« piet, nisi illam agnorit tesseram? quo pacto autem tu
« dixeris, Dei sum, si certas, quibus agnoscaris, notas non
« produxeris? an ignoras quòd Angelus ille vastator do-
« mos signatas præteriit, in non signatis autem primo-
« genita occidit?

Eat modò Caluinus, & Baptismum iactet paruulis non necessarium, quòd statim, vti ait, ac nati sunt ex Christianis, imò antequàm nati sint, vt alibi dicit, in fœderis hæreditatem à Domino excipiuntur. Reclamat Caluine tibi August. Nolo sine isto Sacramento huius
« fidei paruulis promittere vitam æternam, quam nõ pro-
« mittit Scriptura diuina humanis ingeniis præferenda.
« Et iterum: Pereunt fidelium filij, si non fuerint baptiza-
« ti. Sed quis nam, inquit Caluinus, nos aqua mundari di-
« cat? quís nam? omnis priscorum doctorum chorus, vnà
« cum Doctore gentium Paulo Christum sonat mundare
« suam Ecclesiam per lauacrum aquæ in verbo vitæ.

Augustin.

Ephes. 4.

Quòd autem nasci ex aqua & Spiritu, perinde esse vis atque nasci ex Spiritu, qui est aqua, vt Spiritus, scilicet, purgando & irrigando fideles animas vice aquæ fungatur, ita vt aqua Baptismi non sit necessaria, quis non istud delicatiss. ingenioli fastidium tumidiss. meritò abhorreat, qui arrogantissima ingenij confidentia fretum te videt nouum figmentum post Christianorum memoriam prorsus inauditum, insolenter simul & intoleranter iactare: vt licèt refragentur omnes, licèt aliter interpretentur omnes, non tamen dubito, ais, hunc germanum esse sensum, nec sanè quidem hanc Christi de regeneratione ex aqua & Spiritu sententiã ita intelligendam efficit, † vti suspicaris argutula ista ratiũcula, quòd Christus à Ioanne sit dictus in Spiritu sanct. & igni baptizaturus, quòd Spiritum daret, qui in regeneratione ignis officium naturámque habeat: ita renasci quoque ex aqua & Spiritu nihil aliud sit, quàm vim illam Spiritus recipere, quæ in anima id efficiat, quod aqua in cor-

Nisi quis renatus fuerit, de aqua baptismi esse accipiendũ, iuxta omnium veterũ Patrũ cõsensum. Caluin. arrogantia, qua se audet omnibus etiã refragantibus PP. opponere

† Argutulum Caluin. cauillum retunditur.

pore. Vt enim priùs, quia à veterum quorũdam Patrum sensu haud ita multum abhorret, quis aptè concesserit, ita alterum, quia cum eorundem iudicio, imò Catholica omni Ecclesia pugnat, meritò abnuat. Quanquàm enim loquendi formulæ istum in sensum prima quidem specie videantur congruere, non tamen ita prorsus congruunt, vt nouum istud humani ingenij commentũ admittere cogant. Præterquàm enim quòd ipse rerum ordo in illis loquendi formulis alius est atque alius, vt in priori illa Ignis, Augustini, Hierony. Hilarij atq; Chrysost. sententiâ, aliud quippiam à Spiritu S. est accipiendus: ita & in posteriori quoque aliud esse á Spiritu S. aquam præter recitatum iamiam D. Pauli ex Ephes. locum, D. Petrus euidentissimo demonstrat facto, Cornelium illum Centurionem Spiritu S. visibiliter illapso baptizatum, iubens aquâ item visibili baptizari. Nequaquàm igitur, vt dicis, illorum hallucinatio istis argutiis est refutata, qui ad aquæ virtutem referunt omnia, sed tua hallucinatio à Catholica doctrina aberrare, veritatis luce est manifestata. Non tamen existimandum, Catholicos dum aquę Baptismatis veterum PP. doctrinam sequuti, sanctificandi tribuunt vim, omnia ad aquæ virtutem referre, vt calumniaris: sed vt cum illis nõ omnia, ita non tecum nihil: sed aliquid, vt verè cum Paulo gentium doctore dicere queant: Baptizatos per lauacrum aquę mundari in verbo vitæ. Non enim quisquã in Christo secundum doctrinam Catholicam habendus est renatus, nisi qui Baptismatis Sacramento, quod verbo cõstat & elemento, sit baptizatus: quemadmodum D. August. variis locis Catholicam vrgens Christianæ per orbem Ecclesiæ doctrinam docet, à potestate tenebrarum, inquiens cap. 20. lib. 1. de Nupt. quarum est Diabolus princeps, id est, à potestate diaboli, & angelorum eius, quisquis erui, cùm baptizãtur, negauerit paruulos, ipsorum Ecclesiæ Sacramentorum veritate conuincitur, quæ nulla hæretica nouitas in Ecclesia Christi auferre, vel mutare permittitur, regente atque adiuuante capite totum corpus suum, pusillos cum magnis. Et 2. cap. 18. A diabolo, inquit, necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex

Act. 10.
Petrus post Spiritus S. baptismum aqua iubet Corne. baptizari.

Catholicos non omnia tribuere Baptismatis aquæ, licèt eã doceant necessariam.

Cùm baptizantur paruuli, à diaboli potestate demum eruuntur.

« Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur, & in eius regnum per gratiam facta vaſa miſericordiæ transferantur. Rurſum de peccat. mer. 1. cap. 33. Vbi ergo par-
« uulos, inquit, ponimus baptizatos, niſi inter fideles? ſi-
« cut vniuerſæ vbique Eccleſiæ clamat authoritas: ergo
« inter eos qui crediderunt: Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offerentium reſponſionem, ac per hoc eos, qui baptizati non ſunt, inter eos qui non crediderunt. Porrò ſi illi, qui baptizati ſunt, non iudicantur: iſti qui carent Baptiſmo, iudicantur, ſiue vt initio capitis exponit, pereunt paruuli, non habituri vitam æternam, niſi per Sacramentum Baptiſmi in vnigenitum Dei filium credant.

Non baptizati paruuli inter infideles dãnandos numerandi.

Caput XVI.



EDucto tandem ex vadis aſperis atq; anfractuoſis nauigio, nunc Lector cãdide, apparatu omni ad Baptiſmum ritè ſuſcipiendum legitimè expedito, liberioribus æquoris campis ad portum properabit oratio. Siquidem ad claudendam de Sacramento Bapt. diſputationem ſupereſt, quod perſequamur in præſenti nihil, præter eius effecta, ritúſque de publico Chriſtianorum more adhiberi ſolitos, vt veſtis candida, capitis vnctio, atque ſimiles. Quò igitur ſalutaris illa Baptiſmi vis atque efficientia, quæ in Catholica cõſtanter prædicatur Eccleſia, aduerſus noua nouellorum magiſtrorum dogmata defendatur, illa quæſtio antè eſt diſſoluenda, án Chriſti Baptiſmus planè idem fuerit cum Ioannis Baptiſtæ? Deinde ſi alius, quid nam præ illo Baptizatis attulerit? Magnus eſt hæreticorum huius tempeſtatis in reſuſcitato iſto pridem, ante annos mille conſopiti erroris dogmate, conſenſus non aliud inſtituiſſe Chriſtum Baptiſma, quàm Ioannes Baptiſta apud Iudæos vſurparit, cùm Ioannes ipſe Baptiſta longè
« alium ſuum fuiſſe atq; Chriſti, apertiſſimis verbis apud
« Euangeliſtas pronunciet: Ego quidem baptizo vos, in-
« quiens Matth. 3. in aqua in pœnitẽtiam: qui autem poſt
« me venturus eſt, baptizabit in Spiritu ſancto & igni.

Baptiſmum Chriſti à Ioannis Baptiſtæ fuiſſe alium.

Matth. 3.

Quibus in verbis cùm ſuo illi Baptiſmo aquæ in pœnitentiam opponat Chriſti Baptiſmum, qui in Spiritu ſancto & igni foret, hominibus ſanè non tam ſuarum partium quàm veritatis ſtudioſis, longè maximum conſtituiſſe videri poteſt illorum diſcrimen. Suum enim ita in aquâ perfici euidenter docet, vt nec Spiritum nec ignem habuerit: quod ex apertiſſima Chriſti Baptiſmatis antitheſi eſt manifeſtiſſimum. Illc igitur prædicabat Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, vt ait D. Marcus, ſed poſt futuram, atque per Chriſtum donandam, non quam ſuo ipſe Baptiſmo donarit. Quæ Catholicæ Eccleſiæ doctrina de Baptiſmatum Chriſti & Ioannis differentia, manifeſtiſſimo etiam D. Pauli Apoſtoli facto cùm fulta nitatur, non tamen deſinunt aduerſarij omnes ingenij ſui intẽdere neruos, quò hanc Apoſtolici ſimul & Catholici dogmatis fundatiſſimam doctrinam labefactent, ſubruant, atque peſſundent. Verùm quàm iſtud futilibus cõmoliantur ratiunculis, poſtea ſeſe prodet, vbi pro inſtituta operis huius ratione ex doctrina Apoſtolica ſimul ac Catholica præſens dogma conſtabiliuerimus. Diuus Auguſtinus præterquàm alibi, frequẽter hanc Baptiſmatum differentiam diſertiſſimè perſequitur lib. contra literas Petiliani 2. cap. 37. Affirmabat ſiquidem Petilianus, nõ alium fuiſſe Ioannis, aliũ Chriſti, alio certè ſenſu, minúſque impìo, aut ſacrilego, atque aduerſarij, ſed vnum Baptiſmum tribus gradibus conſecratum, quorum trium graduum aquam Ioannes, Spiritum Chriſtus, ignem Paracletus dediſſet: cuius ſtoliditatem vbi confutauit plurimis verbis, alium Chriſti, alium Ioannis fuiſſe demõſtrat: Quapropter, inquiens, nolite de Ioannis Baptiſmo caliginem facere, cuius cauſa & ratio ſiue iſta ſit, quam expoſui, ſiue alia melior certiórque reddatur, illud tamen manifeſtum eſt alium Baptiſmum fuiſſe Ioannis, alium Chriſti. Diffuſiùs autem hanc doctrinam perſequitur D. Auguſtinus libr. 5. de Baptiſ. contra Dona. capite 9. & ſequentibus aliquot, ſe credere Ioannem ita baptizaſſe in aqua pœnitentiæ, inquit cap. 10. in remiſſionem peccatorũ, vt ab eo Baptizatis in ſpe remitterẽtur peccata: re ipſa verò in Domini

Marc. 1.

Act. 19.

Petilianus Donatiſta minùs impiè docebat vnũ fuiſſe Ioãnis et Chriſti baptiſmũ, atque Lutherani.

Ioãnis Baptiſmus non remittebat peccata.

Auguſt.

Baptiſmo id fieret. Præparabat viam Domini, ait Cy-
prianus, Serm. de Baptiſ. Chriſti, Ioannes lauando exte-
" riùs corpora, vt præcederet lauacrum exterius, ſecutu-
" rum Baptiſma, in qua conferretur animarum ablutio, &
" peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, vt cõ-
" ſummatio ſequeretur.

Chryſoſt. Ad eundem modum & D. Chryſoſt. Homil. 10. cer-
" tè remiſſionem, inquit, Baptiſma Ioannis non habebat:
" hoc enim munus illius Baptiſmatis erat, quod poſteà
" Chriſtus inſtituit. Et paulò pòſt, idem iſtud Paulus af-
" firmans, Sed mundati, inquit, eſtis, ſed ſanctificati e-
" ſtis, non per Baptiſma Ioannis, ſed in nomine Domini
" noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritu Dei noſtri. Sic Diuus

Baſilius. Baſilius quoque lib. de Baptiſ. cap. 2. explicata Baptiſmi
" Ioannis à Moſaïco differẽtia: Chriſti Baptiſma, inquit,
" λόγον ἔχει κρείττονα παντὸς ἀνθρωπίνου, δόξαν
" δὲ ἀνωτέραν πάσης ἐπιθυμίας, καὶ εὐχῆς ἀνθρω-
" πίνης, ὑπερβολὴν δὲ χάριτος καὶ δυνάμεως
" πλείονα, ἢ ὅσον ἥλιος ἀστέρων ὑπερέχει.
" rationem habet omni humana ſuperiorem, gloriam au-
" tem deſiderio omni votóque humano ſublimiorem, ex-
" cellentiam verò gratiæ atque facultatis ampliorẽ, quàm
quantum ſtellis Sol excellit. Quibus pauciſſimis verbis
non modò D. Baſilius complexus eſt Baptiſmatum Mo-
yſis, Ioannis, & Chriſti diſcrimen: verùmetiã plus Chri-
ſti Baptiſma à Ioannis fuiſſe ratione diuerſum, gloria
ſublimius, atque facultatis vi præſtantius, quàm Sol ſtel-
las excellit. Nazianzen. quoque Orat. in S. luminaria:
Baptizauit quoque Ioannes, inquit, verùm non iam Iu-
daicè, quoniam non in aqua ſolùm, ſed & in pœniten-
tiam. Non tamen penitùs ſpiritualiter: haud enim addi-
dit, in Spiritu. Baptizat Ieſus, verum in Spiritu. Hoc erat

Hierony. perfectio. Teſtatur & D. Hiero. aduerſus Lucifer. Ioan.
Baptiſma nõ tam peccata dimiſiſſe, quàm Baptiſma pœ-
" nitentiæ fuiſſe in remiſſionem peccatorum, quæ eſſet
" poſteà per ſanctificationem Chriſti ſubſecutura. Plura
Scriptorum veterum teſtimonia recitare ſuperſedebi-
mus, vnico adiecto, quod locupletiſſimè hanc cauſam
inſtruat,

instruat, cùm totius Christianæ veteris Ecclesiæ cōsensum in se contineat. Est enim ex Actis vetustiss. magni illius Nicæni Concilij petitum, vbi ita definiunt Patres, Christum, cùm annum 30. attigisset, tum demum ad Baptismum Ioannis accessisse, quo ad pœnitentiam, inquiunt, inuitabat, non quo peccata condonabat aut adoptionis munus conferebat. Nam hæc donare Ioannis » non erat, ne Angeli quidem: sed eius qui carnem assumpsit, qui homo factus est, Dei verbi: » quam fidem Ecclesiæ » ab Apostolis esse traditam, & à Maioribus acceptam, & ad posteros transmissam, & quasi per manus traditam, obseruare paulò pòst Sanctiss. illi Patres contestantur Ecclesiam.

Acta Concilij Niceni primi.

Confirmato nunc ex doctrina certò Apostolica atq; Catholica Baptismatum Ioannis & Christi discrimine, friuolæ illæ atque futiles aduersariorum ratiunculæ cōterendæ sunt atque fundendæ, quibus persuasi, iure sibi permittere videntur, vt à Catholica dissentiant Ecclesia.

Argumēta aduersariorū dissoluta.

Caluinus itaque post illa verborum portenta, quibus nouam istam in admirationem imprudentium attollere molitur doctrinam, Christum propriumvocari obiectū, quia in eo est Baptismi complementum, & quod nostræ cùm purgationis tum regenerationis in Patre causam, in Filio materiam, in Spiritu effectum quodāmodò contemplamur: subtexit Ioannem primùm, deinde Apostolos Baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum baptizasse: pœnitentiæ verbo huiusmodi regenerationē intelligentes: remissionem peccatorum, ablutionem. O nouam Theologiam, sed nouis istis Theologis dignissimam. Christum facis Caluine Baptismi obiectum. Sed quo veteris Scriptoris exemplo? aut Scripturæ testimonio? cùm nihil in Christum efficiat, sed in Baptizandum: non minùs quàm martyrium Martyrem respicit obiectum, aut tincturæ pannum. Iam cuius aures vtut obesissimæ sustineant, quòd Christum nostræ tum purgationis tum regenerationis quodammodò contemplamur materiam? cùm Christus Baptizandum purgando & regenerando ipse baptizet, teste Ioanne Baptista. Sed ita libuit homini per causarum locos philosophari,

Noua verborum Caluini portenta.

Christus baptismi obiectū Caluino.

Pœnitentia est Caluino regeneratio & remissio peccatorum, eidem est ablutio.

Ioan.1.

Christus Caluino est materia regenerationis.

vt isti nouo humani ingenij commēto subtilissimè rhetoricando aduersus Orthodoxam veritatem tam vetustate, quàm authoritate roboratissimā, saltem aliquam veri conciliaret similitudinem.

Acto.19.

Porrò quod addit Apostolos, sicut & Ioannes, pœnitentiæ Baptismo baptizasse, vnde probet? an non Paulus figmentum istud manifestiùs confutat, quàm vt nostra balbutientium verborum luce habeat opus. Cùm enim illos Ephesi repertos, Christi discipulos sciscitaretur, num à Fide suscepta Spiritum sanctum accepissent? illis verò ne Spiritus sancti quidem nomen audisse vnquàm respondentibus, sed Ioannis Baptismo se baptizatos, quorsum obsecro iterum eodem pœnitentię Baptismo voluit baptizandos? certè si idem erat, vt dicis, Apostolorum, & Ioannis Baptisma, nequaquàm sanè potuit semel adhibitum Paulus sine temeritatis nota repeterer à qua quó nam rhetoricationis colore tantū illum Apostolum purges apud acutos homines, ipse videris.

Temerè Paulus iussit Baptismum iterandum, si idem fuit.

Locus Act. 19. explanatur.

Ad hæc si idem erat Apostolorum atque Ioannis Baptisma, cúr nam Paulus suum à Ioānis Baptismo discriminaturus, disertè pronunciat, baptizasse Ioannem Baptismo pœnitentiæ, vt crederent in eum, qui post ipsum venturus erat.

Quibus Pauli verbis cùm desit altera comparationis pars, scilicet Redditio, propter euidentem rerum notitiam, quíd nam aliud clarissima illa Paulina sententia apud homines veritatis discendæ cupidos desiderat, quàm suum Baptismum non esse pœnitentiæ, vt Ioannis, sed Spiritus sancti, quem nondum acceptum erant illi accepturi: Auditis siquidem Diui Pauli verbis, annotat D. Lucas, eos in nomine Domini Iesu fuisse tum demùm baptizatos. Quod certè annotandum non erat, nisi aqua alia adhibita, fuissent alio item Baptismo non illo pœnitentiæ, quo iam pridem à Ioanne, sed in nomine Domini ad Pauli exhortationem baptizati. Verùm quia hoc exemplum miris technis, strophísque callidissimis Caluinus conatur alio detorquere, pauló pòst fusiùs persequemur.

Quis autem illa verborum Caluini monstra non stu-

peat? pœnitentiæ verbo Ioannem atque Apoſtolos regenerationem intellexiſſe? remiſſione peccatorũ, ablutionem? O acutum verborum obſcurorũ interpretem, & natatorem planè, quo aiunt, Delium. Cui enim audita pœnitentiæ voce de regeneratione in mentem veniat? Sed quia iſthæc noua humani ingenij commenta veteribúſque Theologis in vniuerſum omnibus incognita ſua ſe ipſa vanitate ſubuertunt, fuſiori verborum labefactatione nihil habent opus. Hiſce tamen vaniſſimis commentis, quaſi ſolidis fundamentis præiactis, friuola plurima, ſed futiliſſimè ſuperſtruit: quo etiam certiſſimum ſit, inquiens, idem fuiſſe Ioannis prorſus miniſterium, quod Apoſtolis poſteà delegatum eſt. Non enim alium Baptiſmum faciunt diuerſæ manus, quibus adminiſtratur, ſed eundem eſſe, eadem doctrina oſtendit.

Pœnitentia an rectè Caluino ſit regeneratio.

Iſtud non eſſe certiſſimum, ſed longè vaniſſimum grauiſſimæ illæ iamiam commemoratæ doctiſſimorum Patrum ſententiæ clariſſimis Euangeliſtarũ verbis ſubnixæ, & illuſtri illo Diui Pauli apud Epheſ. facto corroboratæ diſertiùs pronunciant, quàm vt vlli tergiuerſationi locum apud æquos arbitros reliquum faciant. Sed ne iſtud ſine ratione dixiſſe videatur, non alium Baptiſmum, inquit, faciunt diuerſæ manus, quibus adminiſtratur. Certè manus nihil idem tinctionis opus variat, ſed tingentis animus, ſed tinctionis ſcopus: haud ſanè aliter atque tinctio, quæ in coccino fit, aut purpura, alia eſt ab ea, quæ in atro fiat, croceo aut ceruleo, eadem licèt manu fiat, vt omittam, quòd in nomine Domini, ſiue Trinitatis inuocatione, baptizarint Apoſtoli, non item Ioannes, Act. 19. Sed eundem eſſe, addit, eadem doctrina oſtendit. In vnam doctrinam Ioan. & Apoſtoli conſenſerunt, vtrique in pœnitentiam, vtrique in remiſſionem peccatorum, vtriq; in nomen Chriſti, à quo pœnitentia, & peccatorum remiſſio eſſet, baptizarunt. An prorſus eadem Apoſtolorum & Ioan. fuerit doctrina, an diuerſa potiùs, quós nam certius huiuſce quæſtionis faciamus diſceptatores, quàm eiuſdem Ioan. diſcipulos? qui hac ſuper re quid aliud rogati nobis, quàm Paulo, reſpondeant? Sít ne Spiritus S. an non, haud vnquàm

Non eadẽ prorſus Ioannis Baptiſtæ & Apoſtolorum doctrina.

" audiuimus: quos tamen à Ioan. baptizatos fuisse citra
" Ioannis doctrinam quis vnquàm credat?

Vt autem aliquot doctrinæ capitibus Ioannes cum Apostolis conueniebat, ita ab eisdem toto docēdi genere, licèt minùs quàm Moyses, plurimísque dogmatum capitibus aut ignoratis, aut saltem non prædicatis, nihil minùs quàm conueniebat. Baptizabat enim, inquit Pau-

Act. 19. " lus Act. 19. dicens, vt crederent in eum, qui venturus es-
" set, hoc est, in Christum Iesum. An non hunc ipsum & Moysis Baptisma cæteræque futurorum vmbræ loquebantur? Vnde qui eandem siue Moysis, siue Ioannis doctrinam faciunt, non minùs absurdi videntur, quàm qui idem vnúmque esse vetus, & nouum Testamentum asserunt, contra Apostoli Pauli sententiam, Galat. 4. Vtriq; igitur in pœnitentiam baptizabant, vtrique in remissionem peccatorum: sed alio atque alio sensu. Ille enim in pœnitentiam, quæ ad peccatorum remissionē per Christum conferendam præparabat: hi veró per pœnitentiā, & consecutum Baptismum, gratiam atque præsentem criminum remissionem præstabant, quod ex recitatis dudum Scriptorum vetustissimorum testimoniis fuit comprobatum. Cæterùm quod addit, Vtrique in nomen Christi baptizarunt, manifestissimæ vanitatis D. Lucas redarguit, vnà cum aliis quoque Euangelistis. Testatur enim Diuus Lucas, duodecim illos Christi discipulos Baptismo Ioannis iam pridem baptizatos, Pauli iussu Ephesi tum demùm fuisse tinctos in nomine Domini Iesu. Istis futilibus captiunculis iam perspicuum labefactatis fretus Caluinus, sibi temperandum esse non putauit, quin ab solidissimis illis Ecclesiæ columnis Chrysostomo atque Augustino, itémque cæteris improbè non minùs quàm impudenter à se perstrictis discederet.

Ioannem nō in nomine Domini baptizasse, vt vult Caluinus. Act. 19.

Quare neminem perturbet, inquit, quòd alterum ab altero discernere veteres contendunt, quorum non tanti esse nobis debet calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chrysostomo potiùs auscultet neganti, in Ioannis Baptismo comprehensam fuisse peccatorum remissionem, quàm Lucæ contrà asserenti, Ioannem Baptismum pœnitentiæ prædicasse in pecca-

Temerè Caluinus à Chryso. & August. sibi desciscendum putabat.

torum remiſſionem? mordebat Caluinum concors Scriptorum veterum conſenſus, nouo eius figmento refragans: quare vt ne illius authoritate Lector, quiſpiã prudentior de vera Eccleſiæ Catholicæ doctrina admonitus, nouella eius commenta ſacrilegæ falſitatis habeat ſuſpecta, fœdiſſimã imperitiæ calumniam illis ſtruebat: Non tanti nobis Scriptorum veterum, inquiens, debet eſſe calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciat. O Catonem Cenſorium, qui tot grauiſſimorum iudicum calculos, vniuerſique Eccleſiaſticorum Patrũ chori ſententiam maximè concordem ſua mirum in modum leuicula vnius homunculi cenſura non veretur magno cum ſupercilio damnare atq; reprobare. Atqui, inquiat, Scripturæ certitudinem non quatefaciat Scriptorũ veterum calculus. Sanè, ſed temerariam ſententiæ tuæ ex Scripturis perperàm intellectis detortæ incertitudinem non ſolùm quatefaciat, ſed labefactet etiam, euertat atque profliget. Cui enim mortalium palatum adeò eſt inſulſum atque ficulneum, vt impudens iſta in doctiſſimos viros calumnia vllo pacto faciat probabile iſtam Scripturæ certitudinem, quam dicis ab iis ad vnum vſq; omnibus fuiſſe turpiſſimè ignoratam? quam Scripturarum certitudinem vtrùm magis miremur, à veteribús ne illis fuiſſe ignoratam, vt dicis, an abs te erutam, vt iactas, iudicet æquus bonus arbiter. Sed audiamus quæſo tandem iſtam Scripturæ certitudinem, quam veterum calculus non quatefaciat: Quis Chryſoſtomo auſcultet, inquit, potiùs neganti, in Ioannis Baptiſmo comprehenſam fuiſſe peccatorum remiſſionem, quàm Lucæ contrà aſſerenti, Ioannem Baptiſmum pœnitentiæ prædicaſſe in peccatorum remiſſionem? Cui quæſo ſunt oculi tam Lyncæi, vt in hac D. Lucæ ſententiola certum perſpiciat in Baptiſmo Ioannis peccatorum remiſſionem fuiſſe coniunctam? Si tanta eſſet certitudo Caluine, quantam iactas, án eam acutiſſimos illos Scripturarum interpretes vllo pacto fugere potuiſſe quis ſanus ſibi perſuadeat? erat certè, quod hac de re non dubitarent modò, verumetiàm contrarium aſſererent. Quod enim Diuus Matthæus primus hiſtoriæ Euangelicæ ſcriptor

Caluinus doctiſſ. illis, Auguſtino, Chryſoſtomo, Hierony. Baſilio, itémque cæteris imperitiæ ſycophantiam ſtruere conabatur.

Baptiſmum Ioannis non habuiſſe peccatorum remiſſionem coniunctam.

obſcuriùs literis prodiderat, Ioannem prædicantem baptizaſſe aqua in pœnitentiam, hoc ipſum D. Lucas, & Marcus quoque planiùs expreſſerunt, Ioannem prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Eódem igitur iſta peccatorū remiſſio ſpectat, quò prædicatus in aqua Baptiſmus. Iam ex ſuperioribus luculenter perſpicuum eſt, hunc Ioannis Baptiſmum ita fuiſſe in aqua exhibitum, vt præter aquam habuerit nihil, ſed in Chriſti Baptiſmo aquæ viſibili inuiſibilis præſens aderat Spiritus: quod ex clariſſima illa Ioannis inter ſuum Chriſtíque Baptiſmum diſcriminātis antitheſi, atque oppoſitione demonſtrari poteſt. Quod itaque Marcus & Lucas Ioannem Baptiſmum pœnitentiæ prædicaſſe in remiſſionem peccatorum aſſerunt, haud ſanè aliter accipi poteſt, quàm vti Diuus Paulus Act.19. interpretatur, "Baptizaſſe Ioan. Baptiſmo pœnitentiæ populo loquens de eo, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent." Sicut igitur pœnitentia à Ioanne prædicata, ſuum poſteà per Chriſtum venturum erat conſecutura effectum: ita peccatorum remiſſio, niſi per Chriſti baptiſmum, cuiquam non potuit cōtingere. Hunc Orthodoxæ doctrinæ ſenſum nobilis illa Diui Petri Apoſtoli prima concio mirificè illuſtrat, qua tria illa Iudæorum in Chriſtum credentium millia hortatur, vt pœnitentes baptizentur in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionē peccatorum, vt acciperēt donum Spiritus ſancti: inter quos non ſanè paucos fuiſſe Ioannis baptiſmate baptizatos, cui non fiat veriſimile, qui modò ſeriò ſecum reputet, tantum fuiſſe in illum Iudæorum ſtudium atque cōcurſum, vt ad eum Hieroſolymitæ vniuerſi & omnis Iudææ regio, teſte D. Marco, excurrentes fuerint Baptizati in Iordanis flumine. Sed vt demus refractariis iſtis, nec inter tria illa Iudæorum millia, nec inter quinq; illa pòſt Petri altera item concione ad Chriſtum conuerſa, neminem quenquam fuiſſe Ioannis diſcipulum, qui id temporis per Petrum peccatorum ſuorum ſit conſecutus veniam, certè eius pater Zacharias ita apertis verbis hanc peccatorum remiſſionem à Ioanne prædicandam vni Chriſto Domino tribuit, vt Ioāni citra ſacrilegium

Act.19. *Act.2.* *Marc.1.* *Marc.1.* *Act.2. & 3.* *An inter 3000. aut 5000. à Petro baptizata, nullus Ioannis Baptiſmo fuerit*

tribui non possit: Præibis ante faciẽ Domini, inquiens, parare viam eius, ad dandam scientiam plebi eius in remissionem peccatorũ, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Certè vt Lucas dicebat, Ioannem prædicasse pœnitentiam in remissionem peccatorum, ita Zacharias Ioannem in Christo præcessurum, vt pararet ei viam, daturum scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum: quod procul dubio ad præparatorias illas Euãgelij è vestigio prędicandi conciones pertinet. Nullum arbitror ita fore absurdum, qui illis parasceuasticis Ioannis Baptistæ cõciunculis peccatorum remissionem affirmet fuisse coniunctam: si eius conciones non tribuerunt Iudaicæ plebi Domino Christo præparandæ peccatorum remissionem, nec Baptismus eius. Siquidem totus Ioannes vniuersa illa sua Panoplia atque spiritali apparatu minarũ gehennæ, concionum, pœnitentiæ, Baptismi denique instructus, nihil aliud sibi voluit, quàm vt præpararet vias Domini, atque plebem perfectam Domino pararet, siue λάον κατεσκευασμένον ἑτοίμασαι, vt ei populum isagogica illa, atque elementaria ad salutem institutione præparatum instrueret, atque expediret. Si celebratissimis istis apud Prophetas Esaiam atque Malachiã Ioannis concionibus non fuit coniuncta præsens peccatorum remissio, vt D. Zachariæ Spiritu sancto repleti oraculũ canit, nec certè eius Baptismo: qui minima videri possit portiũcula totius illius apparatus, quo Ioannes Christum pręcessit, ad dandam populo scientiam salutis in remissionem peccatorum instructus.

baptizatus, cum omnes Hierosolymitæ fuerint à Ioanne baptizati, teste D. Marco. Ioã. docebat in remissionem peccatorum, sicuti baptizabat.

Baptismus Ioannis populũ minus Domino Christo praparabat quã eius cõciones quæ tamẽ nõ habebãt remissionẽ peccatorũ coniunctam.

Viderit nunc Lector candidus, num illa dudum iactata Caluini hac de re Scripturæ certitudo, quę illum grauissimam consentientium Scriptorum veterum sententiam, vt reprobaret, quasi compellebat, indubia sit facta incertitudo. Sed quia subdolæ suæ machinationi Diuum Augustinum etiam sensit renitentem, turpissimam ei Sophistices calumniam struere nihil est veritus. Nec recipienda, inquiens, illa August. argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Ioannis, Christi Baptismo re ipsa dimitti. Vbi nunc tua illa Augustino dudum tributa

Caluinus Augustinum sophistices calumniatur.

laus, eum ex tota Scriptorum antiquitate optimum & fidelissimum esse testem? O laudatorem cōstantem! Laudas immodicè, si impotētibus tuis cupiditatibus videatur fauere: vituperas immodicè, si stultis deliriis salutarem manum medicam videatur velle adhibere.

Quòd Ioannis Baptism⁹ solùm in spe, nō in re peccata dimiserit, vti Augus t. dixit.

Non igitur argutia Augustini est, quod sophisticè calumniaris, sed ipsissima rerum veritas minùs argutè abs te considerata aut perspecta: quod ex illo clarissimo D. Pauli discipulos Ioannis Baptismo tinctos, Christi insuper Baptismate baptizantis, exemplo fiat manifestissimum. Hoc namque cùm meridiana quauis luce illustrius Apostolicam Catholicæ Ecclesiæ declararet doctrinam, obscurissimis ex media petitis sophistica tenebris obscurare aggrediebaris: Verùm igneum, inquiens, sibi videntur telum vibrare, cùm allegant Paulum rebaptizasse eos, qui Ioannis Baptismo semel baptizati erāt. Telum hoc, quàm non modò sit igneum, sed cælesti illo etiam Euangelicæ veritatis igne inflammatum prorsus ἄσβεστον atque inextinguibile, vel tuæ ipsius frigidissimæ nugæ, vt spumosæ quidem, ita nihil minùs, quàm aqueæ loquuntur. Postquàm enim vanissimū quoddam stupidissimorum, miror quorum, retulisses somnium, qui illos duodecim Ephesi discipulos, non à Ioanne, sed eius Cacozelo quopiam Baptizatos garriebant, ideóque fuisse rebaptizatos: Ego, inquis, concedo fuisse illud verum Ioannis Baptisma, & vnum idémque cum Christi Baptismate: sed rebaptizatos nego. Quid igitur sibi volunt verba, Baptizati sunt in nomine Iesu? quidam interpretantur tantùm syncera doctrina eruditos à Paulo fuisse. Sed simpliciùs intelligere malim Baptismum Spiritus sancti, hoc est, gratias Spiritus visibiles per manuū impositionem datas, quas Baptismi nomine significari non nouum est. Et nos quidem eos cum Chrysostomo negamus rebaptizatos, sed tunc primùm contrà affirmamus baptizatos Christi Baptismo, non minùs quàm Iudæum aliquem vicies Mosaïcis Baptismis baptizatū, si Christianus fiat, negamus rebaptizatum. Verùm tu alio longo sensu rebaptizatos negas, quòd non alium post Ioannis susceperint Baptismum, ipsa rei veritate

Act. 19.

Soluitur nugamentum Caluini.

palàm reclamante. Siquidem corporalem aquæ Baptiſmum in ſpiritualem donorum Spiritus ſancti communionem conaris hîc inuertere, ſicut alibi cuiuſdam Daui more ex ſpiritali Euchariſtia corporalem fabricare. Quónam autem iſtud colore moliaris ſiue Rhetorico, ſiue vt arbitror, ſophiſtico, iam palàm faciendum: Vis igitur eos nõ aquæ, ſed Spiritus ſancti tantùm, ſiue gratiarum Spiritus viſibilium Baptiſmo per impoſitionem manuum Baptizatos: quas Baptiſmi nomine, inquis, ſignificari, non eſt nouum. Vt certè varia in Scripturis Baptiſmatum extare genera libenter concedimus, quorum nõ eſt infimum iſte donorum Spiritus Baptiſmus: ita hoc in loco eum accipi poſſe pernegamus. Reclamat enim ipſa Paulinæ ad illos orationis ſententia: reclamat inſuper diſertiſſima D. Lucæ rerum tunc geſtarum narratio: reclamat denique concors doctiſſimorum interpretum conſenſus.

Corporalem aquæ Baptiſmum in ſpirituale cõmutare conatur Caluinus.

Siquidem illa Pauli concio cum perſpicuè Ioannis Baptiſmo, qui in aqua fuit, Chriſti Baptiſmum, qui in aqua & Spiritu, opponat, fieri nequit, vt aut eundem vtriuſque Baptiſmum verè imaginemur, aut prædicatũ hîc à Paulo Chriſti Baptiſmum ſpiritualem tantùm aptè commentemur. Corporalem enim aquæ Baptiſmũ in Chriſti nomine illis tunc fuiſſe adhibitum, clarioribus verbis D. Lucas expoſuit, quàm quæ aliquid purioris lucis apud lectorem ſuæ mentis compotem deſiderari poſſint. His auditis, inquiens, illi Ioannis Baptiſmo
" pridem Baptizati in nomine Domini Ieſu baptizaban-
" tur. Atque in huius confirmationem quaſi rem alteram
" à Chriſti Baptiſmo ſubſecutam narraturus, ſubtexuit:
" Poſteaquam impoſuiſſet Paulus in Chriſti nomine ba-
" ptizatis manus, Spiritũ ſanctũ ſuper eos veniſſe, linguis
" locutos, atq; propheta ſſe. Huic autem clariſſimę geſtarũ
" rerũ narrationi caliginoſas ſui ingenij tenebras conatur offundere Caluinus, quibus quaſi nubeculis imperitioris lectoris oculos perſtringat, ne fulgidiſſimũ veritatis Solem aſpiciat. Nõ duo diuerſa narrat Lucas, inquit, ſed formã narrationis ſequitur Hebræis familiarẽ: qui primùm rei ſummã proponunt, deinde fuſiùs explicant.

Paulus Baptiſmo Ioãnis opponit Baptiſmum Chriſti.

Fruſtrà conatur Caluinus clariſſimæ luci ſuas offundere tenebras.

Hoc certè loco Caluine tardioribus abuteris ingeniis, vt quod alibi ipſa rerum neceſſitate cogente nõ poſſunt non agnoſcere, hîc etiã præ ſimplicitate facilè ſuadeantur recipere. Non habet, nõ habet, inquam, iſta Hebraicæ narrationis formula hîc ſuum locum: nempe iſthac ſtropha res naturâ multò diuerſiſſimas in vnum tibi liceat conflare, vt non minùs ſis ridiculus, quàm

Horatius.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit.

Caluin. ſuperbiſsimè Chryſoſtomũ imperitiæ, D. Auguſtinũ argutiæ notat.

Iam quid tibi fuſiùs concordem vetuſtiſſimorum interpretum adferam ſententiam? quos ne aut imperitiæ cum Chryſoſtomo, aut argutiæ cum Auguſt. calumniãdos tibi propinem, recitare ſuperſedeo: contentus Ioannis Baptiſmum alium à Chriſto fuiſſe, ex ipſis Euangeliſtarum verbis, apertiſſima quoque Baptiſtę de ſuo atque Chriſti Baptiſmo ſententia, atque clariſſimo D. Pauli apud Epheſios facto, diſertiſſima denique D. Lucæ narratione Patribus ſuffragantibus, demonſtraſſe.

Caput XVII.

Baptiſmi effecta.



Roinde cùm Chriſti Saluatoris Baptiſmus longè ſit, quàm Ioannis præcurſoris, alius, fieri quidem nequit, vt non & effectis ipſis ſint inter ſe multò diuerſiſſimi. Sicuti enim Ioannis in aqua fuit, ita vt non in Spiritu: ſic Chriſti in aqua & Spiritu. Ille ſigno externo Baptizatos admonebat pœnitudinis, vt credentes in eum, qui pòſt erat venturus, ſuorum delictorum veniam expectarent: Hic contrà externo aquæ ſigno adhibito, ita animum ſordibus abluit, atque reatibus ſemel expiat, nihil vt maneat ſordium, nihil vt ſuperſit reatuum. Quinimò Baptizatorũ pectora omnibus omninò ſiue originalis illius contagij, ſiue additorum illi etiam delictorùm, tum à næuis deterſa, nitida, ac emũdata, tum è maculis quoque emaculata prorſus, atque pura, puta Spiritus ſancti ſanctiſſima efficit templa, omni ornamentorum genere inſtructiſſima, pretioſiſſimóque virtutũ prorſus omnium, cæleſtiúmque illarum dotium mundo cultiſſima ſimul & decoratiſſima. Iam cui obſecro mortalium tam perſpi-

1. Cor. 6.
Rom. 8.
1 Tim. 5.
Act. 3.
1. Cor. 6.

cax ſit intelligendi vis, aut diues eloquentiæ vena, qui auguſtiſſimam illam ac planè diuinam Chriſtiani Baptiſmi vim queat ad plenum, aut pernoſcere, aut ediſſerere, qua ex miſerrimis terreni illius Adæ filiis feliciſſimi cæleſtis illius Dei Optimi Maximi filij cõſtituimur? qua ex damnatiſſimis æternorum ignium mãcipiis gratiſſimi in regnum illud Chriſti hæredes aſcribimur? qua deniq; ex perditiſſimis illis diaboli ad immortales pœnas ſociis beatiſſimi bonorum Chriſti omnium cohæredes inſtituimur. *Rom. 8.* *Epheſ. 1.* *Ioan. 2.* *Rom. 8.*

Hæc porrò omnia ſalutarẽ Chriſtiani Baptiſmi vim præter alia efficere, aut, ſi mauis, Chriſtũ per illam operari, reſtrictè admodum ex doctrina Apoſtolica ſimul & Catholica eſt demonſtrandum: quo deinceps impia iſthęc ſacrilega atque blaſphema adeò aduerſariorum ſententia pleniùs perſpiciatur, faciliùs ſubuertatur, penitúſque tandem de medio tollatur: qua aduerſus omnem omnium veterum Patrum conſenſum noua dogmata in orbem inuehere non verentur, Baptiſmo ſcilicet non ſolui Baptizatos, aut eximi ab originali peccato: neque in priſtinam naturæ humanæ puritatem atque iuſtitiam reſtitui, vt Caluinus; ſed paruulos renatos permanere venenatos & maculatos, vt Bucerus in Reformatione Bonnenſi.

Vniuerſam effectuum Baptiſmi Chriſtiani ſyluam atque vim D. Paulus iuxta datam ſibi cælitùs ſapientiã, pauciſſimis licè verbis, at luculentiſſimis tamen, iiſdémque ſignificantiſſimis eſt complexus, Deum nos ſaluos facere, ad Titum ſcribens: διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ιησοῦ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abũdè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Qui locus vt ſuo clariſſimorum verborũ, quaſi luminum, ſplẽdore alios aliquanto obſcuriores illuſtrat: ita offuſas ab aduerſariis ſalutari Baptiſmatis efficientiæ tenebras diſpellit: quare eum accuratiùs perſequẽdum duximus. *1. Petr. 3.* *Baptiſmo Deus nos ſaluat, regenerat & renouat, Spiritũque ſanctum communicat.* *Tit. 3.*

Baptismi regeneratio spiritũ viuificãtem adfert.

Nasci ex spiritu, optime ex sua antithesi, Nasci ex carne, discitur.

Quòd igitur principiò per lauacrũ regenerationis Deũ nos saluare docet, quídnã sibi aliud quàm Deũ non regeneranda saluare? Hæc autẽ regeneratio nõ aliũdè certiùs simul & pleniùs disci potest, quàm ex illo Christi cum Nicodemo nocturno sermone: Quod natũ est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Vbi cùm generationem, quæ ex carne est, regenerationi opponat, quæ ex Spiritu est, ita hominem ex Spiritu docet renasci, sicuti ex carne hominem dicimus nasci, hoc est, sicuti homo ex carne, siue carnali Adam, natus totus est caro, atque carnalis, ψυχικὸς & animalis: ita ex Spiritu, siue spiritali Adam Christo, in animam viuificantem facto, totus est Spiritus, πνευματικὸς & viuificante Christi spiritu animatus. Hanc autem carnis & Spiritus analogiam requirere illam Christi antithesin, nemo inficiando esse queat, qui hanc Christi phrasin cum similibus scripturarum linguis, 1. Cor. 2. Gal. 5. Rom. 7. seriò contulerit. D. Cypr. clarissimum Catholicæ Ecclesiæ lumen, non modò hanc Spiritus regenerationem Baptismo attemperauit, verùm cælestium donorum per baptismum acceptorum experientia magistra edoctus, disertissimis etiam verbis declarauit: Ego cùm in tenebris atque in nocte cæca iacerem, inquit epist. 2. ad Donat. lib. 2. cũque in salo iactantis seculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuò posset, vtq; nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod priùs fuerat, exponeret: corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret: Qui † impossibilis, aiebam, tanta conuersio est, vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel † geminum situ materiæ naturalis obduruit? vel vsurpatum diu senio vetustatis inoleuit? & post pauca: Sed postquàm vndæ genitalis auxilio superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquàm cælitùs Spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinùs confirmare se dubia, patere

Baptismi regeneratio à D. Cypriano disertißima oratione describitur, graphicéque depingitur.

† Forte meliùs, Quin impoßibilis.

† genuinũ.

clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur, geri posse, quod impossibile putabatur, vt esset agnoscere terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxiũ vixisset, Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Quæ florentissima D. Cypriani sententia, vt florida picturatę orationis dictione Lectoris oculos suauissimè pascit, ita gratissimum veritatis illius Catholicæ odorem fragrantissimè spirat: qui pij cuiusque animum spiritali voluptate delicatissimè recreet.

κυπρ[illegible]ανὸς est florescens.

Quid ille igitur de Baptismatis increbili illa vi? Sibi incredibile quidem visum nondum Baptismatis, qui φωτισμὸς, D. Paulo dicitur, luce illustrato, quòd animo ac mente, inquit, hominem Baptismus mutaret: verùm multò posteà secùs, quum cælitùs Spiritu hausto, in nouum hominem secunda natiuitas eũ repararat. Imò cùm iam Dei esse cœpisset, quod Spiritus inquit, sanctus animarat. An ista floridissima Cypriani sententia quid adferatur, quod aut disertiùs Christi illa de regeneratione verba explanet? aut viuidioribus depingat coloribus? aut clarioribus exprimat liniamentis? Hunc igitur in modũ Deus Opt. nos per Baptismum regenerando saluat, vt animæ viuenti ex Adamo nostri generis siue authore, siue parente satæ quodammodò, &, vt ita dixerim, propagatæ, Spiritum illum ex Christo nostri generis instauratore atque reparatore viuificantem, quasi oliuæ surculum oleastro inserat, siue vti D. Cyprianus, Spiritus cælitùs hausto hominem animo ac mente mutet, animet, atque in nouum hominem reparet.

Baptismus hominem & animo & mẽte mutat.
Heb. 6.

Gen. 3.

Iam porrò videamus, cur & renouationis lauacrum appellarit D. Paulus. Omne hominum genus ex illo auito violatę Dei legis delicto, non modò grauissimam Dei Max. offensam sibi commeruit, qua extra patrias illas suauissimásque Paradisi amœnissimi sedes fuit exturbatum: sed præsentissimam etiam comminatæ à Deo iustissimam, si quid peccaret, pœnæ vindictam è vestigio excepit. Homo igitur, qui antè poterat non mori, posteà non potuit non mori. Confestim itaque vt deliquit, cùm animę tum corporis morti fuit factus obnoxius. Sic qui-

Baptismus renouatur.

dem vt anima amiſſo diuinæ benignitatis atque gratiæ fauore, donatæque illius originalis, quæ dicitur, iuſtitiæ munere exuta fuerit mortua: corpus verò amiſſa, qua animæ obtemperaret, facultate, corruptelam contraxit, ſiue vt Paulus, φθορὰν, teſte Chryſoſtomo, tabem quandam atque putredinem, qua ſenſim contabeſcens in priſtinũ ſuum defluit puluiſculum. Hanc animę corporíſque corruptelam, labem, internetionem ſacræ literæ ſua lingua vetuſtatem ferè appellant, Eccleſiaſtici 14. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcit. Et de Cælis, quos D. Petrus ignis calore ſoluendos ac colliquituros dicit: Dauid, quòd ſicut veſtimentum veteraſcent. Contrà, huius noſtræ corruptelæ reſtitutionem ac labis interitúſque inſtaurationem vocant renouationem, ſiue ea ad corpus referatur, vt Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua: ſiue ad animam, vt Renouamini Spiritu mentis veſtrę: &, Is qui intùs eſt, renouatur de die in diẽ. Quod itaq; D. Paulus lauacrum vocat renouationis, id ita accipiendum eſt, quòd illo renouamur à priſtina illa vetuſtatis corruptione, & ab illo pernicioſo humani generis interitu inſtauramur. Ac propterea quia infeliciſſima hęc Adami noſtri omnium parentis calamitas animæ vnà & corpori certiſſimã moriẽdi attulit neceſſitatem, fortunatiſſima hæc in Chriſto natiuitas etiam immortalis vitæ corpori ſimul & animæ parit felicitatem.

Rom. 5. *1. Petr. 4.* *Pſal. 102.* *Vetuſtatis nomine quid accipiẽdum in ſcriptura, & quid Renouationis nomine.* *Epheſ. 4.* *2. Cor. 4.*

Caput XVIII.

Baptiſmus Spiritus ſancti communionẽ largitur, cũ vnà vera peccatorũ deletione.



HÆc porrò Baptiſmi renouatio non ita eſt accipienda, quaſi ſolùm vitam corpori animęque reddendam ſignificet poſt decurſum atque emenſum iſtius exilij curriculum, ſed præterea cum veriſſima peccatorum omninò omnium remiſſione, ac purgatiſſima ſordium animi abſterſionẽ, veram complectitur quoque animorum ſanctimoniam, ſolidæ iuſtitiæ participationem, atque Chriſti Spiritus communionem, vti Paulus docet, Baptiſmum appellans lauacrum renouationis Spiritus ſancti, quem in nos abũdè effudit per Chriſtum. Quòd autem per Baptiſmum vera, non imaginaria, aut imputatitia, pęccatorum venia

Tit. 3.

Baptizatis cõtingat, negare nemo poteſt, quin illa Chriſtianę doctrinę columina Diuos Petrum, cum toto Apoſtolorum cœtu, atque Paulum impudentiſſimæ impoſturæ calumnietur. Si namque Baptiſmo non verè, ſed imaginariè, ſed imputatiuè, delentur peccata, quónam modo Iudæis illis Chriſti crucifixoribus Petrus pollicetur nefarij ſceleris, aliorúmque delictorum veniam? Compuncti corde, inquit Lucas, dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, Quid faciemus? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquíſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Haſce primitiuas Petri aliorúmque Apoſtolorum, qui illas ſancti Spiritus primitias eodem die acceperant, promiſſiones, qui inanes fuiſſe contendis, atque vanas, ánnon Apoſtolicam prædicationem, ſi non vanitatis, at impoſturæ tamen liquidiſſimæ accuſas? Quo pacto enim nõ inane, quo pacto non vanum quippiam ex re aliqua prouenturum hominibus promittere, quod exoptatum non cõſequantur? Apageſis cum iſthac peccatorum remiſſorum imaginaria non imputatione, vbi Apoſtoli ſimul omnes ſolidam verámque delictorũ omnium veniam apertiſſimis verbis per Baptiſmum pollicentur.

Baptiſmo verè deleri peccata.

Act. 2.

Sed demus aduerſariis, vt imputatiua iſthæc peccatorum remiſſio grauiſſima illa vniuerſi Senatus Apoſtolici ſententia non ſatis definitè cẽſeatur damnata, an aliquid Paulina illa cẽſura deſideretur illuſtriùs, qua Corinthios recèns baptizatos non modò peccatorum omnium veram remiſſionem pronunciat conſequutos, ſed ablutos? ſed ſanctificatos? ſed iuſtificatos? Cùm enim Corinthiorum animos formidabili admodùm oratione perculiſſet nec ſcortatores, nec idololatras, nec adulteros regnum Dei poſſeſſuros, ne priſtinorum vitæ ante Baptiſmum tranſactæ flagitiorum recordantes, ſalutem atque regni Dei hæreditatem deſperarent, vide obſecro, quàm eos verbis vt ſuauiſſimi ſolatij, ita veritatis ſolidæ pleniſſimis fulciat, atque aduerſus deſperationem muniat.

1. Cor. 6.

Paulinam antitheſin ad Corint. requirere veram, non imputatiuam in Baptiſmo peccatorum remiſſionem.

Hæc quidem fuiſtis, inquiens, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Hunc autem locũ de

Vide Theo. & Occum.

" ſalutari Baptiſmatis energia accipiendum eſſe præter
" grauiſſimorum interpretum teſtimonia, ipſa Pauli verba, Abluti eſtis, &, In nomine Domini noſtri Ieſu clarè
" loquũtur: vt non dicam, quòd hîc obliquè reſpiciat, quos paulò antè propter immodicã collati à ſe Baptiſmi gloriationem notârat. Paucula igitur iſta Pauli verba, quòd vberrimum ſacri Baptiſmi effectuum complectantur copię cornu, fuſiore nobis oratione duximus perſequenda.
" Hæc quidem fuiſtis, inquit, ſiue vt Paulus loquitur, καὶ ταῦτά τινὲς ἦτε, ſup. ex Græca figura teſte Oecu. ἔχοντες, hæc habeatis vitia, nimirùm quorum Catalogum recenſui, quæ ante Baptiſmũ, vt Theodoretus ait, admiſeratis ſed abluti eſtis ab illorum ſordibus: ſed ſanctificati eſtis ab illorum pollutione: ſed iuſtificati eſtis ab illorum reatu.

Hæc Pauli verba, ſi planè ac ſimpliciter, citráq; omnem Sophiſticam accipiantur ſignificare quod ſonant, nullum prorſus impiis aduerſariorum figmentis effugiũ团 ſupereſt reliquum. Sed hæc, inquit, fuiſtis, nõ igitur erãt coram Deo adulteri, aut idololatræ, aut fures; neq; adulterij, aut idololatriæ, aut furti rei. Quòd ſi magis placet Græcanica Pauli phraſis, hæc habebatis, clariùs pro nobis facit: Habebatis quidem ante baptiſmum iſta vitia, vti ex Theodoreto diximus, verùm iam nõ habetis. Hũc enim ſenſum, vt ipſa Palinæ orationis antitheſis efflagitat, quòd pluribus explicare ſuperſedeo, ne de Lectoris iudicio videar diffidere: ita diſertiſſimæ voces ſtatim adiectæ perſpicuum pronunciant. Si enim vt aduerſarij volunt, Baptizati manent ſuis priſtinorum criminum ſordibus conſpurcati, contaminati, ſordidati, quomodo verè abluti? Si Baptizati nephariorum piaculorum pollutione manent fœdati, quomodo verè ſanctificati? ſiue vt Diuus Paulus loquitur, ἡγιάσθητε, incontaminati, & ab omni terrænæ fæcis ſcoria repurgati, ac denique puri puti? Si poſtremò Baptizati priſtina ſuorum flagitiorum culpa atque reatu tenentur obſtricti, quomodo apud Deum ſunt verè iuſtificati? Illuſtri iſthac verborum Diui Pauli proprietate à ſuis commentis deturbati aduerſarij, caliginoſas ſibi inquirunt nouorum ſophiſmatum

argutias,

argutias, quibus clarissimam Catholicæ doctrinæ veritatem quasi nebulis obscurent. Purgat, inquit Caluinus in hunc locum, dum peccatorum memoriam abolet: iustificat nos Deus, dum peccata nobis non imputãdo nos à reatu liberat. O nouum purgandi genus, quo baptizati sunt & purgati, & simul non purgati. Iustificat, inquit, præterea nos Deus, dum peccata nobis non imputando nos à reatu liberat. O sacrilegum, qui nepharia isthac impietate liberalissima Dei Optimi in nos dona callidè conatur surripere. Isthæc sanè paradoxa, quandoquidem cum iis Pelagianorum (quæ apud Augustinum sunt lib. 3. cap. 3. contra Iulianum) paria faciant, quod ad impietatem pertinet sacrilegam, parem itidem merentur execrationem: Mira sunt quæ dicitis, noua sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, noua cauemus, falsa conuincimus. Sicut enim illi paruulos nugabantur baptizari, non saluari, redimi, non liberari, lauari, nõ ablui: exorcizari, non à potestate Diaboli erui: ita & vos baptizatos asseritis quidem baptizari, sed non verè à peccatis saluari aut purgari: lauari, nõ à sordibus verè ablui: peccata baptizatorum tegi, & non imputari: non autem verè mundari, aut planè deleri, aut prorsus tolli.

Torquet Caluinus D. Pauli locum.

Caluini & aliorum paradoxa illis Pelagianis non minùs impia nec absurda.

Vide Aug. cont. Iulian. libr. 3. cap. 3.

Sed reclamant vestris istis paradoxis, vt nouis ita impiis, ipsa Apostolorum clarissima verba: reluctatur perspicua vocabulorum, quibus ad hanc rem post hominum memoriam maximè salutarem aptissimis vtuntur, proprietas, refragatur denique concors vniuersorum Patrũ Orthodoxorum sentẽtia. Quid enim aut simpliciùs, aut apertiùs, aut cum benigna illa Dei Opt. voluntate nostræ salutis studiosissima consentaneum magis, quàm Baptismo ablutos, intelligere à peccatorum sordibus ita prorsus repurgatos, vt nullum pristinæ maculæ vestigium hæreat reliquum? Sanctificatos, ita deterso omni pollutionis inquinamẽto expiatos, vt sanctissima Spiritus sancti fiant templa? Iustificatos denique, ita ab omni cùm veteris illius peccati reatu, tum ab omni etiam, si accesserint, propriorum delictorum culpa absolutos, vt iustitia Dei vera per Christi obedientiam ita constituantur re ipsa iusti, sicut per Adæ inobedientiam multi constituti

ſunt reipſa iniuſti? niſi enim hũc in modum Chriſtianos Baptiſmo ablutos accipiamus. quî obſecro prænũciatiua Prophetarum oracula omnibus ſuis partibus à Chriſto affirmabimus expleta? quippe promiſerat Ezechiel Spiritu Dei afflatus effundendam aquam mundam, quæ ab omnibus iniquitatibus mundaret. Effundam ſuper vos, inquit ex Dei perſona, aquam mundam ſiue מים טהורים aquam mundantem atque purificantem: hunc enim ſenſum loquitur, quod ſequitur, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, ſiue מכל טמאתיכם וטהרתם & expurgabimini ab vniuerſis veſtris ſordibus, pollutionibus atque contaminationibus, & ab omnibus idolis, ſiue vt Hieronymus interpretatur, erroribus: quod vel ad aquam cum ſeptuaginta interpretibus referendum, vel cum Hieronymo ad Deum, qui per aquam illam mũdat, quod eodèm recidit. Eum igitur in modum Chriſtus ſuum populum oportebat, ablueret aquis illis mundãtibus, vt ab omnibus inquinamentis emũdaret. Qualis autem ſanctificatio atque iuſtificatio per Chriſtum nouo populo veniret, Spiritus ſanctus diſertè eadem verborum perioche expoſuit: Et Dabo, inquiens, vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri. Quibus verbis iuxta Prophetiæ fidem, ſi Diuo Hieronymo credimus, Deus Iudaico populo cor nouum & Spiritum rectum promittit, quæ per effuſionem, inquit, & aſperſionem aquæ Baptiſmi ſalutaris dantur, quando ablata omnì Iudaici cordis duritia, quę lapidi comparatur, fit cor carneum, molle, & tenerum, quod Spiritum Dei poſſit recipere, & inſcribi literis ſalutaribus. Idipſum ſibi volunt & illæ ſalutares apud eũdem Ezechielem aquæ de templo illo ad tumulos Sabuli Orientis, ſiue vt 70. in Galilæam gentium, & planè deſerti promanantes, quarum irrigatione omnia ſanantur, & viuũt. Similiter & fons ille apud Zachariam patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris & mẽſtruatæ. Quæ prophetiæ cùm luculentam habeant con-

Quòd veram peccatorũ remiβionem in Baptiſmo requirant Prophetarũ oracula.

Ezech. 36.

Vide Hiero. comment. in Ezech.

Ezech. 47.

Zach. 13.

iunctam sui interpretationem, diffusiore explicatu non habent opus.

Caput XIX.



Vxta verborum igitur proprietatem & oraculorum Spiritus sancti prædictionem intelligendum est, Baptizatos verè à peccatorum sordibus ablutos, verè detersa delictorum pollutione sanctificatos, verè deniq; deleta per aspersionem sanguinis Christi vniuersa culpa, reatúque prorsus omni sublato, atque iustitia Christi communicata iustificatos. Siquidem hanc veri nominis iustificationem Baptizatis per Christum contingere, manifestiùs docet D. Paulus, quàm vt quispiam suæ mentis satis compos meritò addubitet: Nam quicunque, inquiens, in Christo baptizati estis, Christum induistis. Iam Christū induisse quid nam sit, vnde certiùs discamus, quàm ab ipso Paulo? dixerat è vestigio, Omnes vos filij Dei estis. In cuius sententiæ cōfirmationem adfert eos Christū induisse. Non igitur aliud est Baptizatos Christum induisse, quàm Dei filios per fidem & fidei sacramentum Baptismum esse factos: ita vt in Baptismo non quasi vestimento iustitiæ iniusti obtegantur, & nudi vestiantur: sed accepto non huius seculi spiritu, sed qui ex Deo est, reparentur, & vt cum Diuo Cypriano loquamur, animentur: de quo si quis fortè ambigat, is alia Diui Pauli loca consulat, vbi Spiritum sanctum Baptizatos quasi sanctissima templa incolere pronunciat. An nescitis, inquit, Neophitis illis Corinthiis scribens, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si templum Dei erant Corinthij recèns baptizati, quo pacto obsecro illorum animas dixeris Diaboli sordibus contaminatas, aut peccatorum pollutione inquinatas, cùm in maleuolam animam non introeat sapientia? Rursum si Spiritus Dei illos inhabitabat, quomodo non irreligiosè dixeris, eos pristinorum suorum peccatorum vere apud Deū iudicem obnoxios & reos, cùm sapientia non habitet

Baptizati verè iustificari iustitia Christi eis verè communicata & impartita.

Baptizati Christum induunt.

Gal. 3.

Baptizati Spiritum sanctum habent inhabitantē.

1. Cor. 2.

Tit. 3. quem effudit.

1. Cor. 3.

Sapient. 1.

in corpore ſubdito peccatis? Hæc itaque aſyſtata iuxta Spiritus ſancti doctrinam non magis conſiſtere queunt, quàm aut conuentio lucis ad tenebras, aut Chriſti cum Belial. Neceſſum eſt igitur baptizatos Chriſtũ indutos, Deíque filios per baptiſmum conſtitutos, viuáque inhabitantis Dei Spiritus templa factos, non modò verè ab omnibus ſemel peccatorum ſordibus expurgatos, vniuerſis pollutionibus expiatos, & ab omni omninò reatu eſſe abſolutos: verùmetiã iuſtitia Dei vera ornatos, cæteríſque virtutum omnium ornamentis condecoratos, pro eo atque veris Dei filiis dignum eſt, veráque Spiritus Dei templa decet. Hoc enim illud Paulinum ſibi vult capitulum: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.

1. Cor. 10.

In huius autem proditæ ab Apoſtolis doctrinæ conſenſum vniuerſum Orthodoxorum Scriptorum chorum concinere non tam fuerit demonſtratu operoſum, quàm recitatu tędioſum. Quare ne tibi Lector Chriſtiane prolixitas tædium pariat, per ſummos celeberrimorum aliquot Scriptorum campos volitantes, fragrantiſſimos, eóſdémque ſaluberrimos delibabimus floſculos, vndè ſuauiſſimè ſuboleſcat, quídnam vniuerſus Orthodoxorum Patrum hortulus ſpiret.

Caput XX.

Quidnam veteres Theologi de Baptiſmi effectu cenſuerint.



Iuus ille Clemens Alexandrinus iure optimo aduerſus infeſta aduerſariorum tela in prima acie eſt collocandus, quòd pro Eccleſiaſtica ſua functione, qua apud ſuos Cathechiſtam agebat, ſtrenuè admodùm Chriſtianam religionem aduerſus infeſtas cùm Philoſophorum omnium, tum hæreticorum plurimorum cohortes propugnarit. Ex huius itaque vnius ſententia quid tota Alexandrina illa, cuius doctrinam Baptizandis pro ſuo Catecheſeos munere ſinceriter inſtillabat, Eccleſia olim crediderit, fiat euidentiſſimum.

In suo, quem inscripsit, Pedagogo, hoc est, Christianæ pietatis magistro, Baptismum ab impiorum contumeliis vindicans, plurima eius encomia celebrat, Synonima explicat, effectáque declarat. Ex aduersariorum igitur concessione Christum Baptismate fuisse perfectum concludens, & Spiritus aduentu sanctificatum, hoc ipsum nobis quoque euenit, ait libro primo capite sexto, quorum fuit exemplar Dominus. Tincti, illuminamur: Illuminati, in filios adoptamur: Adoptati, perficimur: Perfecti, immortales reddimur. Ego, inquit, dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum & lauacrum. Lauacrum quidem, quo peccata abstergimus. Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quę peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id, quod est diuinum, perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Et paucis interiectis: Quemadmodum ergo qui somnũ, excusserunt, ab eo tempore protinùs intùs vigilant: vel potiùs, quemadmodum qui oculorum suffusionem conantur amouere, non extrinsecùs eis lucem suppeditant, quã nõ habent, sed quod oculis impedimentũ afferebat, depellentes, liberam relinquũt pupillam: ita etiã qui tingimur, abstersis peccatis, quæ diuino Spiritui instar caliginis tenebras offundebant, liberum, ab omníque impedimento vacuum & lucidum habemus Spiritus oculum: quo quidem solo, quod diuinũ est, intuemur, cęlitùs influente nobis sancto Spiritu. Et post: Hæc autem vincula, inquit, quàm celerrimè remittuntur, humana quidem fide, diuina verò gratia, cùm remittũtur peccata vno medicamento Pæonio, nempè λογικῷ βαπτίσματι † verbali Baptismo. Omnia ergo peccata eluimus, & è vestigio mali non sumus ampliùs, vna est hęc gratia illuminationis, quod non sint eidem mores. Qua Diui Clementis Alexãdrini saluberrima doctrina quídnam adferatur aut illustriùs, ad obscuras istas de Baptismi effectis quæstiones declarandas? aut quódnam alexipharmacon ab Alexandrina illa, quasi Narthecio, salutariùs promatur Ecclesia, quo non modò istæ aduersariorum nugæ in ven-

D. Clemens Alexandr. in suo Pedagogo.

† Hoc non tam ad vocẽ quàm ad Christũ Dei verbum referatur.

tòs disperguntur, sed pestilentes etiam opiniones à piorum auribus simul & cordibus arceantur? Quis enim istis nouis dogmatibus erit locus apud illum, qui à magno hoc Catechista persuasus, credat Baptizatos remissis peccatis, hausto cælitùs sancto Spiritu sanctificatos, non ampliùs esse malos, nec iam iræ, vt anteà, sed Dei filios?

D. Iustinus philosophus. Diuum Iustinum illum ex Philosopho Christianum Martyrem silentio præteriisse fuerit nephas, qui Apologia 2. Antonino Pio A. pro nostra religione tradita subobscurè, quod prophanis auribus loqueretur, ritus Baptismi sacros, eiúsque effecta subindicat. Quo autem modo, inquiens, nos per Christum noui effecti, Deo consecrauerimus, narrabimus, ne hoc prætermisso, aliqua in parte expositionis improbè facere videamur. Qui sibi persuadent & credunt vera esse hæc, quæ à nobis docentur ac dicuntur, séque ita viuere posse promittunt, ij primùm & precari & petere à Deo præteritorum superiorúmque peccatorum remissionem ieiunantes docentur, nobis vnà cum eis & precantibus & ieiunantibus. Deinde ducuntur à nobis, vbi est aqua, eóque, vt ita dicam, regenerationis, renouationísque genere, quo etiam nos ipse renouati sumus, renascuntur. Patris enim omnium, Dominíque Dei, & conseruatoris nostri Iesu Christi, ac Spiritùs sancti nomine aqua abluuntur & expiantur. Christus enim ait: Nisi renati fueritis, &c. Rursum paulò pòst: Verbum autem hoc in hac re ab Apostolis didicimus, quòd primum ortum nostrum ignorantes, necessitate generati sumus ex humido semine parentum nostrorum inter se copulatione, & in mala consuetudine conuersationéque educati fuimus: vt non necessitatis ignorationísque filij maneamus, sed voluntatis & scientiæ, remissionémque eorum, quæ peccauimus, consequamur: in aqua, in eo, qui renasci voluerit, & quem peccatorum pœnituerit, parẽtes omnium, Domini que Dei nomen appellatur. Hoc ipsum tantummodò dicentes, ad lauacrũ illum ducimus. Nomen enim Deo, qui dici nõ potest, nemo potest imponere. Quod si quis posse contendat, is amẽtia summa se cõtaminat. Vocatur

porrò lauacrum hoc illuſtratio, ꝙ eorũ qui hæc diſcunt, » mens illuſtretur. Ieſu etiam Chriſti, qui Pontio Pilato » Prætore in crucem ſublatus eſt: & Spiritus ſancti, qui ea » quæ ad Chriſtum pertinent omnia, per Prophetas præ- » dixit, nomine is qui illuminatur, expiari ſolet. »

Hoc quidem teſtimonium de compoſito, vti diximus, ſubobſcurum, maximam ſanè lucem ex Diuo Cypriano clariſſimo Scriptore accipiat, qui apud Donatum ſuum Chriſtiana iam religione initiatum, multò agit liberiùs, & loquitur expreſſiùs. *D. Cyprianus locum Iuſtini obſcurum illuſtrat.* Poſtquàm vndæ genitalis auxilio, inquit Epiſtola 2. lib. 2. ſuperioris æui labe de- » terſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen in- » fudit, poſtquàm cælitùs Spiritu hauſto in nouum me ho » minem natiuitas ſecunda reparauit, mirum in modum » protinùs confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tene- » broſa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur: » geri poſſe, quod impoſſibile putabatur: vt eſſet agnoſce- » re terrenum fuiſſe, quod priùs carnaliter natum, deli- » ctis obnoxium vixiſſet: Dei eſſe cœpiſſe, quod Spiritus » ſanctus animaret. Scis ipſe profectò, & mecum pariter » recognoſcis, quid detraxerit nobis, quidue contulerit » mors iſta criminum, vita virtutum. Et ſtatim pòſt: Sit » tantùm timor in nobis innocentiæ cuſtos, vt quod in » mentes noſtras indulgentiæ cæleſtis allapſu clementer » Dominus influxit, in animi oblectantis hoſpitio iuſta » operatione teneatur. Deinde cæleſtis gratiæ per Baptiſ- » mum acceptæ immenſitatem commendans: Manat iu- » giter, inquit, exuberat affluenter, noſtrum tantùm ſitiat » pectus & pateat. Quantum illuc fidei capaces afferi- » mus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus. Inde » iam facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, virtute ſyncera, voce pura in medulla adoleſcentium poſſe venenorum virus extinguere, animorum deſipientium labes ſanitate purgare, & quæ ſequuntur. Et ſtatim: Ita quod eſſe iam cœpimus, acceptus Spiritus licentia ſua potitur, ſed quòd necdum corpus ac membra mutauimus, adhuc carnalis aſpectus ſeculi nube cæcatur. Quantus hîc animi potentatus eſt, quanta vis eſt, non tantùm ipſum eſſe ſubtractum pernicioſis contactibus

" mūdi, vt quis expiatus, & purus, nulla incursantis inimi-
" ci labe capiatur, sed adhuc maiorem & fortiorē viribus
" fieri, vt in omnem aduersarij grassantis exercitum im-
" perioso iure dominetur. Et epistolā conclusurus: Iam ti-
" bi, inquit, auro distincta laquearia & pretiosi marmoris
" crustis vestita domicilia sordebunt, cùm scieris te exco-
" lendum magis, te potiùs ornandum, domum tibi hanc
" esse potiorem, quàm Dominus insedit templi vice, in
" qua Spiritus sanctus cœpit habitare. An vllus Demo-
" sthenes grandiori sententiarum grauitate, aut Cicero
" quispiam vberiori verborū perspicuitate Christianum

Diui Reticij Augustodunen. Episcopi sententia de Bapt. effectu. Vide D. Reticij fragmētū apud D. Augustinum cont. Iulia.

Baptismum vnquàm descripsisset? Quòd si cui indulgē-
tiæ illius cælestis allapsus, quem Dominus, inquiebat,
influxit, videatur obscurior, is huius declarationem à
Diuo Reticio Augustoduno magnæ, ait Augustinus cō-
tra Iulianū lib. 1. ca. 2. in Ecclesia authoritatis accipiat,
qui de Baptismo loquens, hanc esse principalem, ait, in
Ecclesia indulgentiam, neminem præterit, in qua anti-
qui criminis omne pondus exponimus, & ignorātię no-
stræ facinora prisca diluimus, vbi & veterem hominem
cum ingenitis sceleribus exuimus. Quo autē pacto vete
" rem exuti hominem, nouum in Baptismo induamus,

D. Basilius.

Magnus ille Basilius clarissimè explanat: Si quis medi-
" cus, inquiens Homil. ad S. Bapt. exhor. promitteret tibi,
" se artibus quibusdam, ac industria, iuuenem te ex sene fa-
" cturum esse, non desiderares illam videre diem, in qua
" teipsum ad ætatis vigorem reuertentem visurus esses?
" At nunc cùm Baptisma promittat tibi τὴν ψυχήν σου ἀνα-
" θηλήσειν animam tuam noui stolonis instar repullulatu-
" ram, quam tu vetustate confecisti, atque delictis rugo-
" sam, maculosam, sordidatámque reddidisti, contemnis
" benefactorem, neque accurris ad promissionem? Deside-
" rásne promissionis miraculum cernere, quo pacto sine
" matre regeneretur homo? Quo pacto vetustate perdi-
" tus, atque fraudulentis cupiditatibus corruptus, iteratò
" succulentus viget, repuberascit, & ad verum iuuentæ flo-

Baptismus peccati mors.

rem reuertitur? Baptisma captiuis est redemptio, debito-
rum atque reatuum venia, peccati mors, animæ regene-
ratio, indumentum lucidum, sigillum quod nullis insi-

diis aboleatur, cæleste vehiculum, regni conciliator, ad- »
optionis donatio. Et in Psalm. 28. Baptismatis gratiam, »
inquit, diluuium nominat, vt anima à peccatis abluta, & »
& à veteri homine purgata, apta sit de cæterò ad habita- »
culum Dei in Spiritu. Et paulò pòst: Non appropin- »
quant peccata ad eum, qui accepit Baptisma remissio- »
nis delictorum per aquam & Spiritum. Quòd si quis »
prolixiorem encomiorum Baptismi catalogum requi- »
rat. Nazianzenum illum meritò optimum Theologum *D. Gregorius Theologus.*
dictum consulat, Homil. in sacrum Baptis. qui licèt sui
apud Latinos, quod ait Diuus Hieronymus contra Ruf-
finum, sit impar, paucula tamen ex vberrimo encomio- *Vid. Apol. D. Hieron.*
rum prato decerpemus.

Ipsa quidem Baptismatis gratia atque vis non mun- »
di, vt olim, cataclysmum siue inũdationem, sed vniuscu- »
iusq; criminis habet purgationem, καὶ παντελῆ ῥύψιν τῶν »
ἀπὸ κακίας ἐπισελθόντων συγχωσμάτων ἢ μολυσμάτων, atq; in- »
tegram & omninò perfectam cõtagiorum, inquinatio- »
númque ab improbitate contractarum eiectionem. Si- »
quidem cùm duplices simus, ex anima, inquam, & cor- »
pore conflati, & hoc quidem visibilis, illa verò inuisibi- »
lis sit naturæ, duplex etiam est purgatio, per aquam, di- »
co, & Spiritum: illa quidem visibiliter atq; corporaliter »
suscepta, hoc verò incorporaliter atque inuisibiliter cõ- »
currente. Illa quidem Typica est, atque alterius cuius- »
dam rei imago: hic autem verus, qui & ipsos intimos a- »
nimæ recessus expurgat: & cùm primæ illius generatio- »
nis sit præsidium, nouos pro vetustis, ac Deiformes (vt »
ita cum Diuo Cypriano loquamur) Deíque similes pro »
iis, qui nunc sumus, siue mortalibus & miseris, efficit, si- »
ne igne conflans, citráque confractionem irradians. Si »
enim breuiter dicendum est, Baptismatis vis alterius vi- »
tæ & purioris conuersationis fœdus est censenda. Et »
post medium vbi varias depulisset remoras, quibus Ba- »
ptizandi impediti cunctabantur, γενέσθω σοὶ τὸ λουτρὸν μὴ »
τοῦ σώματος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰκόνος. μὴ τῶν ἁμαρτημάτων »
ἔκπλυσις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ τρόπου διόρθωσις. μὴ τὸν προλα- »
βόντα βόρβορον ἀποκλυζέτω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πηγὴν καθαιρέ- »
τω. μὴ τὸ καλῶς κτᾶσθαι τυπέτω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ καλῶς ἀπο- »

« κτᾶσθαι: Baptismus tibi fiat, inquit, lauacrum, non cor-
« poris solùm, verum ipsius etiam imaginis, siue animæ.
« Non solùm delicta eluat, verùm mores etiam corrigat.
« Non contractum modò fœditatis cœnum emundet, ve-
« rùm fontem etiam ipsum expurget. Non bonam solùm
« iustámque formet rerum possessionem, sed bonam e-
« tiam iustámque expensionem, aut quod est facillimum,
« malè possessorum reiectionem. Deinde admirabilem
« texens effectorum Baptismi Catalogum, quòd anima
« peccatis degrauata, erigatur: quòd arida, reuirescit:
« quòd peccatis mortua, fiat cum Lazaro rediuiua: quòd
« leprâ defœdata, sit repurgata, adiecit, exiuit à te, in-
« quiens, immundus ac materialis Spiritus Baptismate
« pulsus, non fert persecutionem, non sustinet sine domo
« & lare agere. Oberrat per loca inaquosa, diuinæque ir-
« rigationis arida, illic perlibenter cupit inhabitare, va-
« gatúrque requiem quærens, nec inuenit. In baptizatas
« incidit animas, quarum iniquitatem eluit lauacrum.
« Aquam metuit, suffocatur eius purgatione haud secùs
« atque illa legio mari.

Anima peccatis mortua Baptismo reuiuiscit.

Vnum nobis superest Chrysostomi testimoniũ, quod in præsentiarum non duximus silentio prætereundum. Id enim prȩter quàm quòd iam recitatorum ferè habeat Epilogum, nouellum etiam aduersariorũ dogma ex professo oppugnat. In Homiliá, quam de Babtizatis habuit. vti D. Augustinus 1. aduersus Iulianum cap. 2. recitat:

Chrysost. decem numerat Baptismi dignitates siue effecta.

« Vides, quot sunt, inquit, Baptismatis largitates, & non-
« nulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm
« remissione consistere: Nos autem honores computaui-
« mus decẽ: hac de causa etiã infantes baptizamus, quàm-
« uis peccata nõ habentes, vt eiȩ detur, vel addatur sancti-
« tas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt e-
« ius mẽbra sint. Dixerat enim superiùs: Non enim bapti-
« zati tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti,
« sed & iusti: non solùm iusti, sed & filij: non solùm filij,
« sed & hæredes: nõ solùm hæredes, sed & fratres Christi:
« nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes: non solùm
« cohæredes, sed & membra: non tantùm membra, sed &
« templum: non tantùm templum, sed & organa Spiritus.

Videant hic Euangelici suæ opinionis auos damnatos, ante annos 1500.

Caput XXI.


ÆC igitur omnia cùm efficiat Baptiſmus, vti iam ex apertiſſimis ſacrarum literarum verbis, quàm ex clariſſimo celeberrimorum veterum Scriptorum conſenſu eſt demonſtratum, quis hîc non videat perſpicuè atque cernat, Catholicos, qui veram docent hominis interioris per Baptiſma fieri innouationem, non vt aduerſarij imaginariam atque vmbratilem: ſolidam peccatorum contingere remiſſionem, non vt illi imputatiuam: puram animæ expurgationem, verámque iuſtitiæ donari communionem, non vt illi verè ſordidatam, ſed iuſtitia tantùm velatam aut obtectam: quis, inquam, non perſpicuum cernat, multò illuſtriùs Chriſti Saluatoris gloriam prædicare Catholicos, quàm nouos iſtos, quos ſe ipſi dicere malunt, quàm eſſe, Euangelicos? Qui quadam inopiæ & paupertatis Chriſti hallucinatione, neſcio qua, capti, aut exhauriendæ donorum Dei Optimi Maximi, gazæ formidine ducti, nos veram peccatorum conſequi remiſſionem negant, ita vt non ſint ampliùs: veram etiam nos aſſequi innouationem, ita vt anima ſqualeſcente ſua priſtinorum peccatorum vetuſtate ſit liberata: veram denique nanciſci iuſtitiam, ita vt verè, & animo iuſtitia inhærente: ſimus apud Deum Optimum iuſti: ſed imputatiua tantùm, accommodatitia tantùm, tectoria tantùm. Iſtud dogma Chriſtianæ Eccleſiæ hactenus ignotum, dilucidè ſatis, Lector humaniſſime, vti confidimus, eſt demonſtratum, cum Apoſtolica illa ſimúlque Catholica ex diametro pugnare doctrina. Si namque Baptizatis iuſtitia tantùm imputatiua (quod iſti volunt) contingit, cur Diuus Paulus pronunciat, † Sed hæc fuiſtis? Et rurſum: †Nihil damnationis iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant? Si tantùm accommodatitia, non item animo inhærens, quomodo Paulus: Nos non huius ſeculi Spiritum, ſed qui ex Deo eſt †, accepimus? Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timorē, ſed Spiritum adoptionis filiorum

Catholicos Chriſti in baptiſmo gratiã illuſtriùs prædicare quàm aduerſarios.

Catholici Chriſtũ prædicant in baptizatos opulenter liberalem, aduerſarij tenuiter mutuantem: illi communicantem, hi obuelantem.

Iuſtitiam in Baptiſmo donatam nõ eſſe tãtùm imputatiuã, ſed inhærentem.

†1.Cor.6.
†Rom.8.
Tit.3.

Dei,in quo clamamus Abba pater? Et, quòd nos Deus ſaluat per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti,quem effudit in nos abundè? Si tectoria tãtùm, ita vt intimas cordium fibras non attingat expurgandas & expiandas, quomodo Paulus recens Baptizatis ait: Neſcitis,quia templum Dei eſtis,& Spiritus Dei habitat in vobis? Proinde hinc meridiano Sole liqueat manifeſtiùs,quàm ſit impium, quàm ſacrilegum, quàm blaſphemum,paruulos recens baptizatos,ait Bucerus in Reformatione Bonnenſi, eſſe venenatos & maculatos: Rurſum per Baptiſmum nos non ſolui, neque eximi, vt habet Caluin inſtit.17.ab originali peccato,neque à corruptione, quæ ab Adam in vniuerſam poſteritatem propagata eſt, neque in eandem iuſtitiam naturæque puritatem reſtitui, quam obtinuiſſet Adam,ſi in ea, qua primùm creatus fuerat,integritate ſteriſſet. An nõ iſtud ſit Chriſti Ieſu ſanguinem,quo abluũtur Baptizati, pollutum ducere?atque adeò filium Dei conculcare? Quænam enim ſanguinis Chriſti eſt virtus, ſi peccata verè non delet? ſi delictorum ſordes non emundat? Si denique ſerpentinum illud venenum,quo vniuerſum hominum genus afflauit quidẽ diabolus, infecit verò Adam, Chriſtus non eluat,non deleat,non ſanet?Ad hæc, ſi Baptizatos iam ſuo corpori,vt oliuę oleaſter inſitos,Chriſtus nec ab auiti illius contagij macula emundat, nec à venenata afflatus illius ſerpentini virulentia curat,atque ſanat: Quánam obſecrò ratione Chriſto animarum noſtrarum medico ſingulari,& eidem Saluatori,ſua in humanum genus conſtabunt officia?Cùm enim Adam noſtri generis perditor, Chriſti noſtri generis inſtauratoris & Seruatoris fuerit Typus atq; forma,quî citra atrociſſimam Chriſti iniuriam dicas Adamum nos peccato maculaſſe,Chriſtum ſuo dono nõ emaculare? Adamum ſuo delicto noſtram ſalutem profligaſſe, Chriſtum ſuo dono eandem nõ inſtaurare? Adamum denique nephario inobediẽtiæ rebellis ſcelere, ſuam in vniuerſum poſteritatem iuſtitia ſpoliaſſe, Chriſtum præclaro altiſſimæ ſuæ humilitatis & deuotiſſimæ obedientiæ promerito ſuos fratres ſibi obedientes non iuſtificare? Quæ ſi

1. Cor. 6.

Aduerſariorũ in Chriſti gratiam impietas atque ſacrilegium.

Heb. 10.

Rom. 11.

Chriſtũ aduerſarij faciunt, nõ ſaluatorem.

Rom. 5.

Chriſtus Adami Antitypõ, ita nos ſaluat vti ille perdidit.

ſtum Euangelicorum in modũ ſeſe habent, falsò Chriſtus à Paulo prædicatur Adami typus: falsò Chriſti donum Paulus prædicat multò magis in plures abundare, quàm Adæ delictum: falsò itidem Paulus aſſerit multò magis homines abundantiam gratiæ & donationis iuſtitiæ accipiẽtes, in vita regnare per vnum Ieſum Chriſtum, quàm vnius delicto mortem regnare per vnum Adamum. Nempe ſi Adam fuit Chriſti Typus, oportuit hunc iuxta Pauli doctrinam, quæ hanc habet antitheſin, verè auferre delicta, ſicut ille verè attulit: hunc reddere vitam, ſicut ille abſtulit: hunc delere mortem, ſicut ille inuexit: hunc veram donare iuſtitiam, ſicut ille vera ſua iniuſtitia nos miſerè dotauit: hunc denique abundantiam gratiæ & donationis iuſtitiæ ac vitæ æternæ ſuis fratribus verè impartiri, ſicut ille omnibus delictũ, iniuſtitiam atque mortem verè communicauit. Quemadmodum igitur Chriſtus indubiè mortem iuſtis verè delet, ita mortis cauſam quoque peccatum verè delet: & ſicuti vitam iuſtis verè reddit, ita iuſtitiam quoque vitæ cauſam verè reddit. Non enim minùs eſt abſurdum, iuſtos donata à Chriſto iuſtitia non eſſe verè iuſtos, quàm ſi Chriſti dono iam immortales dixeris eſſe nihilominùs mortales: cùm tam iuſtitia quàm vita, nobis per Chriſtum potiamur pariter reddita.

Rom. 5.
Rom 8.
Chriſti ad Adamum antitheſis.

Chriſtus vt mortem verè delet, ita eius cauſam peccatũ verè delet, & iuſtitiã vitæ cauſam verè reddit.

Caput XXII.



Ex illa inſuper Chriſti cum Adamo ſiue antitheſi, ſiue homœoſi perſpicuum elucet, quantoperè à veritate abhorreat, Baptizatos Chriſto iam inſitos, & in viua eius corporis mẽbra coaptatos, purgationis, mundiciei, iuſtitiæ ac vitæ re ipſa atque intrinſecùs non eſſe participes, cùm in confeſſo ſit, Adami filios verè eſſe immundos, verè peccati reos, verè iniuſtitia vitiatos, verè ſempiternis æternæ mortis cruciatibus obnoxios. Sicuti enim, ait D. Paulus, per vnius delictum in omnes homines in cõdemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ: ſicuti per inobedientiam vnius ho-

Chriſtum in ſuis peccata verè abolere, ita vt nõ ſint ampliùs.

Rom 5.

minis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Quapropter nec perniciosa veneni illius serpentini virulentia in eis hærere potest diutiùs, quos Christus salutari suo antidoto potatos, mortísque interitu ereptos, à perniciéque vindicatos, atq; ab omni mortalitatis labe instauratos, nouo suo Spiritu cælitus hausto, abundéque effuso donat, ornat, animat. Serpenti enim isti antiquo, qui diabolus est & Sathanas, vt ait D. Ioannes Euāgelista, Deus Opt. miserrimam nostram calamitatem miseratus, iam inde ab ipso vsque, ita dixerim, nostri interitus ouo comminabatur per mulieris semen siue sobolem, caput olim contusum iri: הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ: Ipse, inquiens, conteret tibi caput. Hanc autem Dei Opt. promissionē ad mulieris semen propriè pertinere, Moyses indubiis Hebraicæ Dialecti indiciis expressit הוּא, quod non nisi ad masculos, sicuti & verbum יְשׁוּפְךָ referri potest.

Tit. 3. *Apoc. 20.* *Gene. 3.* *Christus peccatum diaboli afflatu nobis adhærescens aboleuit, cōterēdo caput serpentis illius antiqui.*

Ipsum itaque mulieris semen siue seductæ illius misellæ Euæ quispiam nepotulus dolosi serpentis caput, quod tam consilij fraudulenti, quàm afflatus venenosi habuit officinam, tandem aliquando contereret, profligaret, atque in nihilum, puluisculi modo, redigeret. Istud porrò caput donec serpenti antiquo fuit integrum atque inuiolatū, suum quoque stetit illi imperium atque regnū, nimis quàm Tyrannicum, in homines miserrima peccati mancipia acceptum. Verùm vbi illud semen mulieris suo dominatui non obnoxium, quia peccati expers, in suam dominationis potestatem (quæ in iure mortem infligendi omnibus omninò hominibus ex Adam carnaliter prognatis erat sita) redigere attētauit, iure optimo pristinam dominationem in vniuersum hominum genus acceptam, de immoderata vsurpatione mulctatus amisit. Quia enim pueri communicauerūt carni & sanguini: & Christus ipse, vt Paulus docet, similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, siue regnum, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Quod autem ad hanc serpentini

Heb. 2.

capitis contritionem, siue vt Paulus interpretatur, abolitionem, dissolutionem atque euacuationem attinet, nihil in præsentiarũ magni refert, an eam vt rebus ipsis exhibitam fidei Theoria contemplemur, an vt olim Patriarchæ eadem quá nos fide imbuti, suo tandem loco exhibendam. Siquidem agnus ille, qui tollit peccatum mundi, ab initio occisus est, vt exhiberet sibi sponsam sui sanguinis vi mundatam, sine ruga & macula. Quare cùm Christus illud mulieris semen iuxta benignissimã Dei promissionem ita illud serpentinũ caput semel contriuerit, vt D. Paulus inter præcipua beneficiorũ Christi capita recensere non dubitarit, quòd mortem destruxit, atque aboleuit, & ipsum adeò, qui mortis tenebat imperium, diabolum dico, suo dominatu exuerit, atque euacuarit, quis profligata adeò, audacia dicam an impietate fuerit sacrilega, qui diabolo aliquã pristini dominatus portiunculam in illos ascribat, aut defendat, quos Christus Dei omnipotentis filius sua morte à diaboli tyrannide vindicauit? à peccati seruitute asseruit? suo sanguine quasi agni immaculati redemit, abluit, ac emundauit? Inter tam cumulata Christi in Baptizatos beneficia, quibus & ex diaboli potestate semel eruit, & veros Dei filios constituit: Quó nam obsecro tam latebroso atque abdito ista serpentini afflatus lateat virulentia sinu, vt illac saluberrima confecti hominibus omninò omnibus ex Christi Dei hominis sanguine, antidoti vis nõ pertingat? Cùm enim sanguis Christi emũdet conscientiam adeò nostram ab operibus mortuis, Hebr.9. hoc est, vt Ioannes explicatiùs docet, ab omni peccato, 1.Ioan.1. quís nam sine impietatis in Christum blasphemæ nota, Christi sanguine mundatos asserat, aut maculatos, aut venenatos? Si ille æneus in deserto, in mãsione Selmona siue imaguncula, à Moyse in Christi Typum erectus serpens, Iudæos à venenatis serpentũ atque regulorum morsibus planè liberauit, curauit, sanauit, quid de Christo huius ænei serpentis antitypo aliud sentiendum, quàm tantò dira isthæc antiqui illius serpentis venena in Christianorũ cordibus Christi gratia atque pharmaco sanati pleniùs, euelli magis stirpi-

Heb.2. *Apoc.13.* *Ioan.1.* *Ephes.5.* *2.Tim.1.* *Heb.2.* *Ephes.1.* *Ioan.1.*

Sãguis Christi emundat nostras animas ab omni peccato.

Num.20.

Ioan.3. *Serpens ille æneus sui aspectu sanabat à veneno.*

tùs, mundari puriùs, quantò vmbra præstat corpus, atque serpente æneo efficacior est Christus? Quòd igitur serpens æneus Christi Typus procul dubiò corporibus exhibuit, vt non solùm à veneno nihil caperent noxæ, sed sanarentur etiam, atque pristinæ incolumitati restituerentur, quî citra atrocem Christi, qui sese illum Typum testatur expleturum, contumeliam inficias iueris Christianos ab illo teterrimo serpentini morsus, atque Sathanici afflatus veneno omninò non curari Christi pharmaco, sed tantùm ablui, aut vt multum dicatis, velari? non pristinæ sanos incolumitati restitui, sed tantùm tegi? non ab illo penitùs emundari, sed eo tantùm velato atque contecto, non reos aut iniustos haberi?

1.Ioan.3. *Christus venit soluturus opera diaboli.*

Vitium quidem istud inseminatum est, vt Diuus Augustinus ait 2.de Nupt. & Concup.cap.33. pestifera diaboli persuasione: Verùm cùm Christus Dei filius ad hoc apparuit, vt dissoluat opera diaboli, 1.Ioannis 3.cap. an istum vitiorum fontem, & operum diaboli planè omnium caput possit non delere, tollere, soluere, abolere, si suas ipsi instauratæ salutis humanæ partes velimus constare saluat? Quapropter vt ne in Christum Dei filium verissimum animarum nostrarum perditarum instauratorem, Seruatorem, Saluatorem, adeò sacrilegè simus impij, & impiè sacrilegi, prorsus agnoscendum est, atque profitendum, Christum diaboli opera verè soluere, prorsus delere, atque omnia omninò semel abolere: ne frustrà ad hoc apparuisse, ac vanè homo factus fuisse conuincatur. Delet ergo peccatum pestifera serpentis illius persuasione inseminatum, animam peccati sordibus contaminatam emundat, virulentiam illam omnem nõ modò facit innoxiam, sed expellit etiam, sed curat, sed sanat: alioqui sanè diabolum Christo efficias impiè fortiorem: alioqui diaboli noxã dicas sacrilegè Christi dono efficaciorem: alioqui diaboli virulentiã asseras blasphemè salutari Christi gratia validiorem.

Christus verè soluit opera diaboli.

Proinde saluamur à serpentis plaga per Christum haud certè secùs, atque olim Iudæi Christianorum Typi, qui vel in serpentem illum æneum aspicientes sanabantur, siue vt Septuaginta, viuebant, siue vt Hebræi, incolumes

Num.20.

colomes reddebantur. Hunc in modum antiquissimus Apostolicæ fidei propugnator & idem acerrimus D. Irenæus, Christianos à læthali illo diaboli veneno per salutarem Christi gratiam sanari, docuit: Non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, inquiens teste August. 1. aduersus Iulianum cap. 20. nisi credant in eum, qui secundum similitudinẽ carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos.

Baptizatos prorsus sanari, à morsu serpentis antiqui eiúsq; veneno.

Caput XXIII.



Vm igitur Baptizati, ab illo læthali, exitiali, atque pernitioso serpentis antiqui veneno per salutare Christi pharmacum liberentur, sanentur, atque adeo viuificẽtur, neminem sanæ quidem mentis compotem porrò lateat, quanta sit cum impietate coniunctum, quòd Caluinus negat, nos per Baptismum à peccato originali eximi atq; solui. Nascimur enim ad vnum omnes filij iræ, sed renascimur, non nascimur filij Dei: nec statim ac nati sumus Christianorũ filij, à Domino in fœderis hæreditatem excipimur, vt idem ait, sed per Baptisma demùm eius corpori inserimur, in hæreditatis fœdus excipimur, in filios denique adoptamur. Quemadmodum variis in locis docet Diuus Augustinus, ex quo potissimùm paucula huc adferenda duximus, ad labefactandam istam Caluini doctrinam, quòd illum optimum, vti ait, ex tota antiquitate, & fidelissimum testem à sese laudatum nequeat reprobare. Augustinus itaque de carnis concupiscentia disputans, quæ in omnes ex antiquo peccato peruagata sæuit: Propter hanc, inquit lib. 1. de Nupt. & Concupis. cap. 18. fit, vt etiam de iustis & legitimis nuptiis filiorũ Dei, non filij Dei, sed filij seculi generẽtur: qui & ij qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant, quòd filij Dei sunt, sed ex hoc quòd adhuc filij seculi. Dominica quippe sententia est, Filij seculi huius generant & generantur. Et capite sequenti, Ex hac igitur cõcupiscẽtia carnis, quod nascitur vtique mundo, nõ Deo

Caluinus negat nos Baptismo eximi, aut solui peccato originali.

Ex D. Augustini doctrina nos verè per Baptismũ à peccato originali liberari.

" nascitur: Deo autem nascitur, cùm ex aqua & Spiritu " sancto renascitur: huius concupiscentiæ reatum regene- " ratio SOLA dimittit, quem generatio trahit, ergo quod " generatum est, regeneretur: quia non potest effici ali- " ter, vt id quod tractum est, remittatur: Rursum cap. 23. " Hæc concupiscentia, hæc lex peccati habitans in mem- " bris, cui lex iustitiæ vetat obedire: Hæc, inquam, con- " cupiscentia, quæ SOLO regenerationis Sacramento " expiatur, profectò peccati vinculum generatione traii- " cit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione sol- " uantur.

Hîc iam nunc tuum Lector cãdide appello arbitriũ, ân non à veritate sit longè alienissimum, quod aduersus manifestissimam Catholicæ Christianę Ecclesiæ doctrinam pronũciat Caluinus: Iam perspicuum est, inquiens cap. 17. instit. quàm falsum sit, quod docuerunt nos nõnulli per Baptismum solui & eximi ab originali peccato, & à corruptione, quæ ab Adam in vniuersam posteritatem propagata est. Tale enim doctorum genus nunquàm, quid peccatum originale, quid iustitia originalis, quæ gratia Baptismi esset, assecutum est. Quid ita ô bone? ân te virum constantem, grauémque scriptorum veterum censorem, ita repentè tuæ vocis pœniteat, qua D. Augustinum optimum ex tota antiquitate & fidelissimum testem celebrabas? pátere nũc saltem equus Caluine tui testis fidelissimi cõtra te ipse testimonium quo vno fretus haud infrequenter victoriam ante triumphum canis. Sola regeneratione remittitur, vt ille testatur, concupiscentiæ reatus, quem traxit generatio. Et iterum: Non potest aliter effici, vt id quod tractum est, remittatur, nisi quod generatum est, regeneretur. Rursum: Hæc concupiscentia solo regenerationis Sacramẽto expiatur. Quid istis testimoniis tui testis, vt aiebas, fidelissimi, tuo præiudicio irrefragabilibus aduersum te adferatur apertius, certius, aut manifestius, quò veritatis vt perspicuum agnitæ, ita frauduletèr dissimulatæ conuincaris? Perinde enim, atque si obscuriorum quidam Scriptorum hoc Catholicæ Ecclesiæ dogma inuexerint, loqueris, quod tamen paulò antè non vnius

Caluinus ante victoriã triumphum canit.

Augustini testimonio, sed concordi Scriptorum veterũ cõsensu, atque clarissimis adeò Apostolorum verbis cõfirmauimus. An igitur tale Doctorum genus, quemadmodum tu pro singulari ista modestia censes, nunquàm quid peccatum originale, quid iustitia originalis, quæ gratia Baptismi esset, assecutum sit, nécne, penes æquos bonos rerum istarum arbitros censura esto.

Nos omissa in præsentiarũ de originali iustitia quæstione, qualís nam Adæ contigisset, déque naturæ puritate, si stetisset, sategisse instituto arbitramur, quòd Christianos per Baptisma verè regenerari, nouóq; Spiritu cælitùs hausto animari demonstrauerimus, atque Dei dono ita verè iustitiam à Christo, vt verè iniustitiã ab Adamo accipientes, renouari lauacro aquæ in verbo vitæ per Spiritum sanctum abundè effusum. *Ioan. 3. 1. Cor. 3. Rom. 5. Ephes. 5. Tit. 3.*

Caput XXIIII.



Cõcupiscẽtia in Baptizatis nõ est peccatũ veri nominis: quia reatus remissus est, et ita ablatus, vt non sit.

CÆterùm anteà locũ hũc de Baptismo quàm concludamus, haud sanè quæstio illa de Baptizatorum concupiscentia silentio est prætermittenda, án ea nimirùm post Baptisma veram peccati rationem obtineat, veríque nominis peccatum reatu ac culpa permaneat?

Paulò antè Solis luce clariùs ex manifestissimis Apostolorum sententiis, & Orthodoxorum Scriptorum testimoniis commonstratum est, omnia in vniuersum peccata atque delicta in Baptismo vi sanguinis Christi in veram remissionem peccatorum effusi, lauari, deleri, mundari. Quæ igitur si in memoriam reuocentur, nulli non liquere potest, nihil prorsus in Baptizatis permanere, quod veram, aut peccati, aut reatus, aut culpæ rationem obtineat. Siquidem Baptizati lauacro aquæ & verbo vitæ mundantur, regenerantur, atque per Spiritũ sanctũ in ipsos abundè effusum renouantur. Hæc si vera sunt, vt nõ esse lõgè verissima nõ possunt, quid ea nostri aduersarij, cæcis ingenij humani commentis in alium atque Apostoli ipsi sensere, frustrà connituntur detorquere sensum? Vt hæc nimirùm, non, quòd auribus *Ioan. 13. Ephes. 5. Tit. 3.*

ſonant, veram atque proprij nominis ſignificent emundationem, regenerationem atque renouationẽ : ſed imputatoriam atque diſſimulatoriam, hoc eſt, nugatoriam & verè cõmentitiam. Præterquàm enim quòd Apoſtoli ipſi ſimpliciſſimis, & eiſdem apertiſſimis ſuam hac de re ſententiam perquàm liquidò ſunt verbis conteſtati, eãdem quoque aliis verborum formulis, quaſi arce robuſtiſſima ita obmunierunt, vt imbellibus atque futilibus humanæ ratiocinationis telis nullus eſſe queat locus reliquus. Si namque delira cœcutientis humanæ mẽtis ratio ſapientiſſimæ non quidem huius ſeculi, ſed quæ ex Deo eſt, Apoſtolorum doctrinæ de vera Baptizatorum ex Chriſti Spiritu regeneratione, de pura puta peccatorum emundatione, de diuina ſecundum Spiritum renouatione audeat impudenter obſtrepere, atque hoſtiliter obſiſtere, quòd relicta Baptizatis concupiſcentia non ſit verè expiata, neque à peccati reatu omninò emundata, ac planè abſoluta (quod ipſa renatos ad peccatum ſolicitet, quòd nõ impuros modò, ſed impios adeò motus aſſiduè concitet, ac proinde omnem Chriſtiani hominis vitam teterrimo ſcaturiẽtis perpetuò puris veneno fœdè cõtaminat, læthaliter inficit, atque exitialiter vaſtat) Hæc inquam, ſi delira humani ingenij ratio Apoſtolicæ doctrinæ obgannire impudenter audeat, Apoſtolũ Paulum audiat conſtanter reclamantem, Nihil nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant: aut ſi Græca malit, ὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα, Nulla igitur eſt condemnatio, &c. Si nihil damnationis eſt iis, qui in Chriſto Ieſu ſunt, hoc eſt, Baptizatis, ſi Theophilacto creditur, & ipſum orationis filum efflagitat, propter peccatum vtique (quod teſtatur Oecumenius) remiſſum atque deletum, fieri nequit, vt cum Paulinæ ſententiæ veritate concupiſcentia in Baptizatis veri propriíque nominis peccatum permaneat. Cùm enim concupiſcentia hæc ſecũdum aduerſarios ſit verè peccatum in Baptizatis, & quæ damnatione digna ſit, conſequitur aliquid damnationis in iis eſſe, qui in Chriſto Ieſu ſunt, quod ex diametro cum D. Paulo pugnat. Iam quòd hic locus cauillum illud aduerſariorum

Rom.8. Nihil damnationis, aut criminis in Baptizato eſt.

Rom.8.

tam ſordidum, q̃ vſu protritũ de Chriſti iuſtitia noſtras peccatorũ ſordes nõ emundante, ſed tegente: nõ expurgante, ſed obueláte: nequaquàm recipiat, ſicut nec alius vllus, diſertis verbis ipſe Paulus Hebræos ad Chriſtum conuerſos docet cap.9. Chriſti ſanguinem, inquiens, emundare ipſorum conſcientias ab operibus mortuis. Quæ ſentẽtia nos veram propriíque nominis ſordium animi, atque peccatorũ expurgationem per Chriſti ſanguinem fieri, cogit agnoſcere propter Paulinam antitheſin, qua Moſaïcam taurini aut hircini ſanguinis ſanctificationem, quæ carnem duntaxat purificabat, Euangelicæ animarũ à peccatis expurgationi per Chriſti ſanguinis aſperſionem liquidiùs opponit, quàm vt abnuere quiſquam poſſit. Quare qui veram peccatorũ per Chriſti ſanguinem fieri emundationem negat, ſed tantùm non imputatoriã aut tectoriam, viderit, quanta in Chriſti ſanguinem, quo ſanctificatus eſt, impietate ſeſe contaminet, quòd illum ab hircino & taurino nihil propè diſcriminet. Quòd ſi pertinacior quiſpiam etiamnùm hîc ſibi latibulum anticipatæ dudum opinionis videre ſibi videatur, quo ſeſe aduerſus perſpicuam adeò veritatem probè obtectum putet, is præfulgidam illius Boanerges, ſiue vt aliis placet, Banereẽn Ioan. Euang. vocem audiat deſuper tonantem, Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Quo Euangeliſtæ tonitruo, non tam horrido, quàm choruſco, qui nec ab animi Lethargo expergiſcens, ad veram Euangelij gratiam, id eſt, veram peccatorum remiſſionem audiendam: nec ab errorum tenebris emergens illuſtratur ad veram peccatorum ſuorum per ſanguinem Chriſti emundationem perſpiciendam, equidem ignoro, quid miſero iſti, qui ſibi pernitioſè veram peccatorum remiſſionem inuidet, ac ſalutarem animulæ ſuæ execratur emundationem, aliud ad ſanitatem recuperandam ſuperſit remedij: niſi fortè hellebori potio non Anticyris petiti, ſed ex Orthodoxorum narthecio deprompti, grauiſſima illum mentis leuet phreneſi. Agedùm, illud in remedium adhibeamus, vt quid nam habeat tam concors, quàm ſaluberrima Scriptorum veterum ſententia de relicta

Cor à peccatis emundat Chriſti ſanguis.

Hebr.5.

Marc.3.
1.Ioan.1.

Baptizatis concupiſcentia, intelligamus atque perdiſcamus, vtrùm eam verè eſſe peccatum cenſuerint, qua perpetuò laboremus miſeri, atque ſordeamus inquinati: án potiùs iſtis phreneticis vnà cum reliquis peccatis omnibus, atque animi vitiis pronuncient ſanatam, purgatam, remiſſam, deletam, abolitam, penitúſque ſublatam? Diuus Ambroſius ille ex Prætore Epiſcopus, qui, ſi Diuo Baſilio Magno fides habenda eſt, οὐ παρ' ἀνθρώπων παρέλαβε ἢ ἐδιδάχθη τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ non ab hominibus acceperat, aut edoctus erat Chriſti Euangeliū, & quem ipſe Chriſtus ἀπὸ κριτῶν τῆς γῆς ἐπὶ προεδρίαν τῶν ἀποστόλων μετέθηκεν, à terræ iudicibus in Apoſtolorum præſidentiam atque præeminentiam conſtituit, quíd nam ipſius ſeculo Apoſtolica obtinuerit Eccleſia, clariſſimis verbis libro de Iſaac & anima ſcriptum reliquit, teſte Auguſt. 2. cont. Iulian. vbi de quatuor vitiis, quatuor illis Cardinalibus, quas dicunt, virtutibus oppoſitis, diſputans non eſſe ſubſtantias, quod qui dicit, Manichæorum fauet vel hæret inſaniæ, ſed Catholicè, inquit, iſtos equos intelligimus vitia noſtra, quæ legi mentis ex lege peccati reſiſtunt: non à nobis hæc vitia ſeparata alicubi alibi erunt, ſed in nobis ſanata nuſquàm erunt. Veruntamen quare non in Baptiſmate perierunt? án nondum fateberis, quòd reatus eorum perierit, infirmitas manſerit? non reatus, quo ipſa rea fuerant, ſed quo nos reos fecerant in malis operibus, quò nos traxerant. Audin', quid iudex iſte in Apoſtolorum ſuffectus ab ipſo Chriſto, vt ſcribit Baſil. pręſidentiam, de concupiſcētia, cæteríſque vitiorum animi fontibus, iracundia, timore, & iniquitate pronūciet? reatum eorum, ait, periiſſe, quo nos reos fecerant, infirmitatem manſiſſe. Quæ doctrina adeò perſpicuè D. Ambroſio pro veriſſima atq; Euāgelio conſentanea fuit planè habita, vt fidei aduerſarium, quo cum illic belligeratur, indubitato iſto Catholicæ Eccleſiæ dogmate, quaſi telo certiſſimè læthali crediderit iugulatum: án nōdum fateberis, inquiens, quòd reatus eorū perierit, infirmitas manſerit? Verùm quia iſtius tempeſtatis hæretici Catholicæ doctrinę oppugnatores eius diſcipuli D. Auguſtini teſtimoniis abuſi, Catholicā

Ambr. lib. de Iſaac & anima ex D. Auguſt.

Baſil epiſtol. 56. ad Amb.

Vide D. Auguſt. cont. Iulian. cap. 2.

Vitia eſſe ſubſtantias ſomniāt Manichæi.

Reatus cōcupiſcentiæ periit, infirmitas manſit.

hac de re doctrinam sese expugnasse passim iactare non verentur, apertissimis eius sententiis isthæc aduersariorũ tam fallax quàm mendax gloriatio est retũdenda. D. Augustinus itaq; loco iamiam recitato sui in Christo magistri Ambrosij, quem non modò publicè frequẽter audierat, sed priuatim etiam de rebus grauissimis consuluerat adductam sententiam, ne aliter ac ille senserat, acciperetur, explicans, hunc in modum scribit: Nec in his æquis malis, inquiens, nominasse putandus est illam, quæ deletur in Baptismo. Illa námq; peccatorũ, quę fecimus, fuit, quæ cuncta remissa sunt, atq; omninò iam nõ sunt, quorũ reatus manebat, quando ipsa fiebant, atq; transibant. Istam verò legem peccati, cuius manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocauit iniquitatem, quia iniquum est, vt caro concupiscat aduersus Spiritum: quamuis adsit in nostra renouatione iustitia, qua iustum est, vt aduersus carnem concupiscat Spiritus, vt Spiritu ambulemus, & concupiscentias carnis non perficiamus. Quæ D. Augustini periocope in elaboratissimo, vt ipse vocat, aduersus Iulianum opere, quod sub mortem suam vltimum absoluit, teste D. Prospero, vt luculẽtam habet verborum Ambrosij explanationem, ita omnia quoque in vniuersum peccata sic affirmat remissa, vt non modò remissa sint, sed omninò iam non sint. Hinc liquet, quàm ex diametro cum Diuo Augustino pugnent aduersarij, qui remissa quidem concedunt, non ita vt non sint, sed vt permanentia non imputentur. Cæterùm ne quis hîc D. Augustinum distinxisse opinetur inter peccata, quæ ipsi fecimus, & quæ ex Adæ contagio contraximus, quasi illa verè sint remissa, & planè abolita, non item concupiscẽtia, is D. August. aliis in locis eiusdem elaboratissimi operis suam hâc de re censurã audeat pronunciãtem. Cùm enim Iulianus Aug. calumniaretur, quòd Baptizatos ex parte dixisset mundari, quódque Baptismi gratia non perfectè hominem nouum faceret: Non hoc dico, inquit lib. 6. cap. 5. attende, quod dico, gratia perfectè nouum hominem facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenámque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat

Concupiscentiam in Baptizatis non esse proprij nominis peccatum, ex D. Aug. doctrina, quē aduersarij improbè à se stare iactant.

Vide libros Conf. Augu.

Peccata omninò iam non sunt.

2. Reg. 11.

Manentis cõcupiscẽtiae est remissus reatus.

D. Prosper. in Chron.

Baptismus ab omnibus omninò peccatis liberat & innouat. hominem, quantùm attinet ad liberationem, ab omnibus omninò peccatis, non quãtùm ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animã. Et capite sequenti: Nos autem qui concupiscentiam malam dicimus, & manere tamen in Baptizatis, quamuis reatus eius, non quo ipsa erat rea, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerat remissus atque vacuatus. Et paulò pòst: Sic ergo & concupiscentia, quæ manet oppugnanda atque sananda, quàmuis in Baptismo dimissa sint, cuncta omninò peccata, non solùm non sanctificatur, sed potiùs ne sanctificatos æternæ morti obnoxios possit tenere, euacuatur. Porrò ne quid ad præsentem controuersiam ex Augustini sententia dirimendam desideretur, vnum atque alterum locum duximus attexendum, qui Solis luce clariùs quæstionem multò obscurissimam exponant atque dissoluant. Hæc concupiscentia, inquit lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 23. Hæc lex peccati, cui lex iustitiæ obedire vetat, quæ solo regenerationis sacramento expiatur, profectò peccati vinculum generatione traiicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione soluantur: nam ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque vt ea perpetret, à regina mente membra non dantur. Et clarissimè omnium capite sequenti: In iis ergo, qui regenerantur cum Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, vtiq; necesse est, vt reatus etiam huius, licèt adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit: sic illius concupiscentiæ quando remittitur reatus, aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Et cap. 26. eiusdem: Remittitur ergo concupiscentiæ manentis reatus, vt in peccatum non imputetur. Non quòd reatus manẽs non imputetur, sed aufertur, ita vt non maneat. Quòd ex cõtrario docet, manet reatus adulterii trãseunte actu

Concupiscẽtiæ reatus est remissus & euacuatus.

Concupiscentia ita à reatu euacuatur vt Baptizatos nonpossit reos damnationi tenere.

Concupiscentia iã non est peccatum in Baptizatis Augustino.

Concupiscẽtiæ reatus aufertur, ita vt Baptizatus non habeat peccatum.

ſi non remittatur, manet concupiſcentia dimiſſo reatu. Quibus obſecrò verbis, quid dicatur ad doctrinam Catholicæ Chriſti Eccleſiæ, aut explicandam apertiùs, aut confirmandam robuſtiùs? quid ad refellenda aduerſariorum noua commenta adferatur validiùs? Si omnia „ omninò peccata Baptizatis remittuntur, tolluntur, au- „ feruntur, ita vt iam non ſint, quónam in abdito concu- „ piſcentia latet ſinu, vt ea ſola cum reliquis omnibus non „ remittatur, non tollatur, & ita vt non ſit, non auferatur? „ Iam quod de permanente quidem manentis concupiſcẽ- „ tiæ reatu, ſed nõ imputato nugãtes obganniũt, quis iſtis D. Auguſtini verbis non videt exploſum? Reatus, inquit, concupiſcentiæ quando remittitur, aufertur: hoc enim eſt non habere peccatum, non eſſe reum peccati. Si reatus aufertur concupiſcentiæ permanentis, haud quidem ipſe permanet, ſed omninò tollitur, interit, atque perit: ſin permanet, atque ſimul cum ſua concupiſcentia commanet, nõ aufertur. Quod ab Auguſtini doctrina quàm bis, quod dicitur, per omnia diſſonet, nemini, qui recitata verba non modò numerarit, ſed iudicio etiam expenderit, agnoſcere non fuerit arduum. Siquidem illa permanentis peccatorum tranſeuntium reatus, non remiſſi comparatio cum ablato permanentis concupiſcẽtiæ reatu, ánnõ perſpicuè demõſtret, reatũ cõcupiſcẽtię permanentis non permanere in Baptizatis, ſed omninò profligari? ſed prorſus ita, vt nõ ſit deleri? ſed penitùs, ita vt intereat, aboleri? alioqui certè D. Auguſtino ſua antitheſis non conſtabit, nec oratio, quod voluit, nobis ſignificabit. Iam illis verbis eiuſdem Auguſtini ne fingi quidem, nedum dici, poteſt aliquid luculentiùs aut manifeſtius, non quòd reatus manens non imputetur, ait de Nupt. & Concupiſc. lib. 1. cap. 26. ſed aufertur, ita vt non maneat.

Reatum cõcupiſcentiæ permanentis prorſus tolli atque aboleri per Baptiſmum ita vt non maneat, neque ſit. Concupiſcentiæ reatus ita aufertur Baptiſmo, vt nõ maneat.

Sed quid poſt diſertiſſima teſtis ex omni antiquitate fideliſſimi teſtimonia aliorum itidem huc prolixiùs cõngeramus? Quia tamen id noſtri inſtituti ratio efflagitat, non poſſumus ſilentio prætermittere, quídnam de concupiſcentiæ permanentis reatu ſenſerint. D. Hieronymus itaque To. 2. epiſtola ad Oceanum: Omnia, inquit,

nobis in Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam iudicis metuenda seueritas, dicente Apostolo: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu " Christi, & in Spiritu Dei nostri. Omnia peccata donata " sunt benè & fideliter. Quomodo omnia benè & fideli- " ter in Baptismo sunt condonata, si concupiscentiæ peccatum non verè & fideliter condonatur, sed fallaciter nō imputatur? Non dico, inquias, non condonatam, sed permanentem, non imputatam. Si enim non imputatur, cōdonatur: quod & in forensibus causis vsu venit. Rogo, quæ est ista tergiuersatio, & acumen omni pistillo retusiùs? condonatur, non mundatur: tegitur, nō tollitur. Atqui nō iudicat Deus ille cardiognostes hominum more secundum faciem, sed veritatem: iustum iustificans, iniquum condemnans. Iam vt verum sit, quoniam verū est, odio sunt Deo impius & impietas eius, fieri nequit, vt concupiscentiæ impietas, reatus atq; culpa in Baptizatis iam iustificatis hæreat: alioqui enim Baptismo iustificatus, propter impietatem Deo cùm sit odio, erit certò dānandus. Sed post indulgentiam re vera, vt Diuus Hieronymus sentit, quia condonata est, non est metuenda iudicis seueritas. Huc queant similes aliorum quoque Scriptorum Orthodoxorum sententiæ adferri, quæ peccata in vniuersum omnia confirment Baptizatis prorsus deleta, ac penitùs esse abolita: sed cùm id ex superioribus, vbi de Baptismi vi agebatur, satis arbitremur comprobatū, nos hoc labore supersedentes, præsentem locum concludamus. Si igitur iuxta Apostolorum doctrinam Christi sanguis emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, vt Paulus docet, siue, vt Ioannes, ab omni peccato, quænam isthæc est Christi sanguinis (prô impietatem) infirmitas atque inefficacia, aut concupiscentiæ ineluibilis lues atque pertinacia (prô vesaniam) vt eam Christi Iesu sanguis non abluat? nō emūdet? non expurget? Si persistit concupiscentiæ reatus in Baptizatis, non præstat Christus, quod Spiritus sanctus eum promisit præstaturum: Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, canit Dauid egregius ille Psaltes Is-

Omnia peccata fideliter sunt condonata.

Reatum concupiscentiæ verè condonari, non solùm non imputari.

Non posse manere in iustificatis peccati reatum aut culpam.

Hebr. 9.

1. Ioan. 1.

Psal. 42.

raël, Dei Spiritu afflatus. Quomodo ex iniquitate redimit, qui iniquitatem Deo execrabilem non tollit? quomodo ex vsuris Dei iustitiæ obnoxiis redimit, qui eas persoluendo non soluit? Michæas prætereà de Baptismo Christiano vaticinatus, demerget iniquitates nostras, & proiiciet in profundũ maris omnia peccata nostra. Quomodo omnia peccata merguntur, si vna illa concupiscentia peccatorum grauissima supernatat? Ezechiel ille filius hominis ex Christi persona, Aspergam supervos, inquit, aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris. Quomodo aqua isthæc Baptismi munda censenda est, quæ immundã concupiscentiam non emũdat? Quomodo ab omnibus immunditiis mundamur: si ab vnius concupiscentiæ sordibus non emundamur: Dies me deficiet, si cuncta, quæ ad Baptismi potentiam, atque expurgãdi vim pertinent, de scripturis sanctis voluero digerere, & natiuitatis secũdæ, imò in Christo primæ laudes de Schola Rhetorum prædicare.

2. Retract. *Mich.2.* *Ezech.36.*

Caput XXV.



De ritibus Baptismi comitibus.

Æterùm ad alia nunc Sacramenta esset transeundum, ni ratio instituti huius reliquos Baptismatis ritus Baptizatis adhiberi solitos efflagitaret persequendos: quos cùm partim apud omnes retineat Ecclesia Catholica, veluti Baptizatorum vnctionem atq; Candidam: partim apud omnes non retineat, veluti lactis & mellis prægustatio, vt Tertulliani ætate: aut lactis, vt Hieronymi seculo: aut vini, vt nostris temporibus in Ecclesia patria Dordracensi: Partim nusquàm hodie retinetur, vti Baptizati communio, nisi quòd Frisia vel pueris Baptizatis sacram profert Eucharistiam altari imponendam, quod luculentum est prisci moris vestigium: de iis solùm restrictè superest dicendum, qui apud Catholicos vniuersè obseruati ab aduersariis subsannantur, atq; exibilantur. Quòd igitur Baptizatos sacro linit oleo Ecclesia, eósque candido vestit amiculo, quísnã sapientũ meritò reprehẽdat, qui secum reputet hosce ritus Baptismatis pedissequos,

nõ alia ex authoritate Baptizatis adhiberi ſolitos, quàm illi ritus Baptiſmatis anteambulones, Exorciſmus, Abrenunciatio, & ſacri fontis conſecratio? Hos enim ſuprà demonſtratum eſt ex Apoſtolorum doctrina Catholicã obſeruare Eccleſiã. Sicuti igitur iſtos maioris momenti ritus alij quidam, ceu corpus vmbra, ſequũtur, vt manus cereo armata, ſalis ſacri aſperſio, veſtiũ depoſitio: ita vnctionem Baptizatorum cãdidæ aſſumptio. Huius igitur vnctionis conſuetudo ſi Apoſtolos demonſtrari poſſit habere authores, neminem opinor offendet, quòd Baptizatos Eccleſia dimittit de fonte candidatos.

Vnctio Baptizati Apoſtolica.

Vnctionis huius vetuſtatem etſi Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcionem diſertè teſtetur: Illum, inquiens, nec aquam reprobraſſe Creatoris, quo ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos vngit: Dionyſius tamen Areopagita Apoſtolicam redolere inſtitutionem apertioribus verbis de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. docet: Baptizatum Sacerdotes, inquiẽs, ad Epiſcopum vbi adduxerint: *ὁ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει τῆς ἱεροτελεστικωτάτης τῆς εὐχαριστίας*: ille ſacro ſancto conſignat oleo, quod diuiniſſima operatur chariſmata, atque ſacroſanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem impartitur.

Verùm Diuus Baſilius hanc Baptizatorum vnctionẽ manifeſtiùs Apoſtolis acceptam refert, quàm vt aliquis, idoneam dignámque Baſilio illi magno qui habeat fidem, ambigere poſſit, aut addubitare. Inter alios enim ritus ſacros atq; myſticos ab Apoſtolis Catholicæ Chriſti Eccleſiæ indubitatò traditos, & hanc Baptizatorum vnctionem accenſuit: Benedicimus aquam Baptiſmatis, inquiens, *καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως* & oleum vnctionis, & ipſum Baptizatum ex quibús nam ſcriptis? Nónne à tacita & myſtica Traditione? *τί δέ, αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρίσιν, τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε;* Quid quæſo, ipſam olei vnctionem quæ nam Scriptura docuit? Iſtum quidem in modum de ſacra Baptizatorum vnctione D. Baſilij temporibus Græcanica quidem ſenſit Eccleſia, nempe ad myſticam Apoſtolorum Traditionem indubiè pertinere, ídque apud omnes in confeſſo fuiſſe: (nam alioqui

quæ nam Basilij magni argumentationis aduersus hæ-
reticos de simili Traditione retinenda pugnantis fuerit
vis?) An autem aliis eam putarit acceptam referendam,
Ecclesia Africana, cuius testimoniũ ex Tertulliano iam
nunc audiuimus, aut Occidentalis nemo, qui sanum sa-
piat, in dubium reuocare queat. Porrò Ecclesiæ Occidẽ-
talis morem vnus Ambrosius cùm abundè modestis in-
geniis reddat contestatum, eius vnius suffragio conten-
ti, alios in præsenti prætermittemus: Posthæc vtique a-
scendisti ad Sacerdotem, inquit, eos alloquens, qui my-
steriis initiantur, cap. 6. considera quid sequutum sit, »
nónne illud, quod ait Dauid: Sicut vnguentum in capi- »
te, quod descendit in Barbam Barbam Aaron? Et profu- »
siùs lib. 2. de Sacramentis. »

Verùm cùm ista Baptizatorum vnctio plurimùm ha-
beat cognationis cum ea, quæ manuum impositionem
habet coniunctam, siue Confirmatione, pauló pòst ac-
curatiùs erit de ipsa disputandum, vbi nostrum Baptiza-
tum, sacríque olei vnctione illitum, Candida illa ex mo-
re indutum, ad Confirmationem siue sacri Chrismatis
consignationem suscipiendam adducemus.

Baptizatus itaque Candidam induit, quæ suo cando- *Candida Baptizati & Neophyti.*
re illius puritatem, quam ex Baptismo est consequutus,
designat. Huius autem ritus antiquitatem ex Occiden-
talis Ecclesiæ Scriptoribus vnus D. Ambrosius satis cõ-
testetur, qui ex Mediolanensis Ecclesiæ more Baptizatũ
ita alloquitur: Accepisti, inquiens lib. 1. de his, qui my- »
steriis initiantur, post hæc vestimenta candida, vt esset »
indicium, quòd exueris inuolucrum peccatorum, indue- »
ris innocentiæ casta velamina. Cuius originem si quis
accuratiùs inuestiget, Apostolicũ resipere seculum, nul-
lo fuerit negotio agnoscere. Siquidem eius disertè me-
minit Dionysius Areopagita Ecclesiæ Atheniensis à D. *Vide Nicephorum.*
Paulo, si Dio. Alexand. creditur, creatus Episcopus, inter
reliquas Baptismatis cæremonias: Sacerdotes, inquiens, »
Baptizatum suo susceptori, suóque ad Baptismum adi- »
tus duci reddentes, vnà cum ipso περιβαλόντες ἐσθῆτα τῷ »
τελουμένῳ κατάλληλον, vestem illi congruentem induunt.
Cæterùm cuiús nam reconditioris rei Candida sit sym-

bolum, non est in præsentiarum explicatu opportunum: sicuti nec, vtrùm eam Baptizati Sabbatho mox consequente deposuerint, an Dominica potiùs, quæ etiamnum inde in Albis appellatur. Hîc enim dogmata tantùm fidei, veteréſque Sacramentorum ritus aduerſus hæreticorum nouationes confirmare nobis est studio: eorum verò significatus explicare aliquando instituimus, si Deus Optimus tempus sibi seruiendi indulserit prolixius, in Diario nostro Christiano: quod totius anni Christiani festorum, ieiuniorum, rituúmque sacrorum explicabit rationem.

Meditatur author Diarium Christianum.

Caput XXVI.



Vando quod ad Baptismum attinet sumus persecuti, quid de Confirmatione habeat doctrina Apostolica, simul & Catholica, oportere puto in medium esse producendum, quòd olim hæc illum ferè semper è vestigio cõsequi solebat. In ea igitur tractãda principiò varia eius vocabula, quibus apud veteres legitur appellata, proponemus explicanda: Deinde Confirmationem, siue Consignationem, aut si mauis manuum impositionem inter veri nominis Sacramenta in Catholica Christi Ecclesia, ab Apostolorum vsque temporibus semper fuisse habitam atque creditam, demonstrabimus. Denique vbi Chrismatis, quod in huius administratione adhibetur, antiquitatem fecerimus palàm, aduersariorúmque sannas, conuitia, lœdorias, in Catholicos hac de causa immeritò coniectas reiecerimus, saluberrima Confirmationis sacrosanctæ perstringemus effecta.

Cõfirmationem semper veri nominis habitam Sacramentum Euangeli.

Quod nunc temporis in Catholica Christi Ecclesia Confirmationis dicitur Sacramentum, ab exordio manuum vocabatur impositio. Consequentibus autem seculis Consignatio, vt est apud Innocentium primum: Et σφράγις, signum, atq; obsignatio, vt apud D. Cornelium Rom. Epistola ad Fabium Antioch. & apud D. August. Signum Christi, lib. 19. cont. Faustum, cap. 13. Cypria. signaculum Dominicum ad Iubai. & Chrismatis vnctio

Synonyma Confirmationis.

apud eũdem, lib.1.epist.12. & oleum sanctificatum apud August.lib.5.de Baptis.contra Donat.cap.20. & Sacramentum Chrismatis apud eundem lib. 2. contra literas Petiliani cap.104. Et Confirmatio denique, quo nomine nunc ferè solo vsitatissimè nũcupatur. Quæ licèt nomina varia sint atque diuersa, rem tamen prorsus eãdem notant, atque significant: sed tamen variis de causis, imò effectis, huic Sacramento varia placuit Maioribus indere nomina. Quemadmodum & in Baptismo ostendimus, eum & illuminationem dictum, ablutionem, sigillum, atque perfectionem: vt & corporis Domini Sacramentum, Eucharistia, Synaxis, siue Communio.

Manuũ impositio. Manuum igitur impositione hoc sacrosanctum Confirmationis Sacramentum principiò ad Diui Hieronymi vsque tempora passim apud Latinos notabatur, ab ipsa cæremonia mutuato vocabulo, qua Baptizatis adhibebatur, manibus scilicet Apostolorum, aut Episcoporum impositis.

Signum Christi. Iam consignatio σφραγὶς, obsignatio, atque Christi signum, signum Domini, & signaculũ Dominicum, veteribus appellabatur, quòd crucis Christi consignatione Baptizati signabãtur, ac quasi sigillo suo Domino Christo obsignabantur. *Oleum sanctificatum.* *Chrisma.* Quòd autem & Chrismatis vnctio & oleum sanctificatum, atque Sacramentum Chrismatis apud veteres legitur appellatum, non aliundè factum est, quàm quòd oleum sacrum atque Chrisma in Sacramenti huius administratione fuerit à veteribus adhibitum. *Cõfirmatio.* Confirmationis denique nomen sibi inuenit apud posteros à suo in Baptizatos effectu, vt & Baptismus atq; Synaxis: nisi fortè cuiquã videatur rectiùs à Sacraméti forma dictum Confirmationé, vt & Baptismum, atque Consignationem, vti & Absolutionem. *Manuũ impositio veri nominis Sacramentum gratiam conferens semper habita.* Hanc porrò siue Confirmationem, siue Consignationem, quæ baptizatis olei sacri illinitione, iuxta Catholicæ Christi Ecclesiæ ritum adhibetur, inter vera proprij nominis Sacramenta apud Christianos ab ipsis Apostolorum vsque temporibus fuisse habitam, ex doctrina Apostolica atque Catholica locus nunc postulat demonstrandum.

Act.8. Narrat D. Lucas Apostolos illis Samaritanis, à Philip-

Samaritani à Philippo baptizato quid nam per Apostolorum manuu impositionem fuerint consequuti.

" po Diacono baptizatis, manus imposuisse, vt Spiritum " sanctum, qui nondum in illos venerat, acciperent. Exter- " no itaque illo signo, manuum puta impositione, Diui " Apostoli ad inuisibilem gratiam conferendam vsi fuêre, vt videlicet Spiritum sanctum acciperent Baptizati. Nō quasi Samaritani illi, nondum aut peccatorum remissionem, aut nullam Spiritus sancti, eiúsque donorum communionem fuissent consecuti: quæ Baptismi Christiani vim necessariò subsequi, nisi Baptizandus impediat, suprà est liquidò commonstratum: sed quòd longè copiosiùs, atque multò locupletiùs, opulentiúsque alia eiusdē Spiritus sancti dona, præter dudum in Baptismate accepta, fuerint adepti. Quemadmodum enim Apostoli ipsi, licèt dudum in Baptismate varia Christi charismata nacti, in die Pentecostes iuxta Christi promissionem, noua Spiritus sancti dona acceperunt: ita & Apostolorum discipuli similia quædam Spiritus sancti dona post Baptismum per impositas Apostolorum manus consequebantur. Sedete, inquiebat, in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto: hoc est, vt aliis Christi verbis D. Lucas interpretatur: donec accipiatis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos: quæ Christi verba aliam prorsus Spiritus sancti operationem pollicentur, quàm in Baptismate accepissent Apostoli. Hæc autem promissa à Christo Apostolis Spiritus sancti operatio non solo linguarum dono, aut Prophetiæ charismate, aut toto denique visibilium gratiarum, putà sanationum, interpretationum, diiudicationum, atque cæterarum choro, non existimandum est esse comprehensa: sed alias prætereà internas habuisse Spiritus sancti virtutes atque operationes. Verbi causa, intrepidam Christi crucifixi à mortuis in vitam reuocati professionem, indubitatā doctrinæ Christi πληροφορίαν atque plenam persuasionem, firmam quoque in propagando Christi Euangelio constātiam, aliáque id genus plurima. Has Spiritus sancti internas operationes trepidantem illum languidulum, ac planè meticulosum animorum affectum Apostolis erexisse, exacuisse, atque corroborasse, cùm ex ipsis Apostolorū actis Solis luce clariùs cognoscatur, nolumus proli- xiùs per-

Luc. 20.
Act. 1.
Alia Spiritus sancti dona accepisse Apostolos post Baptismū ex Christi promissione per Spiritus sancti accessum.
1. Cor. 12.

Qualia dona Apostoli per Spiritus sancti aduentum acceperint.

xiùs persequi, ne de lectoris iudicio indigniùs atque par sit, sensisse videamur.

Cùm igitur in Apostolis post acceptum ipsa Pentecoste Spiritum sanctum, maior profitendi Euangelij eluceat libertas atque intrepidior constantia, fortiórque istius vitæ pro Christi nomine illustrando contemptus, quis adeò Christum in Apostolorum discipulos, omnésque in vniuersum Christianos opinetur aut infirmum aut inuidum, vt non similia in eos liberalissima manu effuderit Spiritus sancti dona? Cur enim ista Christi dona Apostolorum discipulis per manuum impositionem impartita, ad visibilia tantùm Spiritus sancti charismata oportet referamus, & non potiùs ad internas quoque eiusdem Spiritus operationes? Cùm vtriusque generis dona Apostolos ex Christi promissione post Baptismi gratiam demonstratum sit fuisse consecutos. Quinimò si rem præsentem penitiùs intuearis, in promptu fuerit, visibiles illas Spiritus sancti gratias in spiritualium atque inuisibilium vnà cum illis donatarum, argumentum & contestationem abundantiùs effusas cognoscere. Semper enim inter initia spiritualium, vt est apud Chrysostomum, apparent visiones visibiles, vt ea quæ semel facta videas, posteà fidei ardore suscepta retineas. Sicut enim in Christum baptizatum Spiritus sanctus columbæ specie descendit, cælísq; adapertis pater eum sibi filium charissimum sensibili voce pronũciauit, vt rebus istis in nostros sensus incurrentibus semel manifestò declararet, quod fides Christiana semper in Baptismo fieri perspicuè intuetur: ita & in altero Christianæ religionis Sacramento Deo Opt. visum est ad quoddã tempus sensibilia quædam hominũ oculis exhibere spectacula, quibus inuisibilem gratiarum Spiritus sancti communicationem semper donari contestaretur.

Dona Spiritus sancti visibilia, fuisse inuisibiliũ charismatũ argumẽtum.

Quòd autem ista manuum impositio, siue vt hodie appellatur Confirmatio, semper in Ecclesia Catholica fuerit de numero proprij nominis Sacramentorum, quę gratiam suscipientibus adferunt credita, præter cæteros liquidæ veritati attestatur Augustinus Maiores nostros, cùm dicerent Spiritum sanctum in sola Catholica Ec-

clesia dari per manus impositionem, hoc intelligendum voluisse, inquit lib. 3. de Bapt. cont. Dona. cap. 16. Quod Apostolos, ait, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesię Catholicæ communione præcisi sunt. Et paulò pòst: Non autem habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ nō diligit vnitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi, nisi in Catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestātibus, per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiāt linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis. Et statim pòst, demonstrans visibile Confirmationis signum ab inuisibili Spiritus sancti gratia posse, vt & in Baptismo, separari, adiecit: Cùm ergo aliud, inquiens, sit Sacramētum, quod habere etiam Simon Magus potuit: aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicuti Saül habuit Prophetiam: aliud operatio Spiritus, quam nisi boni habere nō possunt, sicuti est finis pręcepti charitas de corde puro, consciencia bona, & fide non ficta, quodlibet & Schismatici accipiāt. Charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ vnitatis & pacis. Quibus in verbis paulò effusiùs recitatis propter Caluini fraudem infrà detegendā, quæ hoc ipso ex loco Sacrosanctum Confirmationis sacramentum Christiano populo sacrilega impietate atque impudenti temeritate moliebatur sublegere, tanquàm in speculo leuissimo nō modò Augustini indubitatam de Confirmatione sententiam licet contemplari, quòd nimirùm per manuum impositionem inuisibiliter & latenter charitas suscipientium cordibus inspiratur, quódque non omnibus visibile Sacramentū suscipienti-

August. de Bapt. cōt. Donat. li. 3. cap. 16.

Cur olim manus impositioni visibilia adiuncta non item nunc.

Quid efficiat inuisibiliter cōfirmatio visibilis.

bus hæc latens atque inuisibilis Spiritus sancti operatio contingat, sicuti fortè non Simoni Mago: sed Maiorum quoque iudicio atque consensu inuisibilem Spiritus sancti operationem, putà charitatem, per istam manuũ impositionem in Catholica Christi Ecclesia donari solitam: quare priùs ex Maioribus nostris Augustino vetustioribus hoc ipsum propter istam nostram senescentis mundi ætatem propè delirantem atque repuerascentem restrictè est demonstrandum, quàm ex Augustino plura in hanc rem testimonia congeramus,

Diuus itaque Cyprianus vnà cum Episcopis Africanis triginta duobus, quíd nam Christianorum illius seculi Ecclesia de Confirmatione crediderit, propalàm contestantur: Vngi quoque necesse est, inquientes epist. 12. lib. 1. eum qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Porrò autem Eucharistia, & vnde Baptizati vnguntur oleum, in altari sanctificatur. Et rursum Cyprianus & cæteri in Concilio, eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, inquiunt epist. 1. lib. 2. baptizari oportere, eò quòd parùm sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi & Ecclesiæ accipiant Baptismum. Tunc enim demùm planè sanctificari, & esse filij Dei possint, si Sacramento vtroq; nascuntur. Quantoperè autem Baptizatos per manuum impositionẽ Spiritum accipere oporteat, sacróque vngi Chrismate, vnus Nouatus ille Hæresiarcha suo exemplo clarè demõstret: qui propter morbi periculum, quo à Dæmone per Exorcistas liberatus laborabat, in lectulo decumbens, baptizatus Spiritum sanctum non iudicabatur cõsecutus, quòd sacrosanctam hanc manuum impositionem non admisisset. Quemadmodum Diuus Cornelius Martyr epistola ad Fabium Antiochenum disertè docet: Nec reliqua, inquiens apud Eusebium lib. 6. cap. 43. consecutus est post morbum, quæ iuxta Ecclesiæ Canonem consequi debebat, consignationem videlicet ab Episcopo collatam, τούτȣ δὲ μὴ τυχὼν πῶς ἂν ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; hãc autem cùm non fuerit consecutus, quó nam pacto Spiritum sanctum sit adeptus? Iam mihi quæso considera,

Cyprianus & triginta duo Episcopi quíd nam de Confirmatione crediderint.

Nouatus hæresiarcha suo exemplo cõprobat confirmationis necessitatem.

D. Cornelius mart. epistol. ad Fabianũ Antioch.

Quãtum detrimenti Nouatus fecerit negligens manus impositionẽ.

quá nam Spiritus sancti gratia Diuus Cornelius Martyr " Nouatum illum ex neglecto manuum impositionis mysterio clarè pronunciat fuisse destitutum: qui se propter mortis metum, inquit, ac vitæ cupiditatem in persecutione Presbyterum esse negauit? Quibus verbis quid aliud intelligat significatum, qui non nimiùm tardus est, quàm quod alij Scriptores veteres, & iidem Martyres per consignationem, siue confirmationem, Spiritum sanctum docent ad augmentum præstari, atque ad pugnam Baptizatos roborari, confirmaríque ad intrepidam cùm fidei Christi, tum presbyterij Christiani confessionem.

Tertull. suæ ætatis doctrinam luculenter expressit de vnctione post Baptismum.

Vnctio visibilis & carnalis spiritualiter proficit, sicuti & Baptismus.

Tertullianus quoque sanctæ istius vnctionis, qua de Ecclesiarum more sua ætate Baptizati illinebantur, vim explicaturus: " Exinde egressi de lauacro, inquit lib. de Baptism. " perungimur benedicta vnctione de pristina disci" plina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotio solebant. Ex " quo Aaron à Moyse vnctus est, vnde Christus dicitur de " Chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen ac" commodauit, facta spiritalis, quia Spiritu vnctus est à " Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enimuerò in ista " ciuitate aduersus sanctum filium tuum, quem vnxisti. " Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter " proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur: spiritalis effectus, quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum. Vbi sacram vnctionem, spiritaliter proficientem dum Baptismo confert, atque vtriusque effectum docet spiritalem, quid quæso aliud, quàm Confirmationem, sicut & Baptismum, pronunciat inuisibilis gratiæ visibile signum seu Sacramentum? Qui locus si cui fortè non ad veritatem persuadeat, agè alterum ex eodem promamus, qui præsentem clariùs illustret: " Caro abluitur, in" quit lib. de Resurrectione carnis, vt anima emaculetur: " Caro vngitur, vt anima consecretur: Caro signatur, vt & " anima muniatur: Caro manus impositione adumbra" tur, vt & anima Spiritu illuminetur: Caro corpore & " sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo sagine-

Cur Baptizatus vngatur, signetur, manúsque impositione adumbretur.

tur. Hîc sanè manifestiùs spiritalem sacræ vnctionis siue consignationis, siue coufirmationis, siue manus impositionis effectum declarat, quàm vt illis tergiuersationum nebulis obscuretur. Iam quid D. Eusebium martyrem recitem, qui epist. 3. ex Episcoporum in Concilio congregatorum consensu scripta, Sacramentum manus impositionis inter Sacramenta reputatum testatur Ecclesiastica? Quid gloriosum illum Christi Martyrem Melchiadem hîc commemorem, qui epistola ad Hispaniæ Episcopos, non solùm Confirmationem dicit Sacramentum, sed maiori etiam veneratione venerandum & tenendum? Quod an impietatem adeò sacrilegam in Christi Baptismum habeat coniunctam, cuius sanctissimum Martyrem incusare Caluinus non veretur, néc ne, suo inferiùs de Confirmationis effectis loco erit expendendum. D. porrò Vrbanus epistola illa verè Apostolica Christianis in vniuersum omnibus scripta, án non Confirmationem suo etiam seculo inter Sacramenta fuisse habitam contestetur? Omnes fideles, inquit, per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inuenientur: Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. De Spiritu sancto accipimus, vt efficiamur spirituales, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus bonum malúmque discernere, iusta deligere, iniusta respuere, vt malitiæ ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ, ac diuersis illecebris, & fœdis, indignísque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, vt amore vitæ & gloriæ ardore succensi, erigere à terrenis mentem ad superna ac diuina valeamus. Quod si propiùs ad ipsa retrò Apostolorum tempora libeat cōscendere, ex clarissimis sanctissimorum Christi Martyrum Clementis, Fabiani, atque Cypriani testimoniis perspicuè videas, sacram Chrismatis vnctionem atque Confirmationem ab ipsis adeò Apostolis in Sacramenti veri vsum fuisse Ecclesiis traditam: Omnibus festinandū est, inquit D. Clemens epist. 4. ad Iulium & Iulianum suos

D. Euseb. martyr.

Vide To. 1. Concilio.

Melchiades martyr.

Vrbanus martyr.

Cōfirmatio quid Baptizatis conferat.

Manus impositionem loco Sacramenti ab Apostolis fuisse traditam.

" discipulos, renasci Deo, & demùm cõsignari ab Episco-
" po, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipe-
" re, quia incertus est vniuscuiusque exitus vitæ. Cum au-
" tem regeneratus fuerit per aquam, postmodùm septi-
" formi Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est,
" confirmatur, quia aliter perfectus esse Christianus ne-
" quaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si
" non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit (vt à beato Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino docuerunt.) Quod D. Clementis testimonium multò esse verissimum, clarissimus Christi Martyr Fabianus suo suffragio indubitatũ efficiat. Hic enim epistola 2. ad omnes Orientis Episcopos scripta narrat, Sacrosanctam Chrismatis (quod antiquitùs etiã

D. Fabian.

" ipsis retrò Apostolorum temporibus cùm manuum im-
" positione fuisse adhibitùm, infrà diffusiùs demonstran-
" dum erit) Consecrationẽ á Christo Domino postquàm,
" inquit, cum discipulis cœnasset, eorúmque pedes lauis-
" set, traditam fuisse atq; doctam, sicuti à sanctis Aposto-
" lis prædecessores nostri acceperunt, nobísque reliquerunt. Deinde sacram hanc Chrismatis confectionẽ quotannis renouandam, & fidelibus tradendam probatu-
" rus, attexuit: Quia nouum Sacramentum est, per sin-
" gulos annos iam dicto die innouandum, & vetus in san-
" ctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis & suc-
" cessoribus eorum accepimus, vobísque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum & Ephesianorum tenet. In quibus Apostoli præsidẽtes hæc docuerũt, & uetus Chrisma incẽdi, & nõ ampliùs quàm
" vno anno vti permiserunt, atque deinceps nouo frui, &
" non veteri, iubentes docuerunt. In eandem prorsus sententiam D. quoque Cyprianus pedibus iuisse cõspicitur

Apostolos docuisse Chrismatis vsum.

D. Cyprian.

" sermone de vnctione Chrismatis & aliis Sacramentis:
" Hodie in Ecclesia, inquiens, cum cæteris vnctionibus ad
" populum acquisitionis sanctificãdum, in participationẽ
" dignitatis, & nominis sacrũ Chrisma conficitur, in quo
" mixtum oleo balsamũ Regiæ & Sacerdotalis gloriæ ex-
" primit vnitatẽ, quibus dignitatibus initiandis diuinitùs

est vnctio instituta. Et paulò pòst: Non hæc medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elemẽtis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentiùs operatur, sed adest veritas signo & Spiritus Sacramento, vt & ipsis rerum efficientis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur authoritas, Deiformi conuersatione & cælestibus moribus innotescat.

Rursum quibusdam interiectis: Ex hoc humore constat descendere omnes gratiarum diuisiones, quas Spiritus sanctus pro vt vult, singulis distribuit & largitur. Ex huius vnctionis beneficio & sapientia nobis & intellectus diuinitùs datur, consilium & fortitudo cælitùs illabitur, sciẽtia & pietas & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur, ne fœtoribus spuriis imbui possimus, qui Balsami spiritualis odore fragramus. Ex clarissimis hisce celeberrimorum Christianæ Ecclesiæ Scriptorum testimoniis meridiana luce manifestiùs demonstratum confidimus, per sacrosanctam manuum impositionem, siue vnctionem malis, siue confirmationem, vti verissimè à Diuo Augustino dictum est, à maioribus nostris Spiritum sanctum atque charitatem inuisibiliter, latenterque per visibile signum atque Sacramentum infundi. Imò ex Apostolorum Traditione sacrum Chrisma huius Sacramenti materiam animabus nostris sanctificandis, saluberrimum atque vario Charismatum cælestium ornamento, ceuvenustissimo muliebri mundo cõdecorandis maximo esse emolumẽto. Verùm de Chrismatis sacri ratione atque vsu infrà pluribus veniet disserendum.

Sacrũ Chrisma est Augustino verũ Sacramentũ vti Baptisma.

Porrò cùm aduersarij ex D. Augustino Sacramentum Confirmationis delere funditùs obnixè moliantur, ex eius scriptis accuratiori diligentia stabiliendum est, atque confirmandum. Hic igitur aduersus Petiliani Donatistæ literas disputans, ei cõcedi, in vnguento illo, cuius Psal. meminit 132. Quod in capite in barbã, barbam Aaron descendit, Sacramẽtum Chrismatis intelligendũ: quod quidẽ, inquit lib. 2. cap. 104. in genere visi-

bilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnúm cælorum nō possessuris. Et paulò pòst: Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse, & in bonis, & in malis potest: illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inuisibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum est. Et lib. 5. contra Donatistas de Baptismo, vbi cap. 19. ex Cypriano commemorasset: Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adest Sacramentis & verbis suis, per qualeslibet administrentur, & Sacramenta Dei vbique recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt, vbique peruersi sunt, capite cōsequente adiecit: Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio: nisi fortè cor hominis, quem fallaciter conuersum intùs non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quò minùs Sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus. Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas, id est, per eos, qui oderunt fratres, etiam in ipsa intùs Ecclesia. Quibus in testimoniis Diuus Augustinus sanctissimi Cypriani, cuius verba recitat, doctrinam secutus, non modò semel atque iterum Chrisma, siue Oleum, inter veri nominis Sacramenta numerat, atque adeò cum aliis verè Sacramentis comparat: verùm etiam visibile Chrismatis Sacramentum, sicuti & Baptismum, ab inuisibili charitatis vnctione admonet separandum atque discernendum. Quapropter istis locis tanquàm Aiacis, quod dicitur, clypeo aduersus hostium tela muniti, alios eodem congerere supersedemus, quòd iis nihil possit proferri, aut firmius, aut illustrius, vnde doceatur sacram

In cōfirmatione aliud visibile Sacramentum, aliud inuisibilis vnctio charitatis.

Manus impositio ætate Augustini Sacramentū.

Confirmationem, siue Chrismatis vnctionem inter vera proprij nominis Sacramenta ab Augustino creditam fuisse atque accensitam.

Caput XXVII.

PROINDE aduersariorum argumentis nunc superest vt respondeatur, quibus Confirmationem ex Sacramentorũ Catalogo moliuntur delere, atq; proculcatam abiicere. Quod vt maiori cum veri similitudine faciat Caluinus, fictitiam quandam sua coniectura, vel vt dixerim veriùs, somnio informat actiunculam, cui reuerentiæ atque dignitatis causa impositionis manuum nomen fuerit inditum. Hic mos olim fuit, inquit cap.19.instit. vt Christianorum liberi postquàm adoleuerant, coram Episcopo sisterentur, vt officium illud implerent, quod ab iis exigebatur, qui se ad Baptismum adulti offerebant, videlicet ab Episcopo secundum formulam examinandi: quò autem hæc actio, quæ alioqui grauis sanctáque meritò esse debebat, plus reuerentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manuum impositionis. Ita puer ille fide sua approbata cum solenni benedictione dimittebatur. Ne autem isti', quam sibi Caluinus animi cogitatione depinxerat, fictioni deesse credas veterum testimonia: Huius moris, inquit, sæpè mẽtionem faciunt veteres. Leo Papa si quis ab hæreticis redit, ne iterum baptizatur, sed quod ibi ei defuit, per Episcopalem manus impositionem virtus Spiritus ei conferatur. Sed quíd nam locus præsens Caluine ad tuũ institutum? vbi quæso hîc examen, quod aiebas, pueri dudum baptizati? vbi fidei approbatio, quæ solennem habeat, vti commentaris, benedictionem adiunctam? De iis agit Leo, qui dudum ab hæreticis baptizati, ad Catholicam reuertebantur Ecclesiam, siue adulti, siue infantes: quos pari prorsus modo iubet recipiẽdos: non vt tu quidem suspicaris ad fidei examen, aut eius approbationem, quæ cæremoniam, de qua agitur, haud dubiùm præcedebant: sed vt conferatur, inquit, quod ibi

Qua fraude Caluinus aggrediatur cõfirmationem ex Sacramẽtorum numero delere.

Locus D. Leon. quo Caluini figmentum nitebatur, illi extorquetur.

Manus impositionē non fuisse meram benedictionis ceremoniam.

defuit: scilicet vt per Episcopalem manus impositionem ille Spiritus sancti virtutem consequatur. Quanquàm enim verum ab hæreticis ille suscepisset Baptismū, haud quaquàm tamen verum Baptismi consecutus erat effectum: qui nisi in Catholica contingere nō potest Ecclesia. Quemadmodum ex variis D. Cypriani, D. Augustini, aliorúmq; Patrum testimoniis longè est certissimū. Verùm hic Baptismi effectus, eorundem iudicio atque omnium consensu ad Catholicam Christi Ecclesiam venientibus, per istam demùm Episcopalis manus impositionem veniebat.

Dum igitur D. Leo epist. 35. illum dicit consequi in Christi Ecclesia per manus impositionem virtutem Spiritus sancti, quæ ibi apud hæreticos defuit, quid hisce obsecro ex verbis homo non stupidus, aut bliteus, aliud intelligat, quàm quod modò ex Apostolorum atque successorum, Scriptorumque veterum doctrina multò clarissima est demonstratum, hanc videlicet manus impositionem inuisibilem Spiritus sancti conferre gratiam? atque ideo veri nominis esse Sacramentum? Huius rei necessaria iuxtà ac manifesta cōsecutio. cùm acumini Caluiniano subolescceret, clarissimam hanc D. Leonis sententiam altera ex eiusdem epistolis petita, quasi circumfusa nubecula, conabatur obtenebrare: Clamabunt hîc nostri, inquit, aduersarij: Sacramentum iure vocari, in quo Spiritus sanctus conferatur. Verùm ipse Leo alibi explicat, quid his verbis sibi velit: qui apud hæreticos baptizatus est, inquit, non rebaptizetur, sed Spiritus sancti inuocatione, per manuum impositionem cōfirmetur: quia Baptismi tantùm formam sine sanctificatione accepit. Certè his verbis D. Leo explicat Caluine, quid superiori illa sententia sibi voluerit, putà per manuum impositionem Baptizatos ab hæreticis sanctificationis virtutem, vt ipse loquitur paulò expressiùs, quàm tu recitas, accipere. Quia formam, inquit epistol. 77. tantùm Baptismi sine sanctificationis virtute sumpsêre. Quæ verba, quid quæso aliud sonant, quàm per manuum impositionem Confirmatos Spiritus sancti percipere sanctificationem, in Baptismo ab hęreticis su-

Alter locus D. Leonis à Cal. fraudulenter recitatus in eū retorquetur.

ſcepto, non acceptam? Quemadmodum eadem epiſtola
clarioribus explanat verbis: Baptiſmi ablutio, inquiens,
nulla iteratione temeranda eſt, ſed, vt diximus, ſola ſan-
ctificatio Spiritus ſancti inuocáda eſt, vt quod ab hæreti
cis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus cōſequatur.

Viderit hîc igitur Lector Chriſtianus, quàm nō mo-
dò loca à Caluino ex D. Leone recitata, nihil fictitiam
eius cæremoniam adiuuent, ſed ſtabilitam dudum ma-
nus impoſitionem, in vera Sacramenti ratione confir-
ment, ipſúmque Caluinum, licet aliò detorta, verè tamē
iugulent: cùm apertè pronunciant, Baptizatos ab hære-
ticis per manus Epiſcopi impoſitionem non perceptam
dudum Spiritus ſancti virtutem accipere, atque ſancti-
ficationis virtuté confirmandos per illam cōſequi. Pro-
inde inſtituto ſuo feciſſet conſultiùs, ſi eandem erroris
notam, quam D. Hieronymo verbis cōſequentibus, Di-
uo quoq; Leoni inuſſiſſet, ſed reuerebatur homo reli-
gioſus, Leonem Romanum Papam iſthac hallucinatio-
nis nota inſignitū Lectoribus propinare deridendū. Au-
diamus itaque, quá nam ſtropha D. Hieronymi teſtimo
nium de Confirmationis, ſiue manuum impoſitionis vi
atque efficacia tractet. Meminit & Hieronymus, inquit
cont. Lucif. quanquàm autem non inficior in eo nonni-
hil hallucinari Hieronymū, quòd Apoſtolicam eſſe ob-
ſeruationem dicit, lōgiſſimè tamen ab iſtorum ineptiis
abeſt. Nequaquàm Caluine, nequaquàm hallucinatur
Hieronymus, quòd hanc manuum impoſitionem docet
Apoſtolicam eſſe obſeruationem; quod ex ipſis Apoſto-
lorum diſcipulis, ſanctiſſimíſque Chriſti Martyribus,
Clemente, Fabiano, Euſebio, Cypriano, itémque cæteris
planiùs ſuprà eſt demonſtratum, quàm vt homini Chri-
ſtiano, qui non omnem prorſus piæ reuerentiæ ſenſum
erga ſanctiſſimos Patres, iuxtà ac doctiſſimos Scripto-
res exuerit, atque ſemel excuſſerit, vllus ambigendi ſu-
perſit ſcrupulus. Quare non cenſendus eſt D. Hierony-
mus eſſe hallucinatus (quod Caluinus non inficiari ma-
luit, quàm ſuæ hallucinationi cedens, clariſſimū Catho-
licæ doctrinæ lumē oculis ab errorū lippitudine libera-
tis intueri) ſed indubiam Chriſtianæ Eccleſiæ doctrinā

Loca D. Leonis à Caluino recitata ipſum iugulant.


Caluinus D. Hieronymū hallucinationis ſuggillat.

in velitatione aduersus hostem professus, illis Euangelicæ doctrinæ magistris quidem suffragatur, nobis autem saluberrimam Christianæ Ecclesiæ traditam sacrosanctę Confirmationis vim defendentibus patrocinatur, sicut & prophanam vestram non minùs quàm arrogantissimam sacrosanctorum Christi Sacramentorum proculcationem abominatur. Quòd si hoc loco quæris, inquit Dialogo contra Lucifer. quare in Ecclesia Baptizatus, nisi per manus Episcopi, nō accipiat Spiritum sanctum: quem nos asserimus in vero Baptismate tribui? disce hāc obseruationem, ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. Quæ appendicula, an quicquam contra proprium huius Sacramenti ministrum Episcopum faciat, infrà opportuniùs, vbi ea de re agetur, dicendum erit. Hoc in præsentiarum demonstratum esse satis est, hanc manuū impositionem Diui Hieronymi censura aliorum calculis consentanea, tantam continere ex Apostolica obseruatione vim atque efficaciam, vt cōfirmati eundem Spiritum sanctum per eam accipiant, quem in Baptismo Baptizati. Non igitur hæc manuum impositio ab Episcopis Baptizato adhibebatur simplicis benedictionis loco, vt Caluinus suspicatur, sed sacrosanctæ Spiritus sancti cùm virtutis, tum sanctificationis impetrandæ causa: quemadmodum vterque locus & Diui Leonis & Diui Hieronymi, quibus illud frustrà molitur ostendere, apertiùs loquitur, quam vt fusiore orationis luce habeat opus.

Per Confirmationē dari Baptizatis Spiritum sanctum.

Apostolos igitur Christi suos magistros Christiana Ecclesia illa miraculis florens secuta, & illorum successores eadem Christi Martyrum sanguine purpurata, eorúmque posteros ea, quæ in hæc vsque nostra calamitosissima atque simul perditissima promanat sacrosanctam Chrismatis vnctionem, siue Confirmationem perpetuò inter vera proprij nominis sacramenta, vt ex superioribus liquet, habuit, ac palàm accensuit.

Caput XXVIII.



Roindè quæ aduersus Confirmationem vanissimè nugatur Caluinus, nullam merentur apud Lectorem vetustissimorum Scriptorũ studiosum reprehensionem fusiorem, quippe quæ ad illos collata, tanquàm ad Solem meridianum tenebræ vltrò non modò euanescant, sed Catholicam quoque Christianæ Ecclesiæ doctrinam aliis in partibus eò reddant confirmatiorem, quò prudens Lector veritatis certò Euangelicæ studiosus, aduersarios tam meris videt inficiationibus nixos, quàm solidis veterum testimoniorum confirmationibus destitutos. Posterior autem ætas, inquit Caluinus, re propè obliterata, fictitiam, nescio quam, Confirmationem pro Dei Sacramento posuit. Confirmationis virtutem esse finxerunt, Spiritum sanctum conferri ad gratiæ augmentum, qui in Baptismo collatus sit ad innocentiam. Non ætas posterior Caluine, vt falleris, aut fallere vis, fictitiam, quam te nescire dicis, Confirmationem pro Dei Sacramento posuit, re propè obliterata: sed ætas illa Christianæ Ecclesiæ vegeta atque virilis, imò infantilis veriùs, si nostrum hoc silicernium cogites, ipsáq; adeò Apostolica. Disertè enim D. Augustinus pluribus in locis suprà recitatis Sacramentum Chrismatis appellat, sacrum item oleum. Sic & Cyprianus non infrequenter. Ad eundem modum & Eusebius Martyr, cæteríque antè commemorati, Cornelius & Fabianus. Iam quòd Confirmationis virtutem eos finxisse dicis, Spiritum sanctum conferre gratię augmentum, item confirmare ad pugnam: non hoc posteriores, vt fingis impiè, finxerunt, sed à maioribus vsque traditum reuerenter ac piè susceperunt.

Cõfirmationem non esse posterioris ætatis figmentum, vti Caluinus nugatur.

Caluini nebula aduersus confirmationem obscurandam obiecta discutiũtur.

Caluinus vetustißimi scriptoris verba posteriori tribuit ætati, vt imperitis fucum faciat.

Hæc siquidem verba, quæ vt ad deridendum imperitis propinares, tibi videbantur idonea, non ex posterioris ætatis Scriptoribus sunt corrasa, sed ex ipso D. Melchiade Martyre vetustissimo ad verbum tibi deprompta. Quem si in posteriore collocas ætate, vbínam obsecro Cõcilium illud Nicænum, D. Hieronymũ, D. August. numeres? Verùm quum hæc D. Melchiadis verba, cum

Melchiades Constantinũ præceßit anno 300.

D.August.D.Hieronymi,Cypriani,itémque cæterorum superiùs allatorum sententiis prorsus congruant, atque consentiant, nemo tardi adeò est ingenij, vt non perspicuum videat,callidis te istis verbis à veritate longè alienissimis fucũ facerevelle imperitis. Nõ igitur fictitia Cõfirmatio ab ætate posteriore pro Dei sacramento est posita,sed ab illa Euangelij infantia Apostolorum lacte nutrita, solidóque Spiritus sancti cibo educata,in hæc vsq; tempora perpetuò est credita. Neque res apud posteros propè fuit obliterata : sed sicuti Aug. teste, Maiores nostri Spiritum S. charitatem cordibus nostris per manuũ impositionem inuisibiliter infundentem donari crediderunt:ita posterior quoque & hodierna credit Ecclesia Catholica.

August. de Bap. libr. 3. cap.16.

Sed quid vetustatem obiectant,inquit Caluinus,cúm veteres, dum propriè loqui volunt, nusquàm plura duobus Sacramentis recenseant?Si ab hominibus petendum esset fidei præsidium, habemus arcem inexpugnabilem, nunquàm veteribus agnita fuisse pro sacramentis, quæ isti pro sacramentis ementiuntur. Istud quàm sit longè vanissimum,ex testimoniis Aug. & Cypriani commemoratis fuerit in procinctu cognoscere. Qui autem copiosiùs istam vanissimi hominis iactantiam cupiat perspicere depressam atq; pessundatam, repetat quæ de sacramẽtorũ numero antè diximus,vbi ex ipsis,quę Caluinus recitat August.locis plura duobus ab eo fuisse & agnita & prædicata sacramenta,sed à Caluino malitiosa fraude ad imperitorum fallaciam dissimulata,docuimus. Qua arte præclaro isto Euangelij professore dignissima, & hîc vsum demonstrabimus : De manuum,inquit,impositione loquuntur veteres. Sed an sacramentum vocant ? Augustinus apertè nihil aliud esse adfirmat, quàm orationem. Neque hîc mihi suis putidis distinctionibus obgãniant, non ad Confirmatoriam Augustinum illud retulisse,sed curatoriam,vel reconciliatoriam : extat liber,& in hominum manibus versatur. Si in alium sensum detorqueo, quàm Augustinus ipse scripsit, cedo, non conuitiis modò pro solenni suo more,sed sputis me obruãt. Non esse putidam illam distinctionem, impositionis ma

Vide suprà cap.6.

Caluinũ dissimulare, quidnam D. Augu. loco ab ipso commemorato dicat.

nuum in Conformatoriam, reconciliatoriam & curatoriam, sed veram & variis rebus respondentẽ, ex ipsa Euãgelica historia notius est, quàm quod prolixiore opus habeat explanatione. Christus enim Matthæi 9. & Marci 5. à Iairo rogatur, vt filiæ animam agenti manum imponat. Et Marc.16. pollicetur Christianis, quòd ægrotos impositis manibus sanarent. Apostoli verò in Actis Baptizatis longè alia de causa manus imponunt. Iam quis nesciat apud D. Cyprianum aliósq; veteres, vt & in plurimis Canonibus ad pœnitentium recõciliationem pertinere? vt hîc taceam varios prætereà vsus in veteri Ecclesia habuisse: qua de re fusiùs aptior in sacramento Pœnitentiæ erit dicẽdi locus. Sanè hoc in loco à Caluino adducto, Augustinum de Confirmatoria quoque manuum impositione agere equidem non negarim : sed verbis illis à Caluino recitatis. Quid enim est aliud, quàm oratio super hominem? de eadem non concedo D. Augustinum loquutum : Aliam enim manuum impositionem in huius capitis fine accipiendam, atq; in eius medio plurimæ huius loci demonstrant circumstantiæ: quod statim liquebit, vbi ex isto Augustini loco Confirmationem esse veri nominis sacramentum contra Caluinum docuerimus. Ostendens itaque D. Augustinus sacramẽta Christi & Ecclesiæ ideò non esse sacramenta, quod eis illicitè vtantur hæretici, & iniqui omnes, atq; impij: sed nõ operari salutem propter discordiæ fœditatem, & dissensionis iniquitatem, nisi ad Ecclesiæ pacem venerint, docet suam hanc sententiam cum Maiorum doctrina conspirare, quæ habet, Spiritum sanctum in sola Catholica Ecclesia per manus impositionẽ dari. Quam loquendi formulam interpretatur eos de charitate, quæ per Spiritum sanctum in nostra corda diffunditur, intellexisse: Ipsa est enim, inquit, charitas, quam non habent, qui ab Ecclesia Catholica præcisi sunt. Et iterum : Non habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, nõ accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus. Iam vt declaret Diuus Augustinus per manuum impositionem verè dari Spiritum sanctum in Catholica Ecclesia, siue charitatem, vide mi-

Rei distinctionem Caluinus vocat putidam, quàm ipsa rerum natura facit necessariam.

Impositio manuum variis rebus adhibita, ipsa quoque efficitur varia.

August.3. de Bapt. cõt. Dona. ca.10. 13. & 16.

" hi obſecro, quàm id verbis Solis luce clarioribus expla-
" net. Neque enim temporalibus, inquit & ſenſibilibus
" miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò
" datur Spiritus ſanctus, ſicut anteà: ſed inuiſibiliter & la-
" tenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus
" diuinitùs inſpirari. An non hîc candide Lector agnoſcas
" Diuum Auguſtinum illi manuum impoſitioni veram ſacramenti Eccleſiaſtici vim, hoc eſt, charitatis per Spiritum ſanctum diffuſæ donationem tribuiſſe? Et ne quis refractarius quantumlibet impudens aut malitioſus hîc obſtrepat, aut diutiùs obtundat, paucula eiuſdem capitis ſunt attexenda: Cùm ergo, inquit ſtatim pòſt, ſit aliud ſacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri ſolet, ſicut Saül habuit prophetiam: aliud operatio eiuſdem Spiritus, quam niſi boni habere non poſſunt, ſicut eſt finis præcepti charitas de corde puro, &c. Quis iam meritò ambigat, qui hanc manuum impoſitionem ab Auguſtino ſacramentum appellatam (quod à ſuo effectu, ſcilicet à charitate poſſet ſeparari, vt in Simone Mago) videat, quódque per eam charitas in ſuſcipientium cordibus inuiſibiliter inſpiretur: Quis, inquam, meritò ambigat, án hæc manus impoſitio à veteribus vocetur ſacramentum? Auguſtinus apertè adfirmat, ait Caluinus, nihil aliud eſſe, quàm orationem: atqui apertè adfirmat, vti eſt demonſtratum, eam eſſe Sacramentum, & per eam modò inuiſibiliter atq; latenter, vt olim viſibiliter, Spiritum ſanctum ſuam diffundere charitatē. Rurſus aliud
" eſſe ſacramentum, quod habere etiam Simon Magus
" potuit, aliud operatio Spiritus, quam niſi boni habere
" non poſſint, ſicut eſt charitas. Quod vt prorſus omnem
" extra controuerſiam poſitum cuiuis ſemel perſpiciatur,
" illa apertiſſima Auguſtini ſententia in memoriam eſt reuocanda: Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum eſſe ſacroſanctum, inquit cap. 104. lib. 2. aduerſus literas Petiliani, vbi & viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe in bonis & in malis poteſt, admonet diſcernendum ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ bonorum eſt propria. Quo ex loco ſuperior ille haud parum

Aliud Sacramentum Cōfirmationis, aliud Spiritus ſancti operatio Auguſtino, quæ niſi piis non contingit: & illud autē & impiis, vt Simoni Mago.

Chriſmatis vnctio eſt Augu. Sacramentum,

rùm lucis accipiat, si alter alteri compositus, mutuam sibi prestent operam, ad veritatem Catholicæ doctrinæ manifestiùs illustrandam. Quod enim hîc de Baptismo libr. tertij, capit. vigesimosexto, manuum impositioni tribuit, hoc illic contra Petilianum 2. cap. 104. sacrosancto Chrismatis sacramento: vt rem prorsus eandem, diuersis licèt vocabulis insignitam, eũ intellexisse liquidò agnoscas. Vocat enim & Chrisma sacramentum, & manuum impositionem sacramentum: & sicut illud visibile sacramentum admonet discernẽdum ab inuisibili charitatis vnctione: ita hanc visibilem ab inuisibili charitatis inspiratione demonstrat potuisse in Simone Mago fuisse discretam. Vnum igitur idémque & Chrismate & manuũ impositione Augustino significatur sacramentum propriè dictum, sicuti & veteribus Baptismo & illuminatione. Quid igitur sibi vult, inquias, quod in extremo capite Augustinus de manuum impositione habet, eam posse repeti? Quid enim est aliud, inquit, nisi oratio super hominem? Istum nodũ à Caluino perplexiùs propositum ita equidem arbitror dissoluẽdum. D. Augustinus loco iam commemorato, cùm illam verissimam veterum Patrum sententiam sibi proposuerit explicãdam, quæ habet, Spiritum sanctum non nisi in Ecclesia Christi dari, variis id commonstrare nititur exemplis. Itaque initiò istud in Confirmatione, quam hodie dicimus, siue illa manuum impositione, quæ ritu Apostolico adhibebatur Baptizatis ad Spiritum sanctum accipiendum fieri docet. Tum ad alterum transit exemplum, quo Spiritum sanctum demonstrat in Catholica Christi Ecclesia item dari, putà in reconciliatione schismaticorum, atque pœnitentiam, quæ non fiebat nisi per manus Episcopi atq; Cleri, vti est apud Cyprianum lib. 3. epist. 14. 15. 16. & 17. vbi & Presbyteri & Diaconi fit mentio, si ita ferat necessitas. De lapsis apertissimè D. Cyprianus agit: de schismaticis verò ac hæreticis Diuus Augustinus. Hanc igitur reconciliationem ex vsitata illius ætatis loquẽdi formula vocat manus impositionem, vt in Pœnitentiæ sacramento demonstrabimus, quæ non erat sacramentalis, sed illam videtur sequuta. Siquidem anteà cum Epi-

quod & manuũ impositio.

Manus impositio quo modo Aug. dicta oratio super hominem.

Manus impositio, quæ fiebat schismaticis pœnitentibus, idẽ valet, quod oratio.

Manus impositio aliquando pœnitentium reconciliatio.

ſcopo res tranſigebatur, à quo à ſchiſmatis nexibus abſolutus, totius Eccleſiæ reddebatur communioni: in eiúſque rei fidem atque teſtimonium Epiſcopus cum toto Clero illis manus imponebat, non ſine oratione tam Cleri, quàm etiam totius populi: ſicuti videre eſt, vbi extrema quædam huius reconciliationis ſpecies ſeruatur, vti Oudtraiecti feria quarta hebdomadæ ſanctæ. Quòd igitur Diuus Auguſtinus loco dudum commemorato de tali agat manus impoſitione, non quæ in Confirmationis adhibetur ſacramento, ex ipſo Diui Auguſtini ſcripto diligenter perluſtrato luce fiat meridiana manifeſtiùs. Nam ſimulatque dixerat: Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt, quid eſt enim aliud, quàm oratio ſuper hominem? ſubtexuit huius dicti ætiologiam: Nam quod in Typo vnitatis, inquit, Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in cælo, quod ille ſoluiſſet in terra, manifeſtum eſt, quòd illa vnitas etiam vna columba perfecta ſit dicta. Et quibuſdam interpoſitis: An fortè per orationes Sanctorum ſpiritalium, qui ſunt in Eccleſia, tanquàm per columbæ creberrimum gemitum magnum geritur ſacramentum, & occulta inſpiratio miſericordiæ Dei, vt eorum etiam peccata ſoluantur, qui non per columbam, ſed per accipitrem baptizantur, ſi ad illud ſacramentum cum pace vnitatis Catholicæ accedunt? Quod ſi ita eſt, cur non ergo per eorum orationes, cùm quiſque ab hæreſi aut ſchiſmate ad pacem Catholicam venit, eius peccata abſoluuntur? Quæ extrema Auguſtini verba perſpicuè ſonant illud ſuperius, Quid eſt niſi oratio ſuper hominẽ, de hęretici aut ſchiſmatici reconciliatione accipiendum, cui manus imponebantur & Epiſcopi & Cleri, vnà cum ipſorum atque populi oratione. Hæc igitur manus impoſitio quid eſt aliud, quàm oratio? Re certè aliud eſt ab oratione, ſicuti curſus à meditatione: ſed non ſine atque ſcopo, quòd ad idem adhibeatur, atque ſpectet, vt ſcilicet Eccleſiæ precibus Spiritum ſanctum & charitatem impetret ſchiſmaticus reconciliatus: quod illo manus impoſitionis Typo atque Symbolo Epiſcopus atque Clerus

Oudtraiecti veſtigiũ obtinet veteris pœnitentium recõciliationis hebd. ſanctæ.

Manus impoſitio ĩ ſchiſmaticorũ publica reconciliatione nõ eſt niſi oratio

adumbrat. Quemadmodum ipse Diuus Augustinus eodem hoc volumine lib. 5. cap. 23. explicat: Si non ab hæresi veniente adhiberetur manus impositio, tanquàm extra omnem culpam esse iudicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem, quæcunque in homine sancta fuerint, manus hæreticis correctis imponitur. An non igitur aliò detorqueat Caluinus Augustini verba, quàm ab ipso sunt dicta, penes æquum rerum arbitrum iam esto iudicium. Quod enim ille de extremo reconciliationis siue schismaticorum, siue hæreticorum, siue denique pœnitentium actu, quæ manus impositione tanquàm colophone absoluebatur, pronunciat, iste in sacramentum longè aliud vult competere. Cæterùm quàm sit ineptum, rebus longè diuersissimis vnam tribuere actionem, propter vocis communionem, non obseruata eius æquiuocatione, vt manus impositionem, quæ est in schismaticorum iam dudum confirmatorum, aut hæreticorum reconciliatione, ad Confirmationem traducere, quod facit Caluinus, viderit nunc Lector candidus. Volebat Caluinus, si res aliter se haberet, quàm persuadere imperitis conabatur, non modò se conuitiis, sed sputis etiam obruendum. Verùm nos pro sputis ei comprecamur saniorem mentem, qua Catholicam agnoscens de Confirmationis sacramenti efficacia & vi, & Chrismatis dignitate doctrinam in posterum desinat, aut se ipse fallere, aut alios à recto abducere. Pro conuitiis non maledicta regerimus, sed benefacta reponimus, optantes scilicet tam illi quàm Symmistis omnibus, qui à fidei veritate hallucinantes, extra Christi Ecclesiam pernitiosè oberrant, clarum doctrinæ verè Euangelicæ, atque liquidò Apostolicæ, certóque Catholicæ lumen, quo illustrati, ad verum Christi Iesu animarum nostrarum pastoris singularis ouile reuersi, illius teterrimi iuxtà ac sæuissimi lupi tartarei, leonísque rugientis faucibus salutariter eripiantur, & potestatibus tenebrarũ quibus immersi pereũt, ornantur, incoluméśque pristinæ saluti, in quam per Catholicæ Ecclesiæ Baptismum inserebantur, reddantur,

Caluinum aliò verba Augustini detorquere, quàm ab illo sunt scripta.

Caluinus fraudis conuictus pro sputis piam refert sanæ mētis imprecationem.

ſaluíq; nobiſcum in illud æternum Chriſti regnum nobiſcum pariter transferantur.

Caput XXIX.

Sacri olei ſeu Chriſmatis antiquitas Apoſtolos redolet.



Stenſo, Confirmationem rectè inter ſacramenta, quæ gratiam efficiunt, à Catholicis iuxta doctrinam liquidò Apoſtolicam ac certò Catholicam accenſeri, reſtrictè ſacri Chriſmatis ritè iſto in Sacramento adhibiti, indignéq; ab aduerſariis non contempti modò, ſed etiam defœdati, verbíſque fœtidis conſpurcati, defenſio nobis eſt aggredienda.

Huius antiquitas ex locis Scriptorum veterum obiter antè commemoratis, arguto Lectori facilè ſuboleſcat, ſed infirmorum atque rudiorum fratrum cauſa eſt quidem illa manifeſtiùs in lucem, tanquàm ex latebris, protrahenda. Quanquàm autem pleríq; huius ætatis ſacroſanctũ Chriſmatis vſum doceant in Catholica Chriſti Eccleſia fuiſſe adhibitum, in illius ſigni, quo Spiritus ſanctus in Confirmatos viſibiliter veniebat, locum, Apoſtolóſque illo non fuiſſe vnquàm vſos, dabimus tamen pro virili operam, vt æqui boni Lectoris arbitrio à veritate non videatur abhorrere, Eccleſiam Chriſtianam ab ipſis Apoſtolorum vſque temporibus, ad eorum exemplum Confirmatos iſto Chriſmate delibuiſſe atque ſalubriter inunxiſſe. Cùm antè annos mille circiter quadringentos quidam Orientalis Eccleſiæ Epiſcopi annuam ſacri Chriſmatis conſecrationem negligenter intermitterent, alij temerariam iſtam nouitatem, pro eo ac decuit, grauiter moleſtéq; ferentes, Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ ſedem ex more omnium in vniuerſum, quæ in orbe quaquà verſum patet, ſunt, Eccleſiarum Chriſtianarum, vti inferiùs erit demonſtrandum, conſulunt. Eorum literis clariſſimus Chriſti Martyr Diuus Fabianus, qui id temporis Romanæ præfuit Eccleſiæ, grauiter admodùm prudentérque reſpondit, quæ ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſunt ordinata, & inſtigante Spiritu ſancto inſtituta, nec per diſſimulationem eſſe ne-

Apoſtolos Chriſmate vſos in Confirmatione.

gligenda, nec præsumptione aliqua perturbanda, quare vt illos nouatores, qui Chrisma quotannis iuxta publicum Ecclesiarum ritum innouare recusabant, non modò aduersus Romanam consuetudinem agere demonstrat, verùmetiam Orientalem: quorum temerariam audaciam vt castiget, atque præcipitem cohibeat præsumptionem, ex Christi Domini instituto, Apostolorúmque Traditione simul & obseruatione in principibus Christianæ religionis Ecclesiis, Romana, Antiochena, Hierosolymitana, atque Ephesina ad illum modum fieri solitū illis suffragantibus testatur: In illa enim die, inquit, Dominus Iesus postquàm cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobísque reliquerunt, Chrisma conficere docuit. Et paulò pòst: Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda, quia nouum sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis successoribus eorum accepimus, vobísque tenenda manamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit, hæc Hierosolymorum & Ephesianorum tenet, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus Chrisma incendi, & non ampliùs quàm vno anno vti permiserunt, atque deinceps nouo frui, & non veteri iubentes docuerunt.

Chrisma à Christo Domino institutum.

Quę grauissima sanctissimi & huius doctissimi Martyris Christi sentētia, si suo dignam pondere apud omnes inueniret authoritatem, haud quidem pluribus ad eandem rem foret opus. Verùm quia Romanæ Ecclesiæ odium nimis quàm Vatinianum nonnullos tanquàm œstro percitos, ita in præcipitem atque vesanum agit furorem, vt non pręsentis modò Ecclesię mores oderint acerbissimè, authoritatémque despicatui ducant contemptissimè: verùmetiam Apostolicæ illius ætatis Episcopos, licèt vitæ sanctimoniâ præcipuos, licèt rara eruditione eximios, licèt contemptu rerum omnium, huiúsque adeò vitæ propter Euangelium admirandos, tanquàm despicatissimos homines, & contemptissimos Episcopos tam

abominantur, quàm execrantur, vt est omnium istorum hominum ingeniū, qui sese in Christi Apostolos transfigurantes, Christi Ecclesiam cum portis inferi infestissimè oppugnant: quia, inquam, odium istud verè Sathanicum, illoque serpente antiquo Diabolo fratrum accusatore dignissimum, prorsus ita agit præcipites, vt magis cogitent, à quo dicatur, quàm quid, quibúsue subnixum rationibus dicatur, considerent, res quę in præsentiarum agitur, prolixiore oratione est persequenda. Qui igitur allato iamiam D. Fabiani Martyris testimonio minùs, quàm par est, tribuendum putat authoritatis, quod ex illa Romana Ecclesia sit profectum, is obsecro animo perturbatione vacuo ipse consideret, & contempletur, illámque de Chrismatis institutione sententiam, non tam vnius Fabiani niti asseueratione, quàm ipsa rei veritate perspicua. Siquidem non tam Romanæ suæ Ecclesię ritum illactenus constanter obseruatū vrget, quàm publicum Christianæ per vniuersum terrarū orbem Ecclesiæ morem perpetuò custoditum, & eò vsque varietate omni exclusa, vbique obtinentem. Hæc sancta Romana Ecclesia, inquit, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit Ecclesia. Hęc Hierosolymorum & Ephesianorum tenet, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt. Iam quis adeò Ecclesiasticarum rerum est imperitus, qui hisce quatuor Ecclesiis nominatim commemoratis nesciat in vniuersum omnes tanquàm in matricibus, aut si malis seminariis, fuisse comprehensas atque conclusas? Quid quòd tanquàm Patriarchales istæ reliquas plerásque omnes, vt filias sibi in Domino habuerint subiectas? Proinde nisi annua sancti Chrismatis innouatio ita indubitatò Apostolicæ fuisset Traditionis, quæ in illud vsque temporis apud omnes ritu sempiterno viguisset, non modò probabilem vllam doctissimi simul & sanctissimi Martyris epistola argumenti speciē præbuisset, sed impudētem quoq; eius audaciā, stupidámq; stoliditatē, nimis quàm manifestè prodidisset. Quippe qui falsam rei in cōtrouersia positæ originē altiùs, q̄ res erat, frustrà repeteret. Verùm, vti diximus, res ista tam in confesso erat apud vniuersos Traditionis

2. Cor. 11. *Matth. 20.* *Fabiani sententiam omnium Ecclesiarum suffragiis esse subnixam.*

Apoſtolicæ, vt principum illarum Eccleſiarum ſuffragio nihil dubitarit ſatis ſupérque aduerſus nouatores illos cōfirmatam, & ab omni nouationis præſumptione vindicatam. Quòd ſi audire iuuat, quíd nam Eccleſia quoq; Africana de ſacri Chriſmatis exordio antiquitùs ſenſerit, agè D. illum Cyprianum in huius rei teſtimoniū accerſamus, qui Carthaginenſi Eccleſię Africanarū omniū principi præſidēs, ſuo vnius ſuffragio ſubditorum planè omnium abūdè exponat ſenſum: Hodie in Eccleſia cum cæteris vnctionibus ad populū acquiſitionis ſanctificandum, inquit Serm. Feria 5. hebdom. ſanctæ de vnctione Chriſmatis habito, in participationem dignitatis & nominis ſacrum Chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum Regiæ & Sacerdotalis glorię exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitùs eſt vnctio inſtituta. Ac ne quis hîc myſticas priſcorū illorū Moſaïcorum rituum ſomniet vnctiones, altera inde promenda eſt ſentētia: Nec tamen ceſſantibus his, inquit, quæ ritui antiquo inoleuerant, cùm iam in populo Chriſtiano circūciſio fideliter dānabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis myſteriū religio Chriſtiana cōtempſit: ſed cæteris generali Sanctorum conſenſu damnatis, non ſolùm ab Regibus & Sacerdotibus vnctionis honor permanſit, in omnē populum Catholicū effuſa eſt huius gratiæ plenitudo. Et ſtatim: Nec immeritò huic diei aſſignata eſt tanti operis cauſa, & ex hoc Sacramēta hęc obtinuêre initiū, quo hodie in Sacramēto, calicis Chriſti & Eccleſiæ vnitas, in lauacro pedū concors ſocietas, & donans inuicē charitas, & ſubiecta humilitas: in vnctione Chriſtiani nominis dignitas, & excellētiæ ſpiritualis ꝓpriæ data eſt, & cōfirmata filiis adoptionis perpes authoritas & dignitas perſeuerās. Ex duobus hiſce duorū veriſſimorum Chriſti Martyrū teſtimoniis neminē omniū, quos Sol videt, obeſioris adeò naris arbitror, cui non ſacroſancta illa ſalubris olei & fragrantiſſimi balſami conſecratio Apoſtolicam redoleat inſtitutionem. Ille quidē hoc Chriſmatis Sacramentū eos quotannis innouandū, & non ampliùs quàm vno anno adhibendum, ſed nouo, & non veteri vtendum tradidiſſe, diſertiſſimis verbis cō-

Eccleſiam Africanam Chriſma à Chriſto credidiſſe inſtitutum, atque ab Apoſtolis traditum.

testatur: hic verò vnctionem olei cum balsamo ad populum acquisitionis sanctificandum diuinitùs esse institutam; atque religionem Christianam cessantibus his, quæ antiquo Mosaicæ legis ritu inoleuerant, vnctionis mysterium non contempsisse, sed iis generali Sanctorum consensu damnatis, in omnem populum Catholicum esse effusum apertiùs loquitur, quàm vt eius sententia aliquem vel communis sensus compotem fugiat. Si igitur sacrum Chrisma Apostoli quotannis innouandum iusserunt, nec ampliùs quàm vno anno vtendum permiserunt, án ab eorum ministerio putandum est alienum, hoc ipsum illos fecisse, quod successoribus suis tanta seueritate faciendum præscripsere?

Apostoli iusserunt Chrisma quotānis innouādum.

Ad hæc cùm Diuus Marcus testetur, Apostolos, Christo Domino adhuc superstite, infirmos oleo vnxisse, nec quidem ex eius imperio, quod certè ex scriptis Euangelij literis liqueat, án eorum obedientia erga Christum Dominum summa atque singularis patiatur Christo iubenti, quod ex Diuorum Martyrum testimoniis liquet, adeò fuisse immorigeros, vt isti imperio abundè putarent factum satis, si non per se ipsi Chrisma conficerent, sed ab aliis conficiendum procurarent? Quo pacto obsecro nouum quotannis Chrisma consecrandum, & vetus quotannis cremandum docuerunt, vt ait Fabianus, nisi suo id exemplo monstrantes, verbisque ac ritibus præeuntes, suis discipulis tradidissent? Putás ne Diuum Iacobum Apostolum re ipsa fratribus Christianis exhibuisse, quod aliis faciendum præscribit? Infirmatur quis in vobis, inquiens, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Quod si eos aliquando in omni vita fecisse non videatur absurdum, qui obsecrò à veritate abhorreat, Apostolos populum Christi mysteriis initiatum, sacro Chrismatis oleo delibuisse? vt quemadmodum Christus à Chrismate dictus est: ita & participes eius, quotquot sunt, quod est apud Cyprianum, consortes sint tam vnctionis quàm nominis. Sed ne quid in pij lectoris animo resideat scrupuli, audiamus quid nam Apostoli suis adhibuerint discipulis à se baptizatis. Testatur vetustis-

Apostoli an Chrisma consecrarint.

Iacob 5.

Si Apostoli consecrarunt Chrisma, cur non & Baptizatos vnxêre?

ſimus idémque grauiſſimus ſcriptor Michaël Syngelus Ieroſolymitanus, in Diui Dionyſij Areopagitæ encomio, eum Catechizatum, Exorcizatum, Baptizatum, Candida veſtitum, τῦ τελείου κατηξιοῦσθαι, perfectione (ſic enim & Ambroſius lib. 3. cap. 2. de Sacrament. Confirmationem notat) dignum fuiſſe habitum, & lucis armis indutum. Sed magis rem, quæ in præſentiarum agitur, demonſtrat, quod ſubtexuit de eodem Areopagita, gratia illa, quæ ex Baptiſmo eſt, obmunitus, τῷ θείῳ χρισικῷ ἀλείμματι, diuino vngebatur vnguento: quod cùm ſub annum Chriſti paſſi circiter decimum octauum, id eſt, ſub annum Domini quinquageſimum contigerit, Athenis Paulo Chriſtum Euangelizante, quis meritò ambigat, quin ſacrum Chriſmatis oleum ipſis Apoſtolorum temporibus fuerit in Confirmatione vſitatum? Suffragatur nobis & vetuſtiſſimus Latinus Scriptor D. Honorius Auguſtodunenſis libris, quibus Gemma animæ titulus eſt: Sciendum eſt, inquit, lib. 3. cap. 106. quòd Apoſtoli & eorum diſcipuli in fluuiis, vel ſtagnis, vel in fontibus baptizabant: ſed Clemēs, docente Petro, Chriſma vel oleum addidit: Cæterùm nos hîc adeò ipſa Chriſtianæ religionis exordia non vrgemus, quaſi Apoſtolos Spiritum ſanctum Baptizatis contuliſſe, non niſi adhibito Chriſmatis oleo ſentiamus: (hæc enim ſacri Chriſmatis loca quaſi Apherica, vnde vitalem curſum auſpicantur Aſtrologi, nos iis libenter concedimus ſupputanda, quibus ad iſtiuſmodi otium eſt & ingenium) ſed quòd conſtituta Chriſtianæ religionis Republica, ſuíſque legibus atque ritibus conformata, venientibus temporibus ſuo exemplo aliquando oſtenſo voluerint conſulere. Siquidem viſibilem Spiritus ſanctus in Baptizatos illapſum non fidelibus ſed infidelibus notant, vti & ſigna, prodigiáque in vniuerſum omnia, ad quoddam tempus duraturum.

τὸ τέλειον Sacramētum perfectionis pro confirmatione.

Dionyſius Areopagita D. Paulo Chriſmate vnctus, anno domini 50.

Petrus iuſsit Chriſma cōfici.

1. Cor. 14.

Vnxerint ergo Apoſtoli oleo, non vnxerint, noſtra haud ita multùm refert, vt contentioſè atque pugnaciter velimus defendere, quaſi adamatum noſtri ingenij intuentum: modò certum cōſtet, Apoſtolos ſacri Chriſmatis vſum Eccleſiis præſcripſiſſe, atq; obſeruatiōnē tra-

didisse, quæ illlud quotannis innouandũ ad populũ acquisitionis, quod ait Cyprianus, sanctificandũ docuerit.

CAPVT XXX.

Chrismatis vsus atque effecta.



X re autem magis fuerit, saluberrimum huius sacri Chrismatis vsum effectúmq; cognoscere atq; perdiscere. Quod igitur Baptismo est aqua, hoc Cõfirmationi est oleum siue Chrisma. Nam vtrumq; materiæ loco adhibetur, tanquàm visibile signum ad inuisibilis gratiæ significationẽ demõstrandã. Sicuti autem aqua corpus tangit, & cor abluit, quod ait August. ita Confirmationis oleum frontem linit, & animam spiritali atq; inuisibili Spiritus sancti Charismate inungit, atq; imbuit, donísq; gratiarũ copiosiùs perfundit. Siquidem oleum istud visibile est symbolum inuisibilis illius gratiæ, qua Christus semel à Patre inunctus, non ad mensuram, sed pleno gratiarum omnium cornu, nos Christianos sui tam nominis quàm vnctionis consortes, vt latenter, ita salutariter oblinit, atque perungit. Quod quia ab aduersariis pugnacissimè reiicitur, atque despicatissimè ridetur, ex probatissimis Scriptoribus accuratiori opera est confirmandum.

Psalm. 72.

Audiãt igitur arrectis auribus, quíd nã D. Augustinus de admirãda huiusce olei vi explicatissimis verbis docet, qui nullã patiuntur omninò, nisi hominis manifesto furore insanientis, aut detorsionem, aut tergiuersationem.

August. de Trinit. 15. ca. 26.

" Quomodo ergo Deus nõ est, inquit, ca. 26. de Trini. 15.
" qui dat Spiritum sanctũ? imò quantus Deus est, qui dat
" Deum? Neq; enim aliquis discipulorum eius dedit Spiri-
" tum sanctũ: orabãt quippe, vt veniret in eos, quibus ma-
" num imponebant, nõ ipsi eum dabant: quem morem in
" suis Præpositis etiã nunc seruat Ecclesia. Et quibusdã in-
" teriectis: Propter hoc, inquit, & Dominus ipse Iesus Spi-
" ritum sanctũ nõ solùm dedit vt Deus, sed etiã accepit vt
" homo, propterea dictus est plenus gratia. Et manifestiùs
" de illo scriptũ est in Act. Apost. quoniã vnxit eum Deus Spiritu S. Non vtiq; oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo Baptizatos vngit Ecclesia. Quòd autem non inaniter ista visibilis vnguenti

Baptizatos vngit Ecclesia, vt Spiri-

delibutio Baptizatis adhibeatur, sed prorsus efficaciter liquidis admodú verbis Florens Tertullianus veteris Ecclesiæ Christianę fidē explanans, affirmat: Exinde egressi de lauacro, inquit lib. de Baptismo, eos instruens, qui simpliciter credidisse cōtenti, non exploratis rationibus Traditionum intentatam probabilem fidem per imperitiam portant, perungimur benedicta vnctione de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in Sacerdotio solebant, ex quo Aaron à Moyse vnctus est, vnde Christus dicitur à Chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen accommodauit, facta spiritalis, quia Spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enimuerò in ista ciuitate aduersus sanctum filium tuum, qué vnxisti. Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, ꝙ in aqua mergimur: spiritalis effectus, ꝙ delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctū. Cuius in verbis si quid explicatioris sententiæ desideres, adhibe illius discipulum D. Cyprianum explanatorem, qui oratione admodùm luculenta exponat, quod à Magistro illo suo nocturna versato manu, versato diurna, dicebatur obscuriùs, quónam scilicet pacto carnalis vnctionis actus spiritaliter proficiat Baptizatis: Nihil hoc oleum, inquit Sermone de vnctione Chrismatis, cōmune habet cum liquoribus, qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis eius est crassitudine penetratiua, quæ secundum quasdam naturales rationes emollit & temperat spissamenta humorum, quos solet intrinsecùs astringere siccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectū, sed virtus diuina potentiùs operatur, sed adest veritas signo, & Spiritus Sacramento, vt & ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur authoritas Deiformi cōuersatione & cęlestibus moribus innotescat. Et iterum: Ex hoc humore cōstat descendere omnes gratiarum diuisiones, quas Spiritus S. prout vult, singulis distribuit, & largitur. Ex huius vnctionis bāficio

tes S. dona accipiant.

Tertull. de baptismo.

Cyprianus suum magistrum explanat.

" & sapientia nobis & intellectus diuinitùs datur, consi-
" lium & fortitudo cælitùs illabitur, scientia & pietas & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti, cum spiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritualis odore fragamus. Hinc satis liquidò discas, Christiane Lector, vt mea quidem fert opinio, esse multò verissimum, quod ex D. Augustino diximus, visibile Chrismatis oleum esse inuisibilis gratiæ donorúmque Spiritus sancti symbolum, quibus Christus Baptizatos liberaliter perungit, atque opulentè perfundit. Cæterùm ne quis existimet, Africanam Ecclesiam, cuius tria produximus columina, hùc duntaxat in modum sensisse, agedùm verò, ne nostra testium probatissimorum quadriga, qua obscuriorem veritatem in propatulam lucem ex tenebris studemus prouehere, vna sit rota mutila, eam ex Occidente petamus. Diuus itaque Ambrosius præcipuum Catholicæ Christi Ecclesiæ in Occidente columen, his, qui mysteriis initiantur, in memoriam reuocans, quæ nam, quantáque beneficia à Christo Domino

Effecta olei sacri.

" sint consecuti: Repete, inquit, ex Christi persona Bapti-
" zatos, confirmatósque compellantis cap. 7. qui accepisti
" signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ & intellectus,
" Spiritum consilij atque virtutis, Spiritum cognitionis
" atque pietatis, Spiritum sancti timoris, & serua quod
" accepisti. Signauit te Deus pater, confirmauit te Chri-
" stus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.
" Rursum libris de Sacram. ritus sacros Neophytis expo-
" nens ipsis dudum adhibitos: Ergo mersisti, inquit lib. 2.
" cap. 7. venisti ad Sacerdotem (quem hoc loco, vt alibi
" sæpè apud Ambrosium & Augustinũ aliósque eius æta-
" tis Scriptores, Episcopum accipiendum arbitror) quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, ipse te vngat in vitam æternam. Similiter lib. 3. cap. 2. Sequitur spiritale signaculum, inquit, quod audistis, hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij atque virtutis, Spiri-

Perfectio pro Confirmatione.

Sacerdos illa ætate antonomasticôs pro Episcopo.

tus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris. »
Septem quasi virtutes Spiritus: Et omnes quidem virtu- »
tes ad Spiritum pertinent, sed istæ quasi cardinales sunt, »
quasi principales. Et statim: Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris: nam, vt ait Apostolus sanctus, quia multiformis est, inquit sapientia Domini nostri, & multiformis sapientia Dei, ita multiformis est Spiritus sanctus, qui habeat diuersas variásque virtutes. Pulchrè hic ex Occidente testis cum tribus illis Africanis congruit, atque simplici veritatis oratione Catholicam Christianæ sui temporis Ecclesiæ doctrinam de salutari Chrismatis vi, atque inuisibili gratiarum Spiritus sancti in Baptizatos effusione ita ad viuum depinxit, vt eandem prorsus Apostolicæ fidei faciem, & in illis per id temporis Ecclesiis, & nostris, quas hodie Sol vbique adhuc gentium videt, Catholicis clarè resplendentem, luculentérque refulgentem sit agnoscere.

Cardinales septem virtutes donantur per Cõfirmationem.

Hoc ipsum ex futilibus aduersariorum ratiunculis, quibus Cõfirmationem Christiano populo sacrilegâ audaciâ conantur eripere, & proteruis conuitiis, quæ tam in sacrum Chrismatis oleum petulanter, quàm in veteres Scriptores huius doctrinæ assertores procaciter iactãt, pleniùs equus rerum arbiter nullo negotio animaduertat. Peragitur hæc Cõfirmatio vnctione, inquit Caluinus instit. cap.19. & hac

Chrismatis vsus aduersus Caluini ratiunculas defensus.

verborum formula: Consigno te signo sanctæ crucis, & ♂
Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, Filij, ♂
& Spiritus sancti. Pulchrè omnia & venustè. Sed vbi Dei ♂
verbũ, quod Spiritus sancti præsentiam hîc promittat? ♂
Ne iota quidem obtendere possunt: vnde ergo nos cer- ♂
tiores facient, Chrisma suum esse vas Spiritus sancti? ♂
Videmus oleum crassum, scilicet pinguem liquorem, ♂
præthereà nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad ♂
elementum, & fiet Sacramentum. Hoc inquam, verbum proferant, si quidquam nos intueri in oleo volũt aliud, quàm oleum. Si Caluinus ista D. August. verba reputabat idonea, quibus tãquam telo acuminato Catholicos ad proferendum institutæ à Christi Spiritu Confirmationis verbum adigeret, non sanè poterit ália eiusdem D. August. sui testis verba tanquàm friuola & nugacia

Caluini telũ ex August. in Catholicos proiectũ ex eodem in ipsum reiicitur.

August. oleū Chrismatis pronūciat Sacramētum sicut Baptismum.

reiicere, quibus Confirmationem, siue manuum impositionem eiusdem planè generis docet esse Sacramentum, cuius est Baptismus. Hisce enim verbis in diserta illa aduersus Petiliani literas oratione de sacro oleo, quo Baptizatos vngit Ecclesia, suam pronunciat sententiam: Sacramētum Chrismatis, inquiens lib. 2. cap. 104. in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Et quò eiusdem prorsus generis doceat Sacramentum nullo discrimine à Baptismo diuersum: " Discerne visibile sanctum Sacramentum, inquit, " de eodem Chrismate ibi loquens, quod esse & in bonis " & in malis potest: illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inuisibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum est. Ad hæc, ne vna sententia suam ex Augustino sententiolam, ceu clauum clauo pulsam clamitet Caluinus, vna atque altera est adiicienda: Si ergo ad hoc valet, inquit " lib. 5. contra Donat. cap. 20. quod dictum est, Deus pec" catorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non " celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecan" tem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel su" per Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Et contra Faustum lib. 19. cap. 14. Euangelica Sacramenta veteribus comparans, tantóque diriora pro eis subeūda esse Christianis supplicia, quàm Iudæis pro Mosaïcis, quantò hæc illis nunciatiuis sunt præstātiora, disertè signum Christi, quòd alij Signum Domini, alij Signaculum Dominicum, alij Sigillum, alij deni" que Consignationē illa ætate dicebant, inter vera Chri" sti Sacramenta annumerat: Si tres pueros Danielémque " prædicamus, &c. si Machabæos præferimus, quantò ma" gis pro Baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro " signo Christi ad omnia perferenda paratior esse debet " Christianus?

Signū Domini Augustini ætate quod Cypriano signaculū Dominicum.

Si igitur Caluinus suam ex Augustino allatam sententiolam à nobis vult recipiendā, nostras vicissim ex eiusdem Augustini libri sententias deductas iusto cum authoritatis pondere recipiat, oportet: sin nostras reiicit, aut subtili commento aliorsum detorquendas, aut callido inuento putat peruertendas, nemo tardi adeò est in-

genij, qui non videat eiſdem machinis inuictum illum ſuum, quem putat, arietem frangi atque profligari. Nos equidem vtraſque Auguſtini ſententias recipimus, & verbum accedens ad elementum facere Sacramentum: & Sacramentum Chriſmatis, ſiue olei, ſiue ſigni Chriſti, eſſe in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctũ, ſicut Baptiſmus.

Caput XXXI.

Quòd nũ verbum Dei de Cõfirmatione habuerint Catholici Patres.



Ed vbi Dei verbum, inquiat Caluinus, quòd Spiritus ſancti præſentiã hîc promittat? Non ignorauit hoc Dei verbum Auguſtinus, qui toties incunctãter adeò inuiſibiliter atque latẽter Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem Baptizatis dari affirmat. Non ignorauit hoc Dei verbum D. »
Cyprianus, cum Africanorum Epiſcoporũ triginta duo- »
rum cœtu, qui Baptizatos vngi neceſſum eſſe contendit, vt accepto Chriſmate habere in ſe Chriſti gratiam poſſint, epiſt. 12. lib. 1. Non ignorarũt denique hoc Dei verbum principes illæ per orbem Chriſtianum Eccleſiæ ab Apoſtolis ita inſtitutæ, Romana, Antiochena, Hieroſolymitana, & Epheſina, vti ex ſanctiſſimi Chriſti Martyris, eiuſdémque doctiſſimi Fabiani teſtimonio cõfirmauimus, Apoſtoli igitur ſicuti à Chriſto in cœna mãdatũ acceperant de Chriſmate quotannis innouando, & populis ad ſanctificationẽ adhibendo, quod ex Fabiani monumentis atque D. Cypriani ſuprà oſtenſum eſt: ita hoc Sacramentũ non ſine Dei verbo in Eccleſias inuexerũt: quod Apoſtolorũ factum, perpetuáque Chriſmatis tam innouandi, quàm Baptizãdos inungendi obſeruatio ab Apoſtolis in Cypriani, Ambroſij, atq; Auguſtini tẽpora decurrens, in noſtrã vſque ætatẽ promanans, moderatiſſimo cuiq; homini Chriſtiano grauiſſimi ſatis argumẽti fuerit, rem iſtam, & in Eccleſiis Chriſtianis vniuerſis ſemper receptiſſimam, & apud Scriptores maximos dudum commemoratos in primis prædicatã non citra indubium Dei verbum Chriſtiano populo eſſe

adhibitam. Verùm enimuerò quia confidentiùs, dubites an impotétiùs, Caluinus nobis insultat, ne iota quidem pro confirmanda sacra Confirmatione nos posse obtendere, agedùm experiamur, num vel iota vnũ sacris in literis, quas ille dũtaxat verbi Dei nomine dignatur, sit reperire, quod Sacramento manuum impositionis, siue Consignationis, siue sacri Chrismatis indubiã Spiritus sancti præsentiam polliceatur.

Act. 1. Luc. vlt.

Verbũ Dei quódnã habeant Catholici pro cõfirmationis Sacramento.

Christi promißio de mittẽdo Spiritu sancto Apostolis Baptizatis facta ad omnes Baptizatos pertinet.

Christus à morte rediuiuus ad Patrem rediturus, Apostolis præcipit, vt Hierosolymis maneant, Spiritum sanctum paulò pòst accepturi: Ecce, inquiens Luc. vlt. mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto: siue vt D. Luc. Act. 1. refert, Accipietis virtutem superueniẽtis Spiritus sancti in vos: quam promissionem die Pentecostes nemo ambigit fuisse impletam. Quam igitur Apostoli acceperant ex Christi promisso illapsi visibiliter Spiritus sancti virtutem, eandem fratribus Christianis Christo per Baptismum insitis eadem ex promissione communicandam existimarunt. Quemadmodum enim ipsi in Baptismo Spiritum sanctum procul dubio cùm suscepissent, ex Christi tamen iussu aliam superuenientis Spiritus sancti virtutem eos expectare oportuit: ita & Christianis post susceptum in Baptismate Spiritum sanctum alia eiusdem superuenientis dona fuère expectanda. Nam quod illa mittendi post Christi ad cælos reditum Spiritus sancti promissio non solos peculiariter spectauerit Apostolos, sed omnes in vniuersum Christianos, suo ipse Christus demonstrauit facto. Linguæ siquidem dispartitæ indubia illapsi Spiritus sancti symbola super singulos illorum 120. Christianorum sedebant, omnésque Spiritu sancto repleti, cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quod ne quis de solis Apostolis intelligat, prophetia Iohelis ad miraculum rei istius confirmandum à Petro allata prohibet. Qui ergo cum Apostolis erant Hierosolymæ id temporis fratres, eandem cum eis superuenientem Spiritus sancti acceperũt, ex Christi dono dudum Ecclesiæ toti Christianæ promissam in Apostolis,

Linguæ igneæ Spiritus S. symbolũ, nõ Apostolorum modò capitibus insedère, sed Christianorum omnium.

ceu membris principalibus, virtutem.

Quo sanè facto luculenter adeò non tam descripto, quàm graphicè depicto D. Lucas pręclaram illam Christi in cælum ascendentis promissionem lectissimis verbis secundò rememoratam haud obscurè demonstrauit ad vniuersum Christiani ouilis gregē pertinere. Siquidem tenellus ouicularum Christi grex, non minùs robustiore suarum virium admodùm infirmarum habebat opus firmamento, atque Apostoli ipsi illarum arietes, quos Prophetæ dicunt, pastores, duces, atque propugnatores. Quibus si post familiarem cum Christo triennij conuictum atque consuetudinem, post multos adeò dulces sermones, post tot stupenda visa miracula, post susceptum denique non in Baptismo tantùm, sed eius resurrectionem quoque Ioan. 20. Spiritum sanctum, opus fuit virtute ex alto, id est, cælesti animorum robore, quo aduersus vana huius mundi terriculamenta firmarētur, diuinóque præsidio, quo aduersus ingenitum hominibus malorum metum munirentur, quid de illis æquum est sentiamus, qui post Christi mortem Euangelicam suscipientes doctrinam, in Christianam accessent Ecclesiam? An eos plus cælestis gratię in Baptismo, quàm Apostolos dixeris accepisse? An illo gratiarū Spiritus sancti auctario minùs quàm Apostolos post Baptismum credideris eguisse? Proinde cùm hi pari cum Apostolis, ne dicam maiori, virtutis ex alto superueniēs necessitate tenerentur obstricti, rectè in vniuersum eum Christus effudit ouicularum tenerrimarum gregem, quod ipsarum pastoribus atque curatoribus promittebat. Si suspicaris, Apostolis singulari quadam opus fuisse virtute contra infestissimos Euangelij hostes in eorum perniciem in primis incumbentes, qua plerique ij non indiguerint: certè vt eos copiosiori diuino auxilio, robustiorique cælesti præsidio hanc ob rem eguisse non inficior: ita Christianos extra Apostolorum numerum ad suæ imbecillitatis firmitudinem, nullo Spiritus sancti subsidio post Baptismum accumulando corroborandam habuisse opus pernego: non quasi infirmam, inualidámve Spiritus sancti in Baptismo dati sen-

Christianis omnibus non minùs post Baptismum superueniēte Spiritus sancti virtute opus fuisse ac ipsis Apostolis.

Virtus ex alto quid.

tiamus virtutem: quis enim iſtud citra atrociſſimam ſacrilegæ impietatis afferat blaſphemiam? ſed quòd Chriſto Domino gratiarum Spiritus liberaliſſimo diſtributori, ac, ita dixerim, chorago, ita videatur pro ſua in populum ſibi peculiarẽ voluntate atque pietate, varia variis vicibus Spiritus ſancti effundere chariſmata: ſiue ad ſuam in nos liberalitatem ſæpiùs iteratam gratiùs commendandam: ſiue ad noſtram, qua laboramus miſeri infirmitatem, vt humilitatem animi retineamus, nihil nobis alienis donis placentes, conteſtandam.

Cõſiderandũ quónam adhibito ſymbolo Chriſt⁹ promiſſam Spiritus ſancti virtutem in Baptizatos diſtribuerit.

Lique itaque ex ſuperioribus, non Apoſtolos modò, ſed quotquot illis ſeſe adiunxerãt, Chriſtianos poſt Baptiſmum ex Chriſti promiſſo ſuperuenientem accepiſſe Spiritus ſancti virtutem, nulla re externa huius inuiſibilis gratiæ in ſymbolum humanitùs adhibita, ſed linguis quaſi igneis eam viſibiliter teſtantibus in eorum ſingulos cælitùs demiſſis, ad vberiores fortè Spiritus ſancti primitias ſignificandas. Hanc autem ſuperuenientẽ Spiritus ſancti virtutem quó nam pacto Chriſtus chariſmatum omnium largitor, exinde in Baptizatos effuderit, operæpretiũ fuerit vigilanti ſtudio obſeruaſſe, Apoſtoli Hieroſolymis agentes, vbi intellexiſſent, Samaritanos Philippi Diaconi opera ſuſcepiſſe verbum Dei, ínque Chriſti nomine Baptizatos, eò Petrum & Ioannem miſerunt, vt impoſita iſtorum manu, Spiritum ſanctum acciperent, qui nondum in quenquam illorum venerat, Act. 8. Quod nullus ita imperitè intelligat, quaſi in Baptiſmate Spiritum ſanctum non accepiſſent, ſed accepto remiſſionis peccatorum Spiritu, nondum illum ſignorum faciẽdorum Spiritum, ait Chryſoſt. atque ſuperuenientem Spiritus ſancti virtutem erant conſecuti: quam vt conſequerentur, Apoſtolorum opus habebant manus impoſitione, qua tanquàm viſibili inuiſibilis gratiæ, externo linguarum aut prophetiæ dono conteſtatæ ſymbolo Chriſtus in huius rei ſignificationem vtendum voluit. Cur enim manus impoſitione Apoſtolos credas fuiſſe vſos potiùs ad dandum Baptizatis Spiritum ſanctum, quàm alio quouis huiuſce rei ſymbolo, niſi quòd ita ſuggerente Chriſti Spiritu veritatis magiſtro didicerant?

Act. 8.

Linguarum ignearũ loco vtuntur Apoſtoli manus impoſitione.

Chryſoſt. ho. 18. in Act.

Manus impoſitio cuiuſnam rei inuiſibilis ſymbolum.

Dum igitur Apostoli isto dandi Spiritus sancti vtuntur signaculo, Baptizatis manum imponentes, euidenter demonstrant, visibili isto signo sese inuisibiliter, & vt Augustinus ait, latenter conferre promissam illam superuenientem Spiritus sancti virtutem, quam ipsi quidem sine isto signo adepti fuerant visibiliter. Adhibita enim manus impositione illabebatur in Baptizatos Spiritus sanctus, vt dudum sine ea in ipsos Apostolos. Vnde liquidò apparet, hanc manus impositionem ex eadem prorsus Christi promissione suam habuisse, Apostolorum iudicio, vim atque gratiæ certitudinem, ex qua ipsi eandem superuenientis Spiritus virtutem acceperant. Hanc enim quasi certum indubitatúmque accipiendi Spiritus sancti signum adhibent, quo testantur, adeóque profitentur, se rebus ipsis dare, quod verbis promittunt: quare dubium esse nequit, illi manuum impositioni adiunctam fuisse Spiritus sancti præsentiam. Cuius rei certitudinem Apostolos ex Dei verbo sibi habuisse persuasam, quis vel nominis Christiani memor addubitet? Quod si quis obstinatiùs inficiari non vereatur, fuisse illud D. Lucæ dudum recitatum, Mittam in vos promissum Patris mei, aliò scriptum, ideóque Apostolos visibile illud signum ad contestandam Spiritus sancti præsentiam sine Dei verbo adhibuisse. Sed quis ita mentis cœcutientia percitus deliret, vt ea, quæ Spiritus sanctus Apostolis magister à Christo promissus, docuit, indubium Dei verbum neget? Proinde ex verbo Dei, siue apud D. Lucam scripto, siue non scripto, Apostoli huic visibili manuum impositionis signo inuisibilem Spiritus sancti præsentiam docuêre coniunctam: præterquàm quòd visibilia Spiritus sancti dona inuisibilibus charismatibus pro nascentis fidei commẽdatione ad quoddã tempus iungebantur socia. Ex eodẽ itaque Dei verbo Apostolorum successores Baptizatis manũ imponebant, ad suscipiendam superuenientẽ Spiritus sancti virtutẽ, quo Apostoli eorum magistri. Sciscitanti igitur Caluino, ex quó nã Dei verbo Episcopi Catholici Baptizatis polliceãtur per manus impositionẽ indubiã Spiritꝰ S. præsen-

Manuũ impositioni fuisse adiunctã Spiritus S. præsentiam Apostolorũ iudicio.

Verbũ Dei quod Spiritꝰ sanctꝰ Apostolos docuit, procul dubio esse cẽsendũ.

Ex quó nam Dei verbo Catholici in cõfirmatione polliceantur indubiã Spiritus sancti præsentiam?

tiam, quæ tamẽ ex visibilibus Spiritus S. donis, vti olim contestationem non accipiat? respondendum, ex eodem prorsus Dei verbo, quo olim Apostoli. Iam an ex illo, quod apud D. Lucam extat, an potiùs alio: Rursum an scripto, an fortassis non scripto: quis nam veriùs hac de re consultus, quàm ipsi Apostoli huius rei magistri atque cõditores respondeat? Sanè sine Dei verbo eos istud & instituisse, & fecisse, nemo nisi temerarius atque sacrilegus Apostolici muneris violator iuerit inficias. Eandẽ prorsus Spiritus S. præsentiam Catholica Christi Ecclesia in externa manuum impositione semper perspicacibus fidei, ea quæ non videntur, intuentis oculis est contemplata, etiamdum visibilem hanc manus impositionem visibilia Spiritus sancti dona, putà linguarum, Prophetiæ, aut similium destituerent, ac quasi mutilatam, Deo Opt. sic iubente, relinquererẽt. Cuius rei testis locupletissimus nobis fuerit D. Hieronymus, qui Dialogo aduersus Lucifer. Catholicam Christianæ sui temporis Ecclesiæ doctrinam recitans, hunc in modum loquitur:

Fides in cõfirmatione videt Spiritus sancti præsentiam, etiamsi externa Spiritus sancti dona illa non testentur.

" Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia Baptizatus,
" inquit, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum
" sanctum quem nos asserimus in vero Baptismo tribui?
" disce hanc obseruationem ex ea authoritate descende-
" re, quòd post ascensum Domini Spiritus S. ad Aposto-
" los descendit, & multis in locis idem factitatum reperi-
" mus. Quòd si istud desideres declaratiùs, D. August. cõsule, qui illam suo seculo vsitatissimam loquendi formulam, à nostris, inquit, Maioribus natam, Spiritum S. in sola Catholica Ecclesia per manus impositionẽ dari interpretaturus, de effusa in Baptizatorum corda per Spiritum sanctum charitate docet accipiendam, quantumuis eam visibilia signa non, vti pridem assolet, comitentur: Neque enim tẽporalibus, inquit, & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionẽ modò datur Spiritus sanctus sicut anteà dabatur ad cõmendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiẽdum Spiritũ sanctũ imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per

Signa externa ætate Augustini non erant confirmationi cõiuncta.

vinculũ pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Multæ autem sunt operationes Spiritus sancti. Et statim: Cùm ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet: sicut Saül habuit Prophetiam: aliud operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, &c. Quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ vnitatis & pacis.

Caput XXXII.

Apostolica manus impositio non solùm dona visibilia largiebatur, vti Caluinus fingit.



QVibus ex sententiis Solis luce clarioribus, & illa Caluini hallucinatio manifestissimi erroris conuincitur, qua falsus ipse alios fallere studens, persuadere conatur, illã Apostolicæ manus impositionem non altius habuisse mysterium coniunctum, quòd videlicet animam dono quopiam inuisibili, siue interno charitatis flagrãtioris munere ornaret: sed donis tantùm visibilibus, siue externis linguarum aut Prophetię dotibus condecoraret. Visibiles illas, inquit, & admirabiles Spiritus sancti gratias quas tunc in populum suum effundebat, voluit Dominus à suis Apostolis per manuum impositionem administrari & distribui. Huic autem impositioni manuum nõ altius subesse mysterium cogito: sed huiusmodi cæremoniam adhibitam ab illis interpretor, vt ipso gestu significarent, se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebãt. Hoc ministerium, quo tum Apostoli fungebãtur, si adhuc in Ecclesia maneret, manuum quoque impositionem oporteret seruare. Sed vbi gratia illa conferri desiit, quorsum pertinet manuum impositio? Tu quidem Caluine, tu non cogitas huic manuum impositioni alti⁹ subesse mysteriũ, quo Baptizatis aliud Spiritus sancti donũ præter illas vt visibiles, ita admira-

biles eiusdem gratias venerit: Sed longè aliud cum Tertulliano, Hieronymo, Augustino, aliisque cēset Catholica Christi Ecclesia. Quòd igitur tuo ipsius fretus ingenio, hoc est, magistro sanè periculoso, huiusmodi cæremoniam interpretaris fuisse adhibitam, vt ipso gestu sese illos Deo commendare, & velut offerre significarent callidis tuis suspicionibus, quibus veritatem clarissimā obscurare, & fundatissimā euertere frustrà conaris, idoneum profectò est commentum. Quod vtrùm ineptius sit, an stolidius, penes prudentem rerum arbitrum censura esto. Si enim istiusmodi manuū impositio ad istā, quám imaginaris, commendationem & veluti oblationem olim fuit adhibita, quorsum attinebat aut Baptizatos Christo dudum insitos, ideóque filios Deo Patri sanè quàm gratos commendare? aut Apostolos illos Principes Petrum & Ioannem ad tantillam oblatiunculam longinquo illo Hierosolymis Samariam vsque itinere frustrà fatigare? Altius igitur, quàm tu cogitas, isti cæremoniæ suberat mysterium, inuisibile videlicet charitatis per Spiritum sanctum illa cum cæremonia datum effusæ donum: quod inuisibiliter atque latenter, teste Augustino 3. contra Donat. cap. 16. eorum cordibus inspirabatur, quibus hæc cæremonia antiquitùs adhibebatur. Caro manus impositione, inquit Tertullianus de Resurrect. adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Quod ipsum ex D. Hieronymi Dialog. cōtra Lucif. sententia iamiam confirmauimus, & clarissimus Christi Martyr D. Melchiades apertioribus verbis suffragatur, quàm vt de certa Catholicæ Christi Ecclesiæ illius primitiuæ doctrina meritò dubites, quíd nam illa manuum impositione antiquitùs fuerit collatum.

Quàm ineptiat Calui. in suo de manus impositione commento.

[illegible]

" Hîc igitur eundem Prophetiæ Iohelis locum, Effun-
" dam de Spiritu meo super omnem carnem, eodem, quo
" pridem Apostoli Spiritu interpretans: Aduertamus sum-
" mas, inquit epist. ad Episcopos Hispa. diuitias bonitatis Dei. Quod in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credētium populos donauit vniuersis. Quare præter illas visibiles Spiritus sancti virtutes Apostolicæ illi nas-

Manus impositio sine signis, ætate Hieron. tri-

centi Ecclesiæ Christus alia quædam per manus impositionem distribuit Spiritus sancti munera atq; Charismata, quæ in adolescentem illam, aut saltem florentem sine illis visibilibus in fidei nascentis gratiam orbi commendandæ adhibitis, effundere pro sua bonitate atque munificentia nunquàm desinit. Manet igitur hoc ipsum Apostolorum, quo pridem fungebantur, ministerium in Ecclesia, etiam si externa illa visibilium Spiritus sancti gratiarum donatio sit Christi nutu detracta: non minùs quàm olim prisco illo, sed florente Augustini, Hieronymi, atque adeò Cypriani seculo, quo nihilò magis atque hodie ista Ecclesiæ, ita dixerim, senectute effœta, visibiles Spiritus sancti donabantur virtutes. Proinde nihilominùs illam manuum impositionem hodie Christi Ecclesiã religiosè simul & reuerẽter oportet seruare, quàm illa priscorum Patrum statim commemoratorum ætate: quòd nihil quidquam ampliùs illa prę hac nostra, sed tãtũdem prorsus isto ex ritu fructus retulerit. Quę cùm ita se habere liquidò sunt demonstrata, quis admirãdam illam, imò veriùs abominandam, non admiretur Caluini admirationem? Sed vbi gratia illa, inquit, visibilium signorũ cõferri desiit quorsum pertinet manuũ impositio? Eodem quidem Caluine, quò abhinc ampliùs annos mille trecẽtos. Quod si illis Patribus, quorum opera Christi Ecclesia est propagata, atq; prudentia in hunc vsq; diem administrata, gubernata, sarta tecta, cõseruata, visum fuit hanc cæremoniam non inutiliter in Ecclesiis reseruari, etiam vbi illa visibilium signorum gratia desiisset conferri, quænam iusta pœna sufficiat sacrilegæ isti vestræ Caluine impietati expiadæ, qua oblatam Spiritus sancti gratiam non modò ipsi respuitis, sed aliis quoq; vt respuant, authores estis, vtque abiiciant, atque conculcent, instigatis? Qua sacrosanctum cælestis auxilij, nostræque infirmitatis præsidij singularis sacramentum violatis? Qua denique salutare Dei Opt. in nos misellos consiliũ superbè ridetis? impiè despicitis? sacrilegè abrogatis?

buit idem, quod die Pẽtecostes acceperant Apostoli.

Manus impositionẽ non esse abiiciendam licèt visibilibus Spiritus sancti donis sit destituta.

Caluinus vult abiiciẽdam manus impositionẽ.

Istius igitur temerariæ adeò innouationis cũ meritò pudêre debuisset, adeò non puduit, vt ad conuitia familiaria illi cum mulierculis arma conuersus, non tam im-

Rationibus destitutus

Caluinus ad cõmunia sibi cum mulierculis arma refugit.

D. Cyprian⁹ Ambrosius, Augustinus histriones Caluino.

Quod hodie faciunt Episcopi in Confirmatione, olim Augustinus, Ambr. Cypr. sine visibilibus fecerunt signis.

Temerè Caluinus à nostris Episcopus in Confirmatione efflagitat euidentem Spiritus S. virtutem.

pudenter in Catholicos stomachetur, quàm furibundè debacchetur: Qua igitur in parte, inquiens, histriones isti Apostolos se imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impositione, vt euidens Spiritus sancti virtus statim se execeret. Id non efficiũt. Quid igitur pro se iactant manuum impositionem, quam Apostolis in vsu fuisse legimus, sed prorsus in alium finem? Bona verba quæso Caluine. Non sunt Episcopi nostri sine cœco impietatis furore potiùs histriones appellandi, quàm illi vetustissimi prisca Hieronymi ætate Episcopi, Epiphanius, Chromatius, Augustinus etiam, Ambrosius atque Cyprianus. Eadem igitur in parte & qui hodie administrant, Christi Ecclesias Episcopi imitantur Apostolos, qua isti prisci, nempè vtrique hoc Baptizatis per manus impositionem largientes, visibilibus duntaxat Spiritus sancti signis destitutum, quod illi eisdem ad quoddam tempus ornatum, atque quasi insignibus, luminibúsque illustratum donabant. Quare non magis agendum erat manuum impositione, vt euidens Spiritus sancti virtus statim sese execeret, quàm in vero Christi Baptismo. Sicut enim ille semel euidentem Spiritus sancti descensum in Iordano habuit coniunctum, ad diuinam eius vim semel cœco isti mundo declarandam: ita manus impositio non indigebat exerta perpetuò Spiritus sancti virtute, nisi ad quoddam tempus, vt ea rudis fides, ait Augustinus, commendaretur, & Ecclesiæ primordia dilatarentur. Meritò igitur pro sacramenti Confirmationis defensione aduersus impios eius violatores adfertur Apostolica manus impositio, quæ non prorsus in alium finẽ Apostolis in vsu fuit, vt comminiscitur Caluinus, sed prorsus eundem vnúmque, vti Catholicæ Euangelij veri doctrinæ suffragantur, Hieronymus, Melchiades, Augustinus, Ambrosius, & Cyprianus, locis dudum commemoratis, ad accipiendam videlicet pleniorem, vberiorémque Spiritus sancti gratiarum donationem, vt & Neophyti nostri ad Apostolorum exemplum virtute induantur ex alto.

Propulsatis nunc aduersariorum calumniis, quibus Ecclesiasticam in Confirmatione manuum impositionẽ

vexant atque apud imperitos conuellunt, ad sacri Chris-
matis propugnationem, sine quo illa non adhibetur,
oratio proficiscatur oportet: quod cùm paulò anteà ex
principalium omnium Ecclesiarum consensu, atque D.
Cypriani suffragio ab ipsis inde vsque Apostolis, & iam
inde Christi Ecclesiæ ortu demonstrauerimus, isti ma-
nuum impositioni fuisse coniunctum, licèt non semper
ab Apostolis adhibitum, at ab ipsis tamen Catholicę Ec-
clesiæ manifestò traditum, ex eodem prorsus Dei verbo
est constituendum, quo illam ad liquidum ostendimus
ab Apostolis fuisse adhibitam: nimirum diserto Spiritus
S. magisterio, qui quod Ecclesiis loquitur, indubiè pro
verbo Dei est habendum. Imò verò, si idoneam iustámq;
grauissimæ sanctissimorũ, & horũ doctissimorũ Christi
Martyrum Fabiani, & Cypria. sententiæ apud nos repe-
riunt authoritatem, ex diserto Christi mandato annua
ipsis Apostolis sacri Chrismatis consecratio fuit impe-
rata. Hanc porrò sacri olei post Baptismum illinitionem
tẽporibus post illa consequentibus pro indubitata Apo-
stolicæ Traditionis doctrina fuisse habitam, vel vnus Ba
silius ille, vt Nazianz. ait, τὸ τῆς πίστεως ἔρεισμα, fidei colu-
men, atque locupletissimus Catholicæ doctrinæ testis
bundè nobis faciat contestatum. Varia hic vbi aduer-
sus Eunomium dogmata certò Apostolica prolixo recen
et Catalogo, Ecclesiasticam quoque sacri olei tam con-
ecrationem, quàm illinitionem adfert, εὐλογοῦμεν δὲ τὸ „
δωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι „
ὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιω- „
ωμένης, καὶ μυστικῆς παραδόσεως, τί δὲ, αὐτὴν τὴν χρίσιν τίς „
όγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; id est, Consecramus autem Ba- „
tismatis aquam atque vnctionis oleum, præterea Ba- „
izatum ipsum benedicimus: quibúsnam ex Scripturis? „
um ex tacita Traditione atque mystica? Quid quæso, „
sam olei vnctionem atque illinitionem, quænam do-
rina scripta docuit? Quæ verba hoc plus ponderis atq;
missimæ authoritatis apud prudentem lectorem inue-
ant oportet, quò ea in multò acerrima aduersus Euno-
um dogmata non scripta propugnantem pugna, non
n ex vnius Basilij dicuntur sententia, quàm ex indubi-

tato & eodem manifestissimo Ecclesiarum planè vniuersarum adferũtur consensu. Quam enim alioqui vim Basiliana inductio ad confirmandum controuersæ illi cum Eunomio quæstionis statũ habuisset? Sacri igitur Chrismatis cùm consecrationem, tum illinitionem ab Apostolis acceptam, Ecclesia Christi Catholica religiosè conseruans, fidelitérque custodiens, iam indè à sui ortu per interiecta temporum interualla in hanc nostram vsque continenter transmittit ętatem. Multus esse nolo in congerendis omnibus omnium ætatum Scriptoribus, qui clarissimis suarum sententiarum testimoniis rem hanc contestentur. Suffecerit meminisse, quid pręclari illi Ecclesiarum Magistri suis in scriptis hac de re obiter ceu omnibus notissima, atq; extra controuersiam posita reliquerint: Omnes, inquiebat Origen. Hom. 9. in Leuit. quicunque vnguento sacri Chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut Petrus ad omnem dicit Ecclesiam: Vos autem genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta. Vniuersæ Africanæ Ecclesiæ consuetudinem, vna illa D. Cypriani, & triginta duorum Episcoporum epistola luculenter aperiat: Vngi, inquit episto. 12. lib. 1. necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Iam qui Ambros. fidem habeat, indubiam Occidẽtalis nostræ Ecclesiæ eodem ritu ante annos mille trecẽtos vtentis doctrinã agnoscat, ex locis dudũ eius ex libris de sacramẽtis recitatis. Quid Augustinum memorem, qui locis suprà adductis toties sacri olei, sacramenti Chrismatis meminit? Quid Concilia Carthaginensia 3. & 4. vt alia omittam. Quid Toletanum 1. ca. 20 Et Bracarense. 1. Cano. 37. Sed in re studiosis manifestaria multus esse nolo.


Baptizatos in Cõfirmatione semper oleo fuisse inunctos.

Origenes Ecclesiæ Orientalis morem testatur.

Africanæ Ecclesiæ quid senserint Cypriani ætate.

Quid Occidentalis semper obseruarit.

Caput XXXIII.



Orrò ista Baptizatos sacro Chrismate consignandi siue inungendi consuetudo tam fuit priscis temporibus in Catholica Christi Ecclesia familiaris atque assidua, vt Baptizatus quispiam, si post tinctionem superstes hanc manuũ im-

Baptizatos inungi Chrismate solitos ab antiquo vt gratiam

copiosiorem acciperent.

ositionem cũ sacri olei illinitione non susciperet, mon-
tri loco haberetur, atque semichristianus passim crede-
etur. Quemadmodum est apud D. Vrbanum. Hinc nata »
st illa D. Cornelij ad Fabium Antiochenum de suo No- »
ato querela, quod in Nouatiani hæresim esset lapsus. »
Quasi enim gratiæ per vsitatam manuum impositionem »
ari solitæ defectu istud misero contigerit, ita non ob- »
curè significans loquitur: Quoniam moriturus putaba- »
ur, inquit epistol. ad Fabium Antio. apud Euseb. libr. 6. »
ap. 43. in ipso lecto, quo decumbebat, Baptismi infusio- »
em accepit, si tamen hanc illum accepisse dicẽdum est. »
nò nec reliqua consequutus est post morbum, quę iux- »
Ecclesiæ Canonem consequi debebat, Consignatio- »
em videlicet ab Episcopo collatam. Cúm autem illa po-
tus non sit, quomodo Spiritum S. est consecutus? Hunc
uidem in modum Ecclesiastica Consignatio, siue Con-
matio sacris suis iuxta Ecclesiæ Canonem instructa
ibus, primùm à Nouato illo quidem crudelissimo de-
iquentium fratrum damnatore, quod equidem sciam,
epta est aut contemni, aut saltem negligi: verùm eius
tatores Nouatiani, tanquàm mali corui mala oua
uod habet prouerbium) sacrum Chrisma prorsus abie
e, suósq; sectatores sua in factione baptizatos Chris-
te vngere noluêre, quemadmodum testatur D. Theo-
ret. lib. 3. *αἱρετικῆς κακομυθίας*, de peruersis hæretico-
n fabu. in Nouato, *οἱ δὲ τούτου διάδοχοι καὶ ἕτερα τῷ δόγ-*
προστεθείκασι. τοὺς γὰρ δευτέροις γάμοις ὡμιληκότας, τῶν
ν ἐξελαύνουσι μυστηρίων. καὶ παντελῶς τὸν τῆς μετανοίας τῶν
ίων συλλόγων ἐξορίζουσι λόγον. καὶ τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζο-
οις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. διά τοι τοῦτο, καὶ τοὺς ἐκ
αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ
εὔφημοι πατέρες προσέταξαν: Hoc est, Qui Nouatũ se-
ãtur, alia quædã illi dogmati attexuêre: qui sibi alte- »
duxisset cõiugẽ, sacris expellebãt misteriis, pœnitẽ- »
q; suis prorsus exterminant, proscribũtq; cõuenti- »
. Iisq; deniq;, qui ab ipsis baptizãtur, sacrosanctũ nõ »
bẽt Chrisma. Quamobrẽ eos etiam, qui isthac ex hę »
n Ecclesiæ corpus coalescũt, laudatissimi Patres cõ- »
erũt vngendos. Proindè qui hodie sacrã Chrismatis »

Chrismatis inunctio à Nouato negligi cœpta. Chrisma Nouatiani contẽpsêre atque abiecêre.

Noſtri ſeculi hæretici Nouatianos ſectantur.

vnctionem non modò contemptiſſimis laceratam verbis proſcindere conantur, verùm etiam eradere, delere, quó nam quæſo alio putes exagitari Spiritu, quàm illo prorſus nouatore, quo pridem Nouatiani? Niſi fortaſſis noſtri ſeculi hæreticorum Spiritum alium credas ab illo cenſendum, quòd illi contemptum Chriſma abiiciebant ceu inutile: hi verò præterquàm quòd ceu inutile contemnunt, rident, abiiciunt, atrociſſimis etiam conſcindunt vocibus, atque ſacrilegis, nefandíſque dilaniant blaſphemiis. Videmus oleum, inquit Caluinus, craſſum ſcilicet & pinguem liquorem, prætereà nihil. Et iterum, in ſanctiſſ. Chriſti Martyrem Melchiadem debacchatus: Os ſacrilegum, inquit, túne pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Chriſti Sacramento opponere, & cõferre cum aqua verbo Dei ſanctificata? Et infrà: Nos cõtrà dicimus in Baptiſmo frontem aqua tingi. Præ hac veſtrum oleum non vnius ſtercoris facimus, ſiue in Baptiſmo, ſiue in Confirmatione. Iſta quis adeò Catholicæ Chriſti Eccleſiæ eſt iniquus, æquis vt auribus audire poſſit? maledicta in D. Melchiadem Chriſti Martyrem immeritò euomita alius iniquo patiatur animo, qui neſcit maledicum iſtum animi magis morbo, quàm iudicio, petulantia iſta vti: equidem in illo neque modũ neque modeſtiam animaduertens vllam, ſacrilegam hominis impietatem ſatis admirari non poſſum. Quis enim ſacroſanctum Chriſmatis Sacramentum, teſte Auguſtino, inter atheos Philoſophos conuerſatus, vel à Turcis impiis educatus, vel inter Iudæos adeò ſemiimpios natus, minùs aut pié, aut religioſè aut denique Chriſtianè, vexare queat? Mirandum profectò, an non ſuam Chriſmatis vnctionem Catharſio quopiam atq; piaculo Caluinus, vt olim Apoſtata Iulianus Chriſti Baptiſmum ſacrificio Dæmoni immolato, eluere ſit conatus atque delere. Cùm incredibile videatur, Iulianum Apoſtatã impiè magis de Chriſti Baptiſmo ſentire potuiſſe, quàm Caluinus de Chriſti ſigno, ſiue Chriſmatis Sacramento. Agnoſcit ſe videre miſer oleum, craſſum ſcilicet & pinguem liquorem: præterea nihil. Sed quid in Chriſtiano

Caluini impotens oratio in Chriſma ſacrum.

Fidei oculis captus Caluinus, nihil in Chriſmate videt præter oleum.

Baptiſmo aliud videat aut Philoſophus, aut Turca, aut Iudæus, præter liquorẽ tenuem ac macilẽtum? Quid hîc fruſtrà ſtolidum brutorum ſenſuum Caluine cõſulis iudicium? Qui vt in vniuerſis Chriſtianæ Fidei dogmatibus nullum ſibi vbi hæreant inueniũt locum, ita in primis in Sacramentorum operatione longiſſimè à contéplanda, quæ peragitur, cæleſti vi abſunt. Hîc Caluine, hîc prædicatæ adeò Fidei oculi ſumma erant vigilantia n ſacrum Chriſma intendendi, vt acuta obtutus animi cie rem hominibus inuiſibilẽ manifeſtè tanquàm cororis oculis ſubiectam potuiſſes contemplari, quod ex iuina Fidei Chriſtianæ vi aliis in rebus fieri non ambiis. Eſt enim Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, arguentum non apparentium: qua contemplamur ea, quæ on ſunt, tanquàm ſint: & quod fallax ſenſuum iſtorum bitrium ineſſe negat, indubitatum animi fide illuſtraiudicium infallibiliter adeſſe pronunciat. Iam iſtud a Fides in ſacroſancto Chriſmatis Sacramento minié contemplatur, ſicuti nec in Baptiſmo, aut Euchari-a, aut Pœnitentia, quia fides nõ eſt, quòd vnam illam, æ in vna duntaxat Chriſti eſt Eccleſia, ceu ducem atq; giſtram non ſequatur: ſed humana prorſus friuola ſuaſio. Quòd ſi illam vnam veri demùm nominis Fin, quæ in vna Chriſti manet Eccleſia, tibi ſequi plaſſet magiſtram, longè aliud in ſacro Chriſmate, præcraſſum pinguémque liquorem oculis animi clariſſifuiſſes contemplatus: Nimirùm quod vniuerſa Chri-Eccleſia verè Catholica inde vſque ab ſui principio æc vſque tempora perſpicuis Fidei oculis euidenter etur. Quod veriſſimum diuinarum operationũ ſpeulũ tuis oculis præ impiæ perfidiæ glaucomatæ miperuium, ne ſacrilego infidelitatis cachinno exibien tibi eximium illuſtriſſimorum Catholicæ Chriſti eſiæ luminarium par, Cyprianus & Auguſtinus, qui rinam Chriſtianæ per orbem Eccleſiæ commemom, ſuo ſententiarum fidei luce coruſcantium ſplen-ſanè quàm luculenter colluſtrent. Hodie, vt dixi-, inquit Cyprianus, Serm. de vnctione Chriſmatis, entum ad ſanctificationem paratur, cuius fragran-

Caluinus cur nihil in Chriſmate videat præter oleum.

Hebr. 12.

Caluini Fides cur non ſit fides.

Vnde cæcitas Caluini illuſtrata plus aliquid præter oleũ pingue in ſacr. Chriſmate intueatur.

Cyprianus quidnam in eo agnouerit.

" tia adoleſcẽtulæ, & nouellæ animæ accedentes ad fidem " illectæ delectantur, & exinanitionis eius ſuauitate delibutæ diligunt, & ſequuntur aromatum largitorem, & " vſque ad Regis accubitum ſpiramine illo trahuntur, & " poſt odorem illum vbique deſiderio ſancto perungente " ſitibundæ diſcurrunt. Nihil hoc oleum commune habet " cum liquoribus, qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis eius eſt craſſitudine penetratiua, quæ ſecundum quaſdam naturales rationes emollit, & temperat ſpiſſamenta humorum, quos ſolet intrinſecùs aſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. " Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta, quia " ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet " effectum, ſed virtus diuina potentiùs operatur, ſed adeſt veritas ſigno & Spiritus Sacramento, vt & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur authoritas deiformi conuerſatione, & cæleſtibus moribus innoteſcat. Et paulò pòſt: Ex hoc " humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſio- " nes, quas Spiritus ſanctus, prout vult, ſingulis diſtribuit " & largitur. Ex huius vnctionis beneficio & ſapientia " nobis & intellectus diuinitùs datur: conſilium & forti- " tudo cœlitùs illabitur: ſcientia, & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritualis odore fragramus. An non longè aliud in Chriſmate Chriſtianos præter craſſum & pinguem humorẽ hîc doceat Cyprianus intuendum? Qui non vim penetratiuam, ſed diuinam: non corporalem, ſed ſpiritualem in Sacramẽto demonſtrat virtutem. Fortaſſis Diuo Cypriano, quòd ſolus iſta aſſerat, minùs fidei habendum putes, paucis accipe, quídnam tota cum eo ſenſerit Africana Eccleſia, vt eſt " in concilio Epiſcoporum triginta duorum. Cúm enim " docuiſſent, vngi neceſſe eſſe eum, qui baptizatus ſit, vt " accepto Chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, " & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit, ſtatim adiiciunt: " Porrò autem Euchariſtia, inquiẽtes epiſtola duodecima, " libro primo, & vnde Baptizati vnguntur, oleum in altari

Chriſmatis vis non eſt craſſitudine penetratiua.

Virtus diuina in Chriſmate operatur.

Ex chriſmatis vnctione quid conſequamur.

ſanctificatur. Quòd ſi oleum Chriſmatis ſanctificatur, tot, tantíſque Africanis ſuffragantibus Epiſcopis, quis adeò Chriſtiani nominis obliuiſcatur, ſit ne in Chriſmate vis quæpiam ſpiritalis atq; ſanctificatio, néc ne, vt addubitet? Sed Auguſtinum tibi proferimus tuo ore laudatiſſimum, ex tota, vti ais, antiquitate veritatis teſtem: qui quàm prorſus idem Catholicæ hodiernæ doctrinæ de Chriſmatis vi atque efficientia ſenſerit, planiſſimis verbis de Trinit. lib. 15. ca. 16. exponit: Chriſtum enim Spiritu ſancto eſſe à Deo vnctum interpretans, non vtique oleo viſibili, inquit, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo Baptizatos vngit Eccleſia. Eádem itaque inuiſibilem donorum Spiritus ſancti & gratiarũ vnctionem, viſibili hac Chriſmatis Eccleſiaſticę vnctione ſignificari, & donari adeò credidit, qua Chriſtus inuiſibiliter à Deo Patre fuit vnctus. Cur autem iſtud ſibi Auguſtinus habuerit perſauſum, imò fide crediderit Chriſtiana, breuiter eiuſdem ex verbis accipe: Quia Sacramentum Chriſmatis, inquit libro ſecundo cap. 104. contra literas Petiliani, ſacroſanctum eſt in genere viſibilium ſignaculorum, ſicut ipſe Baptiſmus. Cuius teſtimonio ſi, vti par eſt, fidem adhibes, quid inde obſecro diſcas aliud, quàm quod hodie docemus Catholici veterem Eccleſiæ Chriſti doctrinam ſecuti, & ipſe verbis ſtatim ſubiectis ibidem docet Auguſtinus? Chriſmatis vnctionem videlicet, ſiue manuum cum Chriſmate impoſitionem eſſe inuiſibilis gratiæ ſignaculum viſibile: eius, inquam, gratiæ, qua Chriſtus à Patre vnctus ſuos vnxit Apoſtolos, ac per eos eadem ſuos in vniuerſum omnes Chriſtianos, putà cœleſti ſuperuenientis Spiritus virtute, gratiarúmque varia donatione.

Oleũ Chriſmatis cùm ſanctificetur, aliud habet latentis energiæ quàm corporis oculi aſpiciant.

Auguſtino quidnam ſacrum Chriſma præbuerit inſpiciendum.

Proinde cùm ita mirifica ſtupendáque ſit ſacroſancti Chriſmatis vis atque efficientia, quid mirãdum, ſi in Sacramenti forma oleum ſalutis appelletur? Non quòd Eccleſia Spiritus ſancti diſcipula opinetur citra illud nemini ſalutem poſſe conſtare; ſed quòd eam haud mediocriter promoueat, iuuet, atque perficiat. Sicuti ſalutem à Chriſto in Baptiſmate acceptã Epiſcopus ſui officij nominíſque memor docendo, exhortando, gregíque inui-

Oleum ſalutis rectè appellari Chriſma.

Saluare Paulus Timotheo tribuit & ſibi.

gilando, promouet, conſeruat, atque adauget, ſi Diuo Paulo credimus, qui & Timotheum ſeſe ſuóſque ſaluos facturum citra omnem Chriſti Saluatoris iniuriam affirmat 1. Timot. 4. Quid quod Diuus Paulus tot adeò locis ſibi aliorum tribuit ſalutem, Si quomodo eorum aliquos ſaluos faciam. Rom. 11.

Caput XXXIIII.



Caluinus ſibi noui Apoſtoli partes vendicat.

Vare illud tuum nouum noui Apoſtoli Euangelium quis non verè Euangelicus execretur? Quo arrogantiſſimè pronuncias: Hoc non à me, inquiens, ſed à Domino audacter pronũcio, qui oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem, quæ in Chriſto eſt, abiurant, Chriſtum abnegãt, partem in regno Dei non habent. Certè audacter, imò arroganter non à Domino, ſed abs te ipſe pronuncias. Quod enim ſignum Apoſtolatus tui? Quod experimentum loquentis in te Chriſti? Multa quidem tui Pſeudoapoſtolatus ſigna eſt agnoſcere, nullum tamẽ Apoſtolatus: plura loquentis in te Antichriſti eſt obſeruare experimenta, quàm Chriſti. Impotentes ſcilicet in pios vel Chriſti Martyres adeò debacchationes, contumelias tam ſpurcas, quàm nefarias, non Chriſti Spiritu, ſed illo immundo digniſſimas, conuitia impia, ſacrilegas blaſphemias, peruerſas Scripturarum deprauationes, improbas ſentẽtiarum Patrum corruptelas, Abironiticam denique non Aaroniticam arrepti ſacerdotij arrogantiam, qua te ipſe iſtum in Euangelij gradum collocaſti. Iſta, inquam, qui in te non agnoſcat, te miſer pro Chriſti Apoſtolo habeat, à quo te audacter pronunciare aſſeris, qui oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem, quæ in Chriſto eſt abiurare, Chriſtum abnegare, partem in regno Dei non habere. Quis adeò cæco animi furore inſaniat, qui ſalutem, quæ in Chriſto eſt, Paulum abiurare, Chriſtúmque abnegare dicat, quòd ſpem appellarit galeam ſalutis? 1. Theſſal. 2. Aut Euangelium verbum ſalutis? Act. 13.

Quæ Caluinum Antichriſti Pſeudoapoſtolum veriùs loquãtur, quàm Chriſti Apoſtolorum.

Oleum ſalutis dictũ eſſe, vti galea ſalutis & verbũ ſalutis.

1. Tim. 4.

Quid, quòd Timotheũ affirmat, & ſeipſum, & Chriſtianos ipſi creditos docendo, ſuámque functionem vigilanter

gilanter admiñistrando, saluos facturum? Hoc enim faciens, inquit 1. Tim. 4. & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt. Et de Iudæis suis gentilibus, si quomodo eorum aliquos saluos faciam, Rom. 11. Quòd si nullus tanta est insanæ dementiæ temulentia adobrutus, aut tam rabido furore percitus, qui D. Paulum istis perduellionis criminibus incusare audeat, aut criminari, quod rebus aliis, quàm vni Christo, salutis encomium tribuerit, galeam dicens salutis, verbum salutis: Timotheum denique, & se, & suos saluare, imò se aliquos ex Iudæis saluos facere, quis obsecro, nisi malignæ calũniæ aculeo stimulatus, odiosè exclamet, Catholicos Patres Chrisma oleum salutis appellantes, salutẽ, quæ in Christo est, abiurasse? Christum abnegasse? partem in regno Dei nõ habere? Haud enim aliam, quàm quæ in Christo est, salutem prædicant, Chrisma appellantes oleũ salutis. Imò ipsissimum illud verbum salutis, quod Paulus se Iudæis annunciare ait, hoc salutis oleo in credentium cordibus docent per vberiorem superuenientis Spiritus sancti illustrationem corroborari, atque confirmari, illámque spem, Paulo galeam salutis dictam, hoc ipso salutis oleo non foueri modò, sed nutriri etiam, augeri; eúmque adeò in modum gliscere, vt pro ea obtinenda & alacriùs pugnemus, & tolerantiùs, mala aduersantia atque interpedientia feramus, mortémque optatiùs, si res ita tulerit, oppetamus. Quemadmodum igitur citra omnẽ Christi iniuriam doctrina Paulina rectè verbum salutis dicitur, quòd salutis viam demonstret: & spes, galea salutis, quòd pro salute legitimè pugnantibus promissa certò consequenda, Christianos ad blandas virtutum semitas alacriter ineundas inuitet, asperásque vitiorum subigẽdorum pugnas fortiter decertãdas excitet: atque Timotheus, cùm se ipsum, tum suos saluare, quòd salutem per Christum datam sua laboris assidui diligentia excolat, non seruet, tueatur & augeat: ita & pio, simúlq; vero sensu, nec in Christum quidquam iniurio veteribus placuit Chrisma nuncupare salutis oleum citra Baptismatis cõmendationem, quòd salutem in Baptismo datam foueat, nutriat, atque augeat, accumulet, roboret, atque perficiat.

Rom. 11.

Oleum salutis quónam modo salutẽ, quæ in Christo est, promoueat, foueat, atque adaugeat.

Placuit veterib. Chrisma appellare oleũ salutis eò quòd salutẽ in Baptismo datam adaugeat.

Frustrà Caluinus contra Cõfirmationis vim Concilij Mileuita. adfert. Verba concilij Mileui. à caluin. deprauata.

Non est igitur, quòd hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam ex Concilij Mileuitani decreto oppugnes, quod contra Pelag. pugnat, non item Catholicos, asserens Baptismum dari non solùm in peccatorum remissionem, sed etiam adiutorium futuræ gratię, vt non committantur. Istud nos quidem verissimum agnoscimus, licèt in formam longè aliam abs te fallaciter sit deformatum, atque sacrilegè deprauatum. Cùm enim hîc non modò de ea, quæ in Baptismo datur Christi gratia, qua iustificamur, Patres agant aduersus Pelag. sed in vniuersum de gratia Dei, qua iustificamur per Iesum Christum, siue id in Baptismo, siue in Pœnitentia fiat, viderit prudẽs rerũ arbiter, vtrùm tu hunc Cõcilij Canonem bona fide aduersum Catholicos in aciem produxeris? Item placuit, habet Canon. 3. vt quicunque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit. Quid nam hisce in verbis cum adiutorio, quod in Chrismatis Sacramẽto dari docet Ecclesia pugnans, vel oculatissimus Lynceus videat? Certè in Baptismo auxilium donatur, quo & peccata remittantur, & non committantur, sed an propterea inficiandum sit, Deum Optim. suis filiolis incredibili adhuc infirmitate laborantibus, nouum subinde aspirare auxilium, atque adferre præsidium, quo aduersus peccatorum oppugnationes in accepta dudum gratia confirmemur & muniamur? Quo ad bellum vitiorum assiduum instruamur? Quo denique ad quotidianum cum forti illo armato, potestatibúsque tenebrarum harum conflictum corroboremur?

Atqui omnia ad ista, fortassis inquias, vna in Baptismo accepta gratia suffecerit. Si Apostolis post Baptismum, post tot conspecta Christi miracula fidem confirmantia, post tot præclaras Christi conciones Euangelij doctrinam explicantes, haud dubiùm insuper Spiritus sancti doctore opus fuit atque consolatore, quid nobis frustrà de Baptismatis vipræ illis accepta blandiamur? Expectanda igitur nobis est vnà cum Apostolis post Ba-

ptiſmum illa ſuperuenientis Spiritus ſancti virtus, quæ & nos imperitos doceat, & infirmos roboret ad vitiorũ pugnam, virtutúmque in operibus confirmet. Hoc illud eſt, quod dudum ex Cypriano diximus, ex ſacro Chriſmate omnes gratiarum diuiſiones deſcendere, quas Spiritus ſanctus prout vult, diſtribuit & largitur. Rurſum, hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc cum diſertis adeò verbis celeberrimum Catholicæ Chriſti Eccleſiæ columen Cyprian. poſt Baptiſmum Chriſtianis ex Chriſmatis vnctione cõtingere doceat, quísnam ſani capitis cenſeat cum Baptiſmatis iniuria eſſe coniunctum?

Caput XXXV.



Roinde illæ impiæ Caluini voces non ſunt ſilentio prætermittendæ, quibus hanc Chriſtianæ Eccleſię doctrinam de ſalutari Cõfirmationis effectu ſuis Symmiſtis nititur perſuadere acceptam eſſe Diabolo ferendam: Videte, inquiẽs, malitioſam & ſonticam Sathanę fraudem, qui ex Deo eſtis, Quod verè in Baptiſmo dabatur, in ſua Confirmatione dari mentitur, vt furtim incautos à Baptiſmo abducat. Quis iam dubitet hanc Sathanæ eſſe doctrinã, quę promiſſiones Baptiſmi ꝓprias à Baptiſmo abſciſſas aliò deriuat, & transfert? Deprehenditur, inquam, quali nitatur fundamẽto pręclara iſta vnctio. Dei verbum eſt: Omnes qui Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induiſſe cum ſuis donis. Verbum vnctorum, nullam promiſſionem in Baptiſmo percepiſſe, quà in agonibus inſtruantur. Illa vox eſt veritatis, hanc mendacij eſſe oportet. Verè aduerſum te Dominus apud Prophetã clamat Caluine: Ecce ego ad Prophetas ſomniãtes mendacium, & ſeduxerunt populũ meum in mẽdacio ſuo. Quis enim in Catholica Chriſti Eccleſia vnquam audiuit, in Baptiſmate nullã nos percipere promiſſionem, quà in agonibus inſtruamur? Certo certiùs enĩ eſt omnibus perſuaſum, nos in Dei filios regenerari, Spiritu Chriſti ornari, eiúſque donis atq; virtu-

Cõfirmationis effectum nõ eſſe diabolo acceptum ferendum, quod vult Caluinus.

Hiere. 23.

Calui. vanitas, qua Catholicis falſum trãſcribit.

bus instrui: sed vt regeneratos decet, ac recèns renatos, non vt Christi ętate adultos, aut ad grauissima vitiorum bella aptos, aut ad horrida mortis pro Christo subeundæ tormenta toleranda, aduersúsue infestas simul & assiduas callidissimi hostis oppugnationes instructos. Tua est Caluine, tua, inquam, est ista doctrina, quæ in Baptismo nullam nos percipere promissionem docet: cùm Baptismum nihil quidquam efficere affirmas, sed merũ esse signum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones Dominus obsignat, ideóque Christianorum filios nasci, non renasci Dei filios: quemadmodum suprà in Baptismo diffusiùs est pertractatum. Vanissimum itaque est, quod dicis, vnctos Catholicos promissiones Baptismi proprias à Baptismo abscissas aliò, ad Confirmationem scilicet, deriuare & transferre. Siquidem suæ relinquuntur Baptismo promissiones saluæ atque incolumes, sed Cõfirmationi suas vindicamus, Christi verba secuti Baptizatis dicta: Mittam in vos promissum Patris, & accipietis superuenientis in vos virtutẽ. Quæ cùm à Baptismi Apostolis dudum collati promissionibus sit longè alienissima, cur nos potiùs ab ęquo rerum arbitro censeamus Baptismi promissiones aliò deriuare atque transferre, quàm Christus ipse, vt Baptismi author, ita & Cõfirmationis institutor? Verbum Dei quidẽ est, Omnes qui in Christo baptizati sunt, Christũ induisse cum suis donis: sed & verbum Dei est, post Baptismum Christianis noua quædã Spiritus sancti à Christo contingere dona, iuxta eius promissionem Luc. 24. Act. 1. antè non percepta. Quid enim vetat, imò cur non oporteat, dona nobis Christi liberalitate communicata, non simul omnia nobis impartiri, quum charissimos eius Apostolos hunc in modum ea fuisse consecutos, Solis luce clarius est cõspicere? Nec solùm aperta Christi promissio, atque illustre Apostolorum exemplum hanc Confirmationis inuisibilem vim nobis statuunt atque confirmant: sed omnis retrò Christi Ecclesia, inde vsque ab exordio in hæc nostra promanans tempora. Quod superioribus liquidò est demonstratum.

Suum commentum Caluinus fraudulenter Catholicis trãscribit.

Alias esse cõfirmationis promissiones alias Baptismi.

Non omnia Christi dona in Baptismo contingere.

Cæterùm quòd friuola ista verborum vanissimorum

nugacitate fretus Caluinus, ſeſe veriùs iactat Confirmationem definiturũ, quàm hactenùs fuerit definita, quis non doleat, apertam deliri ſeniculi hallucinationẽ, qua ſe prudentibus lectoribus propinat non tam deridendum, quàm miſerandum, imò veriùs abominandum? Veriùs, inquit, hanc Confirmationem definire poſſum, quàm ipſi hactenùs definierint: nempe inſignem eſſe Baptiſmi contumeliam, quæ vſum ipſius obſcurat, & abolet: falſam eſſe Diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abſtrahet: Aut, ſi mauis, oleum Diaboli mendacio pollutum, quod velut offuſis tenebris ſimplicium mentes fallit. Atqui modò eſt demonſtratum, Confirmationem, quam hodie dicimus, non magis eſſe in Baptiſmum contumelioſam, quàm fuerit illa Spiritus ſancti in Apoſtolos & Apoſtolorum diſcipulos poſt Baptiſmum deſcenſio inuiſibilis ſigno viſibili ſignificata: nec falſam eſſe Diaboli promiſſionem, nos vti ais, à veritate Dei abſtrahentem, ſed veram Chriſti promiſſionem clariſſimis verbis conteſtatam, liquidáque Apoſtolorum doctrina Eccleſiis traditam, nos ad Deum virtute illa Spiritus ſancti ſuperueniente pleniùs adducentem atque perfectiùs. Porrò quòd oleum dicis Diaboli mendacio pollutum, ad ſordidos maledici iſtius ex Pſeudoeuangelio concepti Spiritus pertinet grunnitus. Non eſt hoc oleum Caluine Diaboli mendacio pollutum, ſed vt D. Auguſtin. ait, Sacramentum ſicuti Baptiſmus, ſacroſanctum, & à Deo ſanctificatum: atque vt Cyprianus teſtatur, diuinitùs inſtitutum: quæ paulò antè diffuſiùs ſunt commemorata, quàm vt hîc iterum ſine lectoris faſtidio verboſiùs repetantur.


Cõfirmationẽ Caluinus definit oleũ Diaboli mẽdacio pollutũ baptiſmique iniuriam.

Caluinus immundo ſpiritu plenus, ſordida maledicentiæ verba euomit.

Augu. contra lit. Petil. 2. cap. 104. de Bapt. contra Don. 5. ca. 20

Cypr. ſermo. de Vnctio.

Caput XXXVI.



Vpereſt, vt priùs nonnihil, ſed reſtrictè, dicamus de Confirmationis effectu, atque miniſtro, quàm locum iſtum cõcludamus. Quod ad effectum pertinet, illis Chriſti verbis eſt comprehenſum: Sedete in ciuitate, quoaduſq; induamini virtute ex alto. Et: Accipietis Spiritus ſancti virtutem ſu-

cõfirmationis eſt miniſter Epiſcop.

Luc. 24.

Acto. 1.

peruenientis in vos. Quæ tum quòd non habeant explicatus perquàm difficiles, tum quòd superiùs ex sanctissimorum Patrum sententiis satis sunt explanata, in præsentiarum ea persequi fusiùs non est animus, ne odiosa prolixitate atque verbositate minùs necessaria, cuiquam ingratam nauseam moueamus.

Minister Cõfirmationis. *Act.8.* Cæterùm Confirmationis minister apud Catholicos habetur Episcopus, sicuti omnis semper credidit antiquitas: quod ex Act. Apostolicis est luce meridiana clarius: vbi D. Lucas Apostolorum exemplo demonstrat, *Act.6.* hanc Spiritus sancti donationem Samaritanis non per *Cur Philippus Diacon. Baptizatis nõ imposuerit manus.* Philippum Diaconum, licèt spectatissimæ probitatis, sapientiæ, atque Spiritus sancti plenum, cõtingere potuisse. Nõ enim, vt testatur Chrysostomus hom.18.in Acta, eam habebat facultatem dandi aliis Spiritum sanctum. Hoc enim donum solorum erat Apoostolorum. Vnde, inquit hom.18.in Acta, & præcipuos, & non alios videmus hoc facere. Quos autem hîc intelligat præcipuos, vt non est diuinatu difficile, ita non satis certum Græco exemplari destitutis. Equidem Ecclesiarum Sacerdotes siue Episcopos intellexerim, verborũ circumstantia motus, quòd præcipuos, & nõ alios dicat hoc facere nos videre. Diuus quoque Augustinus eundem locum explicans: Orabat quippe, inquit 15.de Trin.cap.16.vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem & in suis præpositis etiam nũc seruat Ecclesia D.quoq; Cyprianus Africanæ Ecclesiæ morem publicum epistola ad Iubaianum commemorans: Quod nunc quoque, inquit, apud nos geritur, vt qui in "Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerãtur, "& per nostram orationem ac manus impositionem Spi- "ritum sanctũ consequantur, & signaculo dominico consummentur. Sed multò omnium apertissimè D. Hieronym. docet, per solam Episcopi manus impositionem apud Catholicos ex Apostolica Traditione Spiritum sanctum dari. Quòd si hoc loco quæris, inquit, quare in Ec- "clesia Baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat "Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptis- "mate tribui: disce hanc obseruationem ex ea authoritate

descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatū reperimus, ad honorem potiùs sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. Cuius postrema verba illā posteriorum Theologorū à D. Eusebio Martyre & Melchiade dissentientium sententiam non videntur infirmare, scilicet Confirmationem à quolibet Sacerdote ex Episcopi Romani cōcessu administrari posse. Quod & Gregorius Magnus epistola videtur concessisse. Verùm hæc quæstio hoc in loco nobis non est fusiùs pertractanda, quæ ad illud genus pertinet, quod non cum hæreticis Ecclesiam oppugnantibus, sed cum fratribus, qui Ecclesiam pio quæstionum difficiliorum explicandarum studio ædificare nituntur atque munire. Ex superioribus ergo Patrum sententiis ille Buceri error manifestè refellitur, Confirmationem non esse opus, quod ad Episcopum peculiariter pertineat: cùm id & Chrysostomi, & Hieronymi, & August. seculo nō nisi ad Episcopos pertinuerit, adeóque hæc obseruatio ex authoritate, vt ait Hieron. Apostolica ad eos descenderit. Cuius obseruationis Apostolicæ venerandam maiestatem piè cōtemplatus D. Melchiades clarissimus Christi Martyr, Cōfirmationé maiore veneratione scripsit venerandā, quàm Baptismum: non quidem tam impiè atque eum calumniatur impiè Caluinus: Quid hîc dicas, inquit, nisi planè furiosos esse, qui suis inuentionibus ita blandiuntur, vt præ ipsis sacrosanctas Dei institutiones securè contemnant? Os sacrilegum, túne pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborū murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres? Quis ea paulò antè cōmemorata sibi in memoriam reuocans, nō perspiciat misellū istum suæ mentis præ impotenti nouarum doctrinarum studio non satis compotem, suis ipsum verè blandiri inuentis, qui præ suis somniis omni retrò ætate in Ecclesia inauditis (nisi quod Nouatiani, & similes pestes spargere cœperant) doctrinam longè certissimam omnium propè veterum Scriptorum

An soli Episcopi Confirmationis ministri.

D. Melchiadis Christi Martyris de Cōfirmatione elogium, aduersus Caluini calumnias & sannas defensum.

Christi martyrem Caluinus bacchatur os sacrilegum.

testimoniis confirmatam, non vereatur impudenter cõtẽnere, irreligiosè illudere, impiè proculcare? Melchiadem facit furiosum, suis blandientẽ inuentionibus, improbum, os adeò sacrilegum. Quem virum, Deus optime, quem Pontificem, quem Christi Martyrem? An sacrosanctas Dei institutiones contempsisse Melchiades Martyr Christi meritò censeatur, qui Baptismo affirmat nos regenerari? Quod cùm Caluinus Baptismo aquæ à Christo instituto non tribuat, docẽs infantes Christianorum mox vt nati sunt, nondum Baptismo renatos, in filios Dei adoptari, án non ipse reuerà præ suis furoribus Dei institutiones securè contemnat, retollat, oratione relinquat? vti olim Deos Epicurus inuidiæ detestandæ, gratia, penes æquum Lectorem arbitrium esto.

Caluinus ebrius ex calice meretricis Babylonicæ.

Iam quæ in sacrum Chrismatis oleũ perterricrepus euomit homo, maledicentiæ Spiritu ex Babylonicæ meretricis calice hausto, nõ tam ebrius, quàm semel adobrutus, quis illa superiùs in sacri Chrismatis defensionem allata secum reputans, nõ abhorreat, & detestetur? Quis istius vomitus Sathanici fœtorẽ non abominetur? Quis linguæ impurissimæ iuxtà ac petulãtissimæ impietatem non execretur?

Contumeliæ in sacrũ chrismatis oleũ à Caluino euomitæ detersæ, & iniuriæ propulsata.

Pinguedinem dicit anhelitus fœtore inquinatam, & verborum murmure incãtatam, quam D. August. oleum vocat sanctificatum, quam Cyprianus vnguentũ ad sanctificationem præparatum, quam D. August. iterum Sacramentum Chrismatis dicit sacrosanctũ. Atque vt magis homunculis istius tam impotenter verba plus quàm insana funditantis perspiciatur temeritas, in medium veniat causa, qua offensus, meritò sibi videtur istum in modum in D. Melchiadem indignatus, stomachatus, debacchatus. Et sicut vnum, inquit epistol. ad Episcopos Hispaniç, à Maioribus fit, id est, è summis Pontificibus, quod à Minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est. Maiori veneratione, qui Confirmationis Sacramentum dicit Baptismo tenendum & venerandum, continuóne hoc illo dixerit maius, præstantius, aut excellentius? Potissimùm si quis non Sacramenta inter se cõferens, sed in ipsa mi-

Causa qua offẽsus Caluinus, ita in D. Melchiadẽ debacchatur ostenditur inepta.

nistrorum vtriusque Sacramenti comparatione, hũc in modum loquatur. Quod ex D. Melchiadis verbis apertius fiat, quàm vt vlla explicatione habeat opus. Quod cùm Caluino & illinc, & ex aliorum interpretationibus non esset ignotum, maluit hanc sententiolam, pro sua, qua est modestia & cãdore, planè tragicôs exagitare, atque iuxta prouerbium, ex musca elephantum, quàm cõmoda interpretatione ad rei veritatem attollere, quod mera ex pietate à Christi Martyre dicebatur. Quid futurum credas, si tam magnificè, imò munificè de Confirmationis Sacramẽto fuisset loquutus Melchiades, atque D. Cyprianus, qui epist. ad Iubaianum conferri docet, quod Baptizatis deest? Et idcirco, inquit de Samaritanis loquens, quoniam legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos vltrà non oportebat: sed tantummodò quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita inuocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur: & quæ seq. Cùm igitur Christus per solos Apostolos Baptizatis donare voluerit, quod eis defuit, vt cum Cypriano loquamur, án non meritò Christianis maiori dicatur veneratione tenẽdum, quod adfert, quod Baptizatis defuit? An enim tanta quis sit improbitate, vt temerè per Petrum Apostolum fecisse Christum dicat, quòd per Philippum potuit Diaconum? Quòd si nõ temerè: voluit igitur Christus aliquid esse venerationis amplioris huic Sacramẽto tribuendum, quod per Apostolos sòlos administrabatur, quàm Baptismo, qui & per Diaconos. Quòd igitur à dignioribus atque sublimiori in Ecclesiasticæ dignitatis loco constitutis administratur Confirmatio, rectè à D. Melchiade maiori dicta est veneratione tenenda: nimirùm vt in cuius administratione, Baptismi est siue consummatio secundum Cypria. siue munitio secundũ Melchiadem. Rursus quod in ea quàm in Baptismate plenior atque perfectior Christi Domini variis nos modis sanantis, fouentis atque perficiẽtis beneficentia perspiciatur. Vnde nullo negotio videre est, quàm sit inepta illa, insulsáque Caluini calũnia, quòd Catholici sese

Cypria. magnificentius de confirmatione loquutus, quàm D. Melchiades.

Impiè catholicos Dona-

tismi suggil lat Caluinus quòd confirmationis ministrum dicant Episcopum.

hinc Donatistas produnt, qui vim Sacramenti à ministri dignitate æstimant. Non à ministri dignitate Caluine, quæ secundum virtutem est atque sanctimoniam, vt Donatistæ, Sacramenti vim æstimant Catholici: sed eam, quæ secundum donationem est Spiritus sancti in consecrationibus Ecclesiasticis collata. Nõ enim nostra refert, qualísnam Episcopus, bonúsne án malus Baptizatis manum imponat, modò sit Episcopus. Verùm Donatistæ non à quolibet Sacerdote Baptismum asserebant conferri, sed à bonis tantùm, atque non pollutis, quos dicebant, hoc est, suæ tantùm factionis. Quis igitur non videat, tam lõgè abesse Catholicos à Donatismo, quàm abfuêre ab eo Apostolorũ discipuli, nõ à Philippo Diacono, sed ab ipsis Apostolis hanc Sacramenti virtutem expectantes? nihilo magis Sacramenti vim hac personarum dignitate æstimantes, atque nos hodie. Sicut enim Philippus non habuit istam facultatem, vti paulò antè docuimus ex Chrysost. sed solorum donum erat Apostolorum: ita & hodie perpetua ex obseruatione ab Apostolis promanante, quod ex Diuo Hieronymo est demonstratum, à solis Episcopis in Apostolorum locum succedentibus hanc Sacramenti vim nobis diuinitùs conferri credimus, nihil pensi habentes prorsus, quales quales tandem sint, boníne án secùs, sint modò Episcopi. Catholicos itaque à Donatistis plusquàm toto diametro distare, crediderim liquidò satis esse demonstratum: verùm Caluinus viderit, num sese verum germanúmque prodat Donatistam, qui ad illorum exemplum sacrum Catholicæ Ecclesiæ Chrisma subsannat scurriliter, impiè abiicit, contemnit, despicit, & plusquàm sacrilegè diabolo acceptum docet esse ferendum. Siquidem inter alia nefanda Donatistarum flagitia, de subuersis altaribus, de stupratis Castimonialibus, Eucharistiæ contumelia, & cæt. quæ nunc cum Caluini actis componere non est locus, narrat D. Optatus Episcopus Mileuitanus lib. 2. de schismate Donatistarum, Vrbanum Formensem, & Felicem Idicrensem Donatistarum Episcõpos sacrum Chrisma impiè violasse in Mauritania: Et quod vobis, inquit, leue vi-

Caluinus catholicos falsò insimulat Donatistas, qui se ab eorum flagitiis nõ queat vindicare alienum.

D. Optatus narrat à Donatistis sacrũ Chrisma violatum.

detur, facinus immane commissum est, vt omnia sacrosancta suprà memorati vestri Episcopi violarent. Iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij. Nam iidem canes accensi rabie ipsos Dominos suos quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice, tanquàm ignotos & inimicos laniauerunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt, & cum casu adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subuectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit: Deo muniēte illæsa inter saxa consedit. Si istorum Donatistarū flagitiorum sese cum suis non agnoscit coram Deo Max. iudice affinem Caluinus, aut sententiæ istius Donatisticæ de proculcando sacro Chrismate non se profitetur ipse suffragatorem, non est, quòd Donatismi suspicione diutiùs immeritò laboret: Sin se suis ipse verbis non modò impietate parē, sed sacrilegio etiam disertè profitetur superiorem, quid quæso ad salutem superest reliquum, nisi vt mente in melius commutata (quam illi vnà cum Symmistis omnibus, seductísq; à vero Christi ouiculis quotidie ardētissimis votis à Deo Optimo imprecamur) abiectam pridem Catholicæ Christi Ecclesiæ de sacrosancto Chrismatis Sacramento, aliísque religionis Euāgelicæ capitibus doctrinam recipiat, atque veterum errorum pœnitens, secundam citò, dum hora est, arripiat salutis naufragæ tabulam, sacrosanctam ac in primis salutarem pœnitentiam. Sed nos cœptum carpamus iter.

O patientissimum Dei iudicium, si nostratia cogitamus.

Caput XXXVII.



Venio nunc ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quod (ne quis miretur, quamobrem cōtra receptum vulgò morem ordine tertium posuerim) post Baptismum & Confirmationem videbatur subnectēdum, quia olim illa è vestigio subsequi assolet: quemadmodum videre est apud D. Dionysium Areopag. Tertullianū, Cyprianum, Ambrosium, cæteró sque item veteres scriptores. Eiusdem

De Eucharistiæ Sacramento, cur tertium habeat locum, eiúsque Synonymis.

rei non obscurum antiquitatis Christianæ studiosis exhibet vestigium dulcissimus ille Paschalis hymnus, Ad cœnam agni, olim à Neophytis, hoc est, recèns baptizatis sua adhuc candida per octiduum Paschæ indutis decantari solitus: quod illa loquuntur verba, Ad cœnam agni prouidi, & stolis albis candidi. Eodèm spectat, quòd vel hodie infantibus à fonte ad chorum delatis S. Eucharistia altari imponitur, vti per † Frisiam alicubi. Neque verò Pœnitentiæ fuit tertius dandus locus, quòd nunc temporis non sit ille vetustus sacramentorum ordo: sed suus fuit sacramentis & honos seruandus, & locus vindicandus: quemadmodum prudentissimè à Patribus in Concilio Florentino videmus factitatum. Verùm hac de re suum cuique esto iudicium: nos adductis permoti rationibus ante Pœnitentiam sacrosanctũ Eucharistiæ sacramentum persequi instituimus.

† Ita in Dockum & alibi hodie videre est.

Qua methodo sacramentum Eucharistiæ tractãdum.

Tremendum sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum pro amplissima adeóque augustissima sui maiestate iustum sanè opus sua aduersus irreligiosos istos temeratores atque violatores sacrilegos apologia impleat, nisi nos breues esse cogeret argumenti in præsentiarum suscepti ratio. Dabimus nihilo tamen minùs diligentem operam, ne breuis obscuritas clarissimæ iuxta ac amplissimæ veritatis causam vlla parte aut lædat aut officiat etiam. Quod vt luce fiat magis perspicua, simúlque vberiori cum lectoris fructu, non dogmata in vniuersum omnia, quæ de venerando existunt sacramento, eiúsue ritibus persequemur: sed ea duntaxat, quæ maioris ponderis isthac tempestate ab aduersariis aut sacrilegè abiiciũtur, aut in dubium impiè reuocantur.

Principió igitur expositis S. Eucharistiæ synonymis materiam sacrificij Christiani panem vinúmque aquâ mistũ proponemus, tum ad eius consecrationem sacrosanctam transibimus: cuius effectis, quòd scilicet corpus sanguísque Domini verè non tantum symbolicôs fiant, quódq; transsubstantiantur adeò explicatis, de eleuatione atq; oblatione, an commemoratiuum modò sit, num propitiatorium etiam, tam mortuis, quàm viuis, ex doctrina liquidò Apostolica dicendum erit. Denique quòd

idem & proprij nominis est sacramentũ, eiúsq; sub vna specie vt laudata, ita antiquissima communio huic tractatui coronidem imponet.

Eucharistiæ sacramentum de suis præclaris in homines dotibus, singularíque præ aliis omnibus pręstantia varia sibi peperit nomina, Synaxis, Mysterium, Cœna Dominica Paulo, Conuiuium Dominicum Tertulliano, & Cypriani ætate Dominicum, θυσία ἀναίμακτος hostia incruenta Basilio, Chrysost. Nazianz, aliísque Græcis, atque vt Latinis à publico officio Missa, ita illis Liturgia, & si quæ alia apud veteres passim occurrant scriptores sacrosanctæ Eucharistiæ vocabula.

Eucharistia igitur veteribus appellatum videtur, quod non modò gratiarũ actionem sonat, vti quibusdam placuisse video: sed magis bonam gratiam siue vberrimum gratiarum omnium fontem, opulentissimúmque donorum cælestum copiæ cornu. Siquidem τὸ εὐχαριστεῖν, ex quo fluxit Eucharistia, tametsi οὐδὲν τῶν δοκίμων εἶπεν, ait Hesychius, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι, est gratia afficere, & officium reddere atque præstare. Hinc & D. Hieronym. gratiositas vertit. *Eucharistia.*

Alterum quoque Græcum nomen Synaxis non tam ex eo huic sacramento tributum est, quòd Christianos in vnum cogat atque congreget: quàm vti Dionysius Areopagita indicat, quòd eius, ita dixerim, vsu fructuarios totos in Christi Domini complexus colligat, collectósque à variis, quibus huc illuc distrahimur mentis miserè palantis occupationibus, arctissimo cęlestis amoris nodo stringat atque deuinciat. Mysterium autem dicitur antonomasticôs, sicuti & sacramentum, quasi arcanum quoddam sacrum. Nam mysteria Latini vocant seclusa, inde autem dicta, quòd ea δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, oportet occludentes intus custodire, si Cælio creditur. *Synaxis.* *Mysterium.* *Vid. Celium anti. li. 9. c. 9*

Iam cœna Dominica ex institutionis tempore à D. Paulo dicitur. Vnde & Tertulliani ætate conuiuium appellabatur Dominicum. Et seculo Cypriani Dominicũ, pro cœna Dominica vsurpabatur, vti videre est epi. 3. li. 2. & sermone de eleemosyna. Cæterùm hostia incruenta θυσία ἀναίμακτος à sacrificij forma Græcis est dicta, sicuti *Cœna Dominica.* *Conuiuium Dominicũ.* *Dominicum* *Holocaustũ,*

holocauſtum pro peccatis, & ſacrificium ſalutarę ab eiuſdem effectis.

Sacrificium. Liturgia.

Porrò Liturgia Græcis dictum eſt hoc ſacramentum quod λη̈ϊτὸν ἔργον, hoc eſt, publicum habeat coniunctum miniſterium. Quæ vox etſi ad prophana interdum pertineat magiſtratuum officia, vti non ſolùm apud Demoſthe. Ariſtotel. & Platonem: ſed ipſum quoq; D. 1 Paulum Rom. 13. Miniſtri enim Dei ſunt, & 2 Hebræorum 1. Angelos dicit Liturgicos ſpiritus: vſu tamen Chriſtianę Eccleſię ad ſacrum miniſterium eſt accommodata atq; tranſlata: quemadmodum & diaconi vox, quam Paulus magiſtratui 3 Romano tribuit, & 4 Preſbyteri atque Epiſcopi: quæ omnia apud Athenienſes prophani fuêre Magiſtratus. Apud Ariſtotelem tamen legere eſt λειτουργίας θεῶν Deorum cultus, vbi & ſacrorũ vox eſt. Eundem prorſus in modum factum equidem arbitror, vt huic ſacramento Miſſa nomen à Latinis hominibus fuerit datũ.

1 Roma. 13. λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰσιν. 2 Hebr. 1. λειτουργικὰ πνεύματα. 3 Rom. 13. θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι. 4 De his ſuo inferiùs loco aptiùs.

Miſſa vocabulum eſt Latinum.

Quanquàm enim præclari quidem huius ætatis ſcriptores ex Hebraiſmo extorquere malint, quaſi Miſſa ex מסה fiat מסה ab offerendo, vel vt alij inſidioſiùs, ab eleuando: cogit me tamen veritatis amor candidè quod equidem ſentio in medium adferre, quò ſimplex rei veritas orbi propoſita maiorem ſui amorem, accuratiúſq; indagandi ſtudium apud philomuſos excitet. Miſſa igitur cum apud Theologos Græcos, aut alios vllos, quod equidem meminerim, non legatur, mirum cur ex Hebraiſmo eius originationem repetimus altiùs? Sanè ſi à priſcis noſtrę religionis authoribus fuiſſet vſurpata, eius profectò aliquod extaret in omnibus omnium linguarũ ſacrificiis veſtigium: quod cùm nuſlibi quàm apud Latinos, ſit obſeruare, ad veritatis ſimilitudinem eorum ſententia eſt propenſior, quæ latinum facit eſſe vocabulum. Quod enim Latinis eſt ſenatum mittere, pro dimittere, hoc iiſdem fuit Miſſa pro dimiſſione: ſicuti Tertulliani & Cypriani tempore atque Auguſtini, peccatorum remiſſa pro remiſſione. Rurſum, ſicuti miſſum facere apud Terentium dimittere eſt, atque miniſtris abeundi copiam facere: ita Miſſam facere vel fuit Eccleſiam collectam dimittere, vel quod puto veriùs, dimiſſionem ſi-

Miſſa eſt dimiſſio populi Vide Cypri. epi & de bono patientiæ. Tertull. 4. cont. Mar.

gnificare. Quemadmodum igitur iudices de concilio dimittebantur, teste Donato in Terentium, præconis voce Ilicet proclamãte: sic Christiana Ecclesia suis perfuncta & mysteriis & ministeriis, diaconi quasi præconis voce, Ite missa est, de adytis proclamante dimittebatur. *Missa est Latinis quod Græcis apud Chris. in Lit. ἀπόλυσις.* Cui ritui quídnam apud Grçcos nũc respondeat, nondũ satis discere licuit, nisi quod apud Chrysostomum in † Liturgia legitur sub eius finem, hîc sacerdos facit ἀπόλυσιν, hoc est, missam atq; populi dimissionẽ. Expletis enim sacris ministeriis sacerdos ea illic peragit ferè omnia, quæ vel hodie apud Catholicos obtinent. *†Vide Liturgiam Grecã D.Chris. Romæ impressã fac.34.* Post cõmunionem distribuit τὸ ἀντίδωρον, quod Galli etiamnùm obseruant, vti Parisiis vidimus, *le Pain benist*, id est, panem sacrum, siue ad verbum malis, benedictum appellitant: deinde ποιεῖ ἀπόλυσιν dimissionem facit, similia populo non tantùm, vti apud nos, imprecans: sed post pia imprecationis verba etiam benedicens.

Georgij Maioris hallucinatio & cauillatio. Proinde imprudenter admodùm, ne dicam imperitissimè, suspicantur, qui Catholicam Ecclesiam asserunt illud suum Ite Missa est hodie præposterè ad sacrificij finem accinere, quod olim ante eius initium in Catechumenorum missa dicebatur. Quod enim vno nomine nunc appellatur Missa, olim, sicuti duabus constabat partibus, quæ & rebus ipsis & personis erant discretæ: ita duobus quoque discernebatur nominibus, nimirum Missa Catechumenorum, & Missa fidelium, vti est apud Iacobum diaconum Heliopoleos in vita Pelagiæ, & alios. *Quod nũc vocatur Missa, olim duabus cõstabat partibus, diuersisque auditoribus.* Quemadmodum igitur etiamnùm hodie fideles voce omnibus nota dimittuntur absolutis mysteriis: sic Catechumeni vnà cum pœnitentibus, Energumenis, aliisque, simul ac essent perfecta, quibus interesse illis fas erat, reliquo Christianorum cœtu diaconi voce expellebantur, Si quis Catechumenus manserit, exeat. *Quidam hodie cauillandi libidine ceu æstroperciti omnia catholica arrodunt.* Quod cum in confesso sit, mirari satis nequeo quosdam ætatis scriptores, quibus impotens adeò vniuersa, quæ Catholici agimus, calumniandi incessit libido, vt eis veri arbitrium diabolicum eripiat cauillandi studiũ. Cum enim non ignorent, aliam fuisse Catechumenorum Missam, aliam item fideliũ, quid necesse est con-

fiteri mediam Missæ partem, præposterè factam esse postremam? Ego sanè resisto, nec à quoquam istud dabatur aduersariis, qui vel mediocriter sit rerum vetustarũ peritus. Quod igitur olim in fine dicebatur sacrificij, quo populo liberum fiebat Ecclesiâ discedere, idem quoque etiamnum hodie in fine dicitur. Sed an rectè à sacerdote dicatur, quod est Diaconi, necne, alibi discutiendum erit exactiùs: verùm quod olim in medio dicebatur, id Catechumenis deficientibus temporis lapsu sublatum est: qui vel præsentes, vti hodie, Ecclesiis sacrificij hora non excluduntur, sicut nec alij, quos vel in primis oportebat exclusos nõ modò templis, sed quouis adeò Christianorum cœtu: qui tamen non templa modò (ô tempora, ô mores) impiè terunt, sed ipsas etiam aras tremendis cum ipsis adeò mysteriis occupant. Proinde iam desinat Georgius Maior Catholicæ Christi Ecclesiæ calũniari, quòd hoc tempore in fine dicitur sacrificij, quod olim in initio. Istud enim vt imperitè dictum est, quia non in initio, sed in fine Catechumenorum Missæ dicebatur: ita cum cauillo etiam improbo est coniunctum, quod imperiti lectoris animum mendacio deceptum à vera Christi Ecclesia magis quàm par sit reddat alienũ. Obtinet itaq; Christi Ecclesia in sacrificij sui fine, quod olim dicebatur, licèt cõsultò submouerit, quod discessuris tunc Catechumenis proclamabatur.

Georgij Maioris calumnia depulsa.

Duplex olim Missa.

Missa Catechumenorum

Gemina igitur fuit, vt ex diuerticulo ad institutum redeat oratio, apud veteres Missa, Catechumenorum vna, fideliũ altera: quæ res diffusiùs paulò nobis est persequenda, quò vera Missæ origo lectoribus veritatis ex animo studiosis nõ sit ignota. Conueniebãt olim quotquot vel Christo nomen dedissent: vel eius religionis viderentur studiosi atque amatores: vel etiam calumniandi ridendíue animo: verùm non promiscuè in vnum conueniebatur locũ, sed pœnitentibus sua Proclausi egressis, atque in Acroasin vnà cum Catechumenis, teste D. Gregorio Taumaturgo, admissis, reliqui omnes qui confluebant, in vnum coibant corpus. Hunc quidem in modum ea templi pars, quæ laicos omnis generis excipiebat ab adytis, siue, vt hodie, choro, qui solos admittebat clericos

Vide quinq; pœnitentium loca apud D. Gregorium Taumatargũ Cano pœnit. 11. vnde alias Canonũ dis-

clericos, pridem distinguebatur: sed collabascente disciplina Ecclesiastica vnà cum pietate, locorum quoque ratio facta est cõfusanea. Nemo itaq; ex iis qui promiscuè ad Christianorum templa confluebãt, excernebatur, donec post lectionem vel Propheticam vel Apostolicam atq; Euangelicam, Symbolíque recitationem concio lecti Euangelij interpres esset habita. Hîc igitur Catechumeni vnà cum aliis diuino mysteriorum spectaculo, cœlestíque conuiuio indignis Dominico pellebantur: quod hodie mutilata voce Germani **den Dom** appellamus, sicuti pleríque, vt infinita alia, vocem Græcam τὸ κυρίακον **de Kyrke** & **Kyrke** Hollandi, corruptiùs Brabanti **de Kercke**, corruptissimè Heluetij **die Kilche.** Quòd ergo hisce in Ecclesia peractis Catechumeni mitterentur, id est, dimitterẽtur, dicebatur Missa Catechumenorum, id est, dimissio, quæ à Catechumenis potiùs nomen retinuit, quàm ab aliis, qui simul cùm ipsis eiiciebãtur, quòd horum aut turba maior fuerit, aut fidelibus non eiiciendis numerosiùs causa institutionis permistis. Quemadmodũ igitur, si fas est sacra cõferre prophanis, in Ethnicorum sacrificiis, teste Festo, clamabat lictor, Exesto hostis, victus, mulier, virgo: ita apud priscos Diaconus, Exeat si quis est Catechumenus.

...ficultates & admirãdam Ecclesiæ veteris discas diligentiam.

Dominicum olim pro templo.

Ex Græco Kyriaco dicimus.

Germani **Kyrke, Kyrke, Kercke, Kilche, Kirche.**

Cæterùm quæ ad hanc Catechumenorum Missam, id est, ea Ecclesiæ ministeria, quæ ante eorum dimissionem in templo agebantur, pertinẽt, nos hîc silentio præterimus; cùm ea non sint in controuersia posita, etsi à calumniis quorundam non sunt libera: quæ alibi de vera Missæ partium origine, si nobis Deus Optimus vitam Catholicæ suæ Ecclesiæ seruituram largiatur propitius, veris suis authoribus vindicabimus. Quin & aduersarij ipsi quædam huius rei, quæ ad populi pertinebant eruditionem, retinent, quædam reiiciunt. Verùm quæ apud Catholicos in hac priori Missæ, vti hodie vocatur, parte obtinent, ea vel ab Apostolis ipsis fuère tradita, vel pio studio piis à Pontificibus aut instituta, aut aliundè huc aduocata. Quis enim nescit, D. Paulum Troade vna sabbati, quod iuxta Hebraismum nobis dies Dominica, vbi conuenissent ad frangendum panem post concionem

Quæ in Missa hodie aguntur & leguntur maxima ex parte Apostolorum exemplo fiunt.

In Missa Apostolica conciones lectionem scripturæ sequuntur.

Conuentus antelucanus.

Lampades

Apostoli nõ sunt à præfatione Missam auspicati.

apud discipulos, qui, vt hodie pleraque Græca legunt, accesserant audituri, habitam fregisse atq; gustasse? Quod vt de mysteriis celebratis accipiam, vehementer inuitat cùm temporis ratio, tum antelucanus discipulorum prima Sabbati, id est, Dominica conuentus ad frangendum panem plurimis accensis lampadibus condictus. Rursum quísnam, qui vel vetustissimos Scriptores à limine, quod habet prouerbium, salutarit, inficias iuerit peragendis sacrosanctis mysteriis fuisse procemij quasi loco adhibita vel Dauidis carmina, vel Prophetarum oracula? Vt videre est apud Diuum Iustinum Apolog. 2. & Dionysium Areopagitam, Tertull. Apologetico.

Quare quod à quibusdam memoriæ est proditũ, Apostolos suã Missam à præfatione fuisse auspicatos, nõ ita accipiẽdum est, perinde quasi nihil præmiserint quod faceret ad populi congregati pædagogiam atque eruditionem: sed quòd Missam illam, quæ fideliũ dicitur, extorsi, hac præfatione eorum animos ad tremenda mysteria præpararint. Cæterùm quibus, & à quibus illa Catechumenorum Missa fuerit cumulata auctariis & appendiculis, in præsentia nõ est differendi locus. Quare hanc Missam nos in aliud tempus missam facientes, de altera, quá fidelium appellabat vetustas, disseremus prolixiùs.

Caput XXXVIII.

Altera Missæ pars quæ fidelium dicebatur qua methodo tractanda.

Fratres se mutuò dicebãt baptizati.

HAbes Christiane Lector varia sacrosanctæ Eucharistiæ Synonyma, & de vera Missæ origine satis multa, quantum quidem huius instituti ratio desiderat: nunc de ea dicendum est Missa, quæ omnium olim Christianorum promiscuè non fuit communis, sed quorundam propria, vnde & fidelium dicebatur alicubi, vt est apud Iacobum Diaconum Heliopoleos in vita Pelagiæ: Alicubi verò, fratrum vt intelligere est ex D. Iustini Apologia. Hæc igitur cùm hodie à sui vsque principio habeat panis viníque aquâ permisti oblationem, eorundémq; in corpus & sanguinem Christi consecrationem, & postea immolationem & communionem: primùm de Christiani sacrificij materia dicemus, tum de eiusdem consecratione atque oblatione:

poſtea explicatis incruenti huius ſacrificij effectis, ad ſacram communionem tractandam accedemus.

Clariſſima Prophetarũ vaticinia, quæ vniuerſam Chriſtianę Reip. faciem non rudibus tantùm typorum informationibus adumbrarunt, verùm & expreſſis clarè coloribus depinxerunt, Chriſtianum efflagitabant ſacrificiũ quale ille olim rex Salem, idémque Sacerdos Dei altiſſimi Melchiſedech in Geneſi Moſaica narratur Abrahamo plurimarum gentium parenti oblatũ attuliſſe. Itaq; Dauid Chriſti panegyricum canens, quo eius in cælum aſcendentis celebrat inaugurationem in nouum regnũ, poſt varia eius encomia, celebratámq; de hoſtibus ſubiugandis victoriam, quæ regiam decebat maieſtatem: poſt prædicatos Euangelicæ doctrinæ triumphos (qui à 70. doctiſſimè τοῦ ῥάβδου vocabulo fuerunt expreſſi, quod palmæ ramum victorię inſigne, & faſces imperij indices ſignificat) qui illo magni cõſilij angelo nouæ legis Apoſtolo eſſent digni, qui totum terrarum orbem in verum veri Dei cultum Deo Opt. Max. ſubiiceret atq; ſubiugaret: tandem etiam Sacerdotis laudes addit, vt Chriſtum verè Triſmegiſtum deſcripſiſſe agnoſcatur, maximũ videlicet orbis regem, maximum Euangelicæ legiſlatoré, maximum deniq; ſingularis illius ſacrificij Sacerdotem quòd omnia omnis orbis deleret crimina, Deúmq; toti mundo ex iratiſſimo redderet quàm propitium. Cùm itaq; perpetuus Sacerdos non intermoriturus, vt olim ille Leuiticus, ſit Chriſtus à Deo Patre inſtitutus, iuramẽtóq; quod abrogationem vllam aut antiquationem neſciat, confirmatus iuxta ordinem Melchiſedech, debuit certè ad illius exemplum & ſuę Eccleſiæ ſacrificium pręſcribere, quod Deo Opt. Maximo, vt toto terrarum orbe iuxta Malachiæ oraculum, ita conſiſtentis huius corruẽtis mundi tempore ſemper eſſet offerendum. Inſtituit igitur ſacrificium iuxta Melchiſedech typum, quod panem haberet & vinũ, quæ præ aliis rebus ſingularia ſunt vnionis plurimorum, quaſi granorum aut racemorum in panem aut vinum ex plurimis in vnum corpus ſymbola.

Gen.14.
Pſal.109.
Chriſti Ieſu panegyricũ canit Dauid, Pſal.109. Dixit Dominus Domino meo.
Chriſtus à Dauide canitur verè Triſmegiſtus.
Chriſtus Sacerdos in æternum.
Heb.7.
Pſal.109.
Malac.1.
Materia S. Euchariſtiæ.

Hanc Chriſtiani ſacrificij materiam Apoſtoli à Chri-

ſto edocti Eccleſiis Deo Opt.Max. offerendam tradiderunt, quemadmodum diſertiſſimis verbis D. Iuſtinus 2. Apologia ad Antoninũ,& in Triphone teſtatur ſępiùs: & D. Irenæus & Cyprianus locis paulò pòſt aptiùs commemorandis. Panem igitur & vinum offerendum tradiderunt, ſed an azimum, vt Latina per Rom. orbem obtinet Eccleſia, an fermentatum, vt Græci aiunt atque Oriẽtales, & quidam Septentrionales, nolumus hîc diſputare accuratiùs, quòd hæc res non ita magnoperè ſit ab aduerſariis in diſquiſitionem abrepta. Nam res iſta cùm Græcis hominibus eſſet copoſiùs tractanda, cum quibus iſthæc inter alias plurimas haud ſanè poſtrema eſt controuerſia. Vinum autem Lutheranorum quidam contentioſiſſimè purum & immiſtum aſſerunt ſacrificio adhibendum, quòd meracius fortè potitare, quàm dilutius bibere impendiò gaudeant. Quare nobis oſtendendum ex Apoſtolorum Traditione adeóque Chriſti inſtituto, vinum non niſi miſtum Deo Opt. eſſe ſacrificandum. Diuus itaque Iuſtinus Apologia ad Anton. Chriſtianæ Eccleſiæ ſacrificium deſcribens, ex Apoſtolorum Traditione commemorat, panem vinúmque aquâ commiſtum adferri Præpoſito fratrum, quem Tertullia. Præſidentem Eccleſiæ, nos intelligimus paſtorem. Cuius verba hîc diffuſiùs pertractarem, niſi infeſtum aduerſariorum telum in huius teſtimonij ſubuerſionem viderem paratum, quòd ſcilicet ſuæ duntaxat Eccleſiæ † Samaritanæ morem perſcribat. Ita enim ſunt homines iſti mirificè ſcilicet acuti, vt vbi ſeſe perfidię cõuictos agnoſcunt, ne toti videantur victi ad iſtiuſmodi cauilla libenter ſubterfugiant. Quare omnia iſta tergiuerſationum diuerticula ſemel præoccupabimus, ne ampliùs de huius vel illius Eccleſiæ ritu particulari quicquam obganniãt. Eſt autem Canon. 32. Concilij vniuerſalis 6. Conſtantinopolit. in Trullo habiti, qui ſic ſtatuit. Nam Cano. 24. Concil. 3. Carthag. & Canon. 1. Concil. Bracar. aliáque perlibenter ſilentio hîc prætterimus. Ε'πειδὴ ἔις γνῶσιν. Quoniam nobis notum eſt & quæ ſeq. vbi poſt refutatum Armeniorum errorem, ſolo vino aquâ non permiſto vtentium, partes declarant, D. Chryſo. illis vti ex-

Panis azim⁹

Vinum aqua permiſtum.

Vide Iuſtinũ martyrem Apolog. ad Anto. A.

† D. Iuſtinũ fuiſſe Samaritanæ Diœceſeos exeius dialogo liqueat cum Tryphone Archiſynagogo Epheſino habito.

Can, 23. Conc. 6.

iſtimarant, non patrocinari, ſed contra hydroparaſtatas, id eſt, ſola aqua in myſteriis vtentes loquutum, ſubtexũt: καὶ δεικνὺς ὡς ἐξ ἐναντίας τῆς ἀποστολικῆς ἵσταται παραδόσεως τὸν εἰρημένον κατεσκεύασε λόγον. ἐπεὶ καὶ τῇ κατ' *αὐτὴν ἐκκλησίᾳ ἔνθα τὴν ποιμαντικὴν ἐνεχειρίσθη ἡγεμονίαν, ὕδωρ οἴνῳ μιγνῦσαι παρέδωκεν ἡνίκα τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ἐπιτελεῖσθαι δέησειεν, τὸν ἐκ τῆς θείας πλευρᾶς καὶ τιμίας τοῦ λυτρωτοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἐξ αἵματος καὶ ὕδατος κρᾶσιν παραδεικνύς. ἥτις εἰς ζωοποίησιν παντὸς τοῦ κόσμου ἐξεχύθη, καὶ ἁμαρτιῶν ἀπολύτρωσιν. καὶ κατὰ πάσης δὲ ἐκκλησίας, ἔνθα οἱ πνευματικοὶ φωστῆρες ἐξέλαμψαν ἡ θεόδοτος αὕτη τάξις κρατεῖ. καὶ γὰρ καὶ Ἰάκωβος ὁ κατὰ σάρκα χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἀδελφὸς τῆς ἱεροσολυμιτῶν ἐκκλησίας πρῶτος τὸν θρόνον ἐνεπιστεύθη. καὶ βασίλειος ὁ τῆς καισαρέων ἐπίσκοπος, οὗ τὸ κλέος κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διέδραμε, ἐγγράφως τὴν μυστικὴν ἡμῖν ἱερουργίαν παραδεδωκότες, οὕτω τελειοῦν ἐν τῇ λειτουργίᾳ ἐξ ὕδατος καὶ οἴνου τὸ ἱερὸν ποτήριον ἐκδεδώκασιν. καὶ οἱ ἐν καρθαγένῃ συναχθέντες ὅσιοι πατέρες, οὕτω ῥητῶς ἐπεμνήσθησαν, ἵνα ἐν τοῖς ἁγίοις μηδὲν πλέον τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου προσενεχθείη, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ κύριος παραδέδωκεν, τοῦτ' ἔστιν ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου.

*αὐτὸν lego.

Quæ hunc in modũ Latina fiant: Demonſtrato eos contra Apoſtolicam venire Traditionem (qui aquam ſolam offerunt) illam confecit orationem, quoniam & ſuæ, cui paſtor pręfuit, Eccleſię vinum aquâ miſcendam tradidit, quum incruentã illam hoſtiam offerre oportuerit, oſtẽdens, illam ex diuina atq; terveneranda redemptoris ſaluatoríſq; Dei noſtri Chriſti coſta ſanguinis & aquæ tẽperaturam, quæ toti mundo viuifica effundebatur, omniúmq; delictorum redemptrix. Inſuper & omnem per Eccleſiam, vbi diuini ſpiritus ſplẽduêre lumina, hęc Deo tradita obtinet conſtitutio. Nam & D. Iacobus qui ſecũdum carnem Chriſti Domini noſtri frater primus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ dignus eſt habitus thronum ſcãdere, atq; Baſilius Cæſareæ Epiſcopus, cuius gloria totũ per orbem illuſtris diſcurrit, ſcripto myſticam noſtram ſacrificij Chriſtiani rationem tradentes, ſic conſecrandum in Miſſæ officio ſacrũ calicem ex aqua & vino prodiderũt. Adhæc & ſancti Patres Carthagine cõgreſſi ità disertè commemorarunt, vt in ſacroſanctis myſteriis ni-

hil præter corpus & sanguinẽ Domini offeratur, quemadmodum & Dominus ipse tradidit, hoc est, panem & vinum aquâ mistum.

Caput XXXIX.

Quòd rectè offeratur panis et vinum cont. Georgij Maioris blasphemias.



Anc sacrosanctæ Euchristiæ, panem vinúmque aquâ permistum, materiam Catholica Christi Ecclesia per suos Sacerdotes Christi †vicarios secundum ordinem Melchisedech constitutos, Deo altissimo immolat atque offert, non ex monachorum inscitia, aut Sacerdotum impietate atque idololatria, quod bacchatur Georgius Maior in sua cœnæ Dominicę prophanatione verè antichristiana: sed ex Christi exemplo, adeóque imperio, & Apostolorum iuxta Prophetarum oracula Traditione.

† Sic D. Cyprianus & Ambrosius, de quo infrà.

Veniam deprecatur authorquòd sacrosancta adyta recludātur.

Quanquàm ea omnia, quę huius fidelium Missę sunt propria, iure essent venerabundo silentio decoranda atq; honorāda, ne sacrosancta illa mysteriorum adyta non solùm non faceremus, non adita & inaccessa laicis, verùm etiam prophanis omnibus peruia, atque adaperta: Cogit tamen Antichristorum istius ætatis in sacra impietas atque mysteria prophanandi furor, vt & nos sacrorum adyta contra suum & nomen & Apostolorum voluntatem impuris atque prophanis hominibus recludamus. Quare hanc mihi deprecor, Lector Christiane, veniam, quisque non putas habendam potiùs gratiam, si quid hac in re peccatum videbitur: ea namque est lugenda nostrorum temporum, conditio, vt ad fratrū nostrorum vtilitatem si quid facere credatur non sit prætermittendum, vtut quandam præ se ferat apud religiosulos prophanationis speciem. Eadem hac necessitate compulsi VV. CC. iuxtà ac doctiss. Colonienses Theologi, ad propulsandam aduersariorum calumniam (qui mysticum tremendorum nostræ religionis mysteriorum Canonem in vulgi linguam conuersum non modò infimæ nostræ plebeculę, sed prophanis prorsus omnibus, adeóque Iudæis ipsis in Germania exultantibus, temeritate post Christianorum memoriam inaudita propinarant deridendum, subsannandum, illudendum) eundem

vulgari lingua sua populo proponere legendum atque veraciter cognoscendum.

Quòd igitur panem & calicem vino cum aqua mistũ rectè offerat Christi Ecclesia, quis meritò ambigat, cui veniat in mentem, sacerdotes Christianos secundum ordinem Melchisedech à Christo creatos hoc ipsum offerre, & eo ritu offerre, quo, & quod Christus prior obtulit? Huiusce rei pauca, sed luculenta nunc adferamus testimonia. Admonitos nos scias, scribit Diuus Cyprianus Cæcilio fratri epistola tertia libro secundo, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Et quibusdam interiectis: Item à sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur & dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraam. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis ex persona patris ad filium, dicens. Ante Luciferum generaui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est, de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraam benedixit. Nam qui magis sacerdos Dei, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit. Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Rursus eadem epistola: Quam rem (scilicet typum Melchisedech) perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit.

Melchisedech panem vinúmque obtulisse.

Christus in cœna obtulit panem & vinum aqua mistum.

Diuus quoque Irenæus veram sacrificandi docens rationem, Sed & suis, inquit libro 4. cap. 32. discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eũ qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meũ. Et calicem similiter, qui est

Cur ad exẽplũ Melchisedech Christiani offeramus panem & vinum.

" ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem
" confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblatio-
" nem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso
" mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primi-
" tias suorum munerum in nouo testamento, de quo Ma-
" lachias, & quæ seq. Rursus eiusdem cap. 34. Nostra au-
" tem consonans, inquit, est sententia Eucharistiæ, & Eu-
" charistia rursus confirmat sententiam nostram. Offeri-
" mus enim ei, quæ sunt eius, congruenter communica-
" tionem & vnitatē prædicantes carnis & spiritus. Et pau-
" lò superiùs: Oportet nos oblationem facere Deo, & in
" omnibus gratos inueniri fabricatori DEO in senten-
" tia pura, in fide sine hypocrisi, in spe firma, in dile-
" ctione feruenti primitias eorum, quæ sunt eius creatu-
" rarum, offerentes: & hanc oblationem Ecclesia sola pu-
" ram offerret fabricatori, offerens ei cum gratiarum a-
" ctione ex creatura eius. Vtque huius oblationis panis
" viníque necessitas omnibus magis sit conspicua, tria
" ad hæc Diui Irenæi verba subteximus ex eiusdem cap.
" fine. Ita & ipsum verbum dedit populo præceptum fa-
" ciendarum oblationum, quamuis non indigeret eis, vt
" disceret Deo seruire. Sic & ideo nos quoque offerre vult
" munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo
altare in cælis. Illuc enim preces nostræ & orationes
nostræ diriguntur.

Veteres omnes sensisse Melchisedech obtulisse panem & vinum.

Ad hæc si quis fortè plura de Melchisedech oblatione desideret, is mihi D. Hieronymum epistol. ad Euagrium consulat, vbi doctissimos recitans scriptores, luculenter rem præsentem nobis attestatur: Verti me, inquit ad Hypolitum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eustachium, qui primus Antiochenę Ecclesiæ Episcopus con-
" tra Arrium clarissima tuba bellicum cecinit, & depre-
" hendi horum omnium opiniones diuersis argumenta-

Melchisedech Cananæus rex Ierusalem idémque

tionibus ac diuerticulis ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent, Melchisedech hominem fuisse Cananæum, regem vrbis Ierusalem. Et post quædam interiecta: Or-
" dinem autem eius multis modis interpretatur, quòd so-
" lus & rex fuerit & sacerdos, neque carnis & sanguinis

victimas immolauerit, & brutorum ſanguinem eorum » animalium exta, id eſt, quicquid ſuper eſcam eſt, ſuſce- » perit: ſed pane & vino, ſimplici puróque ſacrificio Chriſti dedicauerit Sacramentum. Quibus ex clariſſimis Patrúm multò vetuſtiſſimorum teſtimoniis variæ, nec eæ futiles nec Chriſtianis ſacerdotibus indignę colligi poſſunt cauſæ, quibus Eccleſiaſtica hæc panis viníque oblatio contra omnium aduerſariorum oppugnationes & defendatur & muniatur. Siquidem iuxta Melchiſedech ordinem cùm ſint ſacerdotes, legitima adeóque Chriſti mãdato morigera eorum eſt panis & vini oblatio: quod D. Cyprianus, paulò antè & Irenæus perſpicuè docuerunt. Porrò quòd ipſe Chriſtus Dominus in cœna nouiſſima primus hæc obtulerit, præterquàm quòd typus ille à Melchiſedech rege ſacerdote adũbratus hoc prorſus expetat adeóque expoſcat, id quoque atteſtantur nobis grauiſſimi iuxtà ac ſanctiſſimi ſacrarum literarũ interpretes. D. Cypria. huius de ſacrificij ritibus diſputans: Vt ergo in Geneſi, inquit epiſtol. 3. lib. 2. per Melchiſe- » dech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſit ritè » celebrari, præcedit antè imago ſacrificij in pane & vino » ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Ad eũdem modum & D. Irenæus verbis nuper commemoratis: Sed & ſuis, inquit libro 4. cap. 33. diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis docuit creaturis. Sic & Photius apud Oecumenium in illud ad Hebr. 5. Secundum ordinem Melchiſedech, οὗτος πρῶτος ἀναίμακτον θυσίαν προσήνεγκεν τῷ θεῷ ἄρτον καὶ οἶνον. ἢ ὅτι καὶ ὁ χριστὸς ἀναίμακτον θυσίαν προσήνεγκεν, εἶθ᾽ ὕστερον καὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα· διὰ τοῦτο οὖν ἀναλόγως εἴρηται ἱερέα εἶναι τὸν χριστὸν κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ; Hic primas, inquit, incruentam Deo obtulit hoſtiam, panem & vinum. Siue, quod & Chriſtus ipſe incruentam immolarit hoſtiam, ac tum deinde ſuum ipſius corpus. Ea propter iuſta ratione dicitur, Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech.

» ſacerdos » ſolus panẽ & vinum obtulit.

Chriſtum in cœna panem vinúmque Deo patri obtuliſſe.

Chriſtus offerre docuit ex creaturis panem & vinum.

Chriſtus panem & vinũ priùs obtulit, poſteà corpus ſuum.

Præſens hoc Paulinæ epiſtolæ exponens capitulum

" Theophylactus: Manifestissimè hoc de Christo est di-
" ctum, inquit. Solus enim ille pane & vino sacrificium
" consecrauit, perinde ac Melchisedech. Et quibusdam in-
" teriectis, expositurus, quónam sensu Christus sacerdos
" dicatur in æternum secundum ordinem Melchisedech:
" Quia quę in singulos dies fit & futura est, inquit, in per-
" petuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet ponti-
" ficem & sacerdotem, atque adeò ipsum sacrum (sacrifi-
" cium) qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur &
distribuitur. Sic & Oecumenius: Qui ab ipso Christo
" sunt sacerdotes, quorum & Deus & Pontifex esse digna-
" tus est, ἀναίμακτον προσοίσουσι θυσίαν incruentam offerent
" hostiam. Nam hoc significat, In æternum. Neque enim de ea quæ semel à Deo facta est oblatio & hostia dixisset, In æternum, ἀλλ' ἀφορῶν εἰς τοὺς νῦν ἱερουργοὺς, δι' ὧν μέσων χριστὸς ἱερουργεῖ καὶ ἱερουργεῖται, ὁ καὶ παραδοὺς αὐτοῖς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆς τοιαύτης ἱερουργίας· sed ad noui testamenti sacerdotes aspiciens, per quos Christus & sacrificat, & sacrificatur: qui etiam eis mystico illo in conuiuio, cœnáque nouissima istiusmodi (incruenti) sacrificij atque immolationis modum tradidit.

Christus in cœna modum sacrificij incruenti Apostolis tradidit.

Caput XL.



Bi animaduertendum est, præclaros istos scripturarum interpretes de hac panis viníque aquâ permisti, & dominici corporis oblatione, ita loqui promiscuè, perinde quasi vna esset atque eadẽ. Sicuti & locis suprà citatis D. Irenæus & Cyprianus: quæ animaduersio semel studiosè obseruata plurimum adfert lucis, ad depellendas tam calumniarum, quàm sannarum tenebras, quas Georgius Maior clarissimæ veritati ad Missæ profanationem nõ tam offundere quàm euomere conabatur.

Canonis minoris defensio aduersus Georgij Maioris calumnias.

Posteaquàm ea semel omnia iste sibi proposuisset contumeliis potiùs proscindenda, quàm rationibus solidis, aut vlla veterum authoritate nixis confutãda, quæ nostra fidelium Missa habet, siue vt hodie loquimur, quę

in minore atque maiore Canone ſunt comprehenſa, recitatis illius verbis, quibus panis vinúmque Deo vero & viuo pro peccatis immaculata offertur hoſtia, ſic ſcribit: Vide quanta ſit primùm, inquit, inſcitia ſacrificulorum & monachorum, quorum cùm multa millia quotidiè per orbem terrarum Miſſas legant, & verè tantùm legunt: pauciſſimi enim lecta intelligunt, nemo eſt qui impietatem & idololatriam huius orationis, quàm Canonem minorem vocant, conſideret, & cogitet quid agat. Atqui, Lector Chriſtiane, tu quæſo, vide vtrũ iſtius hominis admirêre magis inſcitiam, an impudentiã: vult inter tot millia noſtrorum eſſe pauciſſimos, qui hanc orationis formulam intelligant, quaſi omnes qui iſtas factiones ſectantur, ſint eruditiſſimi: quòd ſi eſſent, nec à nobis deficerent, nec in ipſorum caſtris conſiſterent: nempe veritatis ſole, qui apud Catholicos fulget, illuſtrati. Sed vt demus ſacrificulos & Monachos, & apud nos dum perſiſtunt hæc non intelligere, & ſimul atq; in ipſorum caſtra deficiunt, nouo ſcilicet eruditionis ſpiritu donari, illud intolerabili eſt cum blaſphemia coniunctum, neminem eſſe, quod ait, qui impietatem vel idololatriam huius orationis conſideret, & cogitet quid agat. An nõ hîc ſuam ipſe prodit & impiam inſcitiam & impietatem ineruditam? Quod enim facimus, iuxta ordinem Melchiſedech ſacerdotes facimus: Chriſti exemplo freti, teſtibus Photio, Oecumenio, & Theophylacto facimus: Chriſti denique iuſſu inducti, teſte D. Cypriano atque Irenæo, facimus. Quo authore qui facit, quod facit, an impietatis atque idololatriæ, niſi ab homine bis impio ſuggillari queat? Atque ſacerdos, inquit, in hac prece vocat panem nondum conſecratum hoſtiam immaculatam, & ita nihil aliud quàm panem vulgarem offert Deo vero, & in eum finẽ pro innumerabilibus peccatis, offenſionibus, & negligentiis ſuis, & pro omnibus aſtantibus. Quòd panem vulgarem offert, tam longè ab omni idololatriæ ſuſpicione abeſt, quàm quod longiſſimè. Hoc enim & ipſe Chriſtus fecit, & nos vt non ſimus infructuoſi nec ingrati, teſte Irenæo, abs te adeò hiſce verbis recitato, facere præcepit. Porrò ꝙ immaculatam

O nefandam impij blaſphemiam.

Quod Chriſti exemplo & iuſſu facit Eccleſia, Georgius Maior criminatur idololatriæ.

vocat hostiam pro suis & Christianorum omnium tam viuorum, quàm mortuorum peccatis, non tam ad visibiles istas creaturas pertinet, quàm ad illam incruentam hostiam, inde paulò pòst consecrandam atque cõficiendam. Vni enim huic omnis peccatorum deletio atque remissio nõ modò nunc accepta est ferenda: sed vti olim semper, ita in posterum quoque semper. Ipse enim est agnus, qui occisus est ab origine mundi. *Apoc. 20.* Quemadmodum igitur citra idololatriam sanctissimi veræ religionis cultores sine vlla huius historiæ iniuria per Christũ in fine seculorum immolãdæ suas vel panis viníque, vel iuuencæ, vel decimarum, aliarúmve rerum hostias Deo viuo & vero pro suis peccatis immolarunt: *Iob 42.* ita & hodie Christianus sacerdos suo populíque nomine panem vinúmque Deo Opt. immolat. Adeò non est, vt suspicaris Georgi, aut impius, aut idololatra, vt sit verè pius atque deicola. Quod in primis apparebit verissimũ, si in mentem veniat, quod superiùs animaduertendum monuimus, hanc quoque panis viníque oblationem ad illam incruenti sacrificij immolationem respicere: quæ cùm re vera sit & immaculata, & peccatorum tam viuis quàm defunctis expiatoria (quod inferiùs ex doctrina liquidò Apostolica solis luce clariùs demonstrabitur) rectè huic tribuitur, quæ ab illa non est prorsus aliena: imò si intuearis penitius, ad illam præparatoria, veráque eius materia.

Quem igitur istius non misereat tam rabidè & nihil minùs quàm Euangelicè, in nos debacchantis? Homo stultus & impius, inquit post illa, non intelligens quid agat, vult placari iram Dei & deleri sua & populi peccata oblatione frusti panis: quæ ab exordio mũdi tot millibus ac inenarrabilibus ac variis sacrificiis & effusione sanguinis tot taurorum & pecudum tolli ac deleri minimè potuerunt. *Oblatione panis & vini Deũ colimus: Sed ea, sicuti & Missæ oratiões, incruẽ-* Id quidem stultum, Georgi, foret atque impium, nisi hac oblatione à Christo, ait Cyprianus, præcepta, & per Apostolos Ecclesiis tradita, Deum, ait Irenæus, coleremus, atque illius cruentæ crucis hostiæ, cuius vnius vi peccata delentur, & vnde omnis fluat necesse est propitiatio, efficaciam nobis applicaremus per

hostiam incruentam inde cõsecrandam: quam tota huius sacrificij actio respicit, & orationes omnes ceu scopum spectant.

Tota missæ actio tam respicit hostiam, ad quam inde consecrandam omnia præparant.

Quare quod de frusto panis cauillatur, sua facit impietate dignum, quæ in illius oblatione nec fidem offerentis cogitat, nec obedientiam Christo Domino præcipienti à piis præstandam. Iam quod porrò nugatur, frustum hoc panis non posse pro viuis & defunctis offerri, nullam meretur hoc loco responsionem, quæ ex iis, quæ suo inferiùs loco de incruenti nostri sacrificij efficacia dicentur, nullo poterit negotio depromi. Nam quæ in hac orationis, quam minorem vocant canonem, formula isti sacrificio panis viníque tribuuntur, in illam incruentæ hostiæ hinc mox cõsecrandæ immolationem spectant. Tota enim huius sacrificij actio vnius est incruentæ illius hostiæ oblatio. Nam hoc orationis quasi præambulo ad illam hostiam incruentam hinc consecrandam præparantur, cùm sit ad Canonem maiorem parasceue: quapropter & in Præfationem decurrit.

Vide liturgiam Chrys. & Basilij, vbi eodẽ sensu hæc sacra dona ante cõsecrationem offerũtur pro peccatis.

Hæc igitur panis viníque oblatio cùm iuxta D. Irenæi, Cypriani, aliorúmque testimonium, à Domino Christo sit præcepta, nõ solùm ad Melchisedech typum Deo patri oblata, quis non horreat impius illas Georgij Maioris contumelias, ne dicam blasphemias atque insanas bacchationes, quibus rem hanc proscindere est aggressus? Est igitur, inquit, horribilis idololatria, quòd sacerdos offert Deo panem, quem scit, aut offerens scire debebat, communem, qui nondum additis verbis promissionis nihil ab alio pane distat. Quàm ista verba sine mente fundat homunculus, nemo nõ videat, qui alia eiusdem in eodem libello cõsiderarit verba. Cùm enim posteà de corporis Dominici sacrificio iuxta Danielis oraculum tollendo per Antichristum, disputando illi viam præstruit, impotenti animi rabie raptus, vt illud euertat, ex Irenæo demonstrat, à Christo Ecclesiæ traditam panis viníque oblationẽ. Sed eius verba audiamus. Vocat Irenæus, inquit in respõsione ad 5. argumentum, quo Missæ oblatio statuitur, oblationem noui testamẽti totum cultum illum externum & spiritualem, videli-

Oblationem panis à Georgio Maiore hic dictã idololatricã ipse suis pòst verbis sui oblitus ex D. Irenæo probat legitimã.

" cet primum spiritualem veram Pœnitentiam, &c. De-
" inde etiam docet coniungẽdos esse externos cultus hos spiritualibus, videlicet nouam obedientiam, &c. Sic etiã in nouo testamento inquit, Christum præcepisse, vt oblationes fiant in vsus pauperum (hoc de suo adiecit) qui in primitiua Ecclesia ferè tum fiebant, & offerebantur, cùm cœna Dominica haberetur.

Et infrà multò apertiùs ipsa rei veritate manifestissima compulsus: Cæterùm quæ sit oblatio, inquit, quam
" Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo of-
" fert Deo, docet Irenæus claris verbis: Et qui alimenta,
" inquit, nobis pręstat primitias suorum munerum in no-
" uo testamento. Vocat primitias munerum (verba sunt
" Georgij) oblationes illas panis & vini & cæterarum re-
" rum. O magna veritatis vis, quæ vel per inuitas suorum
" hostium erumpit fauces. Si ergo, vti hîc Georgi confiteris, vocat Irenæus primitias panem & vinum, eásque ex Christi instituto Ecclesia Deo patri per Christũ offert, vti habet capite tricesimo tertio, quin palinodiam tuæ illius impiæ vocis, adeóque blasphemiæ canis, qua sacerdotes idololatriæ insimulabas, quòd panem nondum consecratum Deo offerunt? Verùm istum ad modum se ipsi produnt miseri, quòd non consilio nec ratione solida Catholicæ Christi aduersantur Ecclesiæ, sed mero animi impotentis morbo, mero contradictionis spiritu ceu œstro perciti, in pios Ecclesiæ filios bacchantur. Sed nos intermissis quæ deinceps in mysteriis aguntur, pro eo atque huius instituti ratio exposcit, quòd hæc alium sibi poscant locum, ad Christianum illud incruẽtum sacrificium proficiscamur.

Caput XLI.

S. Eucharistia cõsecratio.



Onstituta igitur S. Eucharistiæ materia, vino, inquam, aquâ permisto panéque azymo, iam porrò ad eius formam, quã Physici dicunt, siue consecrationem malis, pergendum. Cuius, quòd ab ea res tota ceu causa sui potissima, dependeat, exquisitior simul & accuratior instituenda nobis est per-

tractatio. Adulterinam proinde istam Lutheranorũ nouam consecrandi formam anteà refellamus oportet, cui Catholicam atque toto prorsus terrarum orbe receptã hactenùs & conseruatam antiquitùs annectemus traditionibus Apostolicis confirmatam. Volunt igitur cõsecrationis loco non veterem illam consecrandi formulã esse retinendam, sed pro nouo noui sui, quem iactitant, spiritus placito, D. Pauli ad Corinthios locũ esse in cœna Dominica lectitãdum. Sed quàm nefario cum sacrilegio nouũ istud temerariæ, imò insanæ veriùs audaciæ sit facinus cõiunctum, vel quilibet facilè cognoscat, qui modò æquus rerum arbiter aduertat animũ. Istis enim verbis D. Paulus historiam rerum à Christo in nouissima Paschalis agni cœna gestarum rememorat, non autẽ consecrandæ Eucharistiæ formam præscribit. Nam disertè dicit sese rememorare literis scriptis, quod acceptum à Christo ipsis dudũ tradiderat: à quo illi Corinthiorum opulentiores quum euariarent, repetẽdum altiùs atque inculcãdum diligentiùs sibi credidit D. Paulus, vt languescenti iam tunc pietatis ardori, atque torpescenti traditæ dudum disciplinæ obseruationi bonus medicus tempestiuè salubri occurreret pharmaco. Quare quum D. Paulus illo ad Corinthios loco non consecrandæ Eucharistiæ modum præscribere, sed verum gestarum à Christo rerum ordinem describere instituerit, quàm est omni prorsus absurdo absurdius, gestarum rerum historiam pro consecrationis Eucharistiæ forma vsurpare? An non manifestissimæ teneatur insaniæ, qui legens illa D. Matthæi verba, Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium, baptizantes eos in nomine Patris, &c. lusitando aquam aspergat, Iudæo vel Pagano sese iactitet baptizasse? quòd illa verba à D. Matthæo descripta non ad baptismi formam, sed ad gestæ rei historiam á Spiritu sancto sunt in Euangelij libro commemorata.

Bucerus reformat. Bonensi Coloniẽsibus oblata.

Locus D. Pauli ad Cor. non est consecrationi idoneus.

1. Cor. 11.

Quare illa ad Corinthios D. Pauli verba, quum ad meram ex apertissima D. Pauli voluntate verbísque disertis contestata pertineant gestarum à Christo rerum historiam, mira sanè impudentia dicam, an insania ve-

riùs,ad cõsecrandi formã rapiuntur. Nam si aut Corinthiorum Episcopus Apollo, vti docet Theodoretus, traditam sibi à D. Paulo consecrandi formam immutasset, sicuti Corinthiorum plebs sacræ communionis ritum: aut si Paulus consecrationis modum hîc voluisset præscribere, nemini sanè ambiguum esse queat, quin aut illum Corinthiorum Episcopum cum clero vniuerso singulariter admonuisset officij, aut aliquod saltem vel tenuissimũ suæ istius voluntatis dedisset indicium. Quod cùm prorsus nullum appareat, certè contra manifestissimam D. Pauli voluntatẽ impio cum sacrilegio eius verba ad rerum historiam commemorãdam scripta ad Eucharistiam tremendi illius sacrificij consecrandam detorquentur. Iam itaque demonstrandum, nec Apostolos ipsos, adeóque nec Paulum quidem ipsum, non fuisse illa, quæ ad Corinthios est forma, vnquàm planè vsos, quod ad consecrationis quidem modum attinet. Siquidem D. Iustinus 2. Apolog. pro Christianæ religionis

Nec Apostolos nec Paulum vsos illa ad Corinth. consecrandi forma.

" defensione Antonino Augusto exhibita, disertis admo-
" dùm verbis describẽs publicum Christiani nostri sacri-
" ficij ritum ab Apostolis traditum, ita loquitur: Apostoli
" enim in commentariis, quæ Euangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse tradiderũt, cum accepto pane cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in memoriã mei, hoc est corpus meum. Quo testimonio licet luculentissimo si quis nõ cõtentus aliud prætereà desideret, illud etiam D. Basilij adiungat: quod rem quæ in præsentiarum agi-
" tur, ita semel illustrat, vt sano capiti nihil ad hæc sit vl-
" lo pacto requirendum ampliùs. Inuocationis verba, in-
" quit capite vigesimo septimo de Spiritu sancto, dum o-
" stenditur panis Eucharistiæ, ac poculum benedictionis,
" quis sanctorũ nobis scripto reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Euãgelium meminit, sed & anteà & posteà quædam dicimus alia, velut magnum robur ad mysteria habentia ex non scripta doctrina assumpta. Non historica illa igitur Diui Pauli ad Corinthios verba ad sacram tremendi sacrificij consecrationem peragendam sunt idonea, quibus vsos fuisse Apostolos D. Iustinus negat: quibus non fuisse contentos illos

tos illos priſcos PP. diſertè docet D. Baſilius: ſed alia quædam occultis tacitíſque rationibus ex Apoſtolorum Traditione fuiſſe in cõſecranda Euchariſtia ſemper adhibita, quæ nuſquàm ſcripto Dei verbo ſint comprehẽſa. Quæ cùm ita ſint, magis ſubit horridam Lutheranorum deflere idololatriam, quàm fanaticam admirari inſaniam: quòd ſuis illis è ſalutaribus Catholicæ Chriſti Eccleſiæ paſcuis ſeductis per incauta hæreſeon auia hircorum gregibus panem merum in ſaluberrimi ouicularum pabuli Chriſti corporis locum ſubponunt, vt taceam, vix centeſimum quenque Prædicantium, quos dicunt, atque Parochorum diuina hac eſſe poteſtate prædítum. Noſter enim panis & calix certa conſecratione (vt Auguſtinus olim lib. 20. cap. 13. cõtra Fauſtum Manich.) fit Chriſtianis, non naſcitur: proinde quod non ita fit quamuis ſit panis ac calix, alimentum eſt refectionis, nõn Sacramentum religionis. Habent igitur illi in ſua quam dictitant cœna, panem & vinum, ſed quæ maiori ex parte, quia pauciſſimi Sacerdotes, alimenta tantùm ſint refectionis, non Sacramenta item religionis: quemadmodum de prophanis Manichæorum myſteriis pronunciat D. Auguſtinus lib. 20. cap. 13. contra Fauſtũ. Quippe quòd non ſolenni nec certa illa Apoſtolica cõſecrandi formula à Chriſti Sacerdotibus ſint in Chriſti carnem & ſanguinem conuerſa.

Lutherani vere idololatriã ſuos docent, quòd Chriſtũ volũt in Euchariſtia à non ſacerdotibus conſecrata præſentem.

An Lutherani verã ſemper habeant Euchariſtiã.

Caput XLII.



Onfirmata ſolenni illa Eccleſiæ Catholicæ conſecrationis formula, nunc ad eius effecta declaranda pergamus oportet, vt diuinæ illius cõſecrandi poteſtatis diuina item opera cõtemplemur perfectiùs, & cognoſcamus pleniùs. Quòd igitur panis vinúmque in veriſſimum Chriſti corpus & ſanguinem verè mutentur, conuertantur, atque tranſſubſtantientur adeò, ex Traditione liquidò Apoſtolica atque doctrina certò Catholica pòſt erit demonſtrandum, vbi primùm friuolas Sacramentariorũ nugas paucis exploſerimus. Mox contra Lutheranos, non perma-

Panem verè in corpus Domini conuerti & tranſſubſtantiari.

Quídnam efficiat illa myſticæ cõſecrationis forma.

nere post consecratione͂, aut pane͂ cum Christi corpore, aut vinum cum eius sanguine, nobis erit constituendu͂.

Cæcus Sacrame͂tariorum error ex Berengarij Camerina renatus.

Cùm animus Christianus, cui vel scintilla Euangelici illius ignis existit reliqua, cæcum illum non minùs quàm horribile͂ Berengarij de corpore Domini in Eucharistia, non verè atque ipsa re, sed symbolicôs tantùm atque spiritaliter præsente, abhorreat, abominetúrque, nequimus in eo quidem refutando multi esse. Quæ igitur contra clarissimam Catholicæ doctrinæ veritatem, non tam inani verborum strepitu ac oratione futili, quàm execranda animoru͂ impietate conaba͂tur Zvuinglius, Oecolampadius, Petrus Martyr, atque Caluinus, plus satis equidem crediderim refutata, si erroris, quem pridem abolitum renouare connituntur, origo ex illo Berengario istius Camerinæ authore fluxisse monstretur. Quod illi hodie renoua͂t de Sancta Eucharistia portentum, suum ingenij fœtum Berengarius illorum parens bis ter in Ecclesiasticis Conciliis, Vercellensi & Rom. non voce modò publicè nihil dubitauit quasi exponere, atque manibus quasi parricidalibus allatis enecare: sed indelebili etiam suæ manus subscriptione quasi stylo conficere atque interimere. Proinde ecquid obsecro operæpretium, cur stolones hac ætate plusquàm hæreseon fœcunda repullulantes, studeamus accuratiùs reputare? aut eius ramos vnam propè Heluetiam infeliciter obumbrantes, collucare? Qua in re quia ingenti cum gloria Ecclesia Anglicana eximios nobis exhibuit Catholicæ fidei propugnatores, non est cur nos hac in re fatigemus, inter quos post illustrem Christi Martyrem Diuum Ioannem Roffensem claret Reuerendissimus Stephanus Vvintoniensis Angliæ Cancellarius, & Tonstallus Episcopus, Albanus Archidiaconus, aliíque item viri doctissimi: quorum opera vel sola idem planè beneficij Catholicis collatum iri equidem sperarim, quod olim exorta primùm isthac Sacramentariorum peste ab Angliæ doctissimis Episcopis, Landfranco, Guitmundo, & cæteris item aliis Catholicæ Christi Ecclesiæ adferebatur remedij. Horum itaque scriptis orbi euulgatis, Lector veritatis cognoscendæ studiosus, ad-

uersus præsentium temporũ errores satis supérque fuerit munitus. Si quis igitur veterum Scriptorum de vera corporis Christi in Sacramento præsentia desideret testimonia, præter illos veteres Tonstallum perlegat, & ne quid desit, R.D. Decanum Vvintoniensem consulat, qui hoc de argumento supra ducenta ingenti cùm diligentia ac studio collegit testimonia. Adhęc si quid à Sacramentariis post iugulatum à B. Roffensi Oecolampadium videbitur, aut ingeniosè excogitatum, aut callidè cõfictum, totum id nullo negotio acutè discutiat atque subtiliter dissoluat doctissimus Stephanus Vvintoniensis libro aduersus Capharnaitas scripto, Parisiis quidem †iustissima de causa Magistri Antonij Cõstantij Theologi Louan. titulo in lucem edito: sed abhinc quinquẽnio à nobis suo authori postliminiò Louanij reddito atque vindicato. Quare ne rem actam agamus, veterum testimoniis supersedeo recensendis, cùm ex horum lucubrationibus qui volet petere, possit: Tum quòd Patrũ sententiæ infrà commemorandæ, hanc Eucharistiæ veritatem quasi certissimum & indubitatum doctrinæ de corporis Dominici sacrificio fundamentum iaciunt atque præstruunt.

† Author Londini captiuus nõ eũ sibi lectionis fructũ pollicebatur suo edito nomine apud suos quorũ animos tũc eius odium tenebat.

Proinde quod Caluinus quiritatur, causam se non videre, cur tam iniquis iudiciis recipiatur sententia, quę nihil in se habet quod offẽdit, nisi quòd seculis aliquot, quum in Ecclesia regnaret illa Sophistarum inscitia, & barbaries, oppressa fuit, Quis adeò sit absurdus qui non videat, quorsum istas insidias tendat? Nihil habet quod offendat, inquit, nisi quòd seculis aliquot oppressa fuit. Certè haud alia, Caluine, de causa, quàm quòd plurimum haberet quod offenderet, oppressa fuit, & quidem in ipsa herba, quod habet prouerbium. Ante Berengarium enim isthæc doctrina prorsus à Christianorum memoria fuerat & inaudita & incognita: quemadmodum Diuus Landfrancus docet libro in illũ scripto, & Diuus Guitmundus. Quare simul atque fuit exorta, apertissimis Scripturis, simul & clarissimis veterum Patrum sentẽtiis opprimebatur refutata atq; vanitatis cõuicta. Quòd igitur calũniatur Caluinus, aliquot

Caluinus immeritò quiritatur suam Berengarianam doctrinam adeò iniquè accipi.

ſeculis iſtam Zvuinglij doctrinã cùm in Eccleſia regnaret illa Sophiſtarum inſcitia & barbaries, fuiſſe oppreſſam, quis neſcit quàm à ueritate ſit alienum? qui modò meminerit, qualibúſnam Catholicæ ſuæ Eccleſiæ propugnatoribus Berengarij doctrinam Deus Optimus dignatus eſt falſitatis conuincere, labefactare, profligare atque adeò ſemel mundo exturbare? donec vos orco illius ſcintillas reſuſcitaretis: Landfrancum dico Cantuarienſem, Guitmundum Auerſanum Archiepiſcopum, Diuum Algerum Canonicum Leodienſem, Adelmannum Brixienſem Epiſcopum, & Hugonem Lingonienſem, vt alios ſilentio prætercam: quos viros, Deum immortalem? Quàm eximia literarum ſacrarum peritia? Quàm diligenti veterum Scriptorum lectione exculti? Quàm pro illius ætatis infelicitate puri, nitidi, atque etiam floridi? Hos pro ſua modeſtia Caluinus dicit Sophiſtas, imperitos, & barbaros. Verùm iſti maiore fulgẽt gloria apud Catholicam Chriſti Eccleſiam, quàm vt atris inuidíſque Caluini calumniis queant obſcurari aut infamari. Vnde nec noſtra magnoperè indigent defenſione, in quos non tam animi iudicio, quàm morbo impotentiſſimè debacchabatur, quòd non ſeipſum modò ſentiret illorum præiudiciis damnatum ac iugulatum: ſed ſuam quoque iſtam Berengarij opinionem perditè adamatam, à præclaris illis viris ante annos 500. funditùs videret euerſam. Quæ tametſi vniuerſo Chriſtianorũ orbe, etiam vbi Apoſtolicæ doctrinæ veritas partim eſt errorum tenebris obſcurata, concorditer iudicata ſemper fuerit à veritate Euangelica plus toto, quod dicitur, cælo aberrare: haud tamen Caluinũ puduit paradoxis atque incredibilibus eam exornare encomiis: quæ ne imperitis fucum faciant, quàm fieri poteſt breuiter cum ipſa rei veritate ex diametro pugnare monſtrabimus.

Quos viros doctiſſ. Caluinus calũnietur Sophiſtas & barbaros.

Certè Scripturis, inquit, per omnia optimè conuenit, nihil habet vel abſurdi, vel obſcuri, vel ambigui, à vera pietate & ſolida ædificatione minimè abhorret. Nouã eſſe cauſantur ſed falsò, habet enim multa & firma veterum teſtimonia. O execrabilem philautiæ vim,

Caluinus Berengarij hæreſin falſis ornare conatur elogiis.

quæ ita hominis mentem excæcat, vt vniuerſum adeò mundum præ ſe iudicet cæcum atque delirum. Si Scripturis per omnia optimè conuenit, quid ad eas corrumpendas iſtius dogmatis nouatores Zvuinglius & Oecolampadius portētoſa troporum monſtra effinxêre? Hoc eſt corpus meum, id eſt, ſignificat: hic eſt ſanguis meus, id eſt, ſignificat. Iſthæc interpretatio ſi optimè Scripturis cōuenit, cur eam grauiſſimi Scriptores veteres disertè monuerunt Chriſti verbis excludendam? Rurſus cur eam tuus Oecolampadius in Theophylacto à ſe peruerſo veriùs, quàm conuerſo, ſacrilega mente intexendam exiſtimabat? Certè ſuo indicio perit Sorex, vt eſt in Prouerbio.

Vide Theophy. & alios

At nihil habet, inquit Caluinus, vel abſurdi, vel obſcuri, vel ambigui. Si nihil habet abſurdi iſthæc doctrina, quid ſuus eam parens Berengarius bis ter hæreſeos condemnauit? Si nihil obſcuri, cur eam cæteri, quos ſe dicunt Euangelici, eodem iſthoc ſpiritu in angelum lucis ſe transformante, partim illuminati non agnoſcunt perſpicuè? Si nihil ambigui, cur totis voluminibus adeò rabidis ſe mutuum conſcidêre Lutherus & tuus Zvuinglius? Quid tibi cum illo Vveſtphalo & Heshuſio nunc eſt negotij tam implacabilis?

Bellū iſtud inter Zvuinglianos & Lutheranos Caluini vanitatem arguit.

Ioachimus Vveſtphalus contra Caluinum ſcripſit pro Euchariſtiæ veritate, vti & Heshuſius.

Quod denique à vera pietate & ſolida ædificatione minimè abhorrere ais, quænam Chriſtianæ aures iſtam ſuſtineāt impietatem? & certiſſimā ædificij, quod Chriſtus iſto myſtico corporis ſui atque ſanguinis paſtu ſuis in vitam æternam perficit, ſubuerſionem? Iam quod addis, Nouam eſſe cauſantur ſed falsò, habet enim multa & firma veterum teſtimonia, Quis non demiretur aſſeuerationem adeò, dicam impudentem, an inſanam? An non rectè nouam eſſe cauſemur, quæ ante annos quingentos teſte Guitmūdo Archiepiſcopo Catholicæ Chriſti Eccleſiæ fuit penitus ignota? Quis enim ante Berengarium impiæ iſtius doctrinæ, aut opinione, aut ſaltem ſuſpicione legitur vſquam infamatus? Verùm ne noua imperitis habeatur, malebas illa multa, quæ callidè iactas, & firma veterū teſtimonia, ſilentio præterire, à viris piis & doctis, vti ais, collecta, quàm iis cōmemoratis

Vide lib. Guitmundi contra Berēgarium.

vllam oſtẽtare cõprobationis ſpeciem, cõſcientia te tua vanitatis cõuincente. Quod diſſimulationis ſtudium iis omnibus, quibus tuum ingenium eſt perſpectũ ac probè exploratũ, haud ſanè leuiculo eſt argumẽto, teipſum iſtorum firmorum, quæ tibi tuíſque fingis veterũ teſtimoniorum diſpuduiſſe: quod ipſum non ſtupidis lectoribus ſuboleſcat facilè ex iis, quæ ſtatim ſubiicis: Quòd ſi alij ſunt obſcuriores, inquiens, quàm vt confirmari ex eorum verbis poſſit quod dicimus, Auguſtinus tamen adeò ſine controuerſia eſt noſter, vt valdè mirer, tãtam eſſe impudentiam in aduerſariis, qui mutilatas quaſdam eius ſententias obiicere nobis audent. Iſtius mendacij vanitatẽ ante annos quingẽtos Chriſtianis D. Guitmũdus Archiepiſcopus demonſtrauit, ex D. Auguſtino iſtũ ipſum Berengarianorum refellẽs errorem. Quare multò maioris eſt, Caluine, nõ tam impudentiæ, cuius Catholicos inſimulas, quàm inſaniæ, quòd mutilatas quaſdam eius ſententias vobis, ais, obiectas, quæ an mutilæ ſint, an potiùs integræ, nunc candidus Lector æſtimet ex iis, quæ adferimus. Suo igitur populo perſuaſurus, illud ſcabellum pedum, de quo Pſalm. 93. eſſe adorandum, audi, obſecro, vndénam huius rei petat argumentum: Suſcepit Chriſtus de terra, inquit, terram, quia caro eius de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam nobis manducãdam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit. Viden' Caluine quàm hęc vera veri corporis in Sacramento præſentia D. Auguſtino fuerit certa & indubitata? quàm fuerit perſuaſiſſima, cuius argumento, Chriſti docet adorandum ſcabellum? Carnem, ait, de Maria ſumpſit & ipſam nobis ad manducandum dedit: Rurſus Serm. ad infantes, qui vel ante annos 700. à Beda fuit recitatus, Quod vidiſtis, panis eſt & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renunciant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, Panis eſt corpus Chriſti, Calix eſt ſanguis Chriſti. Et ne in re Solis luce clariori multus videar, vnũ promo teſtimonium ex aureis D. Auguſt. libris, contra aduerſarium legis & prophetarum, aduerſus cuius impias blaſphemias

Caluinus Auguſt. pro Zvuinglio ſtare iactat, vti olim pro ſe Berengarius.

Auguſtini doctrina ſolis luce clariùs Sacramẽtarios enecat.

Carnẽ à virgine acceptã Chriſtus dat comedendã.

Catholicam exponens fidem : Nos autem audiamus, inquit li. 2. ca. 9. audiamus & intelligamus duo testamenta in duobus filiis Abrahæ, duabúsque mulieribus eius commixtione fœtatis, sicut duos in carne vna, Christum & Ecclesiam istis nolentibus sine vlla obscœnitate cognoscimus : sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christũ Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendúmque sanguinem dantem, fideli corde atq; ore suscipimus. Hos ex immensis August. libris sententiarum quasi flosculos suauissimos delibare voluimus, quos propter natiuam verborum lucem Caluinus nulla calliditate, nulla vafricie ad suum illud renouatum corporis absentis symbolum queat detorquere, aut vllo inanis signi figuræque vacuæ toxico inficere atque corrumpere. Eat nunc Caluinus, & Catholicos nugetur mutilas aliquot August. sententias Zvuinglianis obiicere, quas Solis luce clariùs, quisquis oculos mentis studio non auerterit, illum videt iugulare.

Carnẽ Christi ore suscipimus.

Cæterùm affirmare non dubitat Caluinus, istam Berengarij doctrinam, non ab ipso duntaxat suo authore, tot etiam ac tam præclaris viris, adeóque Conciliis Romano & Vercellensi damnatissimam à Spiritu sancto esse doctam : Si ostenderim me, inquit, non aliter loqui quàm Spiritus sanctus nos docuit, vlteriùs me vrgeri iniquum foret. At quid clariùs tradit tota Scriptura, quàm Christum vt veram nostram carnem induit, cùm è virgine natus est, ita eandem veram carnem & resurgendo recepisse, & in cælum sustulisse? Sanè id Spiritus sanctus nos docuit, Christum veram carnem ex virgine assumpsisse, & eandem à passione rediuiuam resumpsisse, in cælósque prouexisse : Sed hic fidei articulus nihil cum illo pugnat, eandem Christi carnem simul & in cælis assidêre Patri præsentem, & nobis sub Sacramento ex Dei omnipotentia exhiberi præsentem : quemadmodum nec pugnabat, Christum verè Apostolis in cœna assidêre, & eundem Apostolorum manibus edendum teneri, quod ait Augustinus. Quòd igitur metuis, ne hac vera corporis Christi in Sacramento præsentia nostram resurrectionis atque ascensionis spem reddamus fragi-

Caluinus suũ errorem Spiritui sancto nefariè audet ascribere, vti omnes omnium sectarum errones sua somnia.

lem atque infirmam, maximum Caluine habet infirmæ tuę fidei argumentum. Porrò quàm infirma, inquis, & fragilis foret ſpes ipſa, niſi hæc ipſa, noſtra caro in Chriſto verè ſuſcitata, & in regnum cælorum ingreſſa eſſet? Quis negat Caluine? Quis noſtrûm ingreſſam in cælos abnuit, aut verè à mortuis reſuſcitatam, niſi qui cum Iudæis metiatur, à diſcipulis ſuffuraturã? Nec enim idcircò non eſt in cęlum ingreſſus Chriſtus, quòd aſſiduè Chriſtianis ſui corporis verè præſentis in terra copiam facit: ſicuti nec idcircò non verè ex virgine carnẽ aſſumpſit, quòd eandem in cœna accubantem diſcipulorũ manibus diſtribuit edendam. Hęc rerum miracula, Caluine, noſtro non ſunt metienda ingenio, ſed fide ab Apoſtolis tradita, apud Catholicos conſtanter per orbem obſeruata, firmiter credenda & inconcuſſè obtinenda. Quamobrem in præſenti negotio non eſt quòd Phyſicè contemplemur naturales ſenſúque perceptas veri corporis proprietates, ſed vnum illud numen cui omnia parent: ſed vnam Dei omnipotentis voluntatem, quæ quod vult efficit, etiamſi ſtulta cæci hominis ratio non aſſequitur. Quàm igitur indignum ſit Theologo, ad ſubuertenda Theologiæ dogmata Phyſicis ratiunculis, humaníque ingenij captiunculis niti, ipſe videris. Atqui hæc eſt propria, inquis, corporis veritas, vt ſpacio contineatur, vt ſuis dimenſionibus conſtet, vt ſuam faciem habeat. Iſtud Phyſicorum principium aduerſus Euchariſtiæ veritatem obiectum, vt nihil veræ corporis Chriſti in Sacramento præſentiæ officit, vbi non eſt naturaliter, ſed diuina illa Dei omnipotentia, ac ſacramentaliter: ita inſanum illud Anabaptiſtarũ dogma, quod Chriſtus octaua Paſchæ ad diſcipulos non intrarit clauſis ianuis, prorſus obfirmat. Quibus ſi ſubſcribis, vides quò miſeriarum ſis infelix delapſus: Sin reluctaris nobiſcum, ex clariſſimo Euangelij verbo contra Phyſicam corporis veritatẽ, illud credens, quidni quoque in Euchariſtia etiam Catholicis conſentaneè concedis? Sed Paulus reſiſtit, inquis qui quoties meminit, qualiter nos Chriſtum quærere oporteat, iubet nos ſublatis in altum mentibus in cælo ipſum adorare, terram ac mundum obliuiſci. Sanè & nos

Caluini anilis metus infirmam eius arguit fidẽ.

Euchariſtiæ myſteria Caluinus ſuo metitur ingenio

Caluinus Phyſicas quærit in S. Euchariſtia corporis proprietates, prudẽtia ſanè humana.

Paulus pro Zuuinglio non facit.

ex Pauli adhortatione Christum quotidie sursum quærimus, ibíque ad dextram patris sedentem adoramus. Sed ex eiusdem Pauli doctrina.1.Corin.11.In cœna Dominica eandem Christi carnem ac sanguinem verè præsentem agnoscimus, agnitam adoramus,adoratam mãducamus. Quam igitur in nos detorques calumniam, in vos re ipsa quadrat. Verùm quoniam Scriptura, inquis, non patiuntur sibi satisfieri, hoc quoque demus. Ad patres nos reuocant. Agè audiamus Augustinum, quem vnum habemus in dogmatibus Ecclesię fidelissimum vetustatis interpretem. Noli, inquit, ad Dardanum Epist. 67.dubitare,ibi nunc esse hominem Christum,vnde věturus est,&c.Et sic venturus est,vt ire visus est in cælum, & eadem visibili forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit,naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis,vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens,vt quod in Deo est,ita sit vbique vt Deus. Istóne Augustini loco fretus audes Caluine Augustinum pronunciare vestrum? ídque extra omnem adeò controuersiam? Atqui hic nihil est,quod veritatem corporis Christi in Eucharistia tollat: Nihil quod veram Christi præsentiam ibi neget.Eos verò redarguit,qui corpori Christi diuinas deitatis proprietates somniabant communicatas, vt & illud vbique esset pręsens,sicuti & Christi diuinitas. Vt Deus est Christus,est vbique diffusus,inquit, non vt homo, quia sic veritatē auferamus corporis. Eos igitur castigat, qui veritatem corporis in Christo post resurrectionem gloriosè videbãtur tollere:non nos, qui verum Christi corpus in Christo post resurrectionem astruimus,sicuti antè:adeò vt hęc doceamus prorsus esse indiuidua & indiuulsa,ita vt Christi corpus sit & in cælo in Christo, & in altari in eodem Christo. Non ergo aliundè venturus est ad iudicium quàm ex cælo: sed hoc non officit quo minùs sacramentali specie verà sit in altari præsens, quemadmodum clarissima Diui Augustini testimonia dudum commemorata manifestissimè contestantur.

Coloss.3.

1.Cor.11.

Locus Augustini aliò detortus, Caluin. vel ficulneum negat præsidium.

CAPVT XLIII.



De panis transsubstantiatione.

Ropulſato craſſiore illo Berengarij errore à Zvuinglio aliíſque apud Heluetios ab orco in vitam poſt quingentos annos reuocato, ad alterum eiuſdem (ſi D. Guitmundo Langfrāci diſcipulo viro diligentiſſimo, fides habenda eſt) tranſeundum eſt errorem, ſuperiore illo, vt in ſpeciem paulò ſubtiliorem, at re tamen ipſa paulò minùs impium; qui vnà cum panis ſubſtantia Euchariſtiam habere corpus Domini contēdit. Quò igitur ſubtilioris erroris huius nebulæ clariſſimo Catholicæ veritatis ſole illuſtratæ ſemel diſpellantur, principiò manifeſtiſſima Orthodoxorum iuxtà ac vetuſtiſſimorum Patrum adferemus teſtimonia, quibus panis ſubſtantiam in corpus Domini demonſtretur clariſſimè commutari, conuerti, & adeò verè tranſſubſtantiari: quo conſtituto, argumenta, quibus Confeſſio Vvirtembergenſis tranſſubſtantiationem oppugnat, venient labefactanda atque profliganda.

Cypria. *Panis natura mutatus non effigie.* *Ambroſ.* *De pane fit corpus Chriſti.* *Panis natura mutatur benedictione.*

Illuſtrè illud Africanæ Eccleſię lumen Cyprianus, pręclaram doctrinæ Catholicæ illuſtrandæ accendit facem, vbi hac de Euchariſtia diſſerēs: Panis iſte, inquit ſermone de cœna Domini, quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed NATVRA MVTATVS, omnipotentia verbi factus eſt caro. Hāc quoq; fidem D. Ambroſius nobiliſſimū Eccleſiæ Chriſtianę columen perſępe verbis profitetur diſertiſſimis: Panis iſte, inquit li. 4. de Sacr. ca. 4. panis eſt ante verba ſacramētorū, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Rurſus li. de his qui initiātur ca. 9. Maiorem eſſe vim benedictionis, quàm naturę, quia benedictione natura (panis in Euchariſtia) mutatur. Sed ne quid de permanente panis poſt cōſecrationem ſubſtantia hæreat in cuiuſquam animo ſcrupuli, diſertè hanc nobis demonſtrat fidem obtinendam:

In Euchariſtia nihil aliud credendum quam caro & ſanguis Chriſti.

Licèt figura panis & vini videatur, inquit li. 4 de Sacra. ca. 5. nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Quibus quid obſecro verbis dicatur clarius? Huic ſuffragatur D. Aurelius Auguſtinus, illius diſcipulus qui noſtrorum myſteriorum panem & calicem, à populari atque quotidiano pane &

calice vbi vellet intercernere, atq; à prophanis, imò abominandis Manichæorum pane & vino diuersa demonstrare: Panis & calix, ait lib.20.cap.13. contra Faustum, certa consecratione nobis fit mysticus, non nascitur. Quod nascitur, alimentum est refectionis, non sacramẽtũ religionis. Rursus ad populum hac de re verba faciẽs.

Augustin. Panis noster mysticus non est à natura, sed per consecrationem.

Cùm de Sacramentis, inquit Serm.28. de verbis Domini super Lucam, tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: vbi verò verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus Christi appellatur. Addit, ne quid resideat in auditorum animis residui: Cur ergo (inquiat fortè quis) si vt panis non dicitur, ita nec est, in oratione Dominica ait, Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie? Panem quidem dixit, sed supersubstantialem. Non est iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ, qui animæ nostrę substantiam fulcit.

Post cõsecrationem non panis qui antefuit.

In Eucharistia nõ est panis qui vadit in corpus, sed qui animam fulcit.

Theophylactus ille Bulgarorum Episcopus, quid Ecclesiæ fides per Thraciam habuerit, luculenter depingit. Attẽde, inquit in illud Ioan.6. Panis quem ego dabo, caro mea est, quod panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem Spiritus sancti in carnem Domini.

Panis per cõsecrationem transformatur in corpus Domini.

Ioannes Damascenus hanc rem disertis quoque declarat verbis: Neque hoc etiam dictu facile est, inquit li.4.cap.14. quomodo per commestionem panis, & vinum atque aqua per potionem in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutãtur, & non fit aliud corpus præter prius. Sic & propositionis siue oblationis panis vinúmque aquâ permistum per inuocationem Spiritúsque sancti aduentum, ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται, supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi. Verùm hac de re cùm manifestissimam habeamus Ecclesiæ totius definitionẽ, nolumus in ea cõfirmãda esse fusiores. Damnauit enim Conciliũ Constantiense Ioannis Vvicleffi articulũ hæreseos, qui habet, Substantia panis

Panis supernaturaliter trãsmutatur in corpus Domini.

Sess.8. & in decreto.

materialis, & similiter substãtia vini materialis manent in Sacramento altaris.

Caput XLIIII.

Argumenta Confess. Vuirtember. cõtra Transsubstantiationem dissoluuntur.



Eniant nunc in medium quinque illæ Confessionis Vvirtembergensis rationes, quibus persuasi illius authores, alios inducere student, vt reprobato illo Zvuinglianorum, hoc est, crassiorum Berengariorum errore veluti cæciore, alterum eorundem Berẽgarianorum, quasi subtiliorem atque ad Euangelicæ veritatis Catholicæque doctrinæ solem propiùs accedentem, recipiant.

Sed quibúsnam, inquias, rationibus istum errorem tribus quatuórue Conciliis, ipsiúsque adeò Berengarij abnegatione ante annos quingentos damnatissimũ orbi Christiano pro Euangelio audent venditare? Iisdem planè, Lector candide, quibus illi olim Berengariani.

Confeßio Vuirtemb. ad verbum cõsentit subtilioribus Berengarianis.

Cùm enim de maximi Dei potẽtia, quæ panem in Christi corpus conuerteret, nihil dubitarent acutiores illi, qui verum Christi corpus latenter in Eucharistia contineri sentientes, subtiliorem Berengarij istam aiebant esse sententiam: Sed hanc mutationem, inquiebant, teste Guitmundo Archiepiscopo libr. 1. contra Berengarium, noluit Deus. Sic & isti in confessione Vvirtembergensi. Credimus omnipotentiam Dei, inquiunt, tantam esse, vt possit in Eucharistia substantiam panis & vini vel annihilare, vel in corpus & sanguinem Christi mutare. Sed quòd Deus hanc suam absolutam potentiam in Eucharistia exerceat, non videtur esse certo verbo Dei traditũ, & apparet veteri Ecclesiæ ignotum fuisse.

Primum argumentũ Confes. Vuirtẽb. Non est certo Dei verbo tradita transsubstantiatio.

Agedùm igitur, demonstremus, ex certo Dei verbo esse traditum, Deum maximum hanc suam absolutam potentiam in Eucharistia exercere. Certum est Dei verbum, Hoc est corpus meũ, quo freti non dubitatis verum Christi corpus in Eucharistia præsens credere, Catholicis consentaneè, illósque refutare, adeóque hæreseos notare, qui dicunt, panem & vinum Eucharistiæ esse tantùm absentis corporis & sanguinis Christi signa: hoc ipso certo

Dei verbo Catholici credimus, Christum Deum tam in cœna illa nouissima, quàm nostra Catholicorum quotidiana, absolutam suam potentiam exercere. Quemadmodum igitur Zuuingliani vestram, vti ipsi quidem opinantur, cæcitatem nobiscum communem, insani vestro contrà iudicio rident, quasi certo Dei verbo minimè traditam: ita vos Catholicam de panis mutatione reiicitis doctrinam, quòd Dei verbo vestra opinione certo non videatur præscripta. Quòd vos namque cæco illorum errori censetis respondendum pro vera corporis Domini in Sacramento præsentia, tanquàm certo Dei verbo tradita, idem planè à Catholicis vobis responsum velim existimetis: Ita scilicet ipsos ex certo Dei verbo, Hoc est corpus meum, indubitanter credere esse corpus Christi, quod non est panis, sicuti nec meum vel tuum corpus: quemadmodum vos indubitāter, Catholicísque concorditer ex eodem certo Dei verbo creditis esse verum Christi corpus præsens, & nō tantùm absentis corporis symbolum. Eisdem igitur telis nos vestrum ab Eucharistia propulsamus panem, quibus vos ieiunia illa & inania Sacramētariorum absentis corporis Christi symbola. Quod Lector Christiane, qui contento animi iudicio perpēderit, vide mihi obsecro, quantum etiam rationis humanæ amplius, (vt hoc obiter in grauissima fidei causa adnotemus, nam Patrum testimonia in secundum confessionis argumentum differenda duximus) habeat antiquissima Catholicorū doctrina atque ista Confessionis nouitia, imò veteri de errore renouata. Cùm enim illa Christi Dei Max. verba, hoc est corpus meum, non humana accipiamus vtrique contra Zuuinglianos cogitatione, aut nostræ rationis existimatione, sed Fidei Christianæ arbitratu atque iudicio, án ne obsecro ad analogiam Fidei accedit viciniùs, esse hoc Christi corpus, quod Christus Deus omnipotens affirmat esse suum corpus, pro nobis traditum, passum, atque crucifixum, quàm terrenum panem esse Christi corpus, cuius ille nō meminit? Certè si vnquàm aliàs citra sacrilegam, aut irreligiosam veriùs, audaciam verbo Dei nihil est addendum, quódnam sua impietate dignum istud scelus inue-

Eodem certo Dei verbo Catholici defendimus transsubstantiationē aduersus Lutheranos: quo Lutherani verā corporis Domini in Eucharistia præsentiā aduersus Zuuinglianos.

Catholica fidei doctrina plus habet probabilitatis, quàm nouitia isthæc Confessionistarum.

Addūt verbo Dei qui in Eucharistia panem cum Christi corpore fingunt.

niat vocabulum, quo temerè adeò tremendis illis cælestibúsque mysteriis puluerulẽtum admiscent panem? An non sit audacia plus quàm Cyclopica plenissimum, homunculos diuina mysteria partim fide quidem Christiana, partim verò cœcutiente ratione humana metiri? An non arrogantia fuerit plusquàm Sathanica, Christo Dei verbo, esse hoc suũ corpus, quod ipsum pro nobis est traditum atq; crucifixum, affirmanti refragari, non esse hoc eius corpus, sed hoc esse panem cum corpore? Quod igitur Zvuinglianis de illo demonstratiuo, Hoc, respondemus, non iam panem demonstrare, qui diuina verborum Christi Dei omnipotentis vi atque efficacia iam factus est corpus, sed verum Christi corpus, ipsissimũ quod pro nobis est traditum, quod non fuit panis, nec pani cõiunctum: idem vobis omninò est dicẽdum, ita scilicet Christum illis verbis solùm suum demonstrasse corpus, sicut qui mel demonstrans, dicit, hoc est mel.

Sed video nostræ controuersiæ statum liquidiùs ex certo hoc Dei verbo cõtentiosis definiri non posse, quare ex huius verbi Dei significatione apud veterem Ecclesiam subsidiarium quærendum est præsidium, vt illud Paulinum rem decidat: Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Vultis hanc panis conuersionem illi fuisse ignotam: Nos contrà asserimus, fuisse notissimam. Apparet veteri Ecclesiæ (inquit Confessio Vvirtemberg.) fuisse ignotam. Quod vtrùm fide faciatis bona, néc ne, haud equidẽ iudico, vni illi Iudici, qui abscondita tenebrarum reuelabit, ac consilia cordium manifestabit, in illo die permittens diiudicãdum. Nos igitur, Christiane Lector, sedulam dabimus operam, ne tibi appareat, hanc panis in Christi corpus mutationem veteri Ecclesiæ fuisse ignotam. Diuus Cyprianus enim Catholicæ Dei Ecclesiæ columen anno Domini 230. Panis iste, ait serm. de cœna Domini, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Sic Eusebius Emissenus de his tremendis loquens mysteriis, ait in eis, Homil. 4. in Pascha, terrena commutari, & transire. Rursus, creaturas conuerti in substantiam corporis Christi. Hunc in modum liquidissimè D. Chrysostomus

Alterum & Confess. & argu Transsubstãtiationem veteri Ecclesiæ fuisse ignotam.

Cyprian.

Quid Patres senserint de panis transsubstãtiation: in Eucharistia.

Homil. de Encæniis ait, panem absumi. Et in Liturgia »
orat, vt Deus suo Spiritu sancto oblata mutet. D. Am- » *Ambros.*
brosius persæpè hanc nostram fidem clarissimis profite- »
tur verbis: Maiorem, inquiens libro de his qui initian- »
tur, cap. 9. esse vim benedictionis, quàm naturæ, quia be- »
nedictione ipsa natura mutatur. Sic eius discipulus Au- » *August.*
gustinus: Iam non est panis, inquit, post consecrationem »
serm. 28. de verbis Domini, sed corpus Christi. Ioan- » *Ioan. Da-*
nes Damascenus orthodoxam suæ ætatis describens hac » *mascenus.*
de re doctrinam: Panem & vinum, ait, libro 4. cap. 14. »
μεταποιεῖσθαι ὑπερφυῶς transmutari supernaturaliter. Sic »
& Theophylactus, panem, ait in Marcum cap. 14. trans- » *Theophyl.*
elemantari in carnem Domini. Et in Matthæum ca. 26. »
ineffabili operatione transformari, etiamsi nobis videa- »
tur panis. Rursus in Ioan. cap. 6. Attende, quòd panis, »
qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantùm fi- »
guratio quædam carnis Domini, sed caro ipsa Domini. »
Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis, »
sed caro mea. Transformatur enim arcanis verbis panis »
ille per mysticam benedictionem, & accessionem Sancti »
spiritus, in carnem Domini.

An nunc porrò huius Confessionis concinnatoribus appareat fuisse hanc panis mutationem veteri Ecclesiæ ignotam? At obsecro quî potuit, vbi præclari isti veteris Ecclesiæ pastores nō modò apud populum suum pro concione hanc verbis adeò perspicuis docent, verùm etiam apud nostros illos priscos communis fidei hostes liberrimè totius Christianæ Ecclesiæ nomine profitentur? Quæ luculentissima vetustissimorum scriptorum testimonia vobis quum non potuerint esse incognita, quippe qui locos in confessione isthac consarcinatos ex illis non potueritis decerpere ac delibare, nisi alios huius mutationis panis in Christi corpus locos stellarum in morem emicantes, oculo de industria conniuente transiliissetis. Verùm istius bonæ, quàm vestris præstatis principibus fidei arbitrium, penes æquum bonum Lectorem esto. *Bona fides in aduersariis desiderata.*

Ad hæc illa ex Ezechiele mutuata similitudo, quídnam ad istam doctrinam de panis duratione in Euchari- *Tertiũ Cōfes. Vuirtember.*

argument. Ista est Hierusalem.

stia constabiliendam operæ adferat prætium, haud equidem video. Si enim cæciorem illum Sacramentariorum errorem vobis collibuisset consectari, magnoperè sanè istò referret: Sicut enim cum Ezechieli, ait Confessio. de vrbe Hierusalem in latere descripta, dicitur, Ista est Hierusalem, non necesse fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Hierusalem: ita cùm de pane dicitur, Hoc est corpus meum, non est necesse vt substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi: Sed ad veritatem Sacramenti sufficit, quòd corpus Christi verè sit cum pane præsens. Quis hîc non videat, istud telum à Zvuinglianis tam contra vos, quàm contra Catholicos rectiùs simul ac validiùs vibratum iri? Aptiùs enim dubio procul quadrabit ad inane absentis corporis Christi firmandum simulachrum. O præclaram sapientiam, quæ istum Ezechielis locum à vobis occupatum credit Zvuinglianis aduersum vos nihil valiturum. Cæterùm cùm vestro præiudicio veræ corporis Christi in Eucharistia præsentiæ nequaquam obsistat, verissimæ quoque panis in Christi corpus mutationi officit nihil. Si enim officeret, in primis profectò veram tolleret in Eucharistia corporis Christi præsentiam, quod verbis disertissimis rectè negatis. Proinde si non necesse fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Hierusalem, eò quòd dicebatur, Ista est Hierusalem, cúrnam sit quæso necesse, quod vultis, sub pane corporis Christi figura esse reipsa præsens verum Christi corpus? cùm similem verborum formam, Ista est Hierusalem, &, Hoc est corpus meum, similis quoque intelligentia sequatur. Itaque si verum est, quod vos ex Ezechielis loco dicitis, ex eodem loco efficitur, & quidem planiùs, esse verissimum, quod delirat cum suis Zvuinglius: cuius rei discrimen cùm non ex verborum forma peti queat, ex varia certè loquentis Dei voluntate petendum venit. Non enim Deus Ezechieli ipsam Hierosolymorum substantiam, dicens, Hæc est Hierusalem, voluit sistere præsentem: sed futuram ciuium eius prædicere calamitatem: quod ne figuram quidem illius desiderat præsentem, nedum substantiam. Quemadmodum igitur hæc Dei vox, Ista est Hierusa-

Hic Brentius cum suis à Luthero & confeßione August. ad Zuuinglij castra defectionē adornat. Confeßio Vuirtember. argumētis in Catholicos proiectis suos fulcit aduersarios Zuuinglianos.

Dei verba ex eius voluntate accipiunt significationem, non ex hominū interpretatiunculis.

est Hierusalem, quæ non efficiebat vrbis præsentiam, minimè corporis Christi in Eucharistia vel vestro iudicio abolet præsentiam: ita nec panis in Christi corpus impedit mutationem: cùm nequaquàm ad rem similem significandam fuerit à Deo adhibita. Multò enim alia in Eucharistiæ consecratione sonat Dei maximi vox, atque in illa apud Prophetam ærumnarum prædictione: quod nec ipsi inficias ibitis, qui illa eâdem etiãnùm hodie verum Christi corpus confici nobiscum profitemini.

Ex mera igitur verborum, Hoc est corpus meum, pronunciatione, non est quidem necesse, vt substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi, cùm & vbilibet, & à quolibet prolata hoc efficerent: sed cum ex Dei omnipotentis voluntate adhibitis legitimis circumstantiis à sacerdote dicitur, Hoc est corpus meum. Quare hisce verbis virtutem non tribuimus Catholici magicam, vti hodie passim blasphemant impij, sed cœlestem, sed diuinam, sed Euangelicam, à Christo Dei filio nobis præeunte illis semel inditam.

Cæterùm ex ipsâ etiam Sacramenti huius veritate, conatur Confessio panis consistentiam cum vero Christi corpore astruere: Nam quemadmodum, inquit, ad veritatem Sacramenti Baptismi necessarium est, vt in vsu eius aqua sit, & maneat vera aqua: ita necessarium est, in cœna Dominica, vt panis in vsu eius sit, & maneat verus panis, cùm mutata panis substantia non constaret veritas Sacramenti. Istud quidem argumentum bellam certè præ se ferre primo intuitu videtur veritatis similitudinem, at inani tamen recti specie incautos fallat, idque multò magis, si talis Sacramentorum ratio ineatur, qualem Catholica profitetur Ecclesia: sed cùm isti longè aliam sequantur Sacramentorum rationem, vtpote quæ mera sint sigilla promissionibus Dei addita (quod ex Brentio confessionis istius architecto, explicatione noni & decimi præcepti in Catechismo est manifestissimum) minùs sanè prudentem perturbat Lectorem. Cùm enim † Sacramentum inuisibilis gratiæ sit visibile symbolum atque signum, quidnam obsecro ad veram Sacramenti referat rationem; vtrùm eius symbolum cum ea-

4. Argumẽtum Confeß. Vuirtẽb. Veritas Sacramẽti requirit, vt necessariò maneat panis substãtia.

† Sic D. August. & Cõc. Florẽtinum. Sacramento sufficit aliquod esse rei inuisibilis

symbolum visibile. rum sit rerum substantia coniunctum, quibus cum adhibetur, néc ne, modò verum sit symbolum?

Eapropter ad Sacramenti veritatem minimè est necessarium, rerum illarum persistere substantiam, quarum adhibitione nobis administrantur Sacramenta: sed abūdè satis est, visibilia existere signa, quæ id sensibus nostris adumbrando loquantur, quod inuisibiliter in animo geritur. Quod cùm panis viníque species, illorum substantia vi diuina exutæ, satis supérque præstent, quid vlteriùs quæso ad Sacramenti veritatem præsentem requiras aut panis aut vini substantiam? Quemadmodum igitur ad veram Baptismi rationem minimè est necessariū, vt sub eius symbolo aqua, præsens adsit Christi sanguis, expulsa elementi substantia: ita nec in Eucharistia oportet Sacramenti signa pristinas obtinere substantias atque naturas. Sufficit enim Sacramentorum symbola esse salua. Quare Sacramento Eucharistiæ sua constat veritas, mutata etiam panis substantia, modò visibilis quæpiam Sacramenti forma existat incolumis.

5. Argum. Confess. Vuirtēb. Paulus & veteres Eucharistiā vocant panem. Proinde quod porrò in nouæ istius doctrinæ in speciem confirmādæ robur attexunt, permanere in Eucharistia panem, quia Paulus & veteres Eucharistiam vocāt panem, nihil profectò huius rei efficit. Licèt enim interdum Eucharistiam dicant panem, aliquando panem cælestem, aliquando etiam panem vitæ; tamen aut eisdem aut aliis opportunioribus explanant locis, quónam sensu illam dixerint panem. Non, vti vult Confessio Vuirtembergens. panem qui antè fuit, quia hunc disertè non *Vide paululū superiùs.* effigie, sed naturâ dicunt mutatum, vti Cyprianus: non eum naturam dedisse, sed benedictionem consecrasse, vti August. & Ambrosius, vt alios innumeros suprà diffusiùs commemoratos nunc silentio præteream: sed pa- *Ioan. 6.* nem vitæ qui dat vitam mundo, hoc est, panem illum spiritualem, qui animæ congruit vt eo vegetetur, foueatur, alatur atque in Christum semel vnus cum eo coalescat spiritus. Quod cùm efficere nequeat panis iste corporeus, illud tamen spiritale alimentum, quod dat vitam mundo, panis appellatur, per tropum atque metonymiā, quòd panis habeat speciem atque figuram, aut si malis,

quòd ex pane factum sit: quemadmodum Ioannes vinum illud nuptiale à Christo ex aqua factum aquam appellat, quod tamen non aquam fuisse, sed vinum, omnibus est indubitatissimum. Eo planè modo & D. Paulus Eucharistiam panem, quo & Patres veteres, dicit, quòd panis sit vitæ & spiritualis animarum cibus, non corporeus, aut qui dudum antè: siue quod ex pane facta panis obtineat effigiem, non naturam, figuram, non substantiam: quippe quæ diuinis Christi verbis in diuinum eius corpus est conuersa & mutata, atque adeò vti dudum diximus, transsubstantiata.

Ioan.1.
Vinum illud nuptiale aquam Ioannes vocat simili tropo, quo Paulus Eucharistiã panem.

Depulsis nunc quinque istis arietibus, quibus Confessio Vvirtembergensis veritatẽ transsubstantiationis certo Dei verbo fundatã, & veteris Ecclesiæ locupletissimo consensu corroboratam conabatur labefactare, in procinctu est cognoscere, quanta scateant vanitate illæ calumniæ, quibus Valẽtinus Vannius illam in ridiculo suo theatro, quod Iudicium de Missa inscripsit, vexare nõ est veritus: Volunt Missarij, inquiens, panis & vini substantiam mutari, & veluti per quandam metamorphosin induere aliam substantiam, corporis scilicet & sanguinis Christi, & rem nouam & superiori ætate inauditam, vocabulo nouo, inaudito & mõstroso, trãssubstantiationẽ nominant. Hic tuum, Lector cãdide, appello arbitrium, an panis in corpus Domini mutatio res sit noua, & superiori ætati inaudita: Quî noua? quam ante annos mille Catholica Christi fides per omnes Christianas cõsentaneè docuit, adeóque prædicauit Ecclesias, donec Berẽgariani vestræ istius renouatæ doctrinæ authores toti mundo primi obstreperent, teste Guitmundo Archiepiscopo libr. contra Bereng. Quî obsecro superiori ætate inaudita, quæ Christianorum auribus ita insonuit, ita impleuit, vt ad infidelium etiam auditum permanarit? Vnde namque aliàs impiæ illę non minùs atq; inanes in maiores nostros calumniæ, ꝙ humana pascerẽtur carne, quòd poculo potarẽtur sanguinario, sunt ortæ? An ignota fuerit superiori ætati panis mutatio, quando Cyprianus panis viníque naturas docebat mutari? quando Ambrosius panem in corpus Christi, ita vt pòst non sit,

Calumniæ Valentini Vannij cõtra transsubstãtiationem protritæ.

prædicabat conuerti? quando Auguſtinus ſuos admonebat, in Euchariſtia non eſſe panem, qui in corpus vadit, ſed qui animæ ſubſtantiam fulcit.

Rebus fidei antiquis interdũ cogunt hæretici noua ponere vocabula.

Cùm igitur res hæc adeò ſit vetus, & prædicata omnibus atque celebrata, quale eſt quod de tranſſubſtantiatione nugaris vocabulum eſſe nouum, inauditum, & monſtroſum? Eandem iſtam impiam calumniam Catholica Chriſti fides ab Arrhianis de voce homouſiō patiebatur. Quemadmodum igitur Patres in Concilio Nicæno ad cauendas omnes hæreticorum eluſiones vocem minus vſitatam, apud priſcos tamen lectam, vti vel ipſe Euſebius Cæſarienſis Epiſcop. ad ſuos teſtatur, in Symbolum appoſuêre: Ita in Concilio Florentino concordi Eccleſiæ tam Græcanicæ, quàm Latinæ cenſura ad rem obſcuriſſimam planiùs exponendam ſibi faciendum iudicarunt. Non enim aliud eſt panem tranſſubſtantiari, quàm Cypriano panis viníque naturas conuerti, quàm Ambroſio ſubſtantias mutari. Sed perbellum eſt ſcomma, quòd tranſſubſtantiationis vocabulũ appellas monſtroſum: quaſi verò tranſſubſtantiari, non tam habeat Latinæ vocis analogiam, quàm veſtrũ annihilari, quod in veſtra Cõfeſſione vſurpare non dubitatis: aut tam nobis inuideamus Latinæ linguæ copiam, quæ vel rebus neceſſariis cogat noua dare vocabula: cùm & rebus nouis, minimé que neceſſariis ipſe Cicero Latinæ linguæ parens meritò appellatus, iubeat noua ponere nomina.

Vide hanc epiſtol. apud D. Athanaſium à Nannio verſam.

Literiones nobis ceu barbarum obÿciũt tranſſubſtantiare, cũ ipſi auſint dicere annihilare.

Vide 1. de natura Deorũ.

Iam quod veſtrum panarium Sacramentum à regia veritatis via nullorſum ais Vanni diſcedere, ſed medium tenere iter inter fanaticos Sacramentarios, qui à diuina, inquis, inſtitutione dextrorſum: & Miſſarios, ſacrificulos, qui leuorſum diſcedunt, quis non infandam iſtam execretur blaſphemiam? Oſtendimus enim iſtum de pane in Euchariſtia permanente errorem, nullum alium habere authorem, quàm veſtrum Berengarium, non modò Conciliis tribus damnatum: ſed ſuo etiam ore, adeóque ſubſcriptione à ſeipſo anathematizatum. Non igitur, mi Vanni, regiam tenes viam, vt tibi gratularis miſerabiliter, nullorſum diſcedens, ſed à recto Catholicæ veritatis tramite tuis cum Berengarianis digreſſus, imò

Sacramẽtarÿ auferunt Dei verbo, Lutherani addunt.

prolapſus, perſpicuo Dei verbo caliginoſas humani inuenti conaris offundere tenebras, eique tua commenta, ſed ex illo Berengarij errore hauſta, addere: Sicuti & fanatici, quos dicis, Sacramentarij ab eodem Dei verbo ſacrilegâ nimiùm audaciâ violentiſſimè auferre non verentur conari.

Caput XLV.



EX ſuperioribus vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis Catholicam de panis viniq; ſubſtantia in Chriſti corpus diuinæ conſecrationis vi mutata atque conuerſa, adeóque tranſſubſtantiata, doctrinâ nunc ſatis perſpicuè arbitramur conteſtatam, ſolidéque confirmatam, atque contra renouata Berengarianorum tela inuictè propugnatam, atque ſartam tectam defenſatam. Proinde explicata diuina myſticę conſecrationis vi, proximum eſt, vt de ſacræ Euchariſtiæ vſu dicamus: qui tametſi potiſſimùm in eius oblatione & ſumptione conſiſtat, non tamen aliena ab eo cenſeri debet eleuatio, quam dicimus, & quæ illam, ſicut corpus vmbra, ſequitur adoratio.

De S. Euchariſt. eleuatione & adoratione.

S. Euchariſt. conſecratæ vſus.

Eleuatio.

Sacroſanctam igitur Euchariſtiam priſco de more in populi conſpectum ſubleuari ſolitam, vno aut item altero ſatis fuerit probatum teſtimonio, quòd aduerſarij, qui vel iniquiſſimè de Miſſa iudicant, eleuationem inter res adiaphoras recenſent: quemadmodum inferiùs ex Valentino Vannio eſt commemorandum.

Illo itaque Apoſtolico ſeculo poſt conſecrationẽ illa tremenda myſteria in populi aſpectum Sacerdos ſubleuare aſſolet: quemadmodum Diuus Dionyſius Areopagita ſcribit: καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ »
τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνουμένα διὰ τῶν ἱερῶς προ- »
κειμένων συμβόλων· Pontifex, inquit, ſacra illa opera diui- »
nitùs geſta vbi celebrarit, mox ipſa diuiniſſima cõſecrat »
myſteria, quæ collaudata in aſpectũ attollit per ſymbo- »
la ſacrè propoſita. In quem locum Scholiaſtes vetuſtiſſi- »
mus ſic ſcribit: τὸν κουφισμὸν καὶ τὴν ὕψωσιν τῆς μιᾶς εὐλο- »
γίας τοῦ θείου ἄρτου φησί, ὃν ὑψοῖ ἱερεῦς λέγων τὰ ἅγια τοῖς ἁ- »

" γίοις: quod est, loquitur de vnius benedictionis (siue con-
" secrationis, aut vti hodie Catholici loquimur, speciei)
" videlicet panis diuini eleuatione atq; exaltatione, quem
" Pontifex in sublime attollit, dicens, Sancta sanctis.

Ad eundem modum Eucharistiam & in D. Chrysostomi Liturgia eleuari est videre. Populo enim omni geniculante ad Sacerdotis atque Diaconi exemplum, Diaconus videns Sacerdotē manus protendentem, sacrúmq; panem apprehendentem, πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν,
" ἐκφωνεῖ πρόσχωμεν, καὶ ὁ ἱερεὺς, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις: vt in subli-
" me attollat, canit, Attendamus, & mox sacerdos, Sancta
" sanctis. Verùm hæc eleuatio fortassis videbitur alia ab
" ea, quæ è vestigio consecrationē consequitur: sed nostra in præsens nihil interest, an mox à cōsecratione, an paulò ante orationē Dominicam fiat. Nam Eucharistiæ eleuationem fieri apud Græcos, nūc ex Dionysio & Chrysostomo constat: quod & ex Basilio de Spiritu sancto ca. 27. liqueat: Inuocationis verba, inquit, dū ostenditur panis Eucharistiæ & calix benedictionis, quis Sāctorum nobis scripto reliquit? Quæ verba ritum Latinę Ecclesię conformem loquūtur. Cæterùm quorsum ea fieri solet, nunc est accuratiori studio inquirendum. Concedunt enim aduersariorum quidam, eleuationem esse adiaphoram, posse rectè fieri aut non fieri, tametsi eam Vvirtembergæ ex Lutheri placito cœnæ adhiberi ferant testes oculati: sed cum adorationem mysteriorum, imò Christi Dei & Domini nostri hisce in mysteriis vel eorum sententia præsentis adorationem recusent, ea nobis est, sed paucis, constituenda. In hunc enim finem tremenda illa sacrosancta mysteria in populi conspectum proferūtur, vt fide illum adorēt, quem fide indubia vident præsentē.

Cùm sacrosanctæ Eucharistię illam eleuationē priscis illis temporibus fuisse vsitatam liqueat, nunc superest, vt adorationis gratia fuisse ostensam, populo demonstremus: quòd ex eo plurimùm capiat lucis, si anteà paucis quidem illis, sed luculentis, doceatur scriptorū vetustissimorum & eorum probatissimis sententiis, Christū Dominum in Eucharistia præsentē, publico ex more populi Christiani fuisse adoratū. Veniat igitur primus in me-

dium Diuus Auguſtinus, cuius doctrina vt libenter nituntur aduerſarij: ita nos multò omnium libentiſſimè: hunc ſi controuerſiæ huius vtrique ſuſcipimus iudicem irrefragabilem, omníque exceptione maiorem, non fuerit ſanè opus plurimos huc recenſere Patres veteres, qui communi ſententia decernant, quidnam hac de re doctrina habeat Catholica. Hic igitur cœnæ Dominicę communionem pauperibus ex æquo ac diuitibus docens propoſitam, ſed effectu non pari: Manducauerunt & adorauerunt (inquit Epiſtola 120.cap.27. Pſalm.21. interpretans) omnes diuites, & ipſi quidem adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius, ſed adorant tantùm, non etiam ſaturantur, quia non imitantur. Et paulò pòſt de eiſdem: Fama celſitudinis eius & gloria nominis eius in Eccleſia vſquequaque diffuſa permoti, & ipſi veniunt ad menſam, & manducant, & adorant, non tamen ſaturantur, quia non eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Huic ſententiæ ne quid improbæ occurrat calumniæ, illud in Pſal.98. eſt attexendum: Suſcepit de terra, terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam nobis manducãdam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnẽ manducat, niſi priùs adorauerit. Diuus quoque Ambroſius eundem fuiſſe adorãdi Euchariſtiam in myſteriis morem ſuo ſeculo diſertiſſimè docet, Pſal. illum 98. populo ſuo explanans: Itaque ſcabellum, inquit, terra intelligatur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, quam & Apoſtoli in Domino Ieſu adorauerunt. Sed quid poſt iſthęc Solis luce clariora Catholicę Chriſti Eccleſiæ lumina Ambroſium & Auguſtinum, plures commemorem? Niſi fortè quis & ab Orientali Eccleſia fidei ſuffragationes deſideret. Huic igitur illud ſufficiat, quod apud Euſebium Emiſſenum extat: qui cum Homil. de corpore & ſanguine Domini docuiſſet, cur fuerit neceſſarium, vt perpetuam nobis Chriſtus relinqueret pro quotidianis delictis hoſtiam, hortatur ſuos, vt ad altare accedentes, reſpiciant corpus Dei ſui, honorent atque mirentur; quæ citra animi adorationem

Auguſt. docet Chriſtũ adorari ſolitũ in myſteriis.

Nemo Chriſti carnẽ mãducat, niſi adorarit.

Ambroſius ſuos docet Chriſtum in Euchariſt. adorandũ.

Chriſti carnẽ in myſteriis cum Apoſtolis adoram⁹.

Euſebius Emiſſenus ſuos hortatur ad Euchariſtiam honorandam.

manifestiſſimam fieri nequeunt.

Nobile D. Gorgoniæ apud Nazianz. adoratæ Eucharistiæ exemplum.

Cæterùm ad perſuadendũ, hanc indubiam fuiſſe per Orientem Chriſtianorum fidem, Chriſtum Dominum in Euchariſtia adorandum, vna illa Georgonia Nazianzeni ſoror, omnis pietatis ſpeculum leuiſſimum, atq; fidei Chriſtianæ inſtar abſolutiſſimũ, ſuo probauit facto, quod ex eius epitaphio à fratre ſcripto paucis perſtringemus. Illa morbo peregrino grauiſſimè laborabat, ac medicorũ opera iamdudum fruſtrà erat. Omnibus igitur humanis diffiſa præſidiis, ad illum vniuerſorum cõfugit medicum, noctémque captans intempeſtam, morbo inducias exiguas indulgente, coram altari cum fide procidit, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλουμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ, eúmq;, qui ſuper altare colebatur, magno inuocans clamore, ei miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reuocauit, illámque tandem imitatur, quæ contactu fimbriæ à fluxu ſanguinis ſanabatur. Vides, Lector Chriſtiane, Chriſtum Dominum illa ætate ſuper altare fuiſſe & honoratum & cultum, non in cælo tantùm, ſed etiam ἐπ' αὐτῷ θυσιαστηρίῳ ſuper altare: quod an aliter quàm de adoratione & veneratione latriæ intelligat animus Chriſtianus, qui hîc Chriſtum fidei oculis videt præſentem, equidẽ addubito nihil. Nam vtvt Lutherani, qui nobiſcum in S. Euchariſtia Chriſtum credunt verè præſentem, adorandum negant: mihi tamen perſuadere nequeo, quin Chriſtum ſuſcepturi, Chriſtũ animo adorent. Qui fiat enim, vt tanta capiantur fidei, quæ perpetuò eis in ore natat, obliuione vt vel non meminerint, ſeſe Chriſtum Deum ſuum re vera ſuſcipere? Quòd ſi fides admoneat, an animo ſint adeò irreligioſo, adeò impio, vt ſibi optare à Domino ſuſcipiẽdo negligant, ne ipſum ad iudicium & condemnationem accipiant? Quod qui ſibi optat, an ne Chriſtum adoret? Qui enim Deum prӕſentem rogat, vt animam vitiis expiet, virtutibus ornet, vt ſe dignum faciat habitaculum, an non Deum adorat? Quid? an nõ adorat, qui eius verbo (Hoc eſt corpus meum) fidem habet? Sanè, qui nõ habet, haud dubium eſt impius. Rurſus cum Lutheranorum non pauci illam orationem, Agnus Dei, patiantur

Christus in altari honoratur & colitur.

Lutheranos Christũ suscepturos re vera Christũ adorare, vt-ut verbis diffitentur.

recitari citra idololatriam, vti Vannius & eius suffragatores, án nõ re ipsa Christi statuunt in Eucharistia adorationem? Quid enim aliud Agnus Dei miserere nobis? Agnus Dei dona nobis pacem? Quid quòd ipse Ioannes Hussius, Lutheranæ factionis Choragus, singularem requirit à sacerdote huius sacramenti venerationem? Debet sacerdos (inquit libello in Conc. Constant. edito) hoc venerabile Sacramentum offerre, ac laicis deuotè dare. Sed vt malorum coruorum mala sunt oua: ita magistrum impietate improbi superant discipuli. Verùm nos istos religiosos viros suæ ipsorum cõscientiæ testimoniis vrgere nolumus, aut magistrorum suorũ authoritate grauare: viderint ipsi, quid illi καρδιογνώστῃ iudicíque indeprecabili illo die sint responsuri. Nos illorum Orthodoxorum Patrum doctrinam obtinẽtes, Christũ Dominũ in Eucharistia præsentem cum Eusebio Emisseno & Nazianzeno honoramus, cum Ambrosio in mysteriis adoramus, cum Augustino denique illam ipsam Christi ex virgine sumptam carnem nisi adorauerimus non mãducamus. Neque hîc est, cur fusiorem hac de re producamus Catholicę Christi Ecclesiæ apologiam, aduersus illam idololatriæ criminationem à Lutheranis, nescio quo sanè ore, intentatam. Hîc enim Sacramentariorum fanaticas nihil plus moramur in nos debacchationes, quàm aut Iudæorũ, aut Mammeluccarum. Præclara enim isthæc Orthodoxorum scriptorum testimonia, hanc adorationis Christi in Eucharistia religionem satis supérque propugnatam faciunt atque verissimam, iuxtà ac maximè piam demonstrant. Christum igitur in Eucharistia verè præsentem colimus, veneramur, adoramus, atque cum D. August. (in Psal. 98.) curamus, vt nõ solùm nõ peccemus adorando, sed ne peccemus nõ adorando: quod haud dubium peccãt grauissimè, quotquot Dominum suum verè, vti ore quidem confitentur, præsentem corde nõ adorant, si modò corde sentiunt, quod ore garriunt. Ex iis itaque modò recitatis liquere arbitror, illam S. Eucharistiæ eleuationem præter Christi in crucis patibulo oblati memoriam, habere quoque piam adorationis admonitionem coniunctam, atque eo fine

Ioan. Hussius Eucharistiam docet venerãdam.

Cauẽdũ monet August. ne peccemus Christum in Eucharistia non adorãdo.

Eucharistiæ eleuatio atq; ostensio cur fiat populo.

mox à consecratione, & aliàs populo exhiberi spectandam. Quare nihil refert, an in mysteriis exhibeatur adoranda, an aliàs ostendatur, imò circumferatur adoranda. Res namque est eadem, quæ isthac ex varietate nihil prorsus accipit varietatis. Eisdem igitur testimoniis illa solennis sanctæ Eucharistiæ adoratio est defensanda aduersus impias idololatriæ calumnias, quibus illa in mysteriis adoratio. Sed hæc alium in locum reponentur aptiùs: nunc de Missæ sacrificio locus postulat vt agamus.

Festũ corporis Christi piã habet S. Eucharistiæ adorationẽ.

Caput XLVI.

Missam esse sacrificium.



Vgustissimum illud religionis Christianæ sacrificium tractaturus, hunc mihi video disputationis ordinem insequendum (quò res perplexis admodùm inuoluta quæstionibus euoluatur explicatiùs, & veritas doctrinæ certò Euangelicę perspiciatur clariùs) vt Missam esse proprij nominis sacrificium demonstretur: non modò gratiarum actionis, siue Eucharisticum, aut denique cõmemoratiuum: sed etiam propitiatorium, & hoc tam pro mortuorum, quàm viuorum delẽdis peccatis: imò pro qualibet adeò Christiani populi necessitate, ex vetustissimo priscarum Ecclesiarum Catholicarum exemplo legitimè adhiberi. Verùm priùs de Missæ sacrificio quàm disserere aggrediar, haud abs re futurum arbitror, si restrictè antè exponatur, quid isthæc vulgò peruagata loquendi formula, Missam esse sacrificium, sibi velit: quum Missa nihil cum sacrificij ratione habere videatur commune: quippe, vti suo superiùs est ostensum loco, quæ aliud sit nihil, ac emissio siue dimissio, & quod apud Chrysostomum in Liturgia legitur, ἀπόλυσις ablegatio. Quod hodie vulgò dicimus, Ire ad Missam, audire Missam, & Missam celebrare, Missam denique esse sacrificium, popularem sapiunt magis loquendi modum, sicuti & aliæ non paucæ loquẽdi formulæ Christiani populi proprię, quàm priscam Scriptorum veterum eruditionem. Hæc etenim omnia, ac id genus cætera, per Catachresin ino-

Qua methodo tractandũ sacrificium Missæ.

Quid sibi velit, Missam esse sacrificium.

Ire ad Missam, audire Missam.

Vox Missæ colophonis loco addita Christianorũ sacrificio.

ſita inualuerunt. Cùm enim ſacris noſtris myſteriis vox Miſſa priſco ex more adhiberi fuerit ſolita, illud omne miniſterium ſacrum rudis popellus Miſſam dicere voluit, in quo vox Miſſa reſonaret. Hoc vel ex eo liqueat, quòd & illam variarum rerum ſaluberrimam, ita dixerim, farraginem, quæ ante oblationem ſacrificij peragebantur præſentibus adhuc Catechumenis, appellarit Miſſam Catechumenorũ. Hunc in modum ſcholam hodie receptiùs, quàm veriùs locũ vocamus, vbi fiat ſchola, id eſt, exercitatio literaria. Vnde illa fluxêre, ire ad ſcholam, pueros in ſchola ludere: quale & illud, Eccleſia pro templo, & alia id genus ſexcenta. Quemadmodum igitur Miſſa Catechumenorũ veteribus dicta eſt pro illo toto miniſterio, quod in Eccleſia peragebatur, donec illi ſacris (voce illa Diaconi, Ite Miſſa eſt) excluderẽtur, atque myſteriis tractandis arcerentur: ſic Miſſa in hunc vſque diem priſco de more vniuerſum illud cõplectitur ſacrarũ actionum quaſi corpus, quod hodie intereà ſacri miniſtri perficiunt, donec populo idem nuntiet Diaconus, Ite Miſſa eſt. Ad ſimilem igitur loquẽdi modum eſt referendum, quod hodie vulgus dicit, Ire ad Miſſam, audire Miſſam: quale fuit olim, Ire ad Miſſam Catechumenorum, pro adire concionem, intereſſe iis omnibus, quæ ſacra illa functione continebantur, quæ fiebant ante Catechumenos Eccleſiis excludi ſolitos. Proinde quod nunc explanandum in manibus eſt, illud Miſſam eſſe ſacrificium, aliud equidem ſignificare non arbitror, atque ſacram illam Sacerdotis functionẽ, quæ illa Diaconi voce, Ite Miſſa eſt, clauditur, continere ſacrificium atque oblationem: quod quale ſit, nũc agè exponamus.

Audire Miſſam, ire ad Miſsã quid.

Cùm aduerſarij, qui ſeipſi Euangelicos dici, quàm eſſe malunt, ab redinuento, quod iactitant, dudum perdito quaſi Euangelio aliquam ſacrificij rationem in religionis Chriſtianę myſteriis agnoſcere alicubi videantur, nempe gratiarum actionis, ſiue Euchariſticum atque cõmemoratiuum, vti Apologia Cõfeſſ. Auguſtanæ: alicubi verò omnẽ ſacrificij rationẽ abolêre illis fuiſſe ſtudio videatur, vti in Confeſſ. Saxonica, & Vvirtembergenſi, operæpretium haud minimum facturus mihi

Aduerſarij Euchariſtiã volũt ſacrificium eſſe Euchariſticum tantum.

Qua methodo aduersariorum contra propitiatorium Missæ sacrificiũ, molimina labefactanda & subuertenda.

videor, si rem ab ouo, vt habet prouerbium, exorsus, verum existere in Christiana Ecclesia sacrificium demonstrauero. Id quò fiat manifestiùs, demonstrato, Christũ in cœna suum Deo Patri obtulisse corpus & sanguinem, ex illis Christi Domini verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Orthodoxorum Patrum concordi sententia illustratis, sacrificium nouæ legis, id est, Dominici corporis esse institutum ostendemus: Deinde hanc doctrinam Apostolorum Traditione confirmatam, ita Ecclesiam Christianam abs sui vsque exordio non modò accepisse, sed & Catholicos, atq; adeò Arrhianos in annum vsque 500. atque in hunc vsque citeriùs diem indubitatò credidisse.

Christum peculiare instituisse christianis sacrificium.

Quò igitur omnibus indubitatum sit, verum aliquod atque peculiare Christianis esse à Christo Domino institutum sacrificium corporis & sanguinis Dominici, quod nostris in mysteriis, quæ nunc Missa vocatur, agitur, agè initiò demonstremus, Christum sacerdotij Christiani authorem, hæc ipsa Deo patri illa in cœna obtulisse. Diuus Cyprianus nobililissimum Christianæ Ecclesiæ columen, de huius sacrificij rebus & ritibus disputans, istud liquidioribus docet verbis, quàm vt vllam prorsus admittant apud sani capitis homines dubitatiũlam. Multa præfatus de Melchisedech Sacerdotio, qui Christi fuit typus: Nam qui magis (inquit Epistola tertia libro secundo) Sacerdos Dei, quàm Dominus noster Ie-

Christum in cœna obtulisse corpus & sanguinem.

" sus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & ob-
" tulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, pa-
" nem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Rur-
" sus eadem Epistola: Nam si in sacrificio, quod Christus
" est, non nisi Christus sequendus est, vtique id nos obau-
" dire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod fa-
" ciendũ esse mandauit. Et post pauca: Nam si Iesus Chri-
" stus Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos
" Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit,
& hoc fieri in sui commemorationem præcepit: & quæ sequuntur. Diuus Irenæus quoque hoc ipsum clarissimis
" demonstrat verbis: Sed & suis (inquit libro quarto capi-
" te trigesimo secundo) discipulis dans consilium, primi-

tias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus noui teſtamenti, nouam docuit oblationem: quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo. Sic & Photius ille nobiliſſimus apud Oecumenium Pauli interpres, illud ſecundum ordinem Melchiſedech, Hebr. quinto interpretaturus, ἢ ὅτι καὶ ὁ χριστὸς ἀναίμακτον θυσίαν προσήνεγκε εἶθ' ὕστερον καὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα, Chriſtum dicit ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdotem, quòd incruentam, inquit, obtulit hoſtiam, ac deinde ſuum ipſius corpus. Et Oecumenius in eundem locum explicaturus, quónam ſenſu Chriſtus ſit Sacerdos dictus in æternum, οὐ γὰρ τὴν πρὸς ἅπαξ γενομένην ὑπὸ θεοῦ θυσίαν, καὶ προσφορὰν εἶπεν ἂν εἰς τὸν αἰῶνα· ἀλλ' ἀφορῶν εἰς τοὺς νῦν ἱερουργούς, δι' ὧν μέσων χριστὸς ἱερουργεῖ καὶ ἱερουργεῖται, ὁ καὶ παραδοὺς αὐτοῖς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆς τοιαύτης ἱερουργίας, Non de illa, inquit, ſemel immolata à Deo hoſtia dixiſſet, in æternum, ſed ad Sacerdotes noſtri temporis aſpiciens, per quos medios Chriſtus ipſe ſacrificat & ſacrificatur: qui Chriſtus ipſe modum eis in myſtica cœna tradidit iſtiuſmodi ſacrificij.

Chriſtus ipſe nunc in Miſſa ſacrificat & ſacrificatur, ſicuti olī in cœna nouiſſima.

Euſebius item Cæſarienſis lib. 1. cap. 10. Euangelicæ demonſtrationis idipſum verbis quàm luculentis demonſtrat: μεγὰ δὴ πάντα οἱ ὄντι θαυμάσιον θῦμα καὶ σφάγιον ἐξαίρετον τῷ πατρὶ καλλιερησάμενος, ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἡμῶν ἀνενέγκας σωτηρίας, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν: Poſt hæc omnia, inquit, quaſi admirandam hoſtiam, victimámque eximiam Patri ſacrificando immolauit pro noſtra omnium ſalute, nobíſque memoriam eius rei pro ſacrificio vt iugiter offerremus Deo, inſtituit.

Cùm igitur Chriſtus Dominus noui huius ſacrificij author, ſecundum ordinem Melchiſedech ipſe ſuum ſacroſanctum corpus & ſanguinem Deo patri primus obtulerit, dubitari non poteſt, quin nouum nouæ legis inſtituerit ſacrificium, in finem vſque ſeculorum in Chri-

Chriſtum in cœna nouæ legis inſtituiſſe ſacrificiū ſui

corporis & sanguinis. ſtiana Eccleſia Deo patri offerendum. Sed quia hæc res cum primis eſt nunc temporis in controuerſia poſita, eſt ſanè nobis ea pluribus aliquot veterum Patrum teſtimoniis confirmanda atque ſtabilienda. Poſteaquàm Chriſtus Dominus Deo patri illud gratiſſimum iuxta ac ſuauiſſimi odoris ſacrificium corporis ſui atque ſanguinis obtuliſſet, ſuis dixit Apoſtolis, Hoc facite in mei commemorationem: quibus verbis Chriſtum Dominum præter ſui corporis ſanguiniſque conſecrationem atque communionem, Apoſtolis etiam præcepiſſe oblationem, clariſſimus ille iuxtà ac doctiſſimus Eccleſiæ Chriſtianę doctor Cyprianus docet: Nam qui magis, inquit, Epiſto. 3. lib. 2. ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat id eſt, panem & vinũ, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Rurſus poſt quædam: Nam ſi in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit. Et mox: Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe. Ioannes ille Chryſoſtomus verè aureum orationis flumen fundens: Pontifex noſter ille eſt, inquit, Homilia decimaſeptima ad Hebręos, qui hoſtiam nos mundantem obtulit, ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi nõ poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Similiter & prima Corinth. decimo, cùm ſacrificium commutaret, pro brutorum cæde ſeipſum offerendum pręcepit. Hunc in modum & Theodoretus: Clarum eſt, inquit in octauũ caput ad Hebræos, non aliud nos offerre ſacrificium, ſed illius vnius memoriam agere. Hoc enim præcepit nobis

Chriſtum illis verbis, hoc facite, præcepiſſe ſui corporis oblationem.

Sacerdos ille vice Chriſti verè fungitur, qui ex Chriſti mandato corpus Chriſti Deo offert.

Eandem nũc offerimus hoſtiam, quam Chriſtus in cœna.

ipſe Dominus, Hoc facite in meam commemorationem.

Euſebius quoque Cæſarienſis in Euangelicis ſuis demonſtrationibus: Poſt omnia, inquit lib. 1. cap. 10. quaſi mirabilem quandam victimam, ſacrificiúmq; eximium Patri ſuo immolans, pro noſtra omnium ſalute obtulit, eiúſque rei memoriam, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offeremus, inſtituit. Præclaris hiſce teſtibus ſuffragantur & locupletiſſimi Latinorum Scriptores Ambroſius, & Auguſtinus. Ille quidem in ſuæ Eccleſiæ ſacrificij formula: Qui formam ſacrificij, inquit, ſalutis perennis inſtituens hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri: Hic verò in Pſalm. 33. Poſtea ipſe Chriſtus, inquit de corpore ſuo & ſanguine inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Rurſus de ciuitate Dei libr. 10. cap. 20. Per hoc & Sacerdos eſt, inquit, ipſe offerens, ipſe & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium, & quæ ſequuntur. Plura de hac re qui requirat teſtimonia, ipſos veteres conſulat ſcriptores, Damaſcenum lib. 4. cap. 14. & cum aliis D. Irenæum in primis lib. 4. cap. 34. cuius teſtimonium conſultò differimus, paulò poſteà tractandum. Cæterùm poſt hæc locupletiſſimorum vetuſtiſſ. Scriptorum teſtimonia, vnum coronidis loco adferendum ex prima illa Apoſtolorum ætate duximus, quod liquidò demonſtret, hanc verborum Chriſti, Hoc facite, de ſacrificio interpretationem tot grauiſſimorum Patrum ſententiis claram atque conteſtatam eſſe doctrinæ prorſus Apoſtolicæ. Id autem in Synodali quadam extat epiſtola, quæ Alexandri primi Martyris titulo paſſim circumfertur, cùm totius Synodi Romanæ nomine ſit Orthodoxis omnibus ſcripta, quemadmodum ex medio liquet epiſtolæ: Vnà cum omnibus, inquit, Domini Sacerdotibus, qui nobiſcum in hanc conuenerunt vrbem, & cæt. De ſacrificio igitur, quod inter Miſſarum ſolénia Domino offertur, hæc Synodus locuta, oſtenſo, vinum eſſe aquâ, exemplo Patrum, permiſcendum, Ipſa veritas, inquit, nos inſtruit, & panem in Sacramẽto offerre, quãdo ait, Accepit Ieſus panẽ, & benedixit, & quę ſequũtur:

Euſeb. Cæſar.

Alexander Martyr cum Synodo.

Crimina enim atque peccata oblatis his Domino sacrificiis, delentur. Idcirco & passio eius his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpiùs recitanda, atq; hæc Domino offerenda.

Aetate Concilij Nicæni offerebatur corpus Christi Deo Patri.

Tam fuit olim indubitata de Missa sacrificio doctrina, vt ea pro argumēto vsi fuerint hæretici contra Catholicos.

Postremò ne quid resideat dubij apud pium Christianæ antiquitatis studiosum, ille Concilij Niceni Canon 14. summoperè est animaduertendus, qui vnus disertissimis verbis totius Ecclesiæ Christianæ, nimirùm Episcoporum 318. doctrinam Catholicam de sacrificio est complexus: Neque regula, neq; consuetudo tradidit, ait Canon, vt hi, qui μήτε ἐξουσίαν ἔχουσι προσφέρειν, neque sacrificij offerendi habent potestatem, id est, Diaconi, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. In Christiana itaque Ecclesia sacrificium nouæ legis Deo Patri offerendum à Christo Domino in cœna nouissima esse institutum, quísnam Christianus sui haud oblitus nominis, queat ire inficias? vbi præter locupletissima illa clarissimorum Scriptorum testimonia, Cypriani, Chrysostomi, Theodoreti, Ambrosij & Augustini, luculentissimas illorum vetustissimorum Conciliorum Rom. & Nicæni audit diffinitiones?

Arrhianismus Vvandalorum opera euertit Africanas Ecclesias.

Hæc autem de sacrificio Euangelico doctrina adeò fuit priscis illis Christianis omninò omnibus semel persuasissima, vt non tantùm Catholici de ea dubitarint nihil: sed ne Arrhiani quidem hæretici. Cùm enim ista pestis, quæ Augustini quidem seculo Africanas tentabat Ecclesias, sed Vvandalorum eâdem infectorum in illas irruentium atque exundantium illuuie grassabatur per Africam, illa priscorum suorum argumentorum, quibus Christi filij Dei oppugnabat homousion atque consubstantialitatem, acrimonia, destituta nouos quæritabat cuniculos, quibus ad expugnandam filij Dei cum patre Deo æqualitatem apud imperitos sibi moliebatur aditum. Vide igitur, Lector Christiane, quónam id argumento in Africa efficere conabantur Arrhiani.

Vide Fulgētium libr. 2. ad Moni.

Illis ex Scripturarum pharetra petitis telis per annos iam 200. vsu protritis atque obtusis, aliud Arrhianismus cudebat in Africa, quod non leuiter Catholicorum pectora sauciaret, ni scuto præmuniti fuissent impenetrabili

trabili, non illo Aiacis Homerici poëtico, ſed Euangelico: non Tiliæ inſectilis libro, aut bubalo obducto corio: ſed inſectili illo Agni immaculati vellere veſtito. Petebatur enim iſtud Arrhianorum argumentum ex perſonę dignitate, cui ſacrificium religionis Chriſtianæ offerebatur. Proinde cùm citra controuerſiam Deo patri offeratur, efficere volebant Arrhiani, patrem eſſe maiorem filio, ac dignitate præſtantiorem: Contrà, filium eſſe illo minorem, ac dignitate inferiorem. Quod epicherema adeò illis videbatur validum atque inuictum, vt in eo, quemadmodum ad D. Fulgentium ſcribit Monimus, omnem victoriæ collocarint ſpem, eámque palmarem exiſtimarint interrogationem, qua ſeſe Catholicos opinabantur. ſemel labefactare, adeóque ſubuertere. Quod Arrhianorum àrgumentum, hominum alioqui ſanè peracutorum, quàm eſſet omni pugionę plumbeo hebetius, niſi illa ſacrificij Chriſtianæ religionis doctrina illo ſeculo (ſicuti & ante annos propè quingentos, Apoſtolica ætate fuiſſe oſtendimus) fuiſſet cérta, firma, adeóque indubitata? quæ tam inter hæreticos Arrhianos, quàm Catholicos fixa ponebatur, atque apud vtróſque indubia conſtabat. Ad eundem modum & conſequutæ deinceps ætatis Scriptores per annos mille in hæc noſtra vſque tradidêre tempora, ſicuti ab illis ſui accepêre maiores, quos hîc longo recitare catalogo, præſentis inſtituti non fert ratio. Illud colophonis vice adiiciam (ſi fortaſſis Catholicæ Chriſti Eccleſiæ hoſtes vel ſui magiſtri, quem ſingulariter Spiritus ſancti, vti aiunt, illuminatione volunt illuſtratum, moueantur authoritate) ipſum Ioannem illum Anſerinum, aut ſi mauis, Huſſium Lutheri doctorem, atq; (ſi huic credis) ſanctiſſimum Chriſti martyrem, diſertiſſimis verbis, libello in Concilio Conſtantienſi edito, affirmaſſe, Sacerdotes ex Chriſti inſtituto debere corpus Domini offerre. Sed eius verba ad maiorem rei fidem, atque fœdiorem eius diſcipulorum ignominiam (qui in nullius norunt iurare verba magiſtri, quî enim poſſint? qui illam priſcorum hæreticorum notam, quòd doctrinam teſtamẽtorum more mutant ac immutant, fingunt ac refingunt, vbique haud obſcurè præ ſe

Hus Bohemis anſer eſt.

ferunt) huc duximus aſcribenda.

Notent Lutherani ſui Ioan. Huſſij verba, eiſque fidẽ habeãt.

Quod dixit Ieſus in cœna, inquit, Hoc facite in meã commemorationem, inſinuat, quare Sacramentum eſt inſtitutum, maximè propterea, quòd eſt commemoratio. Debet enim Sacerdos hoc venerabile Sacramentum offerre, & laicis deuotè dare, ac ſumere in commemorationem Ieſu Chriſti.

Cur digrediẽdum ad G. Maioris calumnias.

Hinc rectà nunc flagitat orationis noſtræ inſtitutũ, vt ad illius quæſtionis non paulò illa ſuperiore difficilioris explicationem proficiſcamur, Sítne Miſſa propitiatorium etiam ſacrificium? Nam de Euchariſtico, aut commemoratiuo facilè apparet, conueniat: quippe cùm id diſertis admodum verbis profiteatur Apologia Confeſſionis Auguſtanæ. Nos igitur ſuperioribus contenti, perlibenter pluribus ſuperſederemus, ni ſcrupuli aliquot à Geor. Maiore in via hac regia ſparſi nos ad D. Irenæi verba accuratiùs expendenda extra viam auocarent. Eius ergo verba paucis commemorata, illi nunc demonſtratæ Catholicæ iuxtà ac Apoſtolicæ de ſacrificio Euangelico doctrinæ ſuffragari, oſtendemus, atque Georgij cauillatiunculas conuincemus ineptiſſimas ſimul & futiliſſimas: quibus calumniabantur, non rectè ad ſtatuendum Miſſæ ſacrificium D. Irenæi teſtimonium fuiſſe Catholicis accerſitum. Hunc itaque in modum ſingulare illud Catholicæ Chriſti Eccleſiæ columen D. Irenæus, lib. 4. cap. 13. clariſſimè docet, quem extra ſuum locum huc reſeruauimus, ne anteà commemoratus, eſſet propter aduerſariorum calumnias cum alicuius fortaſſis tædio recitandus: Sed & ſuis inquit, diſcipulis Dominus dans
" conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non
" quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati
" ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, & gratias egit, dicens,
" Hoc eſt meum corpus, & calicem ſimiliter, qui eſt ex
" creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem con-
" feſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem,
" quã Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo
" offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat primitias ſuo-
" rum munerum in nouo teſtamento, de quo in duodecim
" Prophetis Malachias ſic præſignificauit: Non eſt ipſi vo-

luntas, quoniam in omni loco offertur incenſum nomini meo & ſacrificium purum. Quæ verba ita natiua ſua luce ſunt clariſſima, vt nulla mortalium alicuius diffuſiori declaratione habeant opus: at quorundam tamen hominum cauſa, quos nihil pudet pigétue, quò anticipatam ſui animi ſententiam ſtatuant, etiam Solis luce clariora conari offuſis tanquam nebulis obſcurare, cogimur, quod habet prouerbium, lampades de die accendere.

Hiſce igitur D. Irenæi verbis, Dominus diſcipulis, ait, ſuis dans conſilium, noui teſtamenti docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, negat Georgius Maior rectè confirmatum eſſe Catholicæ Miſſæ ſacrificium in Cæſareo edicto, quod ab interiecta religionis formula, donec feliciùs afflictiſſimæ Germaniæ noſtræ daretur conſulere, nomen Interim inuenit. Quod vt iure imperitis lectoribus videatur facere, ſemel atque iterum vana calumniarum in edicti huius authores ſpargit ſemina, quòd hæc D. Irenæi ſententia recitetur truncata. Rurſus callidè atque veteratoriè illos omiſiſſe, quænam ſit oblatio, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiẽs in vniuerſo mundo offert Deo. Priùs porrò cauillum in eis nequaquam hærere, vel iſthinc in primis fiat manifeſtiſſimum, quòd ipſe pios lectores rogat, vt integra duo Irenæi capita 32. & 33. perlegant & perpendant, quæ ſit authoris ſententia, ac conſiderent, de qua oblatione Irenęus loquatur: Nimis enim prolixum, inquit, & moleſtum fuerit, tota duo capita hîc ſubiicere, tantùm monendi Lectoris cauſa quædam inde excerpemus.

Interim defenditur aduerſus Georgij Maioris calumnias.

Interim cur dictum.

Calumnia Maioris retorta.

Quod igitur in ſcribendis commentariis tædij vitandi cauſa tibi Maior licuit, an non & illis in præſcribenda religionis formula, vbi ipſa tãtùm religionis capita paucis, ſed iis ſolidis Patrum teſtimoniis ſtabilita oportebat adducta? Etſi enim digitum fonti, vt eſt in veteri prouerbio, intẽdiſſe fuiſſet illi inſtituto ſatis, placuit tamen clariſſimis illis viris ad declarandam Catholicæ doctrinæ toto Chriſtianorum orbe adhuc obtinentis lucem, ahibitis teſtimoniorum quaſi faculis, quædam pauca

scriptorum vetustissimorum attexêre loca, quæ res in controuersia positas liquidissimò demonstrarent, omnésque item quæstionum nodos apud candidos atque beneuolos explicatissimis verbis dissoluerent. Quæ igitur minùs ad rem erant necessaria consultò fuêre omissa non callidè, vti calũniaris, ac veteratoriè. Proinde quod secundo loco adnotas, ab illis fuisse omissum, quænam sit oblatio, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, quis adeò sit absurdus, qui non videat, quónam istud sit abs te factitatum consilio? Grauiter enim aut falleris, aut fallere vis, dum te ignorare dissimulas, quænam oblatio ab Apostolis sit Ecclesię tradita. Sanè ea, quam illis verbis in Cæs. M. Edicto recitatis D. Irenęus est complexus, quam nouã noui, inquam, testamenti docuit Dominus oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Sed quia aliam à vero corporis Dominici sacrificio ab Apostolis Ecclesiæ tradito iste voluit obtrudere oblationem, quæ illud excluderet: planè veteratorium sibi, ad faciendum imperitis hominibus fucum, præstruxit præambulum: quo vt iacto quasi fundamento posset facilè, quod conatur efficere, apud imprudentiores: ita eo subuerso omne non difficilè labefactabitur, quod futiliter superstruere conatur.

Alterũ Maioris cauillũ retunditur.

Georgius agnitam veritatis lucẽ calumniãdi studio dißimulat.

Cur Georgius diserta Augustani interim verba studio dissimularit.

Vocat oblationem noui testamenti, ait, non oblationem corporis & sanguinis Christi, quæ sacerdotem Deo patri offerre fingunt assertores Missæ: sed totum illum cultum externum, & spiritualem: videlicet primùm spiritualem veram pœnitentiam, cor ex agnitione peccati & timore Dei contritum, &c. Deinde etiam docet, coniungendos esse externos cultus his spiritualibus, videlicet nouam obedientiam, dilectionem proximi, & cæteras virgines. Et loquitur præcipuè de eleemosynis, quæ in cœna Domini distribuebantur pauperibus, quas vocat oblationes primitiarum. Sic etiam in nouo testamẽto, inquit, Christum præcepisse, vt oblationes fiant in vsus pauperum, quæ in primitiua Ecclesia ferè tum fiebant & offerebantur, cùm Dominica cœna haberetur.

Vanißima Georgij Maioris commenta ad tollendum Missæ sacrificium detecta euanescunt.

Vt iam ista verba multis erroribus fœdata turpiss. nõ

aduiuum excutiamus, quòd externos cultus dicit nouam obedientiam, proximi dilectionem, & cæteras virtutes, illud quod sibi intrepidè sumit, oblationem corporis & sanguinis Domini hîc à D. Irenæo non vocari noui testamenti oblationem, instituta nostræ disputationis ratio efflagitat vt refellamus,

Multos conuoluit errores Georgius, vt veritatẽ imperitis obnubilet.

Diuus Irenæus simul atque varias hæreticorum suæ ætatis propulsasset calumnias, quibus Deum Optimum Maximum à Christo denuò prædicatum contumeliosissimè vexabant, quia verum Deum nugarentur esse alium à demiurgo, & mundi huius fabricatore, à Christo & Apostolis orbi annunciato, quódque hic indigentiæ aut obsequij sui causa præcepisset, ad veram noui testamenti proficiscitur oblationem. Hanc Georgius Maior solam contendit ex Irenæi sententia esse illam externam primitiarum, aliorúmque munerum oblationem, cum spirituali fidei, spei, charitatis, & conscientiæ puræ cultu coniunctam, ita vt Dominici corporis sacrificium nullum sibi inueniat locum. Contrà, nos profectò vt duo istæc agnoscimus sacrificiorum genera: ita & illud tertium Ecclesiæ ab Apostolis quoque traditum corporis sanguinísque Dominici holocaustum, verissimúmq; tabernaculi nostri cælestis endelechismum ab aduersariorum calumniis atque nefariis sacrilegiis cuperemus vindicatum, quod nunc ex Irenæo nobis instat agendum. Etsi enim sanctissimus vir prima fronte videatur Lectori interpretis sui caussa obscurior, verba tamen eius non numerata, sed ponderata, maximum adferunt ad statuẽda vtriúsque canonis Missæ sacrificia momentum, præter illud spiritualis cultus sacrificium. De panis igitur viníque oblatione tanquàm noui testamenti propria & Christi Domini iussu instituta, nec non ab Apostolis Ecclesiæ vniuerso orbi tradita, nihil hîc dicimus amplius, quòd suo sit superiùs loco pertractata, quàm quòd hîc discere cuperem, ánne sanctissimum hunc virum Irenæum eadem animi impotentia illius horribilis, quam fingit, idololatriæ audeat Georgius incusare, quod pa-

Oblationem corporis Domini à D Irenæo vocari noui testamẽti oblationẽ.

Status cõtrouersiæ inter Geor. Maiorem & Catholicos.

Vide Orig. in Ioan.

Tria sacrificiorũ genera commemorat D. Irenæus, non duo tantùm, quod vult Georg. Maior.

Præter illud spiritualis cultus sacrificiũ D. Irenæus geminã Missæ Christianæ ostendit oblationem panis & vini atq; corporis & sanguinis Dominici.

Georg. astruit hic panis viníq; oblationẽ ex Irenæo, quam superiùs bacchabatur idololatriam. Atqui hominem oportebat sui esse memorem.

nem vinúmq; doceat Deo viuo & vero offerendum, quā superiùs impiè Catholicam insimulabat Ecclesiam? Si sic quid eū in suam trahere partem conatur? Sin autem, cur Catholicæ Christi Ecclesiæ sacrificos & Monachos calūniatur potiùs, quàm ipsos, qui hanc panis viniq; Eucharistiā Deo viuo offerendā Ecclesiæ vniuerso orbi tradiderunt Apostolos? Quod vt minùs appareret, vide mihi quæso Lector candide, q̃ hac in re bona cū fide versetur Georgius, quò & sacrificij quasi huius expugnati victoria suis haberetur potiùs quàm esset Maior. Declararat D. Irenæus, Christum Apostolos docuisse, vt Deo ex suis creaturis primitias offerrent, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, audet Georgius clarissima hęc D. Irenęi verba, nō solùm in rixā trahere, sed suis etiam nebulosis corruptelis obscurare: Sic etiam in nouo testamento, inquit Irenæus, vti recitat Georgius, Christū præcepisse, vt oblationes fiant in vsus pauperū. Istud verò vbínam ait Irenæus Georgi? an quia verū est? & verū verò non est contrariū, an ea propter & hîc dixisse Irenęus est censendus, cuius ne suspicio vlla apud eum extat vel quidem tenuissima? Non hoc loco sanctissimus vir de Christiana in pauperes solicitus est pietate, sed de vera in Deū Optimū Maximū religione: quæ eius cultū, qui nos illi non sinit esse, ait, aut infructuosos, aut ingratos, præscribit. Non igitur Christus in cœna nouissima præcepit oblationes in vsus pauperū, quod verbis D. Irenęi affingis Georgi, eúmq; dicere impudenter asseueras, cuiúsne vna quidem apud illū existit syllaba: sed suis, ait, discipulis dans consiliū, primitias Deo offerre. Hæc verba cùm è vestigio recitet Georgius, demiror quídnā illi in mentē venerit. Sed vir probus & simplex Lectoris animū superioribus illis verborū suis præstigiis existimauit ita credo incantatum, vt quid sibi hæc Solis luce clariora Irenęi verba velint, ampliùs nec recogitet, nec cum illis componat. Cæterùm vti diximus, de sacratiore illa Dominici corporis oblatione, nunc potior vrget quæstio ex D. Irenæi verbis dissoluenda. Cùm igitur D. Irenæus Christū dixisset suis consiliū dedisse discipulis, primitias vt Deo offerrēt ex ipsius creaturis, accepto pane,

D. Irenæi verba à Georgio Maiore corrupta & adulterata.

Georg. fingit ex D. Iren. Christum in cœna præcepisse oblationem in vsus pauperum cōtra diserta Irenæi verba

Oblatio corporis Dominici verbis D. Irenæi asseritur.

qui ex creatura eſt, gratias egit, inquit, dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus, nouam docuit oblationem.

Hîc tuum, Chriſtiane Lector, appello arbitrium, an ſanctiſſimum virum & ſcriptorem grauiſſimum Diuum Irenæum ſentias, vbi de noua noui teſtamenti agit oblatione, temerè annotaſſe, Dominum panem acceptum dixiſſe corpus ſuum, & vinum calici infuſum eſſe ſuum ſanguinem confeſſum? Sed nemo tam eſt abſurdus, qui iſtius inſulſæ garrulitatis vel ſuſpicione Apoſtolorum diſcipulum notare ſibi permittat. Quorſum igitur, oſtenſo, panem eſſe corpus Domini factum, & vinum calicis Dominum eſſe ſuum ſanguinem confeſſum, è veſtigio appoſuit, Dominum nouam docuiſſe noui teſtamenti oblationem? Quænam autem, ſi fortè roges, ea ſit, diſertè reſpondet: Ea, inquiens, quam Apoſtoli à Domino acceptam vniuerſo orbi tradiderunt. Duobus igitur hîc docet argumentis, corpus Dominicum Chriſtianis eſſe veri nominis ſacrificium: & à Domino, inquiẽs, inſtitutum: & ab Apoſtolis Eccleſiæ traditũ. Prius, quòd nouam dicit oblationem noui teſtamenti propriam Chriſtum Dominum Apoſtolos docuiſſe. Quare non poteſt citra inſaniam quis affirmare, nouam hanc oblationem in offerẽdis primitiis, aut mero pane vinóq; eſſe concluſam. Illarum enim immolatio omnium fuit hominum, omnium eſt ſeculorum: atqui horum oblatio ad illum Dei altiſſimi Sacerdotem Melchiſedech propriè pertinebat, ſicuti ad Leuiticos hircorum atque taurorũ. Alterum verò argumentum inde licet eruere, quòd ab Apoſtolis dicit Eccleſiam hanc oblationem accipientem vniuerſo mundo offerre Deo. Quod quánam de re magis accipiatur propriè, quàm de vna illa hoſtia, quæ vniuerſo orbe offertur vna? Incruenta nimirum Chriſtiani ſacrificij hoſtia illa munda & immaculata, quemadmodum Irenæus ſubiecto Malachiæ oraculo ſtatim confirmat: quod nobis ſupereſt declarãdum, vbi paucis admodùm hanc corporis Dominici oblationem ex Irenæi capitibus ſequẽtibus luculentiùs effecerimus corroboratã.

D. Irenæ' duob. confirmat argumẽt. quod dixerat corporis Dominici oblationem eſſe noui teſtamẽti ſacrificiũ.

Chriſtũ hoc Apoſtolos docuiſſe.

Eccleſia hãc corporis Domini oblatiõẽ ab Apoſtolis acceptã toto orbe offert Deo.

Ex D. Irenæo copiosior demonstratio in mysterijs Christianæ Missæ offerri Deo corpus Christi. Sola catholica Christi ecclesia verum Deo patri offert sacrificium.

Hoc ergo nouam noui testamenti sacrificium Deo patri per Iesum Christum docet cap.33. offerre Ecclesiam, & consequuto capite, solam Ecclesiam demonstrans Deo fabricatori vniuersi puram offerre oblationem, non Iudæos, qui non receperunt verbum (τὸν λόγον, id est, filium) per quod offertur Deo: neque omnes hæreticorum Synagogas, quòd aut alium dîcant huius mundi fabricatorem, ideóque offerentes alieni cupidum ostendunt: aut hæc quæ secundum nos sunt ex ignorantia & defectione, vti dicunt, facta offerentes, contumeliam magis ei faciunt, quàm gratias agunt: post pauca, quibus docet panem illum Dei creaturam Eucharistiæ verbis factum esse corpus Domini, idipsum Deo patri offerri demonstrat, non quasi indigenti, sed gratitudinis ergô largienti atque donanti: "Nostra, inquit, consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus ei quæ sunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & Spiritus: quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia opem resurrectionis habentia." Audis, Christiane Lector, præclara Diui Irenæi verba clarissimè pronunciátia, sacram Eucharistiam duabus rebus constantem Deo patri offerri: Offerimus ei, inquit, quæ sunt eius. Itaque cùm Eucharistia habeat rem cælestem, quàm corpus Domini esse vel ex hæreticorum priscorum consensu docet, consequitur, corpus Domini iuxta Irenæi sententiam offerri Deo Patri.

Verum ecclesiæ christianæ sacrificium est S. Eucharistia.

In Eucharistia manere terrenam panis substantiam negat D. Irenæus.

Cæterùm quòd dicit Eucharistiam ex re quoque terrena constare, non te, Lector Christiane, à veritate fidei Catholicæ deturbet, quasi vna cum corpore Domini maneat terrena panis substantia: hoc enim disertis verbis hîc cauendum monet Irenæus, ac tanquàm amuleto præmunit contra istos impanatores ab orco resurgentes: Panis, inquiens, vocationem Dei percipiens, iam non est communis panis, sed Eucharistia. Res ergo ter-

tena ſimul cum cæleſti re conſiſtens, ipſa eſt terreni panis ſpecies, figura atque Sacramentum: non ille qui priùs erat panis communis: quemadmodum ſuperiùs in conſecrationis effectu profuſiùs diximus.

Caput XLVII.



Orrò ne quid ad huius doctrinæ de corporis Dominici oblatione plerophoriã plenámque perſuaſionem deſideraretur, putauit Irenæus eam prophetico teſtimonio confirmandam: In omni loco, inquit Malachias, incẽſum offertur nomini meo & ſacrificium purum. Sicuti autem huius loci incenſum docet cap. ſequenti ex Ioannis Apoſt. Apocalypſi eſſe orationes ſanctorum: ita ſacrificium purum hoc cap. 32. & 34. docet illud eſſe nouam noui teſtamenti oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo, ait, mundo offert Deo: Hoc eſt, Euchariſtiam, quæ iam non eſt communis panis, ait cap. 34. ſed duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti. Hunc autem eſſe germanum prophetiæ præſentis ſenſum, putà de corporis Dominici in myſteriis oblatione; præterquàm quòd Irenæus expreſſè pronunciat, docens de toto ſacrificiorum noui teſtamenti corpore: cùm primitiarum panis & vini: tum fidei, dilectionis, ſanctæque vitæ: tum quoque orationis, & Euchariſtiæ accipiendam, clariſſimus quoque Chriſti martyr Diuus Iuſtinus Philoſophus dialogo aduerſus Iudæos clariſſimè commonſtrat: Hinc de iis, inquit, hoſtiis, quas tunc immolabatis, Deus per Malachiam vnũ ex 12. loquitur: Non eſt in vobis voluntas mea, nec ſacrificia veſtra ex manibus veſtris accipiam, &c. In omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, mundúmque ſacrificium, & quæ ſeq. Quem locum interpretans D. Iuſtinus Martyr: De hoſtiis, inquit, quæ ipſi à nobis gentibus vbique offeruntur, id eſt, de pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter Euchariſtiæ tum prædicit, cùm ait, à nobis nomen gloria affici, à vobis autem pollui. Eundem in ſenſum hæc Malachiæ verba de Chriſtianæ Miſſæ ſacrificio & D. Au-

Malachiæ vaticiniũ de ſacrificio Miſſæ accipiendum.

Sic Irenæus de Euchariſtia.

Sic D. Iuſtinus mart.

Sic D. Augustinus.

Sic Eusebius Cæsariensis.

gust. variis in locis interpretatur, vti de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 35. & lib. 19. cap. 23. Sic & Eusebius Cæsariensis hanc prophetiam de eodem interpretatur tremendo Missæ sacrificio: vbi enim illa Prophetæ verba commemorasset, θύομεν δῆτα τοιγαροῦν, inquit libr. 1. Euangel. demonst. capite vltimo. τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, θύομεν τὸ ἔνθεον καὶ σεμνὸν καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα, θύομεν καινῶς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην, τὴν καθαρὰν θυσίαν: Offerimus propterea illi omnium Deo sacrificium laudis, offerimus illud diuinum, sacrosanctum, Deóque dignissimum sacrificium, offerimus nouo ritu secundum nouum testamentum, illam mundam hostiam.

Vide vt de composito ænigmata inuoluat, quòd mysteria nostra impuris paganorũ aribus noluerit eliminare.

Tertul. locus Georgio extortus.

Vide Tertul. lib. contra Iudæos haud longè ab exordio.

Iam quòd Georgius Maior hunc prophetiæ sensum ex Tertulliano vafrè conatur subuertere, quis non videat, quàm sit nefario cum sacrilegio coniunctum? Sicuti enim Tertullianus istud Prophetiæ oraculum libro aduersus Iudæos de spirituali nouæ legis interpretatur sacrificio: ita hoc generali vocabulo nostram quoque mysticam cœnæ Dominicæ oblationem haud dubium est complexus. Etsi enim illic huius incruenti sacrificij non disertè meminerit, quòd præsens locus apud Iudæos crassos & nostrorum mysteriorum rudes explicatus, haud ita postulabat: alibi tamen huius sacrificij ceu nouæ legis proprij meminit disertiùs, quàm vt cuiquam sano in mentem venire possit, illum loco recitato id voluisse exclusum. Disputans enim aduersus Marcionem Ponticum nostræ religionis mysteriorum minimè imperitum, hanc alio ex capite tractans Malachię prophetiam, cùm dixisset, In omni loco sacrificium nomini meo effertur, & sacrificium mundum, Gloriæ scilicet relatio, inquit, & benedictio, & laus, & hymni. Quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & mundiciæ sacrificiorum, debes iam erumpere, vti dicas, Spiritum creatoris tuo Christo prophetasse. Viden' Georgi, aliter Tertullianum de illo sacrificio mundo, quod toto offertur orbe, loqui cum semichristiano Marcione agentem, quàm cum impiis illis Iudæis, nostrorum Sacramentorum, quæ hîc enumerat, signaculi frontium, id est, Con-

firmationis, Sacramentorum Ecclesiæ, & mundiciæ sacrificiorum, id est, mundi illius sacrificij, quod sanctos in æternum mundat atque sanctificat quotidiè, prorsus rudibus atque nullo modò initiatis? Porrò quòd Tertullianus persuasum habuerit, illud sacrificium mundũ, quod Deo Opt. Max. vbique Ecclesiarum Christi offertur quotidie, mundare atq; à peccatorum sordibus purgare, non modò viuos, sed &, vti Catholici semper credidimus ab ipsis vsque Ecclesiæ Christianæ incunabulis, mortuos atque hac vita defunctos, suo inferiùs loco aptiùs demonstrabitur clarissimè.

Ex iis, quæ nunc ex Irenæo pro incruenti sacrificij oblatione deprompsimus, omnibus seriò animaduertentibus fuerit in promptu dijudicare, qualísnam sit ille Syllogismus, quem Georgius Maior post bellam istam velitationem coronidis loco attexuit. Illa enim Irenæi verba, Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius, caliginoso fictitiarum nugarum fumo obscurans, ita sophisticatur: Hîc iterum dicit creaturam, inquiens, offerri Deo. Filius autem Dei non est creatura: ergo in cœna Dominica offerri non potest filius patri. Multa hîc peccat, quæ ex Sophisticis Elenchis, Aristotelis, prudens Lector, potest deprehendere: quos si tanto animi studio perpedisset Georgius, atque illius Rhetorica, non in isthæc fuisset à Sophistis seductus impietatis blasphemæ barathra. Non iam agitur Georgi an filius offeratur, sed verùm corpus humanum à filio assumptum offeratur, quod ipse prior pro nobis obtulit & offerendum docuit? Irenæus autem vt ex creatura docet offerendas primitias: ita non eas solas, sed corpus quoque Dominicum, quod è vestigio rem appellat cælestem: quod indubiè creaturam agnoscere cogitur Georgius Maior, nisi veteres illas pridem explosas Simonis Magi, Saturnini, Basilidis, aliorúmque, qui phantasticum Christi corpus somniabant, ab orco reuocare moliatur hæreses cum phanaticis nostri seculi prodigiis Memnonistis aut similibus Libertinis.

Syllogismus Georgij Maioris contra Missæ sacrificium conuincitur Sophistices.

Vide Tertul. de præscript.

Caput XLVIII.

D Cypriani voces, offerre & sacrificare, à Georgio Maiore improbè ad distributionem detorqueri.

D.Cypriani loc⁹ à Geor. Maioris vexatione liberatur.

D.Cyprian⁹ luculẽtissime astruit corporis Dominici in Missa oblationẽ ex Christi præcepto.

Hoc ipsum à nobis Deo offerendum, quod Chris⁹ obtulit, & offerendũ mãdauit.

Sacerdos ille Christi vice verè fungitur, qui Christi oblationẽ Deo offert.

Georg. Cypriani verba

Priuatarum Catholicis



IS thac expeditione tam præclarè in Diuum Irenæum subuertendum gesta, exinde ad Diuum Cyprianum infeliciùs detorquendum sese accingit Georgius Maior. Hic enim cùm improbis eius conatibus variis in locis obsisteret, vnum ex omnibus sibi delegit exagitandum. Sed benè habet, quòd Cypriani testimonium natiua verborum luce clarissimum præ aliis haud ita illustribus, suis verborum quasi nubibus ad imperitorum fraudem offundere atque obscuratum deprauare sit conatus. Posteaquàm enim D. Cyprianus Epist. 3. lib. 2. idem prorsus offerendum in mysteriis nostris docuisset, quod Iesus Christus Dominus & Deus noster sacrificij huius author & doctor fecit & docuit, qui sacrificium Deo patri primus obtulit, hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem: ideóque in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christum sequendum, idque faciendum quod Christus fecit, & quod faciendum esse mãdauit: hæc, inquam, vbi verbis hisce adeò perspicuis per epistolæ corpus passim sparsisset, ita huius sacrificij Christiani legitimè celebrandi attexuit ætiologiam. Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundũ quod ipsum Christum videat obtulisse. Quem in locũ ita commentatur Georgius: Certum est, inquit, Cyprianum non loqui de Missis priuatis, quæ illis temporibus ignotæ fuerunt, sed de distributione Sacramenti, & cõmunione populi. Atqui istud Georgi non affirmasse, sed confirmasse oportuit. Tametsi vestrum istud de priua-

de oblatione Deo facienda distorquet ad populi distributionẽ. Missarum figmentum Catholicis semper ignotum. Nulla est Missa priuata, sed omnis publica.

tis Miſſis figmentum vobis damus, & quidem libenter, nobis certè priuatæ Miſſæ quoque ſunt incognitæ. Apud Catholicos enim nullus eſt prorſus, qui priuatam celebrat Miſſam, ſed omninò ſemper publicam. Quis eſt enim qui pro ſe priuatim offerat, & non pro vniuerſa Catholica Christi Eccleſia publicè? Hæc enim eſt potior Miſſæ pars. Quod autem ad Sacramenti pertinet communionem, vti vos veſtrum accipitis figmentum, nec hactenùs dicitur rectè priuata, etiamſi ſolus eius fiat particeps Sacerdos: quòd non eius inuidia, vt calumniamini, laicis negetur ſacrificij portio, ſed ſua ipſorum aut negligentia, aut ſalutis incuria. Proinde ſi quis rectè ſecum ipſe priuatæ Miſſæ ineat rationem, veriſſimè agnoſcet, vos potiùs priuatam agere Miſſam, ſi modò vel hoc nominis meretur, quòd vos apud ægrotos agitis, imò veriùs hiſtrionicè luditis, contra maiorum omnium conſuetudinem, contra Apoſtolorũ Traditionem, contra denique ipſam adeò Christi Ieſu Dei & Domini inſtitutionem. Verùm hac de re ſatis in præſentia. Nunc illud oſtendamus vaniſſimum, quod Georgius ait, Diuum Cyprianum non de corporis Domini oblatione loqui, ſed Sacramenti diſtributione & populi communione. Diſertè enim dicit Cyprianus, Dominum noſtrum Chriſtum ſummum DEI Patris Sacerdotem, & ſacrificium Deo Patri, corpus videlicet atq; ſanguinem, ipſum obtuliſſe primùm, & hoc fieri in ſui cõmemorationem præcepiſſe. Rurſus, illum demùm Sacerdotem vice Chriſti verè fungi, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et tertiò, ſacrificium verum & plenum tunc offerre Sacerdotem in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecũdum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe. Quibus obſecro verbis, quídnam, Lector Chriſtiane, minùs ſignificatur, quàm quod Georgius Maior tanto cum ſupercilio aſſeuerat, de populi agi communione? de Sacramenti illum loqui diſtributione? Siccine nos omnes Georgi habes ſtipites & caudices, bardos & ſaxeos, vt atrum præ candido nõ diſcernamus? vt lucem clariſſ. à tenebris tuis ſtolidiſſimè offuſis non diſtinguamus? vt offerri & diſtribui non internoſcamus? Iſt-

Lutherani priuatam agunt Miſsã apud ſuos ægrotos.

D. Cyprianum loquĩ de corporis Dominici oblatione, nõ de populi communione vti Maior eius verba deprauat.

hæc tuis discipulis ad vestra noua dogmata obstupefactis, atque illo horribili vertiginis & compunctionis spiritu, quia charitatem veritatis abiecerunt, miserabiliter percussis digna sunt commenta: quæ quòd illis iuratis vestris mancipiis placita, atque velut illud αὐτὸς ἔφα, ipse dixit, Pythagoræis citra cunctationem aut ambuiguitatem suscepta videatis, hinc efferescitis miselli, aliis hominibus vobis non iuratis & oculos & mentes esse obliti. Sed manifestissima clarissimorum Cypriani verborum lux cùm non posset tibi vel oculos studiosè claudenti non affulgêre, consilio prorsus nebulonibus digno ea conabaris obiecta imprudenti Lectori quasi nebula obfuscare: Quod addit Cyprianus, inquis, Et sacrificium verum & plenum tunc offerri in Ecclesia DEO Patri, si sic incipit offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse, non intelligatur Sacerdos solus stans ad aram, & offerens DEO Patri filium suum: sed distribuens populo corpus & sanguinem Christi, & vt dictum est, preces & gratiarum actiones pro vnico Christi sacrificio offerens Deo Patri. Atqui istos tuæ obfuscationis nebulosæ fumos Georgi, perspicua Cypriani verba Solis luce clariora nullo negotio dispellunt. An non illæ voces, sacrificium Deo Patri, corpus suum & sanguinem ipse primus obtulit, & hoc fieri præcepit: & rursus, tunc sacrificium plenum offert Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videt obtulisse, disertissimè loquuntur, Sacerdotes solos ad aram stantes vice Christi offerre Deo Patri corpus Dominicum? Preces & gratiarum actiones pro vnico Christi sacrificio vis illos offerre Deo Patri, sed vbi istud Cypriani verbis abs te recitatis vsquàm vel datur intelligi? Vbi istius rei suspicio vel leuissima? Quanquàm nõ inficiemur hasce oblationes etiam Deo Patri offerendas: sed nos vobiscum istis solis contenti esse non possumus, quòd Christus non solùm Deo Patri seipse primus obtulit, sed & hoc fieri (si tuo testi Cypriano ipse credis) in sui commemorationem præcepit. Quare illud tuum corollarium, Hoc enim sic est offerre, sicuti Christus in cœna obtulit, nam in cœna

Torquet Georgius Maior clarissima Cypriani offerendi Deo Patri verba ad distributionem & cõmunionem populi.

Georgij nebulas clarissima Cypriani verba dispellunt.

non obtulit se Deo Patri, gemino est vanitatis tuæ limo defœdatum. Reclamat enim Cyprianus hoc esse offerre Deo Patri hoc loco, puta preces, quod ais, & gratiarum actiones, sicuti Christus in cœna obtulit!: cùm disertè Christum doceat semel atque iterum hoc idem obtulisse, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinũ, suum, inquit, corpus & sanguinem. Rursum, qua in parte conuenimus, calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit, vnde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, & quę sequuntur. An te igitur non istius pudeat vanitatis: nam in cœna, inquis, nõ obtulit sese Deo Patri? Sed istud in præsenti fusiùs aliorum testimoniis confirmare supersedeo, quòd superiùs ex Oecumenio, Photio, Theophylacto, aliísque sit demonstratum, contentus te hîc vno tuo ipsius teste Cypriano iacere iugulatum.

Offerre preces & gratiarũ actiões non est offerre quod Christus in cœna obtulit.

Christus in cœna seipsũ Deo obtulit.

Sanguinem suũ Christus obtulit Deo in cœna.

Huiusmodi artibus, peruersionibus scilicet ac detorsionibus, pergit Georgius Maior tremendum illud oblationis incruentæ sacrificium cruento, imò canino veriùs ore dilaniare, ac verè, vti habet libri inscriptio, prophanare, pro eo atque Antichristi Apostolum decet. Sed quia alia quæ ad rem præsentem attinent nec paucis verbis possunt perstringi, & haud magno possunt negotio refelli, si hæc quæ aduersus illum diximus probè fuerint cognita atq; perspecta, omisso isthoc Missæ prophanatore Antichristiano, ad spectandam Missę tragœdiam obiter Christiane Lector, priusquàm ad sacrificiũ descendamus propitiatorium statuendum, transeamus, quam nuper Valentinus Vãnius vanissimè exhibuit orbi non tam legendam, quàm irridendã, aut vt Christianè dicam, lugendam veriùs, & toto piarum lachrymarũ fonte deflendam: si quid fortè apud Deum Optimum Patrem fratrum pro fratribus nunc deploratiss. piæ profuerint lachrymæ, sanctáque vota ac suspiria æstuantia quempiam illis tandem inueniant locum. Ita enim irreligiosè, impiè atque prorsus Iudaicè, aut veriùs Turcicè, de hisce mysteriis vel archangelo cuique tremendis nunc tempestatis loquuntur isti bis miserandi, vt

Transitio ad sannas atq; blasphemias à Valentino Vannio in Missam enomitas.

Vide Chrys. Liturgiam, & de Sacerdotio.

hodie maximè, si vnquàm aliàs, iure cum D. Irenæo sit piis ad vnum omnibus exclamandum, ὦ καλὲ θεὲ. εἰς οἵους με καίρους τετήρακας, ἵνα τούτων ἀνέσχωμαι: O Deus bone, in quænam tempora me seruasti, vt isthæc sustineam.

Caput XLIX

Missa cōtra iudiciū Valentini Vānij defēditur.
Tres Missæ partes Vannio.
Iudiciū suū de Missa Vānius suis ipse subuertit assertatis.
Adorationē Christi in Eucharistia Vānius probat & improbat.
Qui Christū orat vt sui misereatur, haud dubiū adorat.



IS igitur plusquàm histrionicè Missam lusurus, vt lepidas suis spectatoribus daret fabulas, in scenam progressus in tres eam distribuit partes: Vna, inquit, res habet bonas & pias: Altera impias: Tertia adiaphoras atque medias, vt vocant. Sed quàm furore planè fanatico percitus istum ludum sit aggressus, vel ex eo animum seriò aduertentibus fiat manifestissimū, quòd in hac ipsa Missæ partitione, homo sui immemor (nisi fortè, quod existimo, ipsa rei veritate compulsus) rem eandem iudicat bonam & malā, piam & impiam. Rursus eandem impiam & indifferentem, siue mediam. Sic enim orationē illam, Agnus Dei, in primo collocat Missæ partium ordine, qui res habet, quæ, inquit, planè sunt piæ, & natura sua nunquàm malæ esse possunt. Porrò secundum ordinem, qui res habet impias, & ab idololatris excogitatas, exemplis illustrās, adorationem Eucharistiæ assignat. An qui Christum Dei agnum orat, vt nobis misereatur, non adorat? Qui eundem rogat vt nobis pacem donet, non adorat? Quid enim aliud à Deo Maximo adorantes petimus? A quónam alio, quàm ab vno Deo supplices veniam rogamus, & pacem illam, quæ per Christum facta est, & quotidie apud Patrem fit, rogamus atque obsecramus? Hæc si ab agno illo Dei Christo Iesu nobis in Sacramento præsente rectè, vti affirmas, petimus, & piè, vti ipse fateris, in Missa oramus, cur non etiam rectè & piè illum adoramus? Haud enim aliud est adorare, quàm quem Deum fide agnoscas, mente venerari, precibus colere, corporis gestu honorare: quod cùm in oratiuncula, tuo isto iudicio probata, Agnus Dei, fiat apertissimè, necessariò cōficitur, Adorationem in Missa non esse impiam, nec ab ipsis quos dicis idololatris excogitatam. Ipsam

enim

enim veræ religionis naturam sequitur indiuulsè, sicuti parentem fœtus. Vnde hodie quoque, ait Ambros. loco dudum cõmemorato, Christi carnem in mysteriis adoramus, quam & Apostoli in Christo adorauerũt: & adoramus, ait August. vt non solùm non peccemus adorando, sed ne peccemus non adorando: quemadmodum superiùs dictum est copiosiùs.

Vide suprà de eleuatione cap. 45.

Rursum cùm primum Missæ partium ordinem earũ rerum definias, quæ planè sunt piæ, & quæ natura sua, inquis, nunquàm malæ esse possunt, in huius tertia parte, Agnus Dei, annumeres, quod apertissima est adoratio, quónam pacto tibi cum veritate constare potest, quòd in secundo Missæ partium ordine, qui earum est rerum quæ natura sua, inquis, nunquàm bonæ fieri possunt, Adorationem recenses? Hæc enim tuo ipsius iudicio planè bona est, & natura sua nunquàm potest fieri mala. Quippe quæ sit exemplum tertiæ partis primi Missæ partium ordinis sub Agnus Dei nomine annumerata.

Vide hominis inconstãtiam & sui obliuione percitum.

Eiusdem est inconstantiæ, quod Eucharistiæ ostentationem, vti appellas, in secũdum Missæ partium redigis ordinem, quasi impiam & quæ natura sua nunquam bona fieri possit: in tertio deinde ordine, qui eas continet Missæ partes, quæ natura sua, inquis, neq; bonæ neque malæ sunt, sed medio quodam loco haberi possunt, adeóque ἀδιάφοραι hoc est, mediæ seu indifferentes vocantur cæremoniȩ, inter eius exempla, post corporis gestus & theatricos atque scenicos, vt tibi appellare libuit, mores, è vestigio adiecisti Sacramenti eleuationem. An nõ eleuatio Sacramenti indubia est ostẽtatio? An Christianorum quisque adeò absurdus est, qui eleuationem Sacramenti inficietur ad populi fieri ostentationẽ? Proinde si ostẽtatio, vti ais, impia est, & quæ natura sua nũquàm potest fieri bona, nõ potest eleuatio eius species, nisi cum insania, haberi ἀδιάφορα, atque media. E diuerso, si eleuatio inter verè ἀδιάφορας Missæ partes abs te rectè est collocata, non potest nisi nefario cum sacrilegio illa Sacramenti ostentatio inter impias, vt vocas, Missæ partes connumerari.

Aliud Vãnũ asystaton. Eleuatio Eucharistiæ Vãnio & impia & indifferens.

Epitasis Vānij vanissima.

Hæc argumēta posteriorē fortè videantur locū requirere, sed maluim⁹ vanissimas Vānij nugas simul euanare.

Huius rei solidā atq; liquidā ex cōcordi vetustiss. Patrum cū Catholica nostra Ecclesia consensu cōfirmationē vide paulo infrà Cap. L.

Missam esse sacrificiū propitiatoriū.

Vānius Catholicos fingit victos, et ridiculis eos instruit armis.

Rationes Vānij contra propitiatorium Missæ sacrificiū confutatæ.

Verùm isthæc delira hominis præludia omittentes, ad ipsam tragœdiæ proficiscamur Epitasin: vbi posteaquàm Vannius vanissimis imprudentium hominum captiunculis, vti suprà suis in locis ostendimus, astruere esset conatus, non esse in Missa nostra, quam priuatam vocat, verum Dominici corporis Sacramentum: & trāssubstantiationem, quasi nouam, inauditam, & monstrosam futiliter nō minùs quàm impiè exagitasset, ad particulam Missæ, vti ait, omnium impiissimam, quæ est de sacrificio propitiatorio & commemoratiuo, abolendam sese accingit: sed quid mereatur præmij apud æquos rerúmque peritos censores, an spectatorum applausum, an verò explosum, ex argumentorum pondere, quibus fretus istā histrio saltat fabulam, te obsecro Lector Christiane, æquus cognoscas, bonúsque censeas.

Quò igitur Catholicis altiorem validiùs infligeret plagam, simulat hypocrita (sic enim scenici fabularum actores etiam appellantur) Catholicos aduersariorū telis & conterritos & prostratos Missæ sacrificium negare propitiatorium, sed nunc tandem affirmare commemoratiuum. Nostras itaque pro suę fabulę decoro suscipiens partes, vt vulgi fabulā faceret Catholicos, Missam probat esse sacrificium propitiatorium, ex Suffraganei nouum sacrificium consecrantis verbis, canonis nostri sententiolis: & ne veterum testimoniis cuiquam videamur destituti, obscurū recitat Thomæ Aquinatis opusculum de venerabili Sacramēto altaris, Gabrielem Bielum, Innocentium tertium, libróśque Summistarum & Sententiariorū: quod vt haudquaquā nos reiicimus, sed veneramur propter consensum & orthodoxiā: ita haudquaquàm primàs hac in controuersia damus, sed multò clarioribus, iisdémque vetustissimis scriptoribus suprà recitatis.

Veniant nunc in medium Valentini ratiunculæ, quibus sacrificium nostrū propitiatorium lacertis tam pugnacibus, faucibúsque anhelis conatur euertere: Magnū est discrimen, inquit, & differētia inter sacrificium crucis, & quod vocant altaris, tam in substantia quàm in effectu, tam in genere, quàm in specie. Suprà enim demō-

ſtrauimus, in Miſſa quam dicunt aduerſarij priuata, non verum Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti cõtineri. Quare nõ eſt idem ſubſtantia cum ſacrificio crucis, multò minùs eſt ſimilium effectuum operatiuum. Quàm iſtud non demonſtraueris, ſed Paralogiſmis planè Sophiſticis hominibus imperitis ſuadere ſis conatus, res ipſa iudicio expenſa loquetur. Cùm enim Sacramentum faciat verbum accedens cum intentione Chriſti, vti rectè doces, ad elementum, quónam obſecrò pacto Sacramenti tollit veritatem, verámque Dominici corporis præſentiam, ſi fratres ad eius communionem ſua ſiue incuria, ſiue negligentia, non accedant? An te fruſtrà ſacris putes operatum, ſi non aliquot hominum centuriæ ad tuam cœnam confluant, ſed vnus modò atque alter? An non in Confeſſione tua Vuirtembergen. profiteris ad rectam Euchariſtiæ actionem ſufficere, ſi vnus eius cum miniſtro fiat particeps? Iam nulla apud nos fit huius ſacrificij actio, quin eidem ſemper ſit coniuncta communio: quę etſi plerumque non habeat multorum participationem, eſt tamen ſemper cum participatione coniuncta. Quemadmodum œconomus verè eſt œconomus, qui interdum ſibi vnà cum aliis ex penu alimenta depromit, interdum aliis, aut non famentibus, aut non accedentibus, ſibi ſoli quod edat promit. Sicuti ergo cum Chryſoſtomo raram populi Catholici deploramus communionem: ita dum nemo accedit conuiua, ſoli fruimur cœleſtibus Sacramentorum epulis.

Altera porrò cauſa qua tibi perſuaſum ſimulas, non eſſe in priuata Miſſa verum corporis Domini Sacramẽtum, quòd publica opus ſit mortis Domini annunciatione, vanior eſt, quàm quæ diffuſiore apud ſanos indigeat refutatione. An non publica eſt annunciatio, quam nemo Chriſtianorum paſſionis Dominicæ ſymbolis in oculos incurrentibus excitatus ignorat? Quàm autem eſt inane & friuolum, quòd iſtam annunciationem vis ęſſe publicam, ac præconis quaſi voce aſſiduè promulgatã? Non omnibus vox eſt Stentorea tuæ ſimi-

Mortis Domini annunciationem non oportet in ſacris clara voce fidei.

Eſſe verum Domini corpus in Miſſa, quam dicũt, priuata.

Vãnius ſuis vaniſsimis ſe iugulat verbis.

Sacramenti veritatẽ non tollit quòd vnus & non plures accedunt ad cõmunionem.

Miſſa Catholica ſemper habet Euchariſtiæ cõmunionẽ.

Altera Vãnij ratio vaniſſ.

Vide Chryſoſt. Hom. 3. Epheſ. 1. & ad Heb. 10. Homil. 17.

Fruſtrà habetur quotidiana oblatio, fruſtrà ſtamus ad altare, nemo eſt qui participet,

Variant latini à Græcis in pronũcianda consecrationis formula.

lis, quæ in aliquot chiliadum aures personet. Græcis quidem placuit hæc cõsecrationis verba clara voce pronunciare, vti liquet apud Bessarionem de Eucharistia, & Liturgia Chrysostomi: Verùm Latinis Ecclesiis aliter fuit visum, mutua stante religionis pace atque concordia. Hæc igitur & multorum communio, & publica passionis annunciatio, cùm extra Sacramenti naturam sint collocata siue accesserint, siue absuerint, nihil quidquã in Sacramenti natura, aut immutãt, aut variant. Ea propter in Missa Catholicorum sicuti publica, vti concedis, ita priuata quoque est necessariò idem prorsus Dominici corporis Sacramentum. Quod cùm ita se habeat, idem est prorsus Missæ sacrificium substantia, re, atque natura cum sacrificio crucis. Quare de sacrificij huius effectis an eadem sint, & similia, nec ne, nunc tempus est, vt disseramus. Ex clarissimis vetustissimorum Patrum Athanasij, Cypriani, Ambrosij, Augustini, &c. testimoniis infrà aptiùs commemorandis demonstrabitur quotidianam incruenti sacrificij oblationem, cùm eadem sit illi, quæ in cruce immolata est, valere piis ad delenda peccata. Verùm quónam modo deleat, & vtrum æquè deleat, nec ne, præsens disputatio non efflagitat vt fusiori oratione hîc persequamur. Cõtrouersiæ enim status est, an sacrificium nostrum altaris sit propitiatorium? quod nos perpetuæ nostrorum Maiorum Traditioni, luculenta scriptura, & locupletissimis clariss. Scriptorum testimoniis confirmatæ inhærẽtes affirmamus: contrà, tu renuis. Sed vt nobis citra scripturæ sacræ aut Scriptorum sacrorum aperta testimonia de nullo fidem haberi volumus in hisce controuersiis, quarum quidem diiudicatio humanum excedit captum: ita nec tibi quidquàm assentimur, quod non sit rationibus saltem solidis subnixum (vt & hoc tibi demus) nec Scripturæ testimoniis, aut veterum Patrum sententiis suffultum.

Sacramentũ nõ efficit cõmunio, sed consecratio.

Sacrificium Missæ demõstratur idem cũ illo crucis, putà propitiatorium.

Vide paululum inferiùs vbi hoc copiosè ostenditur.

Ratio Vannij, cõtra ppitiatoriũ Missæ sacrificiũ subuersa.

Negas itaque Missam esse sacrificium propitiatorium? sed causa qua permotus id negas, quantum isthuc adferat momenti, nobis est libranda: Equidem Dominus noster, inquis, Iesus Christus in nouissima cœna non obtulit corpus & sanguinem suum Deo Patri, sed

pane & vino dedit ea discipulis suis ad comedendum & bibendum. Vtinam Valentine istud tam validè obfirmasses solidæ confirmationis vallo, atque fortiter, imò futiliter affirmas. Quàm verò istud vanum sit, docent dissertissimè clarissimi Christianarum rerum Scriptores, Diuus Cyprianus, Irenęus, Theophylactus, Photius, & Oecumenius: quorũ primus tibi nõ potuit esse ignotus, nempe eius epistolam, vbi hoc clariss. verbis expressit, aduersum nos in aciem producere tibi placuit. Semel igitur atque iterum, Christum in cœna hoc idem obtulisse, ait Epistola 3. lib. 2. quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Reliquos hîc non repetimus suprà suis in locis recitatos.

Christum in cœna obtulisse Deo Patri.
Vide suprà cap. 39.

Quod insuper adfers pro euincenda nostri sacrificij ab illo crucis sacrificio diuersitate, nihil quidquam ad rem istam statuendam habet roboris: Deinde non iubet, inquis, vt discipuli hoc faciant sacrificium pro viuis aut defunctis, sed in eius commemorationem: ergo non est similium actionum cum sacrificio crucis. Imò mi Vanni, quia iubet in sui, vt faciant commemorationem, iubet quoque vt hoc ipsum, quod ipse fecit, faciant pro peccatis delendis, sicuti ipse prior suum corpus obtulerat testibus Irenæo, Cypriano aliisque iam iam cõmemoratis. Porrò peccata sunt, & viuis, & mortuis delenda, quòd inferiùs erit pertractandum fusiùs, quãdo sacrificium pro defunctis erit iuxta Catholicam doctrinam stabiliendum. Quòd itaque Christus dicens Apostolis, Hoc facite in mei cõmemorationem, iusserit suum corpus in sacrificiũ offerri, ex manifestissimis clarissimorum veterum testium sententiis cap. 46. commemoratis factum est veritatem videre volẽtibus Solis luce clarius. Hîc iam Vannius vanis suis euacuatis argumentorum vannis ad inanes refugit circunstantiarum loculos, inde sibi præsidium nimis quàm futile petiturus: Sacrificium crucis, inquit, obtulit patri filius ipse Dei, iustus ac mundus. Sacrificium autem altaris offert sacrificulus, quod genus hominum magna ex parte est immundissimum. Rursus à modo sacrificandi, Crucis

Altera Vannij ratiuncula confutata.
Vide inferiùs cap. 53.
Aliæ Vãnij captiunculæ retundũtur, quas rhetoricando ex locis venatur.

" sacrificium fuit cruentum, sed altaris fit modo incruen-
" to. Cùm igitur in Missa non sit effusio sanguinis, sicut
" in cruce, manifestum est, quòd sacrificium altaris non
" impetret peccatorum remissionem. Similiter à tempo-
" re & numero, Christus semel tantùm sacrificauit cor-
" pus suum & sanguinem: sacrificuli subinde repetunt suá
" sacrificia. Diuersum igitur planè est Sacramentum alta-
ris à sacrificio crucis. Miror equidem Vannium nō suæ pudere vanitatis, quòd in re tam graui leuibus adeò, nō dico rhetoricari, sed ludere voluerit ratiunculis. Si namque personarum in Sacramenti administratione ratio nobis est ineunda, mundi sint, an immundi sacrifici: nec baptismi sanè cùm à Christo mundo Dei filio, tum à Iuda immundo Apostolo collati eadem fuerit actio & efficacia. Quod quantum à Donatismo abhorreat, viderit Vannius. Similiter nec sacrificandi modus sacrificij arguit diuersitatem, cùm & in baptismo sine sanguinis Christi effusione indubia fiat peccatorum remissio. Quod itaque ex Paulo huc detorques, Absque sanguinis effusione non fit remissio, quis istam non doleat hallucinationem imperitissimam, qua aut ipse turpiter falleris, aut alios fraudulenter fallere niteris? Hæc ergo pericope suo vnde diuulsa est capitulo vindicata, luce meridiana manifestiùs, nihil sese ad Christi legem aut Missæ sacrificium pertinere pronunciat: sed ad vnã illam legem Mosaïcam. Etiam tabernaculum, inquit D. Paulus Hebr. nono, & omnia vasa ministerij, sanguine similiter aspersit, & omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione nō fit remissio. Ecquod tandem hîc Vanni de Missæ sacrificio argumētum? Iam quod de tempore & numero sacrificiorum argutatur, quàm planè nihil habet virium? quã vanissimo ingenio dignissimum? Nos quidem non agnoscimus sacrificia, sed vnicum Christi sacrificium, quod idem planè ipsum & Christus ipse obtulit, & vniuersa item hodie offert Ecclesia. Sicuti igitur Christus nō obtulit multa sacrificia, quia suum idem corpus in ara crucis obtulit, & in cœna: ita nec Sacerdotes à Christo secundum ordinem Melchisedech creati, non

Vannius cũ Donatistis personarum merita in sacramentis flagitat.

Heb. 9.

Pauli locum Vãnius imperitiss. torquet contra Missam, qui de sanguinis effusione in lege Mosaica loquitur. apertiss.

Vnũ est totũ per orbẽ sacrificium, & hostia vna atque eadem cum Christi sacrificio.

offerunt ſacrificia, ſed vnam prorſus eandémque corporis Chriſti hoſtiam.

Ad hæc quod coronidis loco attexuit, in ſumptione cœnæ Dominicæ atque altaris ſacrificio eundem debere eſſe effectum, quia idem vtrobique eſt Domini corpus, nemini dubium fieri poteſt, quin ex diſſimulata ſacrificij & Sacramenti diſtinctione Vannius ſibi peperit: quò in eruenda argumentorum tantùm non vaniſſimorum copia haberetur apud ſuos acutior. Idem itaque Chriſti corpus ſumentibus prodeſt, & vt ſacrificium ad peccata delenda, & vt Sacramentum vt in Chriſto viuamus ac maneamus, & ille in nobis, iuxta eius promiſſionẽ: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

Alius ſacrificij effectus, alius Sacramenti.

Ioan.6.

Vanis iſtis defunctus argutationibus Vannius, Patres hac de re iubet audiamus, ſed riſum contine quiſquis es huius fabulæ à Vannio hiſtrione ſaltatæ ſpectator: Camelum enim videbis ſaltantem. Cyprianum dudum à nobis commemoratum ex eadem epiſtola ad ſuam rem ſtatuendam protrahit reluctantem, ſuíſque ipſum verbis iugulantem: Paſſio Domini ſacrificium eſt, inquit, quod offerimus, nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus. O improbam fallendi libidinem. Ter quater Cyprianus diſertè annotat hac epiſtola nos idem facere, hoc eſt offerre debere, quod Chriſtus in cœna facere, hoc eſt offerre iuſſit, videlicet corpus & ſanguinem ſuũ. Audet nihilominus iſte pro ſuo Euangelico ſpiritu Cyprianum contra corporis Chriſti ſacrificium adferre. Sed vt demus, Vannium totam hanc prolixam epiſtolam non perlegiſſe, aut perfunctoriè percurriſſe, certè quod citat capitulum non potuit bellè adeò, imò ſacrilegè mutilatum, quaſi à ſe ſtaret, adferre, niſi periodum totam, in qua incluſum eſt, legiſſet atque relegiſſet. Sed fieri poteſt, vt iſta emblemata ex ſymmiſtarum alicuius rapſodiis bona iſthac fide Euangelicis digniſſima huc transfuderit, ſuos ad fontes nequaquàm reuocata, quòd moleſtiis ſuperſedentes, ſed alienis oculis videntes, atque ideò oberrantes, & in errorem mittentes, haud grauatim faciunt, etiam non infimi apud eos nominis.

Bellum vannii ſpectaculum ad Patrum teſtimonia refugitãtis.

Vannius à ſuo teſte Cypriano ſacrilegii conuictus atq; corlegis damnatus.

Pudenda incuria atque ignauia Lutheranorum in recitandis veterum Patrum ſententiis.

Locus Cypriani illibatus Vannium refutat.

Nos igitur totam Cypriani ſententiam de ipſo fonte illibatam haurientes, pro nobis pronunciare affirmamus. Et quia paſſionis eius mentionem, inquit, in ſacrificiis omnibus facimus (Paſſio eſt enim Domini ſacrificium quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.

Rurſus aliquot verbis inſertis: Nobis, inquit, non
" poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtru-
" cti ſumus, vt calicem Dominicum vino mixtum ſecun-
" dum quod Dominus obtulit offeramus. Iſtud antè expla
" nauit diſertiùs. Cùm enim dixiſſet, Chriſtum hoc idem
" obtuliſſe, quod Melchiſedech, id eſt, panem & vinum,
" ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem, póſt ſubtexuit: Vtiq;
" ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod
" Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenum
" tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre,
" ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe.

Chriſoſtom. verbis à Vannio allatis ipſum iugulat.

Iam quod ex Chryſoſtomo citat, ita ſolidè Catholicam obfirmat doctrinam, vt Vannius ſui oblitus ſe ſuo infelix iugulet gladio: Per ſingulos, inquit Chryſoſtomus Homil. 17. ad Hebr. dies offerimus quidem, ſed recordationem faciẽtes mortis eius. Et vna eſt hęc hoſtia, non multę. Euigila tandem, mi Vanni. Audin' per ſingulos dies nos offerre? Corpus igitur Domini nobis eſt, teſte per te adducto approbãte, ſacrificium quotidianum. Sed illud quod addidit, Et vna eſt hęc hoſtia, non multę, prorſus te tua facit cadere cauſa: quia enim ſacrificium in cruce, & quotidie oblatum vna eſt hoſtia, non multæ, idem eſt planè noſtrum Miſſæ ſacrificium cum illo cruẽto in cruce immolato. Altero ſimiliter Chryſoſtomi loco vt ſeipſe læthaliter ſauciat Vannius, ita noſtrum propitiatorium ſacrificium firmat validiùs: Hoc quod nos facimus, ait idem, in commemorationẽ quidem fit eius quod factum eſt: Hoc enim, inquit, facite in mei com-

Vna eſt hoſtia quã quotidie offerimus cum illa in cruce oblata.

Alter Chryſoſt. locus Vãnium euertit

" memorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex,
" ſed id ipſum ſemper facimus: magis autem ſacrificij re-
" cordationem operamur. Audin' illud non aliud ſacrifi-
" cium ſicut Pontifex (Moſaicum intellige ex D. Pauli an-
" titheſi) ſed id ipſum ſemper facimus? Illo ergo Chriſti

præcepto, Hoc facite, facere iubemur, si Chrysostomo tuo testi credis, quod à Domino factum est, idq; in eius commemorationem: vt quemadmodum ipse suum obtulit Deo Patri corpus in sacrificium propitiatorium, sic & nos eodem planè modo ad Melchisedech ordinem creati Sacerdotes, offeramus id ipsum à Christo immolatum sacrificium. Post hæc Augustinum contra nos in aciem producens Vannius, miserandum in modum se ipse iugulat infelix. Quid enim illis Augustini verbis li. 20. cap.18. contra Faustum, Christiani peracti eiusdem sacrificij (quod Christus obtulit) memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi: Quid, inquam, his Augustini verbis dicatur, aut contra Valentinum valentius, aut pro nobis euidentius? Disertè corporis Dominici sacrificium à Sacramento discernit: Oblatione, inquiens, & participatione memoriam celebrant Christiani eiusdem sacrificij à Christò peracti. Offertur itaque à Christianis idem sacrificium, quod Christus Dominus pridem obtulit, & participatur. Proinde Catholicum Missæ sacrificium ex hisce Augustini verbis non demonstratur aliud à crucis sacrificio, quod volebat Vānius, sed ipsum omninò idē.

D. August. à Vannio citatus pro nobis facit.

Tribus hisce Cypriani, Chrysostomi, atque Augustini testimoniis, non tam sibi quàm nobis allatis, expugnati sacrificij propitiatorij victoriam sibi gratulatus Vannius, idem testantur, ait in triumphali suo quasi curru vectus ouans, & alij patres. Sanè idem nobis testantur, si eorum verba iusta veræ sententiæ libra ponderata rectè intelligantur, sicuti superiùs ostendimus, Missam nostrā idem prorsus habere sacrificium propitiatorium, eandémque hostiam, quam Christus pro peccatis obtulit propitiatoriam. Quare cœna Dominica ritè iuxta Christi institutum celebrata non habet tantùm illius sacrificij commemorationem, sed in primis etiam eiusdem oblationem. Hoc enim illa disertissima Augustini verba explicatissimè ostendunt, Vnde iam Christiani, inquit, loco contra Faustum iamiam citato, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.

Vanus Vannij sine victoria triūphus.

Fraudulenta veterum Patrum subuersio Vannio intercepta.

Veteres PP. fatetur Vannius agnoscere Missã esse sacrificium propitiatorium.

Dionysius Areopagit. August. Cyprian. Chrysost. Basilius.

Verùm ne quid Vannio ad solidam deesset victoriam, quempiam sibi per antipophoram inducit de scena sciscitantem, vt quid sancti Patres Missam seu cœnam, aliquis dixerit, subinde vocant sacrificium & oblationem, quæ offertur pro peccatis viuorum & mortuorum, si non est propitiatoriũ pro viuis aut defunctis applicabile? Vt enim reliquos Patres præteream, certè omnium vetustissimus Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia, sub sacrificio mentionem facit mortuorum. Et hunc sequutus D. Augustinus dicit etiam mortuorum animas releuari sacrificio mediatoris, vt Ench. ad Laur. & de cura pro mortuis. Sed & D. Cyprianus ac Græcorum Canon, non solùm pro viuis & defunctis sacrificant, verùm etiam pro Patriarchis, Prophetis, & Martyribus, & cæt. Cuius dissolutionem priusquàm Lector candide, subiiciamus hoc te velim præmonitum, vt istam in D. Augustinum calumniam animo tibi annotes, quòd Dionysium illum, quem nos ait dicere Areopagitam, August. sit sequutus nostrum Missæ sacrificium, appellitans subinde propitiatorium, ait, quod nos plerumque semper interpretamur. Docet enim Diuus Augustinus variis in locis, non se vnius Dionysij, aut alterius, atque tertij, sequutum esse doctrinam in prædicanda Christiani sacrificij saluberrima efficacia, sed vniuersum per orbem Catholicam Christi Ecclesiam: quemadmodum videre est manifestissimè loco hîc à Vannio recitato, & Serm. 32. de verbis Apostoli. Sed iam illius responsionem audiamus: Tametsi S. Patres inquit, in hoc & in quibusdam aliis locis humani quid sunt passi, ac super fundamentum, quod est Christus Iesus aliquando ædificauerint non aurum, argentum, ac lapides preciosos, sed lignum, fœnum, stipulam (Nam mysterium iniquitatis vim suam exercere cœpit etiam tempore Apostolorum 2. Thess. 2.) tamen quia Missa priuata ab Apostolorum temporibus ferè vsque ad Gregorium † Magnum Patribus prorsus fuit ignota, sed habebant tantùm Missas publicas,

Fraudulẽter ait Vannius Aug. esse Dionysiũ sequutum, quem aiunt Areopagitam.

Aug. in prædicanda sacrificij pro mortuis efficacia sequutus est Catholicã & Apostolicam Ecclesiam.

Veteres Patres errasse ait Vannius quòd Missam docent sacrificium propitiatorium. O linguam in SS. PP. virulentam.

† Istud falsum demonstrauit superius Chrysostomus ex Homil 3. Ephes. 1.

candidè & secundum analogiam fidei tales ipsorum loquutiones sunt interpretandæ. Quod vt faciat citra vllam fraudis suspicionem, sacrificij nomen latissimè patens in tria contrahit significata: Primò, vt generaliter sacrum cultum, aut bonū opus diuinitùs præceptū significet: Secundò, vt sacrificij memoriam, Exod.12. Aliquoties pro opere quod proponitur seu offertur Deo, vt merito & dignitate eius mitigetur ira Dei, & expientur peccata hominum tam viuorum quàm mortuorum. Ac tale quidem sacrificium propriè fuit illud, quod filius Dei semel peregit corpore & sanguine suo in cruce.

Fraudulēter Vannius sacrificij tria fingit significata.

Quibus ita bellè confictis hanc verborū sententiam subtexuit: Cùm itaque sancti Patres, inquit, Missam publicam seu cœnam Dominicam vocant sacrificium, seu oblationem, intelligi debent iuxta sententiam scripturæ & voluntatem ipsorum, videlicet quod sit sacer & Deo gratus cultus, & commemoratio vnici illius sacrificij in cruce semel oblati, & non sacrificium ipsum, sicut cernere licet in ipsorum testimoniis. Quorsum illud procemium, Patres sanctos hîc aliquid esse humani passos, præluserit Vannius, nemini est obscurum, qui istorum hominum, qui nihil humani abs se alienum minimè putāt ingenia probè habet spectata. Nos quidē sanctos Patres à communi omnium sorte nolumus exemptos, qui seipsi erroribus atque hallucinationibus ingenuè agnoscunt obnoxios: Sed hoc in loco, vbi tam concors vniuersorum est sententia Catholicæ congruens doctrinæ, super fundamentum eos negamus stipulam ædificasse, lignum & fœnum, vti blasphemat Vannius.

Missa nunc Vannio est Dei cultus.

Patres vbi Catholicæ & sentiant Ecclesiæ nihil humani passos.

Quid? si tuis ipse verbis fidem habes Vanni, Patrum testimonia, quæ Missam loquuntur sacrificium, iuxta ipsorum, inquis, volūtatem gratum Deo cultum testantur, & commemorationem vnici illius sacrificij in cruce semel oblati: si, inquam, istud verum est, vti affirmas quid hoc in loco patiuntur humani? An non hoc iuxta scripturarum fit consuetudinem, quemadmodum ipse doces? S. Patres igitur aut rectè Missam appellant sacrificium, & nihil humani hîc patiuntur, vti calumniaris, aut non rectè: & falsum est, quod tu iuxta ipsorum (inquis) volun

Vannij asystaton.

tatem de commemoratione illius vnici ſacrificij aut de ſacro cultu interpretaris. Si enim de hoc ſacrificij genere ſunt loquuti, quod ipſe doces exiſtere iuxta ſcripturæ ſententiam, quónam obſecro pacto eos humani non vereris erroris inſimulare? Sed vt iſtam tuorum verborum inconſtantiam tibi Vanni donemus, illud quod de Miſſa priuata ais, fuiſſe ab Apoſtolorum temporibus eam prorſus ignotam Patribus ferè vſque ad Gregorium, nos perlibenter concedimus: quippe quæ & nobis iuxta rei veritatem hodie ignota eſt. Nulla enim Miſſa priuata à Catholicis aut agitur aut agnoſcitur, ſed omnis publica: quippe quæ publico vniuerſæ Catholicæ Chriſti Eccleſiæ nomine peragitur, offertur atque perficitur. Iam quod ad vnius pertinet communionem, non poteſt hoc priuatam facere Miſſam, quòd illius communio non excludat alios, quòd ſi ſua ipſi aut negligentia, aut ſalutis incuria abſtinent, nihil ſacrificij publici naturam variat. An priuatum credas, quod omnibus publicè propoſitum ab vno duntaxat, aliis aut non concurrentibus, aut non ſumentibus participatur? Sed ſuperiùs ex veſtra Confeſſione Vvirtembergenſi demonſtrauimus, ſufficere ad Euchariſtiæ actionem, ſi vnus ſaltem accedat cum miniſtro. Verùm hac de re ſuo inferiùs loco copioſiùs.

Priuatam Miſſam non facit vnius communio.

Porrò illud quod ais, S. Patres Miſſam appellaſſe ſacrificium gratum Deo cultum, aut ſacrificij crucis commemorationem, & non ſacrificium ipſum, ſicut cernere licet in ipſis teſtimoniis Patrum, quàm eſt impudentiſſima pleniſſimum vanitate? Quot quæſo vannis Vanni vanitatem iſtam te poſſe credis euannare? Sed omnibus oculos vos perſtringere iſtis verborum præſtigiis exiſtimatis credo. Si cui igitur oculorũ acies eſt vel hebetata maximè, is huiuſce rei ſibi per me licet arbitriũ ſumat.

Vannius & ſibi falſũ & ſumit. & Vannij tanta vanitas, vt multis vãnis nequeat vaniſſimam ſuã vanitatẽ euannare.

Auguſt. enim præterquàm locis aliis ſuprà dudum commemoratis, loco hîc à Vannio recitato id planè docet: Chriſtiani, inquiens, peracti eiuſdem ſacrificij quod Chriſtus obtulit memoriam celebrant, ſacroſanctâ oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Viden' hîc ſacroſanctam eiuſdem ſacrificij oblationem? Iam quid commemorem alibi Auguſtinum docere ex

Quòd corpus Domini in Miſſa verè eſt hoſtia atque ſacrificiũ, quod

professo, quotidianum altaris sacrificium esse mortuis propitiationem? vti Ench.cap. 110. & ad Dulcit. quæst. 4. Diuus Athanasius quoque Missæ sacrificium veri nominis demonstrat sacrificium aurea illa oratione in defunctos habita: τὸ γὰρ ἔλαιον καὶ ὁ κηρὸς ὁλοκαύτωσις, ἡδὲ γε ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός: Oleum enim & cerei, inquit, pro mortuis oblata Deo sunt holocaustum. Sed ipsa incruenta hostia, ipsis est propitiatio. D. Chrysostomus etiam in eandem loquitur sententiam: Per singulos dies offerimus quidem, inquit, sed recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, & non multæ. Quòd autem ipsum Missæ sacrificium crediderit atque docuerit adeò, esse veri nominis sacrificium, quod in illius hostiæ cruentę commemorationem oblatum prosit ad placandum Deum atque propitiandum, loca eius aureis ex commentariis passim recitata declarant manifestissimè, vti Homil. 3. in cap. 1. ad Philip. Item Homil. ad populum Antiochenum 69. quæ inferiùs, quia recitanda, hîc præterimus.

in commemorationem illius cruentæ offertur.

Cyprianus illis concorditer docet, Missam Ecclesiæ Catholicæ idem habere sacrificium, id est, rem prorsus eandem cum crucis sacrificio. Posteaquàm enim libr. 2. epist. 3. docuisset argumentis non tantùm fortibus, sed disertis etiam, sacerdotibus offerendum, quod Christus patri primus obtulit, id est, ait ipse sui interpres, corpus & sanguinem, vtique ille sacerdos (posteà subtexuit) vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur: Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secūdum quod ipsum Christum videt obtulisse. Porrò esse Missæ sacrificium veri atq; proprij nominis sacrificium, quod peccata nobis deleat, vnum illud hanc rem demonstret apertissimè, quod Cyprianus inhibuerit clero Furnensi Epist. 9. li. 1. ne pro Victore fiat in Ecclesia oblatio.

Posset istud ex superioribus vetustissimorum Patrum testimoniis copiosiùs demōstrari: verùm hęc paucula in præsens sufficiant ad istam vanissimam Vannij vanitatem euannandam & excutiendam. Missa igitur, siue sacra illa Christiani sacerdotis in altari actio, iuxta con-

cordem veterum Patrum sententiã veri nominis sacrificium est, idem prorsus cum illa crucis hostia. Proinde & pro peccatis delendis propitiatorium, vti pleniùs demõstrabitur, tam mortuorum quàm viuorum: quod tu quidem Vanni ais impium, & nullo modo approbandum: sed impio cum sacrilegio tot tantísque fidei Christianæ magistris, vníque illi Christi Iesu sponsæ, quæ omnem per orbem diffusa patet, Ecclesiæ Catholicæ reluctaris. Proinde Missa nostra toto etiamnùm orbe Christiano obtinens, quod ad hanc quidem eius partem de sacrificio expiatorio attinet, idem prorsus est cum sacrificio in cruce oblato, adeóque cum cœna non pugnat Dominica à Christo instituta, in veteríque Ecclesia ab Apostolis & successoribus olim vsitata, vt omninò cum illa sit eadẽ, eíq; prorsus respondens: etsi quædam accidentaria, quæ tuo ipsius iudicio aut bona sunt, aut adiaphora atq; media, vel nunc sunt nonnihil immutata, vel certis de caussis aut adiecta, aut prętermissa: de quibus hîc non est opportunus dĩcẽdi locus, sed Originum sacrarum libri huiusmodi rerum syluam cedere aliquando aggredientur.

Saxonica Cõfeßio in Missam blasphéma refutatur.

Ex iis quæ modò à nobis ex veteri Orthodoxorum Patrum doctrina clarissimè sunt demonstrata, Confessionis quoque Saxonicæ, quam sese iactant Concilio Tridentino obtulisse, vbi nunquam fuit aut visa aut cognita, vanitas pio Lectori liquere potest. Suam itaque fidem de cœna Domini exponens, non sustinet corpus Domini in Eucharistia præsens esse sacrificium: Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, ait, qui dicunt se offerre Christum? Nec antiquitas hoc modo loquuta est. At quid aliud intelligant sacerdotes, dum se Christum dicunt offerre, quàm quod dum dicitis in cæna vestra, vos Christum manducare? Quare cùm antiquitas, omnísque veterum Patrum schola dicat corpus & sanguinem Domini à sacerdote offerri, an non continuò dicat Christum offerri? an eô dementiæ vobis ventum est, vt cùm fanaticis quibusdam audeatis aliud facere Christum, aliud eius corpus & sanguinem? Hæc igitur si vna sunt res cum Christo, an non sicut rectè dixit Ambr. & Cyprianus, corpus & sanguinem Christi à sacerdote vice

Idem est offerre Christũ & offerre corpus Christi.

Vide Ambr. ad Tim. Sic & Cyprian. epist. 3. lib. 2.

Domini offerri, non etiam rectè Christum offerri dicatur? Quod totus priscæ Ecclesiæ chorus vocat Dominici corporis sacrificium, non dicas Christi Domini sacrificium?

Saxonū excusatio de nō abolito apud ipsos iugi sacrificio demōstratur friuola & nugatoria.

Porrò quòd Saxones accusationem Catholicorum de iugi sacrificio per ipsos abolito conantur propulsare atque abolere, quis adeò sit absurdus, qui superiora in mentem reuocās, non videat quàm sit improbum? Sed atrocissima oratione nos accusant, ait Confessio, dicunt nos delere iuge sacrificium sicut faciebat Antiochus, qui typus est Antichristi. Respondimus etiam anteà, nos retinere totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ: & iuge sacrificiū est, sonare doctrinam incorruptam Euāgelij, & rectè inuocare Deum. Denique, vt Dominus inquit, est adorare Patrem in Spiritu & veritate. Complectimur hîc etiam verum vsum Sacramentorum. Istud quidem affirmatis fortiter, sed nusquàm veterum scriptorum testimoniis efficitis comprobatū. Quî enim potestis? cùm ab Ecclesia Catholica, cui illi suffragātur, toto ampliùs diametro capitibus adeò multis dissideatis. Quàm igitur istud, retinere vos totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ, à veritate sit longè alienissimum, in procinctu est agnoscere, Lectori candido, cui verus Apostolicæ Ecclesiæ ritus probè fuerit cognitus, aut ex iis quæ hoc opere docenda suscepimus discere non grauatur.

Saxones in sua Confess. non retinere Apostolicæ Ecclesiæ totū ritum.

Quòd autem in præsenti controuersia de Missæ sacrificio nihil minùs quàm Apostolicæ Ecclesiæ ritum retineatis totum, hinc fiat perspicuum, quòd corpus Domini offerri negatis: quod ex doctrina Apostolica, imò Christi institutione, adeóque iussu, & Apostolicæ Ecclesiæ obseruatione scriptorum Apostolicorum, Iustini, inquā, Irenæi, Cypriani, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Theodoreti, & posterorum testimoniis corroborata dudum liquidùm demonstrauimus. Rursus idem sacrificium negatis esse propiciatoriū pro viuis & mortuis, quod capite proximo ex doctrina liquidò Apostolica & Ecclesiæ item Apostolicæ ritu, Deo benè propitio, solis luce clariùs dabimus illustratum. Quare à vero abhorret maximè, quod hîc pro Euangelio vestra venditat

Vide superiùs cap.66.

ſius Deo patri nunc offert ſacerdos Chriſtianus. Sonare enim doctrinam incorruptam Euangelij, rectéque inuocare Deum, & Sacramentis verè vti, nondum Chriſti ſacerdotis officia complectuntur vniuerſa atque omnia. Siquidem iſta à Chriſto Domino, quatenus fidei noſtræ Apoſtolus eſt, nobis contingunt multò maxima ſanè, ac prorſus diuina beneficia. Atqui D. Paulo nequaquàm fuit ſatis, Chriſtum noſtrę fidei Apoſtolum Moyſi prioris illius Euangelij (Sic enim Heb. 4. appellat) Apoſtolo comparaſſe, imò præpoſuiſſe: verùm etiam eundē Chriſtum ſacerdotem, Aarone Leuitico ſacerdote à Deo patre cùm præſtantiorem, tum excellentiorem ſacrificij ſui noui cauſa eſſe conſtitutum, demonſtrat. Proinde cùm ſuos diſcipulos non modò crearit Apoſtolos, ſed veri etiam nominis ſacerdotes ſecundum ordinem item Melchiſedech (quod in Sacramento Ordinationis docebitur aptiùs) fieri nequit, vt tribus illis, quæ iuge vos appellatis ſacrificium, docendo Euangelium, inuocando Deum, & Sacramentis vtendo, verum ſit comprehēſum noui teſtamenti ſacrificium. Etſi enim hæc pietatis officia vero quopiam ſenſu dici queant ſacrificia, Deò Optimo longè gratiſſima: haud quaquàm tamen illud proprij nominis iuge ſacrificium noui teſtamenti proprium à Chriſto inſtitutum, & per Apoſtolos Eccleſiæ Dei Catholicæ traditum, nec præſtant, nec implent, nedum eſſe poſſunt. Sed nunc ad propitiatorium tranſeamus tandem ſacrificium.

Vide Cyprianum epiſt. 3. lib. 2.
Vide Ambr. ad Timoth.
Vide & Oecumeniū ad Hebr. 10.
Chriſtus non modò Apoſtolus ſed & ſacerdos in æternum.
Hebr. 3.
Chriſti diſcipuli & Apoſtoli ſunt & ſacerdotes.

Caput L.

Emonſtrato igitur, corpus Domini in Euchariſtia verè præſens eſſe proprij nominis ſacrificium à Chriſto Sacerdote in ſempiternam ſui oblationem inſtitutum, reliquum eſt vt porrò demonſtremus ex doctrina liquidò Apoſtolica & certò Catholica eſſe item propitiatoriū tam pro mortuis quàm viuis, verámq; pro peccatis hoſtiam: pro impetrandis denique cuiuſuis generis à Deo Optimo beneficiis tam corporalibus, quàm ſpiritualibus.

Miſſam eſſe ſacrificium propitiatoriū pro peccatis delendis.

Vide suprà cap. 46.

Dudum ostensum fuit, Missam fidelium, quæ à veteribus nuncupatur, siue sacra illa mystica, quæ post Catechumenorum Missam & dimissionem peraguntur, manifestam verámque Dominici illius conuiuij præ se ferre speciem. Quare ea necessum est illic fiant omnia, quæ Dominus Christus ipse prior fecit, & vt nos faceremus præcepit: vtpote panis viníque substantias in sacrosanctum eius corpus & sanguinem conuerti ac commutari: quod suo superiùs loco est demonstratum. Rursus idipsum Christi corpus Deo Patri in Missa offerri, cùm ipse Christus hoc & fecit & Apostolis faciendum donec veniat præcepit, quod ex clarissimis vetustissimorũ Scriptorum Cypriani, Chrysost. Theodoret. Euseb. Ambros. Augustini, & cæterorum testimoniis antè commemoratis confidimus liquere. Hoc igitur constituto, haud sanè permagni fuerit negotij, sacrosanctum Christi corpus sanctè ac ritè pro peccatis offerri demonstrare non modò viuorum, sed ipsorum adeò mortuorum: de quibus ordine nobis nunc est differendum, quò res obscurissima veterum Patrum testimoniis tanquàm luminibus declarata & illustrata plurimum accipiat ad intelligendum & facilitatis & perspicuitatis.

Missa cùm cœnæ Domini cæ veros habeat ritus necesse est omnia illic fieri quæ Christus fecit, & fieri præcepit.

Vide superiùs cap. 46.

Proinde quò doctrina Catholicæ Christi Ecclesiæ, quæ Missam docet sacrificium esse propitiatorium atque peccatorum expiatorium, intelligatur manifestiùs, nobis in mentem veniat oportet, illud in cœna Christi Domini sacrificium (quod eum Patri obtulisse ex superioribus liquet) non fuisse frustrà neque superuacaneũ. Si namque obtulit, quod complures veteres, & ij nostræ fidei columina, dudum commemorati nobis disertè contestantur, non sanè ille Dei filius Sacerdotij sui secundum ordinem Melchisedech instituti primitias frustrà obtulit, aut initia peregit. Quamobrem eum se illic egisse oportet, quem noui huius sacerdotij ratio postulabat atque efflagitabat. Itaque cùm omnis Pontifex pro hominibus cõstituatur in iis quæ ad Deum sunt, ait Paulus Hebr. quinto, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, fieri non potest, cùm Christus sit Pontifex, illicque suum Pontificatum sit auspicatus, vt non pro pec-

Christum in cœna pro peccatis se obtulisse.

Vide ca. 46.

Omnis Sacerdos cõstituitur vt pro peccatis offerat.

catis obtulerit. Iam quia ſacerdotes Chriſtianos docuimus ad Chriſti exemplum in tremendis illis myſteriis corpus Chriſti Deo Patri vice Domini offerre, conficitur eoſdem & pro peccatis neceſſariò offerre. Alioqui enim non facient quod Chriſti Domini imperio facere fuêre iuſſi, Hoc facite, inquit, in mei commemorationem. Poſſet hæc ratio tam viua, tam ſolida, tam liquida moderato ingenio hominibus abundè eſſe ſatis: verùm quia in præſens etiam eos exoptamus ſanatos, qui aliter atque fidei Chriſtianæ habet veritas, ſunt perſuaſi, agè pauca aliquot, ſed illuſtria vetuſtiſſimorum ſcriptorum, & quoad eius licebit, Apoſtolicam illam ad ætatem pertinentium, ex ipſorum depromamus monumentis teſtimonia, tanquam de nartheciis ſaluberrima collyria, quibus pernitioſam iſtam à fratrum chariſſ. pectoribus depellamus hallucinationem.

Miſſæ ſacrificia ſunt Augustino propitiationes pro delendis peccatis.

Prodeat igitur primus in ſcænam Diuus ille Aurelius Auguſtinus, cuius teſtimonio cùm primis nos eò vtimur libentiùs, quòd ipſi aduerſarij noſtri eum teſtem vnum ex omni antiquitate multò fideliſſimum prædicare non addubitant, adeóque controuerſiarum omnium facere cenſorem. Huius igitur iudicio ſi hîc ſtare habeant animo ſemel conſtitutum, æqui ſit Lectoris Chriſtiani, penes vtros ſtet cauſæ præſentis victoria. Cum ergo (ait Auguſtin. Enchiridij cap.110.) ſacrificia ſiue altaris (quæ initio cap. vocat mediatoris) ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valdè malis, propitiationes ſunt: pro valdè malis, etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. Hîc hîc ſuum audiant aduerſarij Auguſtinum iudicem, propitiationes ſunt altaris ſacrificia, pronunciantem. Qua ſententia an qui modò apud ſe eſt, deſideret aut luculentiorem, aut expreſſiorem? Quòd ſi quis hîc ſui iudicis Auguſtini cenſura victus ſubterfugium, quò elabatur, quæritat, ei ſanè nullum prorſus ſupereſt reliquũ. Siquidem ipſe Auguſt. Dulcitio hac de cauſa conſultanti reſpõdens, hoc ipſum caput Enchiridij dudum commemoratum diſertiſſimis

» Miſſæ & » eleemoſynæ ſunt de » functis » propitia» tiones pec» catorum.

verbis ad verbum recitat quęstione secunda: Dixi etiam tale aliquid ad Laurētium, inquit, quod ita habet, Tempus autem, inquam, &c.

Sic igitur docuit Augustinus, non solùm à Dulcitio his de rebus priuatim consultus, sed fidei adeò Christianæ publicum in Laurentij gratiam conscribens Enchiridion, quo piorum manus aduersus leuiores Antichristorum ac fidei hostium incursationes atque velitationes esset armata. Verùm plus momenti fortassis adferre videatur, quòd hanc ipsissimam de sacrificio Missæ propitiatorio sententiam concione publica, quæ indubium habet fidei Augustinianæ doctrinæque orthodoxæ testimonium, suis ouiculis proponendam crediderit. De remediis igitur quibus Christiana Ecclesia suis in Christo dormientibus filiis consulit atque adeò succurrit, af-
" flictísque fert opem disserens: Ideò admonuit Apostolus, inquit Serm. 32. de verbis Apostoli, non vt non con-
" tristemur, sed non sicut cæteri, qui spem non habent.
" Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessi-
" tate amittendi, sed cum spe recipiendi: Inde angimur,
" hinc consolamur: Inde infirmitas officit, hinc fides refi-
" cit: Inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina pro-
" missio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarū, sum-
" ptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta
" constructio, viuorum sunt qualiacunq; solatia, non adiu
" toria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, &
" sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiri-
" tibus erogantur, non est dubitādum mortuos adiuuari,
" vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorū
" peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vni-
" uersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & san-
" guinis Christi cōmunione defuncti sunt, cùm ad ipsum
" sacrificium loco suo commemorātur, oretur, ac pro illis
" quoq; id offerri commemoretur. Cùm verò eorū com-
" mendandorum causa opera misericordiæ celebrantur,
" quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo nō
" inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est ista
" prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mor-
" tem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem.

Sacrificio altaris sic adiuuātur mortui, vt cum eis Deus agat misericordiꝰ, quàm eorum peccata meruerunt.

Sanè hæc Solis luce clariora Diui Aurelij testis, vti aiunt ipsi aduersarij, ex omni antiquitate fidelissimi testimonia, sicuti manifestissimè sacrificium altaris, siue, vti etiam Augustinus, Mediatoris, siue vti vulgò Missæ, demonstrant creditum fuisse propitiatorium pro delendis hominum peccatis, adeò vt Deus misericordiùs propter Missæ sacrificium (si August. fidem habes) cum illis post hanc vitam suorum delictorum pœnas luentibus agat, quàm alioqui cum illis ageret: ita ad posteriorē huius disputationis magis spectant partem. Sed quia tantum natiuæ habent lucis, ac eius multò maximè perspicuæ, huc videbantur paucis commemoranda, quòd magis ab istorum hominum animis abhorreat, Missam esse pro mortuorum peccatis sacrificium propitiatorium, quàm viuorum atque superstitum. Proinde isthæc Augustini testimonia paucula pręsenti rei statuendæ ac demonstrandę alicui videbuntur abundè sufficientia: quod sanè & nobis probaretur, nisi nostro seruientes instituto Catholicam inquireremus hac de re doctrinam: quam vt pius Lector, nobiscum queat agnoscere, dabimus operam, ne testimoniis adducendis, quæ orthodoxiam huius causæ Catholicam nunc adeò cognitu omnibus pernecessariam doceant, simus aut prolixitate molesti, aut verbositate graues. D. quoque Ambros. in peccatorum remissionem, ideóque & in propitiationem tremendum Dominici corporis sacrificium immolari attestatur: Antè, inquit, agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiēs passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat: Hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Istud egregius Christi martyr D. Alexander clarioribus expressit verbis, Crimina atque peccata, inquit epist. 1. oblatis his Domino sacrificiis delentur. Rursus, Talibus sacrificiis placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.

Sic Caluinus Augu. prædicat instit. suis.

D. Ambro. Missam docet esse propitiatorium sacrificium. Offic. 1. c. 48

Alexāder Martyr idem affirmat.

Diuus Cyprianus ille Carthaginensis variis aurearū illarum epistolarum locis suo suffragio Catholicam cōfirmat doctrinam de propitiatorio Missæ sacrificio: Postquàm à Domino dictū est, inquit Cyprianus Serm.

Vide epist. 9. lib. 1.

Cypr. Missā propitiato-

[Sac]riū docet sacrificium.

de cœna Domini, Hæc est caro mea panis ille super substantialis, ac calix iste benedictione solenni consecratus, ad totius hominis vitā salutémq; proficit, medicamentū & holocaustum ad sanandas infirmitates, expurgandas iniquitates existens. Iam quòd istud corporis Dominici sacrificiū crediderit cum vniuersa Africana Ecclesia non pro viuorum modò peccatis expurgādis offerri, sed pro mortuorum adeò, infrà suo demonstrabitur aptiùs loco ex Episto. 9. lib. 1. fuisse videlicet Africani Cōcilij canonem iam pridem ante Cypriani ætatem editum, ne quis frater excedens ad tutelam, inquit, vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neq; enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotū prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros, siue Leuitas auocare voluit. Vnde inhibet Cyprianus clero Furnensi, cui ista scribit, ne pro dormitione Victoris fiat oblatio, aut deprecatio aliqua eius nomine, qui Canonem violarat, in Ecclesia celebretur. Clarissimis hisce scriptoribus Latinis satis supérq; nos effecisse bonis æquísq; iudicibus arbitramur, quod in præsens agitur. Quare opus nihil esset plura istò adferre ex Græcis testimonia, vt eorū suffragationibus sacrificium Missæ propitiatoriū stabiliatur firmiùs, nisi quis existimarit hinc Catholicā Orthodoxiā validiùs corroboratū iri. Agè igitur illa Græcanicæ Ecclesiæ adeamus columina, Chrysostomū, Athanasium atq; Epiphanium, vt eorū consensu cum illis Latinæ Ecclesiæ luminibus res fiat luce meridiana clarior.

Tota Africana Ecclesia ante Cypriani ætatē credidit Missam esse sacrificium propitiatorium.

D. Chrysost. Missam propitiatoriam mortuis testatur.

Diuum Chrysostomum credidisse sacrificium Missæ Christianis esse propitiatorium, hinc vel maximè cæcis liqueat, quòd locis adeò multis, & iis clarissimis, adeóque pro concione recitatis docet ex professo, defunctos non parum ex hac Christianæ Ecclesiæ oblatione percipere cùm solatij tū auxilij. Loca ipsa delibabimus, quò res adeò cōtrouersa certiorem capiat determinationem. Cùm suis auditoribus varios explicasset Chrysostomus modos, quibus viui possumus defunctis aliquid adferre auxilij & solatij: Precātes adhortemur & alios, inquit Homil. 3. in cap. 1. ad Philipp. vt pro illis orent, pauperibúsque pro illis eleemosynas indesinēter demus. Et post

quædam: Nõ frustrà ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorũ memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis: stante siquidem vniuerso populo, manus in cœlis extendente, cœtu item sacerdotali, verẽdóque posito sacrificio, quomodo Deũ non placaremus pro istis orantes? Rursus alia concione, quam Damasce. recitat, ἐπινοήσωμεν, φησὶ, τοῖς ἀπελθοῦσιν ὠφέλειαν. δώσωμεν αὐτοῖς τὴν προσοῦσαν βοήθειαν, ἐλεημοσύνας λέγω καὶ προσφοράς. καὶ φέρει τούτοις πολὺ τὸ πρᾶγμα, τὴν ὄνησιν, καὶ μέγα τὸ κέρδος καὶ τὴν ὠφέλειαν. οὐ γὰρ εἰκῆ, καὶ ὡς ἔτυχε, ταῦτα νενομοθέτηται, καὶ τῇ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τῶν αὐτοῦ πανσόφων μαθητῶν παραδέδοται. φημὶ δὴ γὰρ τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων εὐχὴν ποιεῖσθαι τὸν ἱερέα ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων, ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ τὸ κέρδος ἐκ τούτου καὶ πολλὴν τὴν ὠφέλειαν: Excogitemus quánã (inquit) ratione fratribus hinc digressis prosimus atq; adiuuemus. Largiamur eis præsentissimũ subsidiũ, eleemosynas, inquã, & oblationes. Hæc enim illis cõmodũ, magnũ lucrũ, magnã adferunt vtilitatẽ. Haud enim frustrà & temerè hęc sunt decreta, Deíque Ecclesiæ à prudentissimis suis discipulis tradita. Quòd sacerdos in tremẽdis illis (inquã) mysteriis pro iis qui in fide dormierũt precatur, plurimũ eis inde & lucri, & vtilitatis accedit. Huic cõcinit D. Athanasij Homilia de defunctis habita: ὅτι κἂν εἰς ἀέρα ὁ ἐν εὐσεβείᾳ τελειωθεὶς κατατεθῇ, μὴ ἀπαναίνου ἔλαιον καὶ κηρὸς, Χριστὸν τὸν θεὸν ἐπικαλεσάμενος, ἐν τῷ τάφῳ προσάψαι· δεκτέα γὰρ ταῦτα τῷ θεῷ, καὶ πολλὴν ἐξ αὐτοῦ φέρονται ἀντίδοσιν. τὸ γὰρ ἔλαιον καὶ ὁ κηρὸς, ὁλοκαύτωσις· ἡ δέ γε ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός. ἡ δὲ πρὸς τοὺς πένητας εὐποιΐα προσθήκη πάσης ἀγαθῆς ἀντιδόσεως. Et post pauca: ἔτι καὶ τὸν ἐν κυρίῳ τελειωθέντα ἐννοείτω καὶ κρατεῖν καὶ προσφέρειν τούς τε κηροὺς καὶ τὸ ἔλαιον, καὶ τὰ εἰς λύτρον αὐτοῦ προσαγόμενα πάντα, καὶ οὕτω θεοῦ χάριτι τοῦ μετὰ πίστεως σκοποῦ, οὐδ' ὅλως ματαιωθήσεται. πάντα γὰρ οἱ θεηγόροι Ἀπόστολοι, καὶ θυηπόλοι διδάσκαλοι, καὶ πνευματοφόροι πατέρες ἐν κατοχῇ τοῦ θείου κατὰ τὸ θεμιτὸν γεγονότες, καὶ τῆς ἐκστατικῆς τούτου δυνάμεως ποσῶς μετειληφότες, ἐν θείῳ στόματι θεοφιλῶς ἐθέσπιζον καὶ λειτουργίας καὶ εὐχάς τε καὶ ψαλμῳδίας, ἐτησίους τε μνήμας τῶν προλαβόντων. Quæ ita Latinè sonãt: Quãquã is, qui Christiana cũ pietate atq; fide vitã hãc finierit, in aëre fuerit collocat⁹

Apostolos docuisse mortuorũ memoriã in Missa cõmemorandam.

D. Athanasius Missam docet sacrificium mortuis propitiatorium.

atque iaceat inhumatus, tu tamen vbi Christum Deum inuocaris, ne recuses ad sepulchrum cereos & oleum accendere. Siquidem hæc non modò sunt Deo Optimo grata, sed magnam etiam ab eo reportant retributionem. Nam oleum & cera illi sunt holocaustum, sacrificiúmque igne absumendum: verum illa incruenta hostia ipsi est propitiatio. Porrò ipsa in pauperes beneficentia omnis bonæ retributionis est auctarium. Et post pauca (vbi ostendisset ita offerendum pro dormientibus, sicuti solent pij parentes pro filiolis ægrotantibus) Sic & ille, inquit, qui pro defuncto illa offert Deo, cogitet etiam illum in Domino dormientem & manu tenere, & offerre cereos & oleum, & cætera omnia quæ in ipsius redemptionem offeruntur. Quòd si hunc in modum hac cum fidei contemplatione atque intentione illa, quæ diximus, Deo obtulerit, haud omninò Dei gratia atque auxilio frustrabitur. Vniuersa enim hæc Apostoli illi (ita dixerim) diuiniloqui, discipulíque Deum sua per sacrificia placantes, atque patres spiritu afflati, diuini numinis, quantum datur, participes, atque illius extaticæ virtutis eximiè compotes, diuino ore, vti Deo gratum est, & sacrificia, & preces, & psalmorum cãtum, anniuersariásque defunctorum memorias obseruandas præceperunt. Hæc fusiùs ex aurea illa, atque vti Damascenus ait, admodùm cõcinna D. Athanasij in defunctos oratione.

Cerei Deo sunt holocaustum: sed hostia illa Missæ incruenta est apud Deũ defunctis propitiatio.

Apostoli tradiderunt sacrificia & preces pro mortuis atq; ãniuersaria.

His D. Epiphanium suffragari non sententia modò simili, sed verbis adeò eisdem manifestiùs est, quàm vt quis sani capitis addubitet. Scribit enim in suo Aërio, qui teste etiam August. non esse orandum, nec offerendum pro mortuis oblationem docebat: ὠφελεῖ δὲ καὶ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι: Prodest autem, ait, & oratio pro mortuis fratribus, aut vti ipse habet, qui hinc peregrinantur, fusa, tametsi non vniuersa abscindat crimina. Quòd autem non de precibus tantùm agat, sed ipso etiam sacrificio, quod Aërius pro mortuis offerendum negabat, modò nõ persequimur diffusiùs. Hic nanque aureus Epiphanij locus, quòd Buceri sacrilegia sit impiè perpessus, nunc est de

Epiphanio Missa est mortuis propitiatio.

manibus deponendus, atque in posterum paululum reponendus, vbi copiosiùs de propitiatorio pro mortuis sacrificio agendum veniet.

Pauca hæc ex florentissimis vetustissimorum Orthodoxorum Patrum hortis quasi flosculos delibasse sufficiat, quæ suauissimam illam Catholicæ nostræ Ecclesiæ cum illa prisca in hoc dogmate concordiam gratissimè spirant omnibus, quibus ille animi olfactus non est hæreseos fœtore, aut obtusus, aut præoccupatus.

Quò igitur indubitata hæc Apostolicæ Ecclesiæ de propitiatorio Missæ sacrificio doctrina, non tam vetustate atque ipsamet potiùs veritate corroborata, plus accipiat apud pium lectoris Euangelij verè Christiani studiosi animum cùm lucis tum roboris, agè ipsa aduersariorum hîc in primis cum Catholica Christi Ecclesia litigantium ad veritatis normam expendamus argumenta. Ex accurata enim illorum consideratione non deprehendetur modò, qua scatent; cùm vanitas tum falsitas: sed clarior quoque fulgebit doctrinæ apud Catholicos ab ipsis vsqueadeò Apostolis hactenùs & creditæ & traditæ veritas.

Caput LI.



Eniant nunc in medium argumenta, quibus nixa Confessio Augustana Cæsari Augusto Carolo V. anno 30. oblata veterem illam per orbem Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de propitiatorio Missæ sacrificio audebat non modò accusare falsitatis, sed criminari adeò impietatis: Facile est piis iudicium de hac causa, inquit, si quis expendat argumenta quæ sequuntur: Primùm, suprà ostendimus, consequi homines remissionem peccatorum gratis fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christũ: Ergo impossibile est consequi remissionem peccatorũ propter alienum opus, & quidem sine bono motu, id est, sine fide propria. Istius Enthymematis vitia quò lectori fiát manifestiora, singulas eius partes primùm expẽdemus, tum eius connexionem nihil minùs quàm ratam esse demõ-

Refutantur argumenta Confess. Augustanæ cõtra propitiatoriũ Missæ sacrificium.

Multa peccat primum Confess. August. argumentum.

ſtrabimus. Quod igitur vobis ſumitis, remiſſionem peccatorum homines cõſequi gratis fide, id eſt, fiducia miſericordiæ propter Chriſtum, quàm ſit à veritate longè alieniſſimum, infantes apud vos baptizati loquuntur, qui nec fidem, nec fiduciam habẽt miſericordiæ, quemadmodum ex D. Auguſt. Epiſt. ſuperiùs in baptiſmo demonſtrauimus. Eos autem nemo veſtrum inficietur veram conſequi peccatorum remiſſionem. Si quis verò in veteri hærens Lutheraniſmo infantes verè credere ſentiat, is profectò inſani alicuius, aut ſtolidi apud vos baptizati exemplo veniet confutandus: quem qui credere, aut fiduciam habere aſſerat, quis eum ambigat illo magis eſſe dementatum? Iam vt illud diſſimulemus, Fidem hîc quòd interpretamini fiduciam miſericordiæ, non ſolùm cum philoſophia, ipſáque rerum natura pugnare, verumetiam cum ipſis huius Confeſſionis authoribus (Nam Philippus in ordinandorũ examine anno 55. edito, credere interpretatur aſſentiri) illud eſt excutiendum, quod dicit Confeſſ. homines peccatorum remiſſionem conſequi gratis fide, eo videlicet ſenſu, vt nihil præter fidem ſit adhibendum, quod hanc peccatorum efficiat remiſſionem. Quod ſi verum eſt, fruſtrà adhibẽtur ſacramenta fidei, quibus ſalutare fidei remedium admouetur hominibus, vt remiſſionem peccatorum conſequantur. Hoc quãtum à veritate abhorreat, vnum illud Iudæorum ad 2000. die Pentecoſtes credentium, & nihilominùs à Petro baptizatorũ exemplum docet clariùs, quàm vt eam ad rem fuſiùs explicandam prolixiùs ſint verba producenda. Si enim ſola fides eis remiſſionẽ peccatorum conciliari potuiſſet, non reſpondiſſet interrogantibus illis ex fide compunctis, Quid faciemus? Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.

Fidem olim fiduciam Lutherani, nũc eruditiores facti interpretantur aſſenſum.

Nõ fide ſola, ſed & fidei Sacramentis conſequimur remiſſionẽ.

Act. 2.

Inuictus Achilles Catholicorũ.

Proinde quod ex iſto antecedente tot partibus vitioſo conficitur, ergo impoſſibile eſt cõſequi remiſſionem peccatorum propter alienum opus, & quidem ſine bono motu, id eſt, ſine fide propria, quis nõ videat quàm apertis perfluat rimis? Nã infantes baptizati, aut ſaltẽ amentes, ipſa rei veritate illius declarent falſitatẽ. Sed demus

de adultis, & iis quidem animi iudicio ſanis eſſe accipiendum, iam certè nihil aduerſum Catholicos habet iſtud cõſequens, quibus aduerſarij hoc loco, vt aliàs ſæpiſſimè, falſo impingunt, quòd ſine bono motu, id eſt, fide propria, quiſpiam adultus poſſit iuſtificari. Sicut enim ab adultis mente ſanis ad baptiſmum venientibus Catholici requirimus & pœnitentiam & fidem: ita in aliis Sacramentis idoneas exigimus animi affectiones atque pręparationes. Sed illud inter alia non eſt peccatũ Cõfeſſ. iſtius leuiſſimum, quòd per ſacrificium talem intelligant aduerſarij hominibus contingere peccatorum remiſſionem, qualis eſt, aut in Baptiſmo, aut in pœnitẽtia. Hæc enim duo remedia peccatis atque culpis delendis à Chriſto ſunt propriè inſtituta, ſuã ex Chriſti Domini morte vim haurientia: reliqua verò Sacramenta, aut pœnam peccatis debitam minuunt atque tollunt, aut animæ infirmitatem in ſuo quoque gradu & modo ſanãt atque perficiunt. Cùm igitur ſacrificium pro quopiam offertur, non poteſt alienum opus cenſeri, quod ſibi Confeſſ. ſumit, cùm non offeratur niſi pro volente, pro exoptante, pro deſiderante, & ideo non niſi pro credente. Sicuti alienum opus non eſt Domino, quod ſeruus eius facit iuſſu: aut clienti, quod eius facit cauſa Patronus. Quo pacto igitur hęc tot partibus falſa, tot modis peccantia, inter ſe apta cohæreant ad expugnandam ſacrificij veritatem, viderit nunc æquus Lector. Nam tametſi impoſſibile ſit homines remiſſionem peccatorum conſequi in Baptiſmo vel pœnitentia ſine fide, ſi non ſint infantes, nec amentes: haud quaquàm tamen per ſacrificium quaſi opus alienum cõſequuntur peccatorum ſiue culparum remiſſionem: ſed pœnarum tantùm peccatis & culpis remiſſis debitarum, aut imminutionem, aut deletionem, ita vt miſericordiùs cum eis peccata luentibus agat propter ſalutaris ſacrificij oblationem, ait Auguſtinus, quàm alioqui ageret. Quemadmodum igitur aliorum ieiuniis & eleemoſynis vtiliter ſuccurritur fratribus iſthac breui iuxtà atque miſera vita defunctis, quod aliàs demõſtrabitur: ita & ſalutari noſtri mediatoris ſacrificio pro eis oblato.

Cõfeſſio Auguſtana Catholicis plurima falsò affingit dogmata.

Non eadem in Euchariſtia eſt peccatorũ remiſſio, qualis in Bap. & Pœnitentia.

Duo peccatis delendis & remittendis inſtituta remedia.

Sacrificium pro quopiã oblatũ nõ eſt opus alienũ, vti ait Confeſſ.

Aliter Baptiſm' delet peccata aliter Miſſæ ſacrificium.

Vide Ser. 32 de verbis Apoſt.

Vide Augu. Enchir. cap. 110. ad dul. quæſt. 4.

Epipha. Aerio.

Secundum Confeßionis Augustanæ argumẽtum.

Isthoc Confessionis Augustanæ telo in speciem robustissimo nunc confracto, ad secundum, quod in nos vibrat, excutiendum accingamur: Passio Christi fuit oblatio, inquit, & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebr. scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item: Vna oblatione cõsummauit in perpetuum eos qui sanctificantur. Denique bona pars Epistolæ ad Hebræos cousumitur in hac sententia cousirmanda, quòd solùm Christi sacerdotium meruerit aliis remissionem peccatorum, seu reconciliationem; inquit, ideò quotannis repetita esse Leuitica sacrificia, quia non aboleuerint peccata: sed Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis. Hic honos sacrificij Christi non debet transferri in opus sacerdotis. Disertè enim dicit, vna oblatione sanctos consummatos esse. Cui prima illa Confessionis Augustanæ hasta magno in nos robore sanè vibrata gladio spiritus bicipiti, quod est verbum Dei Catholicæ Ecclesiæ traditum, videbitur propulsata, & hostili illo ictu, quem Catholicis minabatur lethalem, frustrata, non est sanè quod Achillem istum multis scripturarum sententiis quasi telis armatum magnoperè horreat atque reformidet. Ita enim ista scripturarum tela singulatim ei de manu extorquere pro virili annitemur, vt non modò illa sua hasta in nos primùm vibrata conspiciatur destitutus, sed istis etiam dẽsis scripturarum iaculis, quibus quasi cataphractus in Missam Catholicorum inuictam irruit, liquidò videatur exutus.

Singula scripturarum capita quæ Cõfeßio conuoluit, suo reddẽda loco vt genuinum acci piãt sensum.

Loca igitur scripturarum isto argumento conglomerata si euoluta expendantur singula, illustriorem accipiant interpretationem, quæ ex Orthodoxorum Patrũ commentariis hausta Catholicam de Missæ sacrificio doctrinam adeò non euertat, vt eam singulariter corroboret atque confirmet. Quòd igitur ad statuendum passionem Christi fuisse oblationem & satisfactionem pro omnibus peccatis adfertur, Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel, non efficit quò minùs altaris sacrificium nostra in posterum deleat peccata. Quàm

enim ineptum fuerit baptiſmo non aboleri(ſi quis dixerit) peccata eò quòd ſanctificati ſumus per oblationem Ieſu Chriſti ſemel:tam eſt ſanè abſurdum,altaris ſacrificio non tolli peccata, quòd ſemel ſumus ſanctificati per oblationem Ieſu Chriſti. Huic igitur oblationi Chriſti ſemel exhibitæ, qua ſumus ſanctificati, quemadmodum non repugnat, quòd in Baptiſmo ſanctificamur, & rurſum per pœnitentiæ Sacramentum relapſi à peccatis mũdamur: Ita cum eadem nihil minùs quàm pugnat, quòd Miſſæ ſacrificio delictorum reatus expiari docemus atque mundari. Ex eodem enim illo oblationis Chriſti Ieſu fonte hauritur peccatorum remiſſio tam in Baptiſmo & Pœnitentia,quàm Miſſæ ſacrificio. Paſſio igitur Chriſti oblatio fuit, & ſatisfactio pro omnibus peccatis, qua ſemel ſumus ſanctificati: ſed quæ hominibus non eſt ſatisfactio, nec ſanctificatio, ni eis adhibeatur ad ſanctificandum. Sicuti nec pharmacum ęgrotis eſt pharmacum, niſi hauſtum atque in viſcera admiſſum. Quod igitur ſemel nos ſanctificatos Chriſti oblatione dicitur, in eundem eſt accipiendum ſenſum, quo ſcriptura teſtatur,nos eſſe per Chriſtum redemptos & ſaluatos. †Huiuſcemodi namque loquendi formulis ſcriptura ſacra omnibus demonſtrat à Chriſto Ieſu ſeruatore ſingulari comparatũ eſſe ſalutis atque immortalitatis remedium,& ſaluberrimum ſanctificationis poculum, quod ſicut qui biberit paratæ fit ſalutis particeps:ita è contrarioqui non biberit,eiuſdem manet ſalutis expers.

Oblationi Chriſti, qua ſumus ſanctificati,ſicut nõ repugnat Baptiſmus aut Pœnitentia, ita nec Miſſæ ſacrificiũ.

Ex eodẽ fonte omnis hauritur peccatorum remiſſio ſed modis variis.

Paſſio Chriſti iis demum eſt ſanctificatio, quibus per Sacramẽta admouetur & cõmunicatur.

†Vide Ao. ad articulos ſibi falſò impoſitos.

Cæterùm quia & inter nos & inter aduerſarios, quibus cum in præſentia res agitur, conſtat illud paratæ à Chriſto ſalutis atque ſanctificationis poculum homini ægroto variis adhiberi modis,fide,inquam, & oratione, Sacramentorúmque ſuſceptione,non magis eſt in Chriſti paſſionem iniuriũ, quòd per corporis Chriſti in Miſſa oblationem deleri peccata docemus Catholici, clariſſimis Orthodoxorum Patrum ſententiis ſubnixi, quàm quod aduerſarij nobiſcum communiter retinent non ſolùm ſemel, ſed ſæpè etiam numero, illa eadem Chriſti paſſione ſanctificari atque à peccatis expiari:quod in Baptiſmo... *nec per repetitum mediatoru ſacrificium.*

Vide Apol Cõfeſſ. Auguſta. de Sacrificio.

Sicuti in paſſionem Chriſti non eſt iniurium per Pœnitẽtiam ſæpiùs remitti peccata:ita

ptiſmo & pœnitentia docent manifeſtiùs, quàm vt maiorum verborum lucem deſideret. Imò & in Euchariſtiæ perceptione ex Ambroſij teſtimonio idem oſtendit Cõfeſſ. Auguſt. Apologia.

Locus Pauli, vna oblatione cõſummauit ſanctificatos, demõſtratur nõ pugnare cũ Miſſæ ſacrificio.

Sed quod addit Confeſſio, Vna oblatione conſummauit in perpetuum eos qui ſanctificantur, apertiorem præ ſe fert in ſpeciem cum noſtro Miſſæ ſacrificio pugnam: quæ vt dirimatur pleniùs ac diſſoluatur funditùs, ex ipſo D. Pauli ſcripto firmiſſimum noſtro Catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſacrificio petamus oportet patrociniũ. Proinde vt hîc aduerſariorum Achilles à ſacrificij Chriſtiani mœnibus non arceatur modò fortiter, ſed ſolidè quoq; profligatus conſpiciatur, inuictum nobis ex Paulina diſputatione eſt erigendum propugnaculum, Orthodoxorum Patrum ſententiis tanquam vallo inſuperabili obmunitum.

Scopus D. Pauli ad Heb. ſpectandus.

Quiſquis igitur æquo animi iudicio à partium ſtudiis alieno Paulinæ diſputationis ſcopum rectè conſiderarit, is locum nuper obiectum cum ſacrificio corporis Chriſti pro peccatis quotidiano nihil quidquam pugnare agnoſcet perſpicuè. Siquidem Epiſtola ad Hebræos data illud Chriſtianorum Iudæorum pleniùs de Chriſti ſacerdotio inſtituit genus, quod ſua ignauia minùs quàm par foret in Chriſtianiſmo perdiſcendo promouiſſet. Hi ergo Iudæi cùm Ieſum Nazarenum veriſſimum crederent eſſe Meſſiam, haud ita de illius atque fuiſſet ęquum, maieſtate ſentiebant magnificè. Quare oſtenſo, illum Angelis, Prophetis, ipſo deniq; cùm Aarone, tum Moyſe maiorem eſſe ac digniorem, præclaram attexuit D. Paulus Sacerdotij Chriſti atque Leuitici comparationem. Cùm igitur Iudæi illi in Chriſtianiſmo rudiores ſuum Meſſiam Ieſum Nazarenum crederent & regem, & ſacerdotem, pro eo atque ex Prophetarum oraculis perſuaſi didicerant, eius ſacerdotium imaginabantur eſſe illius Leuitici ſimile. Ea propter Chriſtum debuiſſe non modò ſemper viuere, vti annotat Chryſoſtomus cap. 8. ſed eandem quoque hoſtiam ad illius Aaronici exemplũ ſubinde immolare. Iſtas peruerſas Iudæorum de Sacerdotio Chriſti opiniones diſcipulis Moſaica illa pædago-

Ecquid D. Paulus ſcripto ad Heb. agat.

Heb. 1.
Heb. 3.
Heb. 9.
Heb. 10.

Chriſtianorũ Iudæorũ errores circa Chriſti ſacerdotium, quos Paulus caſtigat illa ad Heb. Epiſt.

gia nondum emiſſis dignas D. Paulus doctiſſimè ex Prophetarum oraculis diuino ſanè ingenio explicatis ad liquidum refutauit.

Proinde illa omnia, quę de vnico Chriſti ediſſerit ſacrificio ſi ad Paulinæ diſputationis ſcopum, veluti ad lapidem lydium (quod cùm primis eſt neceſſarium) attrita expendātur, vtvt prima ſui ſpecie quotidiano cum ſacrificio pugnam præ ſe ferant, nihil certè minùs quàm pugnare cognoſcentur. Quæcunq; igitur in hanc à Paulo dicuntur ſententiam, Chriſtum ſemel obtuliſſe pro peccatis ſe offerendo, Cap. 7. Rurſus Cap. 9. Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata. Et cap. 10. Sanctificatos nos eſſe per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel Et iterum: Vna oblatione illum conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos, ſiue rectiùs, eos qui ſanctificantur, Hæc, inquam, horúmque ſimilia, quotidiano noſtro eiuſdem Chriſti corporis non aduerſari ſacrificio, inde fiat Solis luce manifeſtius, quod cum vnica illa Chriſti in cruce oblatione quotidiana ipſius adeò Chriſti †in cælis non pugnat oblatio, quam eum ſemper peragere apud patrem teſtatur Paulus Cap. 8. Vnde neceſſe eſt, inquit, & hunc Pontificem Chriſtum, qui conſedit in dextra ſedis magnitudinis in cælis, habere aliquid quod offerat: Alioqui enim non eſſet Pontifex. Ad hæc cum vnica illa Chriſti in cruce oblatione æquè noſtra quotidiana conſiſtit oblatio, atque illa à Chriſto Domino in nouiſſimo conuiuio peracta. Nam illic Chriſtum obtuliſſe corpus ſuum atque ſanguinem ex Diuo Cypriano, Photio, atque Oecumenio, aliiſque, ſuo nuper loco eſt demonſtratum manifeſtiùs, quàm vt vllæ apud hominis ſenſu vel communi præditi animum ambiguitatis hæreant reliquiæ. Si ergo vnicæ illi in cruce oblationi, nec illa quotidiana Chriſti in cœlis aduerſatur, nec illa eiuſdem in cœna nouiſſima, quónam obſecro pacto noſtra quotidiana eiuſdem corporis Chriſti oblatio ad huius exemplum ab ipſomet Chriſto Domino inſtituta, quod antè eſt comprobatum, illi aduerſari eſt cenſenda? Quónam pacto noſtra hæc quotidiana illi

Heb. 7. 9. 10

Chriſti oblatio aſsidua in cælis non pugnat cū illa vnica crucis immolatiōe.

Chriſtus aſsiduè offert in cælis, ſicuti et pro nobis interpellat.

Chriſti oblatio in cœna non pugnat cum illa vnica crucis.

†Vide Ambroſ. lib. Offi. 1. ca 48. offert ſe ipſe Chriſtus quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat, hic in imagine, illic in veritate, vbi p̄ nobis quaſi aduocatus interuenit.

repugnat, cui non illa ipsius Christi in cœna, quàm nos eius iussu frequentamus & iteramus? Quónam denique pacto in illam crucis oblationem dicas esse iniurium, quòd nos eam sæpiùs commemoramus, offerimus, & immolamus, quam assiduè ipse Christus citra omnem haud dubiè iniuriam pro nobis Deo patri cōmemorat, offert, adeóque immolat? Sanè vt homo nemo assiduam hanc Christi in cœlis oblationem cum illius quæ in cruce peracta est, iniuria dicat esse coniunctam: ita qui mentis non est motæ, quotidianum in mysteriis sacrificium in vnicam illam crucis immolationem non censeat esse iniurium. D. Paulus igitur vbi vna oblatione Christum consummasse dicit eos qui sanctificantur, sicuti non voluit hac sententia sublatum esse quod aut Christus in cœna, aut etiamnùm in cœlis offert pro peccatis ex sacerdotali suo officio, Hebræorum 8. ita nec quotidianū Ecclesiæ sacrificium, quod sacerdotes ad eundem Melchisedech ordinem, quo ille, instituti illius iussu, Deo patri vice Christi Domini offerunt, vti est apud Cyprianū & Ambrosium. Verùm huic vnicæ Christi oblationi, quam Paulus toties vrget, illa repugnaret hostia, qua iteratò Christus de cruce suspensus, purpureóque sanguine perfusus, cum clamore valido & lachrymis se ipse Patri offerat. Ad istum enim modum schemate sanguinario sæpiùs offerens Christus sacerdos, ab illis Leuiticis differret nihil: cum sacrificij eius iteratio superuacaneam testaretur oblationem primam. Missę autem sacrificium cum hac, quæ in cruce fuit immolatione, nihil pugnare, inde liquidum est cognoscere, quòd eandem quidem cū Christo Domino hostiam offert, sed non eodem, vt ille, modo offert, sed quòd θυσίαν ἀναίμακτον hostiam incruētam offert. Isto enim incruento modo eadem Christi hostia iterum iterúmque oblata illam Christi in cruce oblationem adeò non arguit inualidam aut superuacaneā, vt ostendat fuisse multò efficacissimam. Siquidem ex illius vnius vi vniuersa, quæ Missæ sacrificio tribuitur, efficacia ceu ex fonte riuuli deriuatur, effluit, atque promanat. Vnica illa crucis hostia contenti, aliam cum illis semichristianis Hebræis non quærimus, nec citra impietatem

Vide Cypr. epi.3. libr.1.
Vide Amb. ad Tim.
Hebr.5.
Missæ sacrificium cur nō aduersetur oblationi Christi ī cruce peractæ.
Sacrificium Missæ vnde suam hauriat vim.

tatem atrocissimam quis cogitare aliam, nedum quærere possit. Verùm ex illa, ceu vnico salutis fonte, quod diximus, salutares diuinę gratię effectus haurire studemus, nequaquàm illam existimantes aut insufficientem, aut saluti perficiendæ minùs idoneam: sed tantò de illa, eiusque vi & efficacia sentientes magnificentiùs, quantò hisce quotidianis nostris sacrificiis omninò tribuendum asserimus nihil, nisi consideratione ad illam cruentam hostiam habita.

Scrupus de via summotus.

Sed hac saltem ratione, dixerit quispiam, tollitur Paulina distinctio, qua Christi sacrificium à Leuitico vult esse distinctum. Nam & vos eandem quotidie iteratis hostiam, quemadmodum & Leuitici quotannis. Iteramus quidem eandẽ Christi hostiam, sed longè secùs atq; illi Aaronici suã. Horũ enim sacrificia per se reputabantur singula, ita vt nullũ ex alio sanctificãdi traheret vim, aut remittendi peccata haberet facultatem: verùm hoc nostrum Christianum ita repetitur, ita iteratur, vt in quotidianis mysteriis non offeratur aliud atque Christus in cruce obtulit, ex quo ceu fonte nostris quotidianis sacrificiis saluberrima fluit animabus gratia. Proinde nisi ex illo in cruce peracto suam sibi deriuarent peccatorum remittendorum vim, essent profectò, illis Leuiticis omninò paria. Repetitur igitur vna illa Christi hostia, sed non vt Leuitica: Secundum commemorationem inquit Chrisosto. non secundum sanguinis effusionem. Proinde quod probare nititur Confessio, solum Christi sacrificium meruisse aliis peccatorum remissionem seu reconciliationem, pro nobis facit, sicuti & illud quod subiicit, Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis. Sed sanctissima hac Pauli sententia improbissimum est tardioribus ingeniis insidias struere, quibus simpliciores decepti à recta Catholicæ doctrinæ orbita deflectant, quod Confess. molitur: Hic honos sacrificij Christi, inquiens, non debet transferri in opus sacerdotis. O improbam calumniam, quæ opus Christi vice per sacerdotes peractum homunculo sacerdoti tribuit. Sed demus eos dissimulare sacerdotem vice Domini, quod ait Ambros. atque Cypria. offerre sacrificium,

Christi hostia non iterabatur sicuti Aaronica.

Nostra sacrificia à Leuiticis, qua parte diuersa.

Insidias tendit imperitis & imprudẽtibus Cõfess. Augu.

Honos sacrificij Christi nequaquam transfertur à Catholicis in

opus sacerdotis vti calumniatur conf. Augustan. an hîc opus quoque operatum, quod dicunt scholæ, dissimulare audeant, quod tanta animi impotentia non modò in alium atque res est, detorquent sensum, sed hostiliter etiam oppugnant? Cùm igitur sacrificium quotidianum non nisi ex opere operato, quod Catholici dicimus, id est, quia ex Christi persona geritur atque peragitur, nulla prorsus ministri ratione habita, suam habeat vim atque percipiat efficaciam, improbè sanè viris Catholicis calumniatur Confessio, quòd honorem sacrificij Christi in opus transferant sacerdotis. Nullas enim hac in re sacerdoti partes tribuunt, præterquàm quę ministri sunt propriæ. Sicuti enim in consecratione Christus sua verborum efficacia alieno sacerdotis ore suum quotidie conficit de pane corpus, & vino sanguinem, ait Hieronymus: ita per alienas quoque manus, sed sui tamen ministri, Deo patri sacrosanctum suum offert corpus. Hoc illud est quod sanctissimi scriptores tantæ rei miraculo obstupefacti interdum exclamitant, O rem miram, idem Christus hîc & sacrificat & sacrificatur: Agnus idem & hîc nobis in altari iacet præsens patri immolandus, qui & patri ad dexteram assidet gloriosus.

Missam valere ex opere operato, quid sibi velit.

Sic & D. Chrys. de Sacer. Oecumen. ad Hebr.

Sicuti in omni Baptismate Christus baptizat ita in omni Missæ sacrificio Christus offert.

Remissio itaque peccatorum, quæ sacrificij huius oblatione piis hominibus iuxta concordem veterum Patrum sententiam contingit, nequaquàm in opus transfertur sacerdotis, absit, Maran atha: sed hic honos vni Christi Iesu gloriæ manet solidus, atque seruatur integer, illibatus, singularis. Quod enim in Baptismo credimus illum à peccatis abluere, de quo dictum est à Deo Patre, Hic est qui baptizat: hoc in aliis quoque Sacramentis fidei oculis intuemur: quæ cùm ab vna Christi passione suam hauriant peccatorum remittẽdorum vim, vt per ea veluti sanguinis Christi canales corda nostra illo viuifico eius spiritu irrorentur, perfundantur, atque irrigentur, quid quæso hominibus Christianis mirum videatur, hanc eãdem efficaciam sacrificio item à Patribus tribui Christiano? Hæc est enim illa effusi in cruce sanguinis applicatio, quæ nos saluberrimę huius redemptionis facit esse participes: quàm cùm aduersarij fide, & fidei oratione, concorditer nobiscum hominibus con-

Sanguis Christi per sacrificium nobis applicatur, sicuti per alia

tingere doceant, non est sanè quòd ab aliis applicationis eiusdem Christi sanguinis modis abhorreant, putà per Sacramenta atque eiusdem sacrificij oblationem: cùm eos quoque indubia maiorum Catholicæ Christi Ecclesiæ tradiderit authoritas luculentis Christi Iesu verbis subnixa: quod quia de Sacramentis suo suprà loco demonstrauimus, nec † diffitentur aduersarij. Sanctæ Eucharistiæ perceptione nos peccatorum accipere remissionem, & de sacrificio Christiano dudum docuimus, ad reliqua proficiscamur refutanda, quæ aduersus Catholicam Ecclesiæ Christi de altaris sacrificio doctrinam obiicit Confessio Augustana.

fidei Sacramenta.

Varij applicationis sanguinis Christi modi Ecclesiæ traditi.

Philippi Mel. Apol. pugnat ex diametro cũ Augustana Confess.

Planè similis notæ est calumnia, quæ priori illi attexitur: Adhæc impium est, inquit, fiduciam, quæ niti debet ipsa Pontificis Christi oblatione & intercessione, transferre in opus Sacerdotis. Quàm ista sit frigida calumnia, ex superioris confutatione satis liquere potest. Sola enim Christi oblatione & interpellatione ista quotidiani sacrificij nititur fiducia. Solida enim gratiæ per illud impetrandę spes in vnicam illam Christi Pontificis accedentes sanctificantis, pro nobísque interpellantis incruentam hostiam respicit atque suspirat, vnde suam nobis hæc quotidiana in illius memoriam repetita hauriat vim atque efficaciam.

Calumnia confessionis Augustanæ refutata.

† Vide Confess. Augu. Apol. vbi istud ex Ambr. verbis disertè astruit, vbi agit de vsu Sacramenti & sacrificio, contra id quod Cõfessio suis illis argumentis conatur astruere.

Sed tertium nunc prodeat Confessionis argumentũ: In institutione cœnę Domini, inquit, non mandat Christus vt offerant sacerdotes pro aliis, viuis ac mortuis. Qua igitur authoritate hic cultus tanquam oblatio pro peccatis sine mandato Dei in Ecclesia institutus est? Christum in cœnæ institutione Apostolis mandasse vt offerrent, nuper ex Diui Irenæi, Cypriani, Chrysostomi, Theodoreti, Eusebij Cæsariensis, Ambrosij, Augustini, aliorúmque testimoniis comprobauimus manifestiùs, quàm vt de Christi voluntate adeóque mandato homo Christianus, qui Christianis illis patribus debitam habet cùm fidem, tum reuerentiam, queat ambigere. Si autem offerre iussit, non pro se solùm, sed & pro

Heb. 7.

Tertij argumenti Confessionis Augustanæ refutatio. Christus mandauit offerre pro aliis. Vide suprà capite 46.

aliis offerre iussit. Habet igitur authoritatem hic quotidiani pro peccatis sacrificij cultus planè diuinam, cùm ex aperto Christi mandato, illis locupletissimis testibus, in Ecclesia sit institutus, atq; perpetua Ecclesiarum per orbem Christianum obseruatione Deo Max. exhibitus, nobísque in hæc vsque tempora per manus maiorum Catholicè traditus. Quod autem addit Confessio, multò esse absurdius, quód Missa confertur ad liberandas animas mortuorum, paulò pòst aptiùs ex liquidissima Apostolorum traditione, atque Diui Augustini, Cypriani, aliorúmque Orthodoxorum testimoniis erit confutandum.

4. Argumentum Confess. Augu. confutatur.

Iam quartum illud argumentum minus habet sanitatis quàm difficultatis, Cęremonia sine fide in nouo testamento nihil meretur, nec facienti, nec aliis. Est enim opus mortuum, & cæte. Ergo Missa non meretur remissionem culpæ, aut pœnæ ex opere operato. Hoc, inquam argumentum, quàm non est à iudicio satis sano profectum? An enim sine fide cæremonia meruerit in veteri testamento? an non & tum fuerit opus mortuum? Sanè quod ad antecedentis huius probationem sibi sumit Confessio, sine fide impossibile est placere Deo, apertissimè conuincit cæremoniam sine fide nec in nouo, nec in veteri testamento aliquid meruisse: quod ex Diuo Paulo vel obiter inspecto Solis luce est manifestius. Rursum quod ad antecedentis huius adfert comprobationem, Fide potiorem hostiã obtulit Abel, quàm est ἀπροσδιόνυσον, imò quàm cum illo nihil habet commune? Quod itaque colligit, Missam ex opere operato non mereri remissionem pœnæ, aut culpę, magis est friuolum, vti ex superioribus liquet, quàm vt responsionem mereatur.

Ex falso Catholicis affiicto Lutherani eos oppugnant.

Cùm enim falsissimam istam operis operati sententiam falsò Catholicis imponant, vt scilicet sine bono motu fidei hominibus adultis mentísque sanæ valeat, quam obsecro vim ista habeat conclusiuncula? Ex eadẽ pharetra quintum Confessionis telum in Missam est eiaculatum. Fide propria fit applicatio beneficij Christi, ergo non fit applicatio alieno opere, nec propter alienum opus. Vt enim dissimulemus antecedens in paruu-

5. Arg. Confess. Augu. Mortui fide propria per Missam ad-

lis baptizatis & adultis mente captis manifestiſſimè conuinci falſitatis: ita profectò Miſſæ applicatio nullis fit, niſi fide propria eã expetentibus, ac deſiderãtibus adeò: quod pia eorum vota, & flagrantia deſideria teſtamentis tam luculentis quàm opulentis conteſtata, quæ iſtam Catholicis pariunt inuidiam, loquuntur apertiùs, quàm vt de ipſorum fide propria queas addubitare.

iuuãtur, quia Eccleſiæ mẽbra, Eccleſiæ deſiderent ſubſidium.


Porrò ſextum, Inſtitutio Sacramenti pugnat cum illo abuſu: nihil enim de oblatione pro peccatis viuorum & mortuorum præcipitur, ſed præcipitur vt ſumantur corpus & ſanguis Domini, & vt fiat ad recordationem beneficij Chriſti. Iſtud quia non eſt tertio argumento dudum diſſoluto diſſimile, non eſt cur Lectorem beneuolum prolixiore fatigemus reſpõſione. Confidimus enim quòd ſua ingenij bonitate nunc perſpicit, quantum à veritate abeſt, quod ſibi ſumit Confeſſio, nihil in huius ſacrificij inſtitutione de oblatione pro peccatis præcipi, cùm ad eum planè modum, ſi tot tantíſque noſtræ Catholicæ fidei patribus credimus, iuſſerit Chriſtus Apoſtolos offerre, quod ille in cœna primus obtulit, ait Cyprianus, Chryſoſtomus, & cæteri. Vbi quia tanquàm ſacerdos obtulit, continuò efficitur, quod & pro peccatis obtulerit, quod Paulina Sacerdotis diffinitione firmatur validiùs, quàm cui ratiocinatio humana illo imperitorum loco, non eſt ſcriptum, ſubnixa poſſit obſiſtere. Cæterùm quod aſſumitur, Sed præcipitur, vt ſumantur corpus & ſanguis Domini, & vt fiat ad recordationem beneficij Chriſti, vt nos illis damus, & perlibenter quidem: ita non tollit ſacrificium, quod quia longè eſt ab ipſo corporis Dominici ſacramento aliud, poteſt quoque aliis eſſe ſacrificium, quibus non eſt Sacramentum, ſiue Dominicæ cœnæ communicatio. Quanquàm citra ſacrilegium fieri nequeat, vt ſacerdos poſt ſacrificium non etiam ſibi accipiat Sacramentum, de quo tot olim editi Canones. Sed de Dominicæ cœnæ inſtitutione ac vſu legitimo, non patitur præſentis negotij anguſtia vt diſſeramus diffuſiùs, quæ in alium commodiùs differetur diſputandi locum.

6. Argumentum confeſſ. Auguſt. confutatum.

Heb. 5. & &

Corpus Domini eſt & Sacramẽtum & ſacrificiũ.

CAPVT LII.



Confes. Vvir. argumenta contra propitiatoriū Missæ sacrificiū confutantur.

Ex istis igitur argumentis quàm nihil valide contra propitiatorium Missæ sacrificiū effecerit Confessio Augustana, piis & eisdem æquis Lectoribus permittimus æstimandum. Cæterùm quia Cōfessio Vvirtembergen. eadem ista Confessionis Augustanæ repetit argumenta, non est quòd in confutationem multum ponamus operæ: si quid habet tamen ab illis diuersum, permagnum duximus operæpretium, vt ad veritatis normam expensum à recto demonstretur aberrare. Varios itaque circa Eucharistiam recensens errores, quos dicit, secundum facit, Quòd Eucharistia sit tale sacrificium, quod debeat iugiter ad expianda peccata viuorum & mortuorum, & pro impetrandis aliis beneficiis tam corporalibus quàm spiritualibus offerri. Ne autem temerè vniuersam Christi Ecclesiam Catholicam istius, quem dicit erroris putetur insimulasse, causas adfert iudicij adeò seueri planéque censorij: Hic error, inquit, manifestè pugnat cum Euangelio Christi, quod testificatur Christum vna oblatione semel tantùm facta, consummasse in sempiternum sanctificatos. Atqui hanc Catholicorum doctrinam cum Christi Euangelio non pugnare docent manifestiùs illustres veri Euangelij professores Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, ac cæteri item alij Euangelium verè Christianum à suis magistris Apostolis edocti, quàm vt animus Christianus suæ fidei Christianæ non oblitus vllas queat hac de re in pectoris sinu reliquas perpeti ambiguitatis tenebras, quas luculentissimis vetustissimorum Patrum testimoniis confidimus superiùs satis esse cùm depulsas, tum illustratas.

Refutatio argumentorum confess. Vuir. cōtra Missā.

Iam quod concordi adeò veteris Catholicæ Ecclesiæ velut refragans opponit sententiæ, Vna oblatione semel tantùm facta Christum consummasse sanctificatos, nihil cum Orthodoxa de Missæ sacrificio pugnare doctrina, ex secundi argumenti Confessionis August. confutatione satis liquidò speramus demonstratū. Vnica enim illa Christus in cruce oblatione sanctificatos, siue potiùs

τοὺς ἁγιαζομένους: eos qui ſanctificantur, effecit perfectos: non quòd alia re vlla ad ſanctificationem non ſit opus: cùm non niſi credentibus, & Sacramentis ad animorum ſanctificationem inſtitutis vtentibus hæc vnica Chriſti oblatio fiat ſalutaris: quod etiam in tertio Euchariſtiæ, quem dicit, errore ipſa agnoſcit Confeſſio: ſed quòd eâ ſanctificatos ita conſummauit, ſicuti & redemit, atque totius mundi peccata expiauit. Quemadmodum enim locupletiſſimum opulentiſſimúmque toti in vniuerſum humano generi ſua vnius morte comparauit, imò promeruit precium, quo omnium ſalus redimatur omnibus atque reſtituatur: ſic & eos qui ſanctificantur vnica ſui corporis oblatione conſummauit, τετελείωκεν, omnibus plenæ perfectæque ſanctimoniæ abſoluit numeris, inexhauſtum illis redaperiens fontem, vnde non modò ſalutares hauriant aquas, quibus innumera vitæ priſtinæ ſemel abluant errata, ingentiáque aboleant peccata, ſed animos etiam illuſtribus veræ iuſtitiæ, innocentiæ, veræque ſanctimoniæ, cæterarúmque item virtutum ornamentis præclarè exornent atque inſigniant adeò. Cæterùm quòd cũ iſta ſemel tantùm in cruce peracta Chriſti Domini oblatione quotidianum nihil pugnat ſacrificium, non magis quàm Baptiſmus, atque Pœnitentia, quibus haud dubium ſanctificamur, vel aduerſariis idem confitentibus, ex ſecundi argumenti Confeſſionis Auguſtanæ refutatione perſpicuum eſt agnoſcere omnibus, qui illinc Orthodoxam veteribúſque vſitatam ſacrificij cruenti & τοῦ ἀναιμάκτου incruenti diſtinctionem animo Euangelij veri ſtudioſo, & à partium ſtudiis alieno cognoſcere non grauabuntur.

Chriſtus ſua morte omnes redemit, qua tamen nõ omnes redimuntur ſed poſſũt redimi, qui ipſi obedientes formulã ſalutis cõſequendæ ab ipſo præſcriptam ſtudẽt obſeruare. Vide Aug. de articulis ſibi falsò impoſitis.

Porrò quod in Vvirtembergenſi Confeſſione ad Catholicæ doctrinæ attexitur labefactationem, non magni fuerit negotij refellere, ſi locus Paulinus, quo nititur, ex iſta oppugnationis quaſi crate retextus genuinę ſuæ vin dicetur ſententiæ. Et quia Chriſtus paſſione, inquit, ac morte ſua impetrauit nobis remiſſionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelion in nouo teſtamento adnũciatur, idcircò non licet ampliùs pro peccato ſacrificare. Dicit enim Epiſtola ad Heb. Vbi eſt peccatorũ remiſſio,

2. Argumenti Confeſſ. Vvirtemb. confutatio.

Hebr. 10.

iam non est oblatio pro peccato. Impetrauit quidem sua passione Christus nobis peccatorum remissionem, quæ & per Euangelium, vt dicitis, annunciatur: Verum eam non assequuntur audientes Euangelium, aut credentes adeò: sed Sacramenta fidei demum vero Christianæ fidei spiritu suscipientes, quod ex Actis Apostolicis cap. 2. Iudæorum credentium exemplo Solis luce est manifestius. Et Christus disertè affirmat: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hæc igitur peccatorum remissio Christi morte nobis in vniuersum quidem omnibus impetrata non perinde contingit omninò omnibus: sicuti nec solis lux affulget omnibus, quòd multis multa incidant incommoda atque impedimenta, quibus intricati paratissimam istam peccatorum remissionem haud facilè nancisci queant. In iis autem, quibus mera Dei Optimi liberalitate cõtingit, sicuti non est in eam iniurium, quòd post illius impetrationem Christi passione partam applicetur Baptismo atque Pœnitentiæ: ita nec sacrificio etiam, cùm vniuersa ista nostrorum peccatorum remedia ex vnico passionis Dominicæ fonte suam hauriant efficaciam atque vim. Proinde quod ex ratione iam nunc refutata concluditur, Idcircò non licet ampliùs pro peccato sacrificare: non minùs ratam habet connexionem; quàm si efficere illinc velis, non licere ampliùs pro peccato abolendo quenquam baptizare, quòd vnica Christi passione, omnibus impetrata sit peccatorum remissio. Huius prętereà cõclusionis vim prorsus nullam vnicum Magdalenæ commonstret exẽplum. Quid enim? an quòd illi indubia contigisset peccatorum venia non licuerit Christo Domino pro peccatis sacrificare. Sicuti igitur rata illi ex futura Christi morte peccatorum contingit remissio, ita nobis ex olim obita atque præterita: sed vtraque ex eodem fonte hausta. Porrò quod in huius rei adfertur confirmationem, Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato, Hebr. 10. nihil quicquam Catholicæ Christi Ecclesię sacrificio aduersatur. Docet enim D. Paulus in nouo testamento iuxta Hieremiæ oraculum non typicam, sed veram, nõ adumbratam, sed solidam per singulare Christi

Peccatorum remissio quibus tandem contingat & cur nõ omnibus, vel Euãgelium audientibus.

Marc. 16.

Sicuti applicatio remissionis peccatorum per baptismum nõ pugnat cum vnica crucis oblatione: ita nec ea quæ fit per iterationem sacrificij mediatoris.

Luc. 7.

Sicuti Christus obtulit post peccata certò remissa, ita & nũc licet offerre.

Locũ Pauli ad Heb. 10. nõ aduersari

sacrificium remissionem contingere peccatorum, quæ cùm semel sit impetrata, atque Christi morte nobis parta, iam non est oblatio pro peccato: oblatio, inquam, aut ab illa crucis alia: aut ipsa etiam eadem, eodem vt in cruce modo iterata: aut, quod equidem arbitror Paulino germanius sensui, post Christi oblationem illam in cruce peractam nulla est oblatio, siue προσφορὰ, atque hostia pro peccatis, iuxta vetus Mosaïcæ legis præscriptum offerenda: quòd ipsam verbis ex Hierony. adductis docuit abolendam, eiúsque sacrificia nulli vnquàm vsui futura. Sic D. Theodore. Est enī oblatio, inquit, superuacanea, data iam remissione, quam Deus in nouo testamento se daturum est pollicitus. Et paulò illustriùs apud Oecum. Photius: Quę enim necessitas, inquiens, multarum oblationum, quum vnica illa, quam exhibuit Christus, fuerit " sufficiens ad auferenda peccata? Cæterùm quòd Cōfessio " illa Christi verba, Hoc facite in mei commemorationē, negat præcipere, vt corpus & sanguinem ipsius in cœna Domino offerant, arrogantis nimium habet supercilij, aut vt dixerim veriùs, imperitum suorum ferraginatorū arguit tanta de re adeò perspicuè apud vetustissimos Patres contestata iudicium. Audet enim clarissimis Orthodoxorum Patrum sententiis refragari, conspirantibúsq; illorum testimoniis dudum cōmemoratis nullo subnixa argumentulo, præterquàm illo vt plebeio, ita præclaris istis confessoribus scripturam vbique crepantibus indignissimo, Non est scriptum, obstrepere atque reclamare. Iam quòd Christus verbis illis, Hoc facite in mei commemorationem, iusserit quoque offerre, etiam superiùs ex Diuo Cypriano, Theodoreto, Chrysost. Oecumen. aliísque est demonstratum manifestiùs, quàm vt hîc pluribus sit repetendum. Proinde illud est plusquàm Sophisticum, quòd hisce verbis Christum vult iussisse Confessio Vvirtembergensis, vt corpus & sanguinem ipsius offerrent, sed Ecclesiæ, vt ea bibendo & edendo de Christi oblatione in cruce facta admoneatur.

nostro Ecclesiæ sacrificio.

Vbi peccatorū remissio, iam non est pro peccato oblatio ex legis præscripto immolanda.

In re grauissima ludunt Lutherani plebeio argumento, Non est scriptum.

Detorquent Lutherani verba Christi, offerte pro distribuite.

Vide sup. cap 46.

Cùm enim offerendi vocem veteribus scriptoribus rificè vsurpatā cuperet præ simulato vetustatis studio Ecclesiis suis ista Cōfessio retentam, eam quidē ipsam

Lutherani veterum Patrum student

retinere voces, sed à veteri detortas sensu.

retinuit, sed à vero Catholicorum Patrum sensu plusquàm Sophisticè detortam. Offerendum enim vult ex Christi iussu non quidem Deo Patri, vti illi, sed populo atque Ecclesiæ: quod est, non offerendum seu immolandum: sex expromendum atque porrigendum. O bellam oblationem, quæ si apud priscos Catholicos fuisset sola cognita, non erat sanè quòd Arrhiani illam Catholicæ Christi Ecclesiæ mouissent tragœdiam, vtrùm in mysteriis soli Deo Patri, nō etiam filio corpus & sanguis Domini essent offerenda? Quæ quidem quæstio nullum sibi locum inuenisset, nisi inter Catholicos & illud ab Ecclesia segregatum sarmentum Arrhianos ex certissima maiorum Traditione constitisset indubitatum, corpus & sanguinem Domini esse in cœna Deo offerendum. Pudeat hîc igitur nostræ ætatis aduersarios, pudeat, inquam, istius temeritatis sacrilegæ, qua vel Arrhianos ipsos impiè audent superare. Sed quia hoc antè satis confidimus confirmatum, nunc Pauli locus, quo ista Confessio, hanc corporis Domini oblationem, quæ nō Deo, sed populo fit, conatur statuere, germano suo est vindicandus sensui. Sic enim Paulus hoc dictum Christi interpretatur, inquit, quotiescunque manducabitis (non ait obtuleritis) panem hunc, & biberitis calicem, mortem Domini prædicate, donec veniat. Si non ait, obtuleritis, quónam vos ore hîc præceptum crepitatis vt offeratur populo? Quare si iste vester commentariolus nihil addit verbo Dei, nec ille sanè Catholicorum, qui offerēdum Deo Patri docet, cùm vterque eandem habeat vocem, sed aliter atque aliter explanatam. Atqui Paulus, inquias, non ait obtuleritis, illa Christi verba exponens, Hoc facite in meam cōmemorationem. Quid verò mirum, Apostolum Paulum sacrificij Deo Opt. Max. offerendi hîc non meminisse, cùm non de oblatione, sed Sacramenti vsu populari atque mādu catione differendum sibi existimarit? Vt ergo Paulus illa Christi Domini verba hîc sit interpretatus, non sanè commentarium adhibuit plenum, qui omnem huius loci contineret sensum, quod eius institutum nequaquàm postulabat. Verumtamen verborum Christi, Hoc facite, sensum etiam cor-

Offerre faciunt non offerre, quia illud distribuere & communicare exponunt.

Paulum non interpretari offerre pro cō municare, et distribuere, quod aduersarij fingunt.

Non postulabat locus vt Paulus de nouæ legis dissereret sa-

poris Dominici offerendi habere præceptum, suprà ex Catholica Orthodoxorum PP. liquidiùs docuimus sententia, quàm vt vlla prolixiùs hanc in rem demonstrandam sint profundenda verba. Quorum clarissim. fidei Christianæ Patrum, atque doctrinæ Apostolicæ testium multò locupletissimorum sententiis qui non permouetur ad obtinendam Catholicam & Orthodoxam Ecclesiæ Christi de sacrificio doctrinam, dignior est quem assiduis lugeamus pij pectoris lachrymis, quàm insanabilem eius contentionis pertinaciam inutilibus verbis studeamus vlteriùs castigare.

crificio Epistol. ad Cor. Vide suprà cap. 46.

Sed illa indignior Euangelicis est stropha, qua ad imperitorum fraudem nititur ista Confessio Vvirtembergensis: Fatemur quidem, inquit, quòd veteres Ecclesiastici Scriptores vocauerint Eucharistiam sacrificium & oblationem. Sed se ipsi exponũt, quòd nomine sacrificij intelligant memoriam, annunciationem, sed prædicationem sacrificij, quod Christus semel in cruce peregit, sicut & memoriam Paschæ & Pentecostes, vocant Pascha & Pentecosten. Istud quàm sit vanissimum, recitata dudum illorum testimonia liquidùm pronunciant. Ait enim Augustinus, sacrificium altaris quibusdam defunctis esse propitiationem. Rursus, propter altaris sacrificium Deum cum defunctis misericordiùs agere, quàm eorum facinora merebantur. Sic & D. Athanasius aurea illa in defunctos oratione, τὴν θυσίαν ἀναιμακτὸν εἶναι ἐξιλασμὸν, hostiam illam altaris incruentam piis in Christo dormientibus esse propitiationem. In eundem sensum & Cyprianus Concilij Africani canonem sequutus inhibuit clero Furnensi, ne pro Victoris, qui Canonem violarat Ecclesiasticum, requie dominicum illud altaris Christiani offerretur sacrificium.

Vide ca. 50. Enchirid. ca. 110. & ad Dulc. q. 4. Serm. 32. de verb. Apost. Epist. 9. li. 1.

Quod igitur altero illo, Eucharistiam esse sacrificiũ, sensu pro sacrificij memoria ex Diuo Augustino abutũtur ad caligines clarissimo illi de oblatione & propitiatione pro peccatis sensui offundendas, nimis est improbum. Hunc enim sensum vti apud Augustinũ legêre, ita illum alium apud eundem cæterósque Catholicos prædicatum, & nunc in controuersia positum, quem non

Non bona fide agunt aduersarij cum veterũ Patrum vrgent sententias.

legiſſe non potuerunt, nequaquàm diſſimulatum oportebat, ſi bona nobiſcum, imò ſecum fide agere conſtituiſſent.


Tertij argumenti confutatio.

Cõtra Fauſt. lib.2 cap.21. Epiſt.32.

Iam quod tertium circa Euchariſtiam errorem facit Confeſſio Vvirtembergen. eorum qui ſentiunt oblationem Euchariſtiæ applicare propitiationem & meritum Chriſti viuis ac mortuis, haud ſanè prolixa opus habet refutatione, quòd ſuperiùs nunc ſæpè eſt demõſtratum, quotidiano hoc ſacrificio ex ſingulari illo paſſionis Dominicę fonte Catholicos haurire Chriſti merita, ac propitiationem eandem iuxta veterum Patrum teſtimonia, quam per Baptiſmi, ac Pœnitentiæ Sacramenta. Quod igitur in illius confirmationem adfert Confeſſio, applicationem meriti Chriſti non fieri alio externo organo quàm prædicatione Euangelij Chriſti, & diſpenſatione eorum Sacramentorum, quę Chriſtus in hunc vſum inſtituit, & meritum Chriſti oblatum & applicatum non recipitur niſi fide: Ad hoc dicimus, & Euchariſtiam hũc in vſum à Chriſto Deo eſſe inſtitutam, cuius doctrinæ teſtes prorſus irrefragabiles ſuo ſuperiùs loco recitauimus, cap.46. & 50. Vnde qui veritatis verè Euangelicæ ex animo eſt ſtudioſus malim repetat, quàm hîc fruſtrà iis rememorandis eſſe multus. Iam quod attexuit, Meritum Chriſti oblatum & applicatum non recipi niſi fide, quia in illud Confeſſ. Auguſtanæ argumentum 5. incurrit, hîc non duximus copioſiùs refellendum, quòd abundè illi ſuo ſit loco factum ſatis.

Caput LIII.

Miſſam eſſe ſacrificium propitiatoriũ ꝑ defunctis.



Ed quid hîc ſum copioſior, vbi non vniuerſa iſtius tempeſtatis vis incumbit, ſicut in controuerſia, Vtrùm Miſſa propitiatorium ſit ſacrificium pro mortuis? quod quia Euangelici iſti vniuerſi impotentiſſimo pro ſua quiſque ſumma virili molimine Catholicæ Chriſti Eccleſiæ contendunt eripere, ac perinde quaſi contra verbum Dei quæſtuoſis quorundam inuectum eſſet artibus peſſundare atque abolere, hinc ea quæſtio de noſtro pro defunctis ſacrifi-

cio diffusiùs venit & pertractanda, & robustiùs veterum Patrum testimoniis confirmanda. Hîc namque procellosi omnium istius nostræ tempestatis hæreticorum vēti tanquàm coniurati veniunt ad classica, quod ille canebat, vt saluberrimum fratribus hac vita defunctis, & deleant remedium, & suauissimum de medio tollant solatium, bis in pia fraternæ charitatis officia impij: cùm quòd illorum cruciatus ipsi nec votis, nec rebus ipsis mitigent: tum quòd alios qui tollendis ipsorum tormētis, exilióque decurtando piam dant pro virili operam, non dehortantur modò sua oratione, verùm maledictis quoque lacessere & conuitiis proscindere non verentur. Quare initiò ex liquida Apostolorum Traditione docebimus, tremendum Missæ sacrificium re ipsa mortuis esse vtile, adeóque expiatorium. Deinde quòd non ex vnius, aut alterius duntaxat Ecclesiæ consuetudine hoc fuerit vsitatum, vti aduersarij cauillantes nugantur: sed ex publica vniuersalis Ecclesiæ obseruatione per omnē prorsus orbem semper fuisse & factitatum, & hactenùs vbique obseruatum, illustribus clarissimorum Scriptorum veterum testimoniis declarabimus. Tum denique infesta nostræ ætatis hominum tela contra saluberrimum hoc fratrum hac vita defunctorū remedium dulcissimúmque solatiū pro virili studebimus propulsare.

Aduersarij suos in fratres hac vita defunctos bis impij.

Qua methodo tractādū propitiatorium Missæ pro defunctis sacrificium.

Mortuis igitur Christianis fratribus vita hac breui iuxta atque misera piè atque in Domino defunctis sacrosanctum altaris sacrificium prodesse, vt ab omnibus semel delictorum nondum expiatorum vinculis absoluti, & omnium debitorum nexibus liberati, in patrias illas cælestes euolent sedes, Apostolos Ecclesiis tradidisse, nobis liquidò illud Orthodoxæ cùm primis Ecclesiæ columen D. Athanasius attestatur. Posteà enim quàm suos illa admodùm concinna in defunctos oratione docuisset, ex pietatis officio debere ad mortuorum sepulchra cum precibus, eleemosynis, cereos & oleum adferre accendenda, causam subtexuit: δεκτέα γὰρ ταῦτα τῷ θεῷ, καὶ πολλὴν ἐξ αὐτοῦ φέροντα τὴν ἀντίδοσιν. τὸ γὰρ ἔλαιον καὶ ὁ κηρὸς, ὁλοκαύτωσις: ἡ δέ γε ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός: Hæc enim (inquit) Deo grata sunt, plurimámque ab eo

Incruenta Missæ hostia defunctis est propitiatorium

Sacrificium, ait Athan. ex doctrina Apostolorũ.

referũt retributionẽ. Oleum enim atque cerei sunt holocaustum, hostiáque igne absumenda: Verùm illa hostia incruenta est propitiatio. Deinde ostendens, quánam fidei intentione hæc sunt pro defunctis Deo Opt. offerenda, eadem scilicet, qua pro filiolo ægrotante pater Deo cereos & thymiama offert atque accendit, causam subtexuit, qua superioribus suis dictis fidẽ astruat: πάντα γὰρ οἱ θεηγόροι Ἀπόστολοι, καὶ θυηπόλοι διδάσκαλοι, καὶ πνευματοφόροι πατέρες ἐν κατοχῇ τοῦ θείου κατὰ τὸ θεμιτὸν γεγονότες, καὶ τῆς ἐκστατικῆς τούτου δυνάμεως ποσῶς μετειληφότες ἐν θείῳ στόματι θεοφιλῶς ἐθέσπισαν καὶ λειτουργίας καὶ εὐχάς τε καὶ ψαλμῳδίας, ἐτησίους μνήμας τῶν προλαβόντων: Vniuersa enim hæc Apostoli illi (sic dixerim) diuiniloqui, atque discipuli sua per sacrificia Deum placantes, patrésque Spiritu sancto afflati, diuini illius numinis, quantum datur, participes atque Ecstaticę illius virtutis eximiè compotes diuino ore, vti Deo gratũ est, & sacrificia, siue Missarum oblationes, & preces, & Psalmorũ cantum, anniuersariásq; defunctorũ memorias præceperunt obseruandas.

D. Aurelius Augustinus hanc rem docet liquidiùs, quàm vt homo sanus vlla sibi queat vel fingere callidæ tergiuersationis subterfugia: Orationibus sanctæ Ecclesiæ (inquit Serm. 32. de verbis Apostoli) & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorũ (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt Hoc enim à Patribus traditũ vniuersa obseruat Ecclesia.

Sic & ex professo, vbi fidei Catholicæ formulam Laurentio præscribit: Neque negandum est defunctorum animas, ait cap. 110. Enchiridij, pietate suorum viuentiũ releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc illis prosunt, qui cùm viuerent, vt hęc sibi posteà prodesse possint meruerunt. Ostensa causa cur nõ omnibus hæc prosint defunctis, addit: Cùm ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè

malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque tamen viuorum consolationes sunt. Hunc aureum locum ne quis vel Oreste insanior, ambigat vtrùm Augustini sit, nécne, ipse August. quæst. 4. ad Dulcitiũ suo ex Enchiridio disertè recitat, illúmque ceu nobile emblema ad verbum interserit. Quę loca cùm sint meridiana solis luce illustriora, nolo esse multus in accumulandis iis, quæ passim obuia sunt, aut in Epist. aut Confess. Verum nos institutum persequentes, quòd quibus hæc pauca non sufficiant ad veritatis persuasionem, nec alia satisfaciant sexcenta, ad alios Orthodoxos transibimus Patres.

D. Ambrosius eximium Orthodoxæ atque Catholicæ Christi Ecclesiæ columen: Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam (inquit oratione funebri in fratrem Satyrum) animam, tibi hostiam meam offero, cape propitius ac serenus fraternũ munus sacrificium Sacerdotis. Rursus orat. funebri in AA. Gratianum & Valentinianum. Nulla nox vos nõ dotatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.

Ioannes ille Antiochenus ab aureo suę orationis flumine dictus Chrysostomus eximiam huius sacrificij Christiani vim, quod ad defunctos attinet non modò expressit, sed originem quoque ad Apostolos pertinere luculento non minùs atque diserto expressit sermone. Cùm enim suos Constantinopolitanos ad piam defunctis fratribus orãdo & Ecclesiæ preces atque sacrificium immolando nauandam operam esset adhortatus, dicti sui ætiologiam subtexuit: οὐκ εἰκῆ ταῦτα ἐνομοθετήθη ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ κέρδος γινόμενον, πολλὴν τὴν ὠφέλειαν. ὅταν γὰρ ἑστήκῃ λαὸς ὁλόκληρος χεῖρας ἀνατείνοντες, πλήρωμα ἱερατικὸν, καὶ προκέηται ἡ φρικτὴ θυσία, πῶς οὐ δυσωπήσομεν ὑπὲρ τούτων τὸν Θεὸν παρακαλοῦντες: Haud frustrà hæc ab Apostolis, inquit Ho. 3. ad Philip. fuêre instituta, vt ĩ tremẽdis illis mysteriis eorũ qui hinc emigrassẽt memoria fieret. Nouerãt enĩ illis magnũ hĩc emolumẽtũ, magnũque cõmodum obuenturũ. Cùm enim vniuersus consti-

Apostoli cur defunctorum memoriam iusserint ad sacrificiũ admisceri.

terit populus expassis ad Deum manibus, omnísque clericorum chorus, insuper & tremenda illa offertur hostia, quî fiat obsecro, vt supplicantes pro illis Deum non exoremus atque placemus?

D. Epiphanius Apostolicas commemorans Ecclesiæ Catholicæ traditiones, cùm ad defunctos ventum esset, ostensurus, quídnam & illis faciendum ab Apostolis accepisset Ecclesia illa vna Christi sponsa: ἐπὶ δὲ τῶν τελευτησάντων ἐξ ὀνόματος τὰς μνήμας ποιοῦνται, προσευχὰς τελοῦντες, καὶ λατρείας, καὶ οἰκονομίας: Quando defunctorum agitur officium (inquit compendio fidei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ) nominatim eorum memoriam faciunt, deprecationes, Missarum sacrificia, atque Dei cultus vnà cum eleemosynarum dispensatione celebrantes. Vides hîc eadem defunctis profutura auxilia in Catholica illis exhibita Ecclesia quæ superiùs D. Augustinus cum Athanasio atque Chrysostomo, aliísque docebat piè defunctis prodesse? Verùm ne quis nasutior hîc se calumniandi reperisse clamitet ansam, quod τὸ λατρείας verterim Missarum sacrificia, paucis demonstrabimus, τῆς λατρείας nomine apud Theologos Græcos idem intelligi, quod nos Latinæ Ecclesiæ vsu Missarũ dicimus sacrificium. Eusebius Cæsarien. lib. 4. de vita Constantini A. cùm pompam atque cæremonias depinxisset, quibus ille suis à filiis in templum fuisset adductus sepulturæ mandandus, adiecit, Constantio vnà cum militari manu sacra æde digresso sacerdotes suo cum comitatu, vniuersóque religioso populo progressi, τά τε τῆς ἐνθέου λατρείας δι' εὐχῶν ἀνεπλήρουν, ea quæ diuini cultus atque sacrificij sunt adhibitis deprecationibus compleuêre. Quod paulò inferiùs, vbi dixisset populum vnà cum clero non sine lachrymis plurimóque comploratu preces Deo pro Augusti anima effudisse, ne quis ambigeret, quid sibi vellet exposuit: θεσμῶντε θείων καὶ μυστικῆς λειτουργίας ἀξιούμενον, καὶ κοινωνίας ὁσίων ἀπολαῦον εὐχῶν, Corpus ter beatæ animę Apostolorum nomine (quod in eorum sepeliebatur templo) fuit gloriosum, populóque pio comitatum, diuinísque cæremoniis, & Liturgia mystica, siue arcano illo sacrificio dignum habitum: ipsum deni-

Latria pro diuino sacrificio Missæ apud Theologos Græcos.

Erat Cõstãtinopoli ædes 12. Apostolorum nomini bus sacra, vbi sepultus Cõstantinus.

denique communione precum, quas sancti fundebant homines, fruebatur. Hoc in loco Eusebius quod superiùs dixerat, τὰ τῆς ὀρθῆς λατρείας διὰ τῆς μυστικῆς λειτουργίας, id est, latriam per liturgiam, cultum per sacrificium est interpretatus, vt manifestò agnoscas, Missæ sacrificium fuisse olim in Ecclesia Catholica adhibitũ, dum defunctis piè in Domino fratribus iusta soluebantur, & exequiæ peragerentur.

Latria idem aliquando quod Liturgia.

Quod olim ita apud Ecclesias omnes Orthodoxas in cõfesso, imò auito in more fuit, vt Aërius hac de causa damnatus fuerit hæreticus, quòd offerendũ pro mortuis negaret. Sic enim de ipso Epiphanius testatum reliquit, Cùm Aërius, inquit in Anacephaleosi, Episcopatũ Eustathij sede moti assequi nequiret, Arrhianismi numeris absolutus vltrà quoque sua affinxit dogmata, μὴ δεῖν προσφέρειν ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων, Non esse offerendum pro dormientibus. Id D. quoque Augustinus clarissimis annotauit verbis: Aërius inter cætera dogmata, inquit lib. de hæres. ad Quoduultdeum, ab ipso Arrhianismo addita non esse orandum, nec offerendam pro mortuis oblationẽ docebat. Suffragatur & Damascenus, Aërium negasse pro defunctis offerendũ. Quàm porrò isthoc ab Aërij dogmate absint longè aduersarij, viderit nunc lector candidus. Conqueritur Apologia Augustana, suam protestantium causam falsò cum veteribus (inquit) hæresibus à Catholicis comparari, vt illa collatione ipsos prægrauẽt. Verùm quàm id falsò Catholicis exprobret, hîc iudicet æquus bonus arbiter. Negãt se Aërio patrocinari. Verùm quî obsecro nõ patrocinantur Aërio, imò quî non sepultum eius reuocant ab orco errorem, qui ipsum ad verbum docent cum Aërio dogma, videlicet, non esse offerendam pro mortuis Missæ oblationem? Quod Aërium docuisse testantur omnibus Augustinus, Damascenus, & Epiphanius locis iamiam commemoratis. Idipsum & Protestantes sentire, ipsa Confessionis August. Apolog. docet, imò propugnat manifestiùs, quàm vt quis eius Lector sobrius queat ambigere.

Aerius olim hæreticus dãnatus quòd negaret offerendum pro mortuis.

Querela Apolog. Augusta. friuola & calũniatoria, quòd falsò cõparetur eorũ doctrina Aerianæ heresi.

Lutherani renouãt Aerij hæresim, & ad verbũ cum eo idem docent.

Cæterùm ex luculẽtissimis illis veterum Orthodoxæ Ecclesię Patrum testimoniis dudum cõmemoratis Solis

Toto orbe semper precibus p mortuis adhibitũ fuiſſe ſacrificium.

Per Orietē.

Oratione in dormientes.

In cōpendio doctrinæ Ecclesiæ Cath.

Per Meridiem.

Enchirid. cap. 110. & ad Dulc. q. 4. Ser. de verbis Apoſt. 32.

meridiana luce clariùs liquere arbitror omnibus verum videre volentibus, quàm ſit illa quorundam aduerſariorum in ſpeciem aliis argutiorum reſponſio futilis atque friuola, quòd in quibuſdam olim Eccleſiis Miſſæ ſacrificium precibus addebatur lugubribus, non item in omnibus. Si namque animum quiſ ad ſuperiora illa aurea Patrum teſtimonia aduerterit, agnoſcet perſpicuè, toto prorſus orbe Chriſtiano fuiſſe ſimul pro mortuis ſacrificatum. Si enim Orientem conſulas, ecquid pro defunctis ſoleat Catholica Chriſti agere Eccleſia? reſpondet tibi ex Alexandria D. ille magnus Athanaſius, incruentam illam Miſſæ hoſtiam precibus, & cereis, atque eleemoſynis additam mortuis fuiſſe ἐξιλασμὸν, propitiationem, ſacrificiúmque propitiatorium. Id ipſum ex Cypro tibi Epiphanius reſpondeat, non ſua modò pro inſula, ſed totius ſemel Orthodoxæ atq; Catholicæ Chriſti Eccleſiæ nomine, vnam illam Chriſti ſponſam nullo hæreſeos veneno infectam, pro mortuis, inquiens, præter deprecationes atque eleemoſynarum diſtributiones offerre quoq; pro mortuis latrias & liturgias, ſiue Miſſas pro eis peragere. Si ad meridiem te conuerteris, vt ex eo percontaris, ecquid ante 1200. annos Catholica iſthic pro mortuis egerit Eccleſia? en tibi Aurelius occurrit Auguſtinus, qui locis verè aureis adeò multis diſertiſſimè docet, Eccleſiam Africanam præter deprecationes & eleemoſynas ſaluberrimum altaris Deo Optimo pro defunctis offerre ſacrificium, vt eis ſit propitiatio, vtque cum eis miſericordiùs à Domino agatur, quàm eorum peccata meruerunt.

Per Septentrionem.

Vide epiſt. 9 lib. 2.

Quòd ſi quis eius de fide ambigat, en alter huiuſce rei adeſt teſtis multò locupletiſſimus, aureum illud eloquentiæ florulentæ fundens flumen Cyprianus, qui ſuis verbis non ſe modò, ſed vniuerſum Africanorum Epiſcoporũ cœtum profitetur diſertè ea fuiſſe fide, vt Miſſæ ſacrificiũ defunctis mirificè crediderint prodeſſe, adeò vt Victori illud poſt mortem iuſta de cauſa offerri vetuerit, neque pro eius dormitione orari. Si ad noſtrum Septentrionem oculos inflectas, non deerit quod huic ſuffragetur doctrinæ Catholicæ. Conſtantinopoli enim

quid in A. Constantini exequiis solenniter gestum sit, nuper Eusebius Cæsarien. graphicè depinxit, qui præter cōprecationes & lachrymas pro animæ illius salute fusas, addidit & latrias atque mysticas Liturgias, arcanáque Missarum sacrificia fuisse adhibita. Hîc si quid desideres, Chrysostomum Constantinop. Episcopum consulas licet, qui hanc Orthodoxæ Ecclesię doctrinam aureis suæ orationis eloquentiss. fluentis irrigabit. Si denique animum ad Occidētem circumferas, eandē agnosces ante annos 1200. fuisse Catholicæ Ecclesiæ doctrinam. Hanc rem abundè contestatam fecerit nobilissimū Ecclesiæ columen Ambrosius, qui orationibus suis funebribus Mediolanēsis Ecclesiæ priscum morem depingit expressiùs, quàm vt de sacrificio illic pro mortuis offerri solito queat dubitari: Nulla dies vos (Gratiane & Valentiniane) silētio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox nō donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos frequentabo oblationibus. Sic & pro Satyro fratre: Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commēdo animam, tibi hostiam meam offero, cape propitiùs ac serenus fraternum munus sacrificium sacerdotis.

Vide libr 4. de vita Cōstant.

Ad Philip. Hom. 3.

Per Occidētem.

In oratio. funebri super obitu Valētini Impera.

In oratio. funebri super obitu fratris.

Idipsum & de Ostiensi Ecclesia D. August. nobis contestatur, ibi ex more Catholicæ Ecclesiæ fuisse sua pro matre Monica tremendum oblatum altaris sacrificium. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus cùm offerretur, pro ea sacrificium precij nostri fleui. Liquet igitur multò esse verissimum, quòd illud Missæ siue altaris sacrificium non vna tantùm, aut altera Ecclesia olim habuerit pro delendis mortuorū peccatis propitiatorium atque expiatorium: sed ita ab Apostolis, ait Athanasius, & patribus traditum, ait Augustinus, vniuersam olim ante annos 1300. obseruasse Ecclesiam Catholicam.

Confess. lib. 9 cap. 12.

Per Italiam oblatū altaris sacrificiū pro mortuis ætate D. Augustini.

Postcaquàm nunc totius orbis, quaquâ versum latissimè patet consensu, atque liquidissimis omnium mundi partium testimoniis confirmatum sit, Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam ex Apostolorum doctrina, saluberrimum illud mediatoris nostri sacrificiū pro de-

Transitio ad illiberales Philippi Melāchthonis artes,

quibus Missæ sacrificiũ obfuscare conabatur in Apolog. Confess. Augusta.

functorum requie, atque maturanda tristis illorum exilij tormentis, atque peccatorum luendorum pœnis asperi mora: nunc superest, vt atras illas, quas suo congruenter nomini Melanchthon suo de choico homine clarissimis illis veterum Patrum sententiis denigrandis atque adulterãdis conabatur offundere, tenebras discutiamus, & illato quasi veritatis sole illustremus, quò vniuerso semel mundo fiat perspicuum, quanta homines isti, qui sese noui istius Euangelij iactitant propugnatores, vtantur sophistica ad veram Catholicæ Christi Ecclesiæ doctrinam adeò liquidùm nobis concordi Patrũ vetustiss. sententia contestatam corrumpendam atque adulterandam.

Philippus Melanchthõ qua arte conetur abolere Missæ pro mortuis sacrificium.

Liturgia Theologis propriè est aliquando sacrificium.

Quò Philipp. Melanchthon iuge illud Christianæ Ecclesiæ sacrificium vel defunctis adeò post mortẽ vtile aboleret efficaciùs, argumenta quædam à Catholicis hanc ad rem confirmandam allata miro conatur artificio dissoluere, in quo appareat, hominem magis grammatico insenuisse studio, quàm Theologiam vnquàm perspexisse, nedum perdidicisse. Suam igitur in Apologia Confess. August. contra Missæ pro mortuis sacrificium velitationem à Missæ aggreditur vocabulis, atque de Liturgia disserens, Ea vox (inquit) non propriè significat sacrificium, sed potiùs publicũ ministerium. Atqui Philippe non agitur quid hæc vox apud Ethnicos significarit, aut vnde eius fluat originatio, sed quísnam huius vocabuli apud Theologos vsus. Istud perridiculũ est, & homine apud Grammaticos decrepito dignũ, aliam non agnoscere vocis alia in disciplina significationẽ, quàm eius sonet etymon: quãquàm & ad sacra Dei ministeria hanc vocem vsurparint Ethnici, veluti quod apud Arist. alicubi legitur λειτουργίαι τῶν θεῶν, Deorum cultus & sacrificia. Rursus λείτουρα, sacrificula atque Sacerdos. Porrò apud Theologos sacrificij nomẽ esse, vel vnus D. Lucas nobis persuadeat meritò, qui Act. 13. ait: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων: Cùm illi Domino sacrificarent atque ieiunarent. Sic & apud veteres Theologos Liturgiam ex hoc Apostolorũ vsu ad sacrificium pertinere notius est illorũ lectoribus, quàm vt pluribus exé-

Liturgiæ Deorũ apud Arist.

Liturgia D. Lucæ est sacrificium.

plis ſit demonſtrandum: vti apud Dionyſ. Areopa. & in Can. Grecis, & Euſeb. Cæſarien. lib. 4. de vita Conſtant. loco dudum recitato. Hinc & Liturgia Chryſoſt. atque Baſilij dicta, ita vt Græcis videatur prorſus idem ſonare Liturgia, quod hodie Latinis Miſſa, totum videlicet illud miniſterium, quo in Dei cultũ ſacerdotes Chriſtiani in altari funguntur. Iam nonnihil nugatus de Miſſa, quòd ſit collationum atque ſymbolorum nomen, cùm merum ſit Latinum ab emittendo dictum, ad Græcæ Liturgiæ Canonem ſuis commentis adulterandum ſe accingit Philippus: quem vti multa dicere, ait, de oblatione: ita de corpore Domini propriè loqui negat, ſed de toto, inquit, cultu, de precibus & gratiarum actionibus. Quod vt demonſtret, ait: θυσίας ἀναιμάκτους, incruentas hoſtias vocari ipſas preces, ſicuti & paulò pòſt, ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην, καὶ ἀναίμακτον θυσίαν: Offerimus hunc rationalem, inquit, & incruentum cultum. Qui hoſce Græcanicæ Liturgię locos ſic cogitarit auulſos, facilè inducatur, vt verum credat quod aſtutè molitur aduerſarius. Verùm qui lectis Græcorũ ſcriptis animaduertit, quídnam illi hac ἀναίμακτος θυσία, incruenta hoſtia voce velint paſſim ſignificare, agnoſcet fraudem, fucúmque ingenio liberaliter inſtituto indigniſſimum, quem imperitis lectoribus facere ſtudet. Vbi enim locorum Philippe, ἡ ἀναίμακτος θυσία, hoſtia incruẽta preces ſignificare legiſti? Atqui hoc ipſo, inquiet, Græcanicæ Liturgię loco. Sed nos reſiſtimus. An propterea idem illæ voces, δεήσεις ἱκεσίας καὶ θυσίας ἀναιμάκτους, preces, ſupplicationes, & incruentas hoſtias ſignificent, quia tibi ita probatur? quia tibi ita interpretandum, ne dicam adulterandum videbatur? Tu quidem quia coniuncta vides, eodem res longè diuerſiſſimas detorques. Conſule alia & huius liturgiæ, & aliorum ſcriptorum loca, & agnoſces, ſi modò velis, incruentam hoſtiam nunquã ad preces, aut ſupplicationes pertinere, ſed ad ſalutarem illam mediatoris hoſtiam, quæ olim ab ipſo cruenta oblata, nunc per ipſum manu ſacerdotis offertur incruenta. Ad hanc enim rem diſcernendam Theologi Græci hanc doctiſſimè inuenerunt diſtinctiunculam,

Liturgia planè Græcis eſt quod Latinis Miſſa.

Fucus illiberalis à Philip. imperitis factus.

Hoſtia incruẽta ſemper à precibus diuerſa.

Incruēta hostia semper à precibus diuersum notat sacrificium.

Vide aureā partē apud Ioan. Damascenum.

quæ nunquàm aliò quàm ad sacrificium liturgiæ Christianæ Missæque Ecclesiasticæ pertinere agnoscitur. Sed hanc rem exemplis mihi illustrandam video. Diuus Athanasius aurea illa oratione, quam in dormientes, atque in Domino quiescentes scripsit, varia iuxta Catholicæ Ecclesiæ doctrinam populo suo ostendens auxilia, quibus fratribus isthac vita defunctis piè queant superstites succurrere, posteaquàm admonuisset, initiò Christum Deum inuocandum, atque tum ad sepulchrum cereos & oleum adferenda: Hæc enim Deo pergrata sunt, « & magnam ab eo referunt retributionem. τὸ γὰρ ἔλαιον « καὶ ὁ κηρὸς ὁλοκαύτωσις, ἡ δὲ γε ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός: Oleum enim & cerei Deo accensi, inquit, pro mortuis sunt holocaustum, sacrificiúmque igne absumendum: sed ipsa incruenta hostia est propitiatio atque sacrificiū propitiatorium.

Hostia incruēta defunctis est propitiatio.

Hostiā incruentā offerunt proprie noui test. sacerdotes.

Sic & Oecumenius illud ad Heb. 5 In æternum Pontifex secundum ordinem Melchisedech, interpretans, ostendit id in Christum verè competere, quòd sacerdotes noui (inquit) testamenti per eum creati, ἀναίμακτον προσοίσουσι θυσίαν, incruentam offerent hostiam, cùm ipse cruentam semel obtulerit. Idipsum & ex doctrina Concilij Ephesini liqueat, vbi dissertissimis exponitur verbis, quídnam τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, incruenti sacrificij nomine apud Patres sit accipiendum: Necessa-« riò & hoc, inquiunt Patres, adiicimus. Annunciantes e-« nim sicut secūdum carnem mortem vnigeniti filij Dei, « id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cælos « ascensionem pariter confitentes incruentam celebra-« mus in Ecclesiis sacrificij seruitutem: sic etiam ad my-« sticas benedictiones accedimus & sanctificamur, & quæ « seq. vbi vigilanter studiosis animaduertendum, à Synodo appellari tremendum altaris sacrificium ἀναίμακτον τῆς θυσίας λατρείαν, incruentam sacrificij seruitutem, quod alij eodem sensu dixêre ἀναίμακτον θυσίαν, incruentum sacrificium, sicuti & Latinæ Ecclesiæ canon doctissimè expressit, oblationem seruitutis vocans hoc ipsum diuinę latrię cultúsque diuini sacrificiū. Huc facit quod

Seruitus incruenta hostiæ, Canon Latinus oblatio seruitutis p Latria.

Theologus noster Gregorius Nazianzenus sacerdotibus scribit Constantinopolitanis:

ὦ θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες,

O sacrificia immolantes incruenta sacerdotes.

Quemadmodum igitur hisce Patrum locis hostia incruenta, ἀναίμακτος θυσία, longè diuersum est à precibus sacrificium: ita & in liturgia Græcanicæ Ecclesiæ ad Dominici corporis sacrificium à precibus diuersum pertinere existimandum est, quod ex ipsis circumstantiis liqueat. Hunc enim in modum orat sacerdos postquàm sacræ mensæ diuina dona sunt imposita: πρόσδεξαι καὶ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν τὴν δέησιν, καὶ πρόσαγε τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ ἱκάνωσον ἡμᾶς προσενέγκειν σοι δῶρά τε καὶ θυσίας πνευματικάς: Suscipe quoque & nostram peccatorum hominū deprecationem, tuúmq; ad altare admittere ne recuses. Insuper nos fac quæsumus idoneos, qui tibi dona & sacrificia spiritalia nostris pro peccatis offeramus. Rursus post consecrationē vbi Dominicæ passionis, resurrectionis, & ascēsionis memoriā recoluit sacerdos, ad cōsecrati corporis & sanguinis Dominici hostiā exclamās: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν, tua ex tuis tibi offerimus, addit ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν offerimus quoq; tibi hāc nō carnalē, sed mētis atq; spiritus, incruentámq; seruitutē atq; hostiam. Hinc liqueat, ἀναίμακτον θυσίαν ἢ λατρείαν, incruentam hostiam, siue cultum atq; seruitutem (nam eodèm recidit vtrumq; in mysteriis) non ad preces, à quibus disertè distinguit Chrysostomi liturgia: sed ad tremēdum illud mediatoris nostri pertinere sacrificium. Huc si locus ex D. Basilij liturgia conferatur, mirum quantum lucis clarissimæ ad dispellendas illas Melanchthonicas tenebras veritati obfuscādæ dolo malo magis quàm imperitia offusas accendatur. Sic igitur orat apud Basilium sacerdos, posteaquàm dona sacra sunt altari imposita, πρόσδεξαι ἡμᾶς προσεγγίζοντας τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους σου, ἵνα γενώμεθα ἄξιοι τοῦ προσφέρειν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων. καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων, ἣν προσδεξάμενος εἰς τὸ ἅγιον καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, Suscipe nos quæsumus Domine ad

Vide liturg. Chrysost. græcam Romæ excusam, folio 22.

Liturgiā græcam distinguere à precibus hostiam incruentam.

" ſacrum tuum altare accedentes pro multitudine miſeri-
" cordiæ tuæ, vt digni ſimus offerre tibi hanc non carnis,
" ſed mentis atque ſpiritus, incruentámque hoſtiam pro
" noſtris peccatis, & populi tui ignorantiis, quam vbi ad
" ſacrum tuum atque ſpirituale admiſeris altare in odo-
" rem ſuauitatis in eius vicem nobis tuam Spiritus ſancti gratiam mitte. Quis hîc ita ſit abſurdus, qui hoſtiam incruentam ad preces, & non ad corporis Dominici ſacrificium pertinere non videat? Quòd ſi quem mouet, hanc orationem ante conſecrationem fuiſſe adhibitam, is meminerit, eam ad tremendi ſacrificij oblationē eſſe præparatoriam, ideóque pari modo de ſacrificio illo tremendo ſacris illis ex donis pane & vino conficiendo loquitur, ac ſi nunc Dei verbo eſſet conſecratum.

Quod igitur Philippus ſcribit, λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, hunc rationalem & incruentum cultum ineptè illos exponere, qui rationalem hoſtiam malūt interpretari, & transferunt ad ipſum corpus Chriſti, plurimum à vero abeſt. Cùm enim latria Grecis ad diuinum pertineat cultum, cuius pars multò in primis maxima eſt ſaluberrimum illud mdiatoris ſacrificium Deo patri incruentè oblatum, ineptum eſſe nequit, ſi genus per ſpeciem declaretur. Imò latriam in myſteriis ſacrificium ſignificare, dudum ex Euſeb. Cæſarien. libr. 4. de vita Cōſtant. demonſtrauimus, qui cùm dixiſſet, preces & latrias in Conſtantini A. exequiis ſacerdotes compleuiſſe, inferiùs per liturgiam expoſuit (quod vel teſte Diuo Luca Act. 13. ſacrificium Theologis ſonat) corpus Auguſti prædicans dignum habitum ſacris illis funeralibus cæremoniis, & myſtica liturgia ſiue arcano illo piis omnibus notiſſimo ſacrificio, atq; precibus à piis illic Deo cum lachrymis pro eius anima fuſis. Sic & Epiphanius latriam pro ſacrificio altaris accepit, eam liquidò à precibus & reliquo Dei cultu diſtinguens: Pro mortuis, inquit, in Catholica Dei Eccleſia & nominatim defunctos recitant, προσευχὰς τελοῦντες καὶ λατρείας καὶ οἰκονομίας, deprecationes & ſacrificia, ſiue diuinæ ſeruitutis oblationes atque eleemoſynarum peragunt diſtributionem. Liquet igitur, latriam aptiſſimè ſuo loco, quando de

Latria diuini eſt cultus vox.

Latria & liturgia Theologis pro diuino Miſſæ ſacrificio.

Latria diſtincta à precibus.

Vide Epiph. in compēdio doctrinæ catholicæ.

Christiani sacrificij mysteris agitur, per sacrificium, hostiam, & vti canon Latinæ Missæ, per oblationem seruitutis interpretari. Sed illud plus fuci habet fraudulentioris, quòd superioribus allinebat, & λογικὴ λατρεία à Paulo dicta sit contra opus operatum, videlicet de cultu mentis, de timore, de fide, de inuocatione, de gratiarum actione, &c. Vt tibi in præsens demus Philippe, latriam logicen siue rationalem de mentis cultu, aliisque à Paulo esse dictam, an idcirco eadem vox diuinum mentis cultum, qui per gratissimum Deo sacrificium exhibetur, significare negetur? Quod cùm clarissimis Græcorum scriptorum exemplis sit demonstratum, latriam puta sacrificium significare, vel teste D. Luca, nolumus ea in re esse fusiores: maximè cũ Græcus Canon se ipse luculẽter adeò exponat, logicen latriã mẽtis cultũ precibus disertè opponẽs, & quid iis nominib⁹ intelligat interpretãs, videlicet ἀναίμακτον θυσίαν, incruentã illam mediatoris nostri hostiam: quam vocem nunquàm ad preces pertinere, vti imperitè, sed fraudulẽtiùs comminiscitur Philippus, verùm semper à Theologis Græcis deprecationibus opponi, dudum est demonstratum. Quod igitur ex Paulo vult efficere Philippus, perinde est sophisticum, atque si quis nugaretur, Paulus Liturgiam ad prophanum dicit pertinere ministerium Rom. 13. non igitur ad diuinum pertinet cultum & sacrificium: quod superiùs exemplis tum sacris, tum prophanis refutauimus.

Alius fucus Melanchth. fraudulẽtus.

Ridicula Philippi collectio planéque Sophistica.

Ostenso nunc, non aduersari saluberrimo pro mortuis sacrificio voces illas, liturgia, Missa, rationalis cultus, iam ad reliqua eiusdem Apologiæ Confessionis Augustanæ argumenta dissoluenda accingamur. Quòd verò defendunt aduersarij nostri, inquit, applicationem cæremoniæ pro liberandis animabus defunctorum, qua ex re quæstum infinitum faciunt, nulla habent testimonia, nullum mandatum ex scripturis. Oblationem tremendi illius vel angelis sacrificij incruenti valere & defunctorum animabus liberandis, superiùs liquidò est clarissimis vetustissimorum Patrum testimoniis demonstratum. Porrò quod de mandato ex Scripturis ait, nullum nobis hac de re esse, nos quidem vniuersa cum veterum

Refutatio Apologiæ conf. Aug.

Vide superiùs, ca. 51.

Theologorum ſchola pernegamus. Illa enim Chriſti Domini verba, Hoc facite in mei commemorationem, hac de re habent mandatum, ſi modò fidem hac in cauſa merentur, Diuus Cyprianus, Irenæus, Auguſtinus,, Ambroſius Chryſoſtomus, Theodoretus, Euſebius Cæſarienſis, & alij Catholicæ Eccleſiæ Patres, qui nobis illud diſertè conteſtantur, quemadmodum videre eſt capite quadrageſimo ſexto huius libri, vbi eorum concordibus oſtenditur ſententiis; Chriſtum illis verbis, Hoc facite, nouum nouæ legis inſtituiſſe atque mandaſſe ſacrificium, vt ipſi facerent, hoc eſt, ait Cyprianus, & alij illi offerrent quod ipſe primus Deo patri obtulerat, ſuum videlicet corpus & ſanguinem. Porrò ſi illud offerri præcepit Chriſtus, cùm modum nullum præſcripſerit, rectè atque verbo Dei congruenter Catholica Chriſti Eccleſia Spiritu ſancto erudita atque ab Apoſtolis inſtituta generaliter accipit, vt ſibi in omnẽ liceat ſuorum filiorum vſum Deo offerre, quem rei neceſſitas, aut opportunitas poſtularet: hinc & abs ſui vſque incunabulis pro defunctorum requie atque reatuum remiſſione offerre didicit, ſi Diuus Athanaſius, Diuus Chryſoſtomus, Diuus Auguſtinus, & alij priſci Theologi dudum commemorati hac de re item vetuſtiſſima ſuum fidei, quem merentur, queant tueri locum. Cæterùm quę porrò philoſophatur, non eſſe leue peccatum, tales cultus ſine mandato Dei, ſine exemplo Scripturæ in Eccleſia inſtituere, & cœnam Domini inſtitutam ad recordationem & prędicationem inter viuos transferre ad mortuos, hoc eſſe abuti nomine Dei contra ſecundum præceptum, maiorem ne habeant imperitiam, an illiberalem impudentiam, non fuerit dictu facile.

Mandatum de offerendo eſt in verbis Chriſti, hoc facite.

Chriſti mandatum generale varios in vſus filiorum Dei valet,

Si enim Theologos illos nuper hac de re nobis ſuffragantes recitatos, Philippe, tibi tua per grammatica ſtudia legere licuiſſet, non iſthanc blaſphemiæ notam Catholicæ Chriſti Eccleſiæ imperitus inurere conareris. Iam quid eſt impudentius, quàm Dei Eccleſiam, quæ firmamentum atque columna eſt veritatis, grauiſſimi illius accuſare ſceleris, cuius ne minima quidem

Si Philippus veteres legiſſet Theologos non ita falſò criminaretur Catholicos.

ex parte rea conuincatur? Quàm enim à verò sint longè alienissima, quæ criminatur Philippus, ex iis quæ ad argumenta Confessionis Augustanæ dudum respondimus liqueat. Veluti quod ait, Catholicos sentire cæremoniam Missæ ex opere operato sine fide esse sacrificiũ reconcilians Deo, & satisfaciens pro peccatis. Quid doctrinæ Catholicæ doctus hîc vanissima homunculi non stupeat figmenta? Quis pro dignitate istam non deploret mentiendi libidinem, tanta cũ Ecclesiæ Christi spõsæ dilectissimæ blasphemia coniunctam? Vbi enim locorum docetur Philippe, aut quis omnium Theologorum, ne scholasticos quidem vestrum ludibrium excipio, scriptum reliquit, Missam sine fide esse sacrificium reconcilians Deum, & satisfaciens pro peccatis? Hæc blasphema sanè Philippe nusquàm apud Catholicos aut legisti, aut audisti: sed tuo pectori iuuenili gloriæ studio contra tuam matrem tibi non satis, ô miser, cognitam Ecclesiam Catholicam temerè atq; stolidè inflammato tuus pseudohelias Lutherus tua, vereor, quod omen supplex Deum obsecro Christus auertat, æterna cum pernicie instillauit.

Falsa crimina Catholicis affingit Philippus nusquàm aut lecta, aut docta, sed sibi à Luthero persuasa.

Sed quod attexuit horribiliorum habet blasphemiam non minùs falsò, quàm superiora, vti & maior Confessionis atque Apologiæ pars, Catholicis affictam: Horribilis, inquit, oratio est, tantundem tribuere operi sacerdotis, quantum morti Christi. Atqui Philippe, vbi ea apud Catholicos sonat? an eorum in concionibus, an scriptis potiùs? Verùm isthæc blasphemia de reliquarum est numero, quas tua pro fide bona Theologica, imò Græca, Catholicis affingis illiberalissimè.

Cõfess. Aug. cum Apolo. vanissimis in Catholicos scatent mendaciis.

An quia Catholici docemus, in Missa idem offerri sacrificium, quod in cruce obtulit Christus, ideò ne tantundem vtriusque oblationi tribuimus? An quia Missam dicimus valere defunctis ad peccatorum remissionem, ideò ne tantundem valere dicimus opus sacerdotis, quantum mors Christi? Absit Philippe, absit. Nemo tam est insanus, qui has inter res, quod ad efficaciam

Etsi idem in Missa offertur, quod in cruce, non tamen idem vtriusque oblationis effectus.

sacrificij attinet, vllam faciat comparationem, nedum statuat æqualitatem.

Immensum discrimen sacrificij Missæ & sacrificij Christi in cruce.

Christi hostia, & morte omnia semel sunt abolita omnium, atque adeò totius mundi peccata: sed quotidiano Missæ sacrificio, ceu riuulo illinc deriuato, vni aut alteri precatoriè impetramus non culparum, sed pœnarum remissionem, reatuúmque indulgentiam: quæ adeò non est magna, vt cum illo immenso mortis Christi beneficio componi queat, vt sancti Patres doceant, mortuos aliquid verè adiuuari oblationibus, vti Augustinus epistola sexagesimaquarta. Cęterùm quia omittit studio argumenta de Purgatorio, quæ simulat Catholicis esse nulla, quum illud & liquidissimis demonstretur scripturis canonicis, & indubitatis Apostolorum atque Orthodoxorum Patrũ suffragiis, nos quoque illud prætereuntes cum Philippo ad causam redeamus: Cùm Missa, inquit, non sit satisfactio nec pro pœna, nec pro culpa ex opere operato sine fide, sequitur, applicationẽ pro mortuis inutilem esse. Missam esse satisfactionem Philippe Catholici non docemus: sed in Missa offerri illud incruentum mediatoris nostri sacrificium, quod ita est & Deo Opt. gratum, & defunctis salutare, ait Augustinus, vt propter illud cum eis agat misericordiùs, quàm eorum meruêre peccata.

Alia Philippi argumenta cõtra Missæ sacrificiũ.

Aug. Ser. 32. de verb. Apo.

Iam quæ hîc reuoluis, & ad fastidium vsque, falsò Catholicis affingis, ex opere operato, sine fide, solitam totúmque per opus vtrumque sparsam tuam Philippe resipiunt vanitatem illiberalissimam, atque impudentissimam. Sed congerendis in Catholicam Christi Ecclesiam mendaciis fatigatus, negat opus esse longiore disputatione. Quòd si quãdo opus erit, prolixiùs, inquit, de tota re dicemus. Quid enim nunc rixemur cum aduersariis, qui neque quid sacrificium, neque quid Sacramentum, neque quid remissio peccatorum, neque quid sit fides, intelligunt. O Thrasonicam iactantiam isthoc grãmaticulo dignissimam: quod hominum genus vt de omnibus sibi disciplinis censuram arrogat superbissimè, ita suam extra arenam, imò puerorum puluerem, se gerit omnium imperitissimè. Sed bona verba quæso Philippe.

Philip. suo iudicio victor aduersariis omnem abrogat Theologiæ cognitionem.

Superbissimum & arrogantissimũ Grãmaticulorum genus.

Quî tanto ſupercilio omnibus Catholicis vna tua pluſquàm Ariſtarchica ſententia cenſere audes tantarum rerum, quas ſe profitentur tanto cum ætatis & ſtudiorum detrimento tot per annos didiciſſe, ſcientiam nondum percepiſſe? an eos omnes vt tibi, ita omnibus quoq; perſuaſeris eſſe caudices, bliteos, ſtipites, tuáque ex Saxonia Bardos & Barbaros? Non ita ſunt, mihi crede, Philippe, ingenio aut infelici aut tardo, quin iſta meliùs teneant, atque adeò calleant, quàm tu vllam tuarum tot arreptarum profeſſionum diffinitiunculam. Sed vt verum dixiſſe videaris, tibi donabimus, eos illa intelligere minimè: verùm vti tu nouo iſto ex Euangelio Catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſemper ignoto, imò damnato & hæreſeos notato, illa improbè intelligis: quia hanc falſi nominis ſcientiam tibi, tuóque Luthero cum cæteris damnatiſſimis hæreticis perlibenter, imò perdolenter, quod vobis exitij cauſa eſt, concedimus, eam nullo non deſiderio in æternum percupidè ignoraturi.

Bardi olim Saxonũ gẽs, vnde & Lõgobardi, & Baarduuic. Vide Helmoldum hiſtoricum.

Poſt fœdiſſimam illam inſcitiæ notam Catholicis adeò illiberaliter inuſtam redit Philippus ad Canonem Græcum iteratò adulterinis ſuis commentis, vaniſsimíſque figmentis vexandum. Cùm enim conſcientia ſtimulante agnoſceret, ſe paulò ſuperiùs indignis modis canonis Græcanicæ Eccleſiæ tractaſſe verba, nunc vltrò concedit aut imprudens, aut, quod equidem verum opinor, conſcientia vero victa flagellãte, atque ad veri profeſsionem vrgente, Græcos in ſuo Canone loqui etiam de oblatione corporis & ſanguinis Domini, ſed non ſola, verùm etiam de reliquis Miſſæ partibus, orationibus & gratiarum actionibus. Qua in re cùm iam non conueniamus, in Miſſa videlicet eſſe præter orationes & gratiarum actiones etiam Dominici corporis oblationem, ſiue incruentum mediatoris ſacrificium,upereſt vt de illo diſpiciamus, quod attexuit, Nec Græcus canon applicat oblationem tanquàm ſatisfactionem pro mortuis, quia applicat eam pariter beatis omnibus, Patriarchis, Apoſtolis, &c. Qui canonem Græcum vel à limine ſalutarit, demirari ſatis nequeat Philippi aut temerariã inſcitiam, aut fraudulentam ſcientiam. Negat ille cano-

Ad Canonẽ liturgiæ Græcæ redit Philippus adulterandum.

Concedit hic Philippus quod dudum inficiabatur.

Philippi aut ſciẽtia frau-

dulenta, aut inscitia temeraria

nem Græcum applicare oblatiónem tanquàm satisfactionem pro mortuis: sed tu eius verba appēde. Post memoriam beatorum omnium & superstitum à consecratione habitam, tandem & mortuorum sacerdos meminit, pro iis se eandem illam hostiam offerre commemorans, quam dudum pro illis & beatis & viuis offerebat, ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου ὁ δεῖνος. Pro requie, inquit, & remissione animæ serui tui N. & N. in loco illustri, vnde fugit tristitia & dolor, fac eos Domine quiescere. Si illud corporis Domini sacrificiū applicat sua prece, quod ait Philippus, beatis omnibus, certè & defunctis hac perpetua sua precatione applicat, quia sicut dicit, Offerimus tibi hanc spiritualem seruitutem atque oblationem, ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυομένων προπατέρων, pro iis qui in fide quiescunt, maioribus, Patribus, Patriarchis, Apostolis, &c. sic attexit eadem oratione, ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου, pro requie atque remissione animæ serui tui.

Græci applicant hostiam Missæ pro mortuorū peccatis.

Eandem hostiam Græci applicāt beatis & mortuis peccatoribus.

Sic & in canone Basilianæ Liturgiæ, vbi pro superstitum salute, auxilio, atque peccatorum remissione N. & N. orarit, addit Sacerdos, ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου ὁ δεῖνος. Pro requie & remissione animæ famuli tui N. & N. Cùm igitur Canō vterq; idem Missæ, siue Liturgiæ sacrificium pari ratione, licet non eadem, quod mox explanabitur, applicet & viuis & mortuis in remissionem peccatorum, vti liquidò ipsis Canonum verbis est demonstratum, non fuerit iudicatu difficile, quàm à vero absit longissimè, quod superioribus suis affinxit Philippus, Apparet igitur Græcos (inquit) tanquàm gratiarum actionem offerre, non applicare tanquàm satisfactionem pro pœnis.

Imò Philippe, qui canonis Græci verba accuratiùs habet perspecta, videt perspicuè, hanc Liturgię hostiam, sacrificiúmque corporis Dominici incruentum Græcos obtulisse, & tanquàm gratiarum actionem pro sanctis Apostolis, &c. & tanquàm ἐξιλασμὸν propitiationē, vti cum D. Athanasio & Augustino loquamur, pro viuis & mortuis: quod nullo negotio assequetur, qui modò illa canonicis Græci considerarit attentus verba, quibus

Græci veteres Catholici verè offerebant corpus Domi-

sacerdos se eandem illam Missæ hostiam dicit offerre pro remissione peccatorum tam defunctorum quàm viuorum. Inde liqueat etiam, quàm sit vanum, quod in huius hallucinationis firmamentum sibi sumit Philippus: Nam post consecrationem, ait, precantur vt sumentibus prosit, non loquuntur de aliis. Quod & de aliis loquantur sacerdotes, & pro aliis orent, ex ipsis à Philippo verbis recitatis liquet: quia pro Apostolis & aliis, inquit, beatis offerunt in gratiarum actionem. Orant igitur Græci vt sumentibus prosit, sed tanquam Sacramentum & sacrificium. Porrò vt defunctis & viuis prosit ad peccatorum remissionem, disertè quoque orant tanquàm sacrificium propitiatorium: Apostolis verò tanquàm sacrificium Eucharisticum & gratiarum actionis: quemadmodum & Diuus Cyprianus testatur, pro martyribus annua se offerre sacrificia, non propitiatoria, cùm iniuriam faciat martyri, qui pro martyre orat: sed gratiarum actionis. Nihilo tamen minùs idem Cyprianus se pro defunctis propitiatorium agnoscit offerre sacrificium vnà cum tota Africana Ecclesia, Epistola 9. lib. 1. quando inhibet, pro Victore Furnensi oblationes Deo pro eius requie immolandas.

» nicum pro » mortuorũ » peccatis & delendis. &

Corpus Domini est & Sacramentũ, & sacrificiũ tã propitiatoriũ quàm Eucharisticũ.

Sic & Cypr. Missæ oblatione offerebat pro Martyrũ gloria & defũctorũ peccatis remittẽdis

Iam nostrorum castrorum principia oppugnare aggreditur Melanchthon, sed ea suis Melãchthonicis magis inumbrat nebulis, quàm validis atque Philippicis exagitat incursionibus. Quod verò allegant Patres, inquit, aduersarij de oblatione pro mortuis, scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, sed applicationem cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato improbamus. Quod hîc ait Philippus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quã nos, inquit, non prohibemus, candidum lectorem nonnullo recreet fortè gaudio, quòd Protestantes videantur nunc orationes pro mortuis adiuuandis, quod verba sonant, admittere, ideóque & purgatorium nobiscum retinere: quod etsi Lutherus in mortem vsque & credidit & docuit, tamen de Philippo nunc Lutherizante, nunc Zvuinglianizante, nunc nescio quem ardelionem agente, an illud credat vt dubitem equidem, multa mihi sunt argumẽto.

Ad Patres conatur respõdere Philippus.

Verbis Lutherani quidam Purgatorium retinent.

Sic Luthe. in capitib. fidei sub mortem editis.

Verùm quod ad locum præsentem attinet, equidem non arbitror eum admittere animas nostris superstitum precibus adiuuari posse, quanquàm ita Patres disertè loquantur: sed eum callidè Lectorem naso suspendere, & de oratione illa loqui, quæ in honorem fit beatorum, sicuti admisit superiùs, Eucharistiam esse sacrificium pro Apostolis, &c. gratiarum actionis. Quia igitur verbis videbatur nobiscum sentire, suum spargit callidè venenũ, Sed applicationem cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato improbamus. Verùm eam Catholica Christi Ecclesia probat, atque demonstrat adeò, hunc sacrificij noui testamenti ritum Apostolis, à quibus & ipsa accepit, à Christo Domino esse mandatum, vti anteà liquidis Patrum vetustissimorum testimoniis ostendimus. Proinde quod attexuit, Nec patrocinantur aduersariis veteres de opere operato, quantum habeat vanitatis, ex superioribus liqueat. Eo ipso enim quòd opus sacrificij illius incruenti pro piè in Domino defunctis peragitur, quòd hostiam illam cruentam rememorãdo pro defunctis Deo patri altaris hostia immolatur, efficitur, ait August. Serm. 32. de verbis Apost. vt misericordiùs cum eis agat, quàm eorum meruerunt peccata.

Mortuis applicari oblationẽ Missæ à veteribus.

Sic & Athanasius hostiam hanc incruentã pro mortuis oblatam prædicat esse apud Deum ἐξιλασμὸν, propitiationem, vti Augustinus Enchir. cap. 110. & ad Dulcit. quæst. 4. Basilius quoque & Chrysosto. sua in Liturgia hanc altaris hostiam orant suscipi pro defunctorũ peccatis. Non igitur, vt Philippus existimat, hanc doctrinã Ecclesia Christi Catholica Gregorij, aut recentiorum testimoniis statuit, atque defendit: sed Apostolicorum illorum scriptorum, qui ante annos ampliùs mille floruêre: quorum catalogum suprà videre est. Quod autem addit, Nos opponimus clarissimas & certissimas scripturas, ex superioribus falsitatis conuincatur, vbi cap. 51. argumenta Confess. Augustanæ ostẽdimus, nihil nisi Melanchthonicos habere fumos ad perspicuam Catholicæ doctrinæ veritatem obscurandam, nullo nixa esse aut scripturarum fundamento, aut veterum PP. suffragio. Verùm quia se veterum Patrum testimoniis iugulandum præsen-

Philippus Patrũ testimonijs cõuictus, ait eos fuisse homi-

dum præsentiſcit, vide mihi Christiane Lector, ecquod in eos præstruat machinamentum, quo fretus omnem eorum authoritatem ſe exiſtimat eleuare: Et patrum, inquit magna diſſimilitudo eſt, homines enim erant,& labi ac decipi poterant.

nes ac decipi potuiſſe.

Quod Epicurus ille egregius philoſophus ſine arte, ſine literis, ac in omnes inſultans ad omnem funditùs tollendam & philoſophiam & religionem agebat, idem iſte ex Grammatico Theologus ad vexandam, affligendámque veram Theologiam, quò ſuam falſi nominis ſtatuat ſcientiam, molitur. Ille nullo ſe vſum magiſtro, niſi vno fortè Nauſiphane, à quo didiciſſet nihil, aut altero Democrito, quem ingratus ſequi noluit, gloriabatur, omniáque per ſe ſuo didiciſſe ingenio. Adhæc optimos quoſque Philoſophos, Ariſtotelem,& alios, qui aliis eſſet in pretio, contumelioſiſſimè vexabat, Timocratem totis voluminibus concidebat, vt nouis ſuis placitis ad radicitùs ex hominum animis religionem extrahendam aliquem apud imperitos pararet locum. Sic qui Epicuri illius Saxonici ſunt de grege porci omnem reſpuentes meliori ex parte doctrinam Eccleſiaſticam, non Philoſophorum placitis, ſed Apoſtolorum traditionibus ortam: non hominum applauſu, ſed diuinis teſtimoniis, miraculis, Martyrùmque ſanguine totum per orbẽ confirmatam, nouum ſe Theologiæ genus tandem reperiſſe, atque ipſiſſimam Euangelij veritatem quaſi è Democriti puteo eruiſſe iactitant. Cui, quia nouam ſibi conſciunt, vt fidem atque authoritatem concilient, quam veteribus Theologis totíque veteri Orthodoxæ Eccleſiæ aduerſari intelligant, omnibus, quibus ſua humana pro aſtutia poſſunt modis illorum ſtudent & authoritatem vetuſtate corroboratam eleuare, & eruditionis ſolidæ opinionem veritate nixam extenuare. Quod quanta cum immortali ſui nominis (ſi modò eis cõtingat, quod aliis hæreticis eius proauis orco demerſis negatum eſt) infamia fecerit turpiſſimè Philip. Melanchthon in ſua quam inſcripſit Eccleſia, alibi oſtẽdere cœpimus, & ſuo aliquando loco, ſi Deus Opt. vitam otiúmque auxerit, demonſtrabitur fuſiùs atque copioſiùs.

Vide Cicero. de Nat. Deo. lib.1.& 2.

Epicurũ imitãtur Lutherani in tollẽda funditùs Theologia, dũ patribus ſuam derogant authoritatem.

Philippus Melancht. ſemper infamis propter ſuam de patribus ſua in Eccleſia ſtolidiſſimam cenſuram.

Quod ad hunc igitur locum attinet, videat quæso Lector Christianus, quàm Philippus se armis tueatur Christiano homine indignissimis. Rem antiquissimam, quæ liquidiùs ex Patrum testimoniis, quàm ex Scripturarum sententiis, etsi certis, non tamen omnibus adeò manifestis, queat definiri oppugnãs, cùm sibi Patres sentiret disertè refragantes obnixéque reluctantes, callidissimo cuniculo grauissimum authoritatis eorũ apud pios omnes pondus conatur eleuare: Patrum magna (inquit) est dissimilitudo. Quid Philippe? An Patres hoc de fidei capite dissentiant? An non veteres PP. ad vnum omnes, oblata sibi huius rei occasione ex professo docent, orandum offerédúmq; pro mortuis? aut saltẽ ita sua factitatũ ætate per Ecclesiã cõtestantur? Profer vnum, vnũ, inquã, profer Philippe, causam viceris, qui pro mortuis neget offerendum? Hîc sanè tota ex antiquitate nullũ omninò adduxeris, nisi vnum fortè Aërium vestrũ auum: qui hac eadem qua vos causa à Catholicis dãnatus semper habitus est hæreticus. Porrò quod illi improbo, vano, fraudulentóque dicto assuit, plus habet in Patres veteres & contumeliæ acerbioris, & atrocioris blasphemiæ: Homines erant, inquit, & labi ac decipi poterant. O te felicem Philippe, quòd isthoc hominum genere, quod & labi ac decipi potest, non contineâre. An te non dispudet homuncule arrogantissime, ita te tui præ philantia oblitum, vt Patres sanctiss. virósque doctiss. hoc de fidei capite adeò consentaneè, adeò concorditer, adeò vno planè ore, verbísque eisdem eandem docentes Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, & lapsus, & deceptionis insimulare audeas? Homines se fuisse & ipsi ingenuè agnoscunt, & dolenter plerique omnes conqueruntur: Se labi ac decipi potuisse ipsi profitentur disertè. Verùm vbi in statuẽsto Ecclesiæ Christi Catholicæ dogmate ita cõcorditer ad vnum omnes consentiunt, ita idẽ omnes conspirant, ita in eandem denique Ecclesiasticæ doctrinæ quasi cõceptis verbis coniurant formulam, hîc eos lapsus incusare, hîc eos deceptionis insimulare, omnem, Philippe, superat longissimè vel Thrasonicam improbitatem, ne dicam stolidissimam fatuitatem.

Veteres PP. concorditer vno ore statuere purgatorium.

Stoliditas rhetoricantis Melãchtho.

Ad hæc respondeant, si possint Melanchthonis studiosi.

Si enim Philippe hîc in concordi adeò vetustissimorum ad vnum omnium Patrum hoc in fidei capite, quòd pro mortuis orandum atque offerendum est, consensu vllam aut lapsus, aut erroris suspicionem admittamus vel leuissimam, nescis miser quò & nos, & vos adeò ipsos adigas imprudens angustiarum? Quod enim fidei tuæ (si quam modò habes) dabis dogma, quod non Seruetus aliquis, aut Svvencfeldius, aut alius isto de ardelionum nouas quotidiè Fides, quò suum illum dissensionis Spiritum diabolum piis electísque Dei filiis magis prodant, somniantium grege quispiam isthoc labefactet, adeóque subuertat argumento? Si de S. Trinitatis personis tribus, exempli causa, experiri cum Seruetiano quopiã cogites, vide mihi, ecquid tibi aliud Philippe in hoc fidei capite subuertendo, quàm tu illic nobis moliatur? Promes Scripturarum capitula, sic & nos: sed tuis non parum illustriora. Ea ille aut aliò detorquebit, vti vos nostra: aut negabit esse Canonica, vt & vos nostra. Quid hîc illi facias miser? an illi victus herbam porrigas? Non, credo equidem, non. Quid tibi ad victoriam igitur Philippe superest præsidij? an aliud vllum, quàm vt conferta acie patres in ordinem collocatos in hostem producas profligandum? Certè quicquid aliud quæsieris isto in belli periculo, tibi sanè ad victoriam fuerit infidum, prorsúsq; ficulneum. Ecclesiæ namque authoritatem, vti & vos, sed nonnihil, apparet, protervius respuet, atq; delirantis præ senio tanquàm aniculę aspernabitur. Illas igitur veterum Patrum cateruas copiosiùs etiam, quàm nostræ sunt, demus, ꝓ purgatorio instructas: imò si voles quadrata acie in hostem eductas, quibus ceu colophonęo, quod dicebatur, præsidio indubiam tibi polliceris victoriam, an nõ tuo isthoc cuniculo quasi ex insidiis paulatim intercipiat, ac procedente sensim agmine vnum post alterum tuo isthoc iugulet gladio? Basilium enim tua isthac arcebit machina, homo es, ô Magne, labi ac decipi hoc in dogmate potuisti. Nazianzenũ tuis tibi illic capiet verbis, homo es, labi ac decipi potuisti. Hilariũ tuis tibi intercipiat vocibus, homo es Hilari, labi ac decipi hoc in dogmate potuisti. Tuos deniq; ad vnũ oẽs,

Quàm innualidetur Catholicæ Eccles. doctrina ex eleuata veterum PP. illi consentientium authoritate, quòd fuerint homines.

quos cateruatim in aciem eduxisti Patres, vtvt multos, vtvt consentientes, vtvt eisdem planè verbis hoc de fidei capite conspirantes tua illa vna parricidali iugulabitur sica, Homines estis, fidem hîc vobis ab vnum omnibus abrogo, vestris hominum sententiis meam hîc nolo cõstringi fidem, quòd homines estis, quòd labi ac decipi potuistis. Viden' tandem Philippe, ecquò angustiarum te ipse adegeris miser, dum Patribus aliquo de fidei capite consentientibus arroganti illa, ne dicam Sathanica voce authoritatem tot iam seculis, imò veritate potiùs ipsa corroboratam audes eleuare, atque, si fieri posset, abrogare? Hæc Philippe iterum atque iterum ruminata mihi, aliísque spero, Catholicæ Christi Ecclesiæ filiis venerandam Patrum vetustiss. aliquo in fidei capite concorditer cum illius doctrina consentientium authoritatem tuentur, atque in sempiternum, Deo benè fauẽte, conseruabunt illibatam atque inuiolatam: quod & tibi tuísque nos à Christo vt contingat vel tandem, antequàm pœnitẽtiæ hora effluat, supplicare non desinimus vnquàm, vt hoc quasi cathartico catapotio ab errorum pituita nonnihil repurgati aptiores sitis ad sanam Catholicæ Christi Ecclesiæ doctrinam scripturis nixam, liquidissimísque Patrum vetustiss. testimoniis corroboratam, sana mente recipiendam.

Quantũ adferant momẽti veterum Patrum suffragia cum doctrina Ecclesiæ scripturis nixa conscientia.

Illiberale Apologiæ Augusta. mendacium.

Illud porrò emblema, quod suo inseruit operi, maximam redolet aut inscitiam aut fraudulentiam prorsus illiberalem: Falsò etiam citant, inquit, aduersarij contra nos damnationem Aërij, quem dicunt propterea damnatum esse, quòd negauerit in Missa oblationem fieri pro viuis & mortuis. Istud mendacium reliquis est annumerandum, quibus passim scatet cùm Confessio August. tum Apologia: Falsò, ait, nos citare aduersus ipsos Aërij damnationem. Os impudens, an non cùm Aërio hac in parte prorsus conuenitis, non esse offerendum pro mortuorum peccatis? Istud de Aërio liquet manifestiùs ex August. Damasce. & Epiphanio superiùs recitatis, quàm vt sit rememorandum. Porrò si vos idem istud vos docere audetis inficiari, vestris vos iugulabimus gladiis ex Confessione Augustana, Apologia,

Vide supr. cap. 53.

aliísque locis petendis. Cùm enim tantoperè contendatis, Missæ sacrificium non esse propitiatorium pro delendis peccatis viuorum aut mortuorum, quâ obsecro fronte audetis negare vos idem Aërio sentire? Hic enim disertè docuit, vti testatur Epiphanius, post mortem non prodesse sacrificia pro mortuis oblata, sed hac in vita curandum esse, vt rectà in cælos euolemus. Quod igitur Philippe calumniaris, falsò nos vobis obiicere Aërij damnationem, viderit æquus rerum arbiter, quanta in te hæreat aut inscitia, aut fraudulentia plusquàm illiberalis.

Falsum Aërio affingit Philippus, vti et Catholicis falsum ascribit.

Rursus & illud vanitatis Melanchthonicæ puluere est defœdatum, quòd negauerit Aërius in Missa oblationem fieri pro viuis & mortuis. Quis obsecro Philippe istud vnquàm de Aërio aut scripsit, aut sensit? D. Epiphanius disertè annotat, μὴ δεῖν, φησὶ, προσφέρειν περὶ τῶν κεκοιμημένων, Non esse offerendum, inquiebat Aërius, pro dormientibus. Sic & Diuus Augustinus ad Quoduultdeum, Aërius non esse orandum, nec offerendam pro mortuis oblationem, docebat. Suffragatur & Damascenus in hæresibus, Aërium negasse pro mortuis offerendum. Non igitur Philippe Aërius vester negauit in Missa oblationem fieri pro viuis & defunctis, id est, pro viuorum & mortuorum peccatis, quod vos omnium hæreticorum primi docetis: sed non esse offerendam pro mortuis Missæ oblationem, quòd frustrà & inutiliter pro eis, vt hallucinabatur, offerretur: quemadmodum ex Diuo Epiphanio liquet manifestiùs, quàm vt hîc fusiùs sit recitandum. Proinde si bona fide istam scripsisset Philippus Apologiam, debuisset meritò germanam Aërij sententiam exposuisse, atque à suo nouo Euangelio dissonare ostendisse. Sed mihi omninò fit probabile, cum sua victum conscientia hanc collationem de industria omisisse, quòd manifestum adeò suum cum Aërio cõsensum nullis se posse sophisticis, imo Melanchthonicis, desperaret adobruere tenebris, quin veritas emicaret. Ideò bonus Rhetor ad thesin causam transferre maluit, atque Catholicos toto mendaciorũ plaustro semel, si fieri posset, obruere: Sæpè hoc colore (inquit) vtuntur. Allegant

Vide Epiph. anacephaleosin.

Apologia Confess. August. mala fide à Melanch. ferruminata.

Calumnia improbiss. Philippi in Catholicos.

veteres hæreses, & cum his falsò comparant nostrā causam, vt illa collatione prægrauent nos. O disertum hominem. Quod sibi consciebat Catholicis à se suæque partis hominibus verè summū per nefas factitari, id homo callidus suos à nostris pati cauillatur. Montanistarū hæresim aiunt Catholicos & tueri & patrocinari, Encratistarum errores fouere atque propugnare. Verùm noui nihil ab istis Catholica patitur Ecclesia; sic enim & hæretici prisci Orthodoxos calumniari solere. 1 Ambrosiū Iouinianus criminabatur Manichæum, 2 Hieronymum Origenistæ, 3 Augustinum Pelagiani clamitabant hæreticum. Putat enim illud antiqui serpentis seminariū, nouáque subinde repullulans soboles eò se sui criminis effugere & vitium & notam, quòd illud prior in alios iecerit. Cæterùm si candidè Philippus Melanchthon hanc causam tractare animo constitutum habuisset, adferenda erant loca, vbi Catholici in eos hoc vtantur colore, quòd priscas ipsis affingant hæreses. Bona itaque fide, Philippe, fuit demonstrandum, vbi scelus istud designarint vnquàm Catholici, non ita improbissima suspicionis calumnia infamandi. Porrò quàm verè, quàm ad vnguem conspirent vestras istas noui Euāgelij opiniones, priscis illis veterum hæreticorum damnatiss. portentis res ipsa à plurimis demonstrata loquitur manifestiùs, quàm vt fusiore opus habeat oratione. Videat, cuilibet, nostras hæreseon nunc grassantium tabulas analyticas, rem agnoscet, spero, luce clariùs meridiana demonstratam. Negas itaque Philippe, vos Aërio patrocinari: sed quo istud quæso ore? An non ei patrocinamini, imò eius ipsissimum ab orco reuocatis errorem, nō esse pro mortuis offerendum? quod de ipso quidem testantur Augustinus, Epiphanius, Damascenus. De vobis verò quis est, cui vel minimus superfit dubij scrupulus, quin offerendum esse pro mortuis eatis inficias? Hoc Philippe non est patrocinari, sed demortuum defuncti patris hæretici errorem damnatissimum renouare.

Iam porrò Philippus argumentis destitutus ad alia se conuertit arma, totusq; in blasphemias diffluens, ait Catholicos hæresin manifestè pugnantē cum Prophetis &

Mēdacia Catholicis affi- cta, quòd priscas tuentur hæreses.

1 Vide Augustinum de nuptijs 2. cap. 5. & cap. 23.

2 Vide Commentar. in Ezech.

3 Vide homil. Augu. 14. de verbis Domini.

Nostræ tempestatis hæreticos Euāgelij prætextu priscas recoquere hæreses vel olim damnatiss.

Verba Philippi varia vanitatis conuicta.

Apoſtolis & ſanctis Patribus ſceleſtè defendere, cultumque Baaliticum in regno Pontificio hærere, & cum eo in finem vſque mundi duraturum. Verùm quia eâdem facilitate hæc in ipſos regerantur, qua in nos falsò torquentur, nolumus iis refellendis bonas horas meliùs collocandas perdere. Cæterùm quòd diuinum Miſſæ Catholicæ cultum cultui confert Baalitico, O Deum immortalem magis lugere libet, quàm reſpondere ad impiam adeò blaſphemiam. Equidem hîc aliud nihil, quàm cum Diuo Policarpo exclamem, ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵυς με καίρους τετήρηκας, ἵνα τέτων ἀνέχωμαι: O Deus bone, in quænam ſeruaſti me tempora, vt iſthæc blaſphema ſuſtineam?

Hunc in modum Melanchthon ſua à velitatione illa in Catholicos tunc præclarè, vt videbatur, expedita receptui canens aliò ſe transfert ſimili candore, ſed Melanchthonico, tractaturus fidei noſtræ capita, quæ noſtro hîc non ſeruiunt inſtituto. Verùm quia ſua in Eccleſia Patribus Orthodoxis propitiatorium Miſſæ ſacrificium pro mortuis nobis conteſtantibus nouum indicit bellum, multò ſanè atque hîc incautis lectoribus periculoſiùs, ideò & illa eius tela operæpretiũ fuerit hîc diſcutere atque confringere, quibus eorum ſententias Catholicæ doctrinæ ſuffragãtes callidiſſimè conatur iugulare. Non enim illic, vt hîc, omnibus ſemel Patribus fidem eleuat, atque authoritatẽ abrogat, ſed ex inſtituto cum illis quaſi manus conſerturus paucula eorũ recitat verba, quę ſuo pro ingenio, vt araneus roſam, tractat, verſat, vertit, atq; peruertit: quod nũc omnibus demõſtrare aggredimur. Clariſſimis illis D. Cypria. locis modò recitatis in ſua, quàm inſcripſit, Eccleſia teterrimas iuxtà ac fœdiſſimas offundere conatur tenebras, quibus lectori imperito effulgẽtem toto orbe Catholicam obſcuraret doctrinam. Quòd itaque apud D. Cyprianũ interdum fit obuium, Sacrificia pro eis offerimus, ſuo lectorem imperitiorem decepturus cõmẽtariolo, de martyribus, inquit, hoc dicit. Hæc ſimpliciſſimè ſine ſophiſtica reſpondeo ad verba oblationis & ſacrificij, quæ ex Cypria. obiiciũtur. Iſtud quidem Philippe hoc adducto

Veteres Patres loqui de propitiatorio pro mortuis ſacrificio cõtra adulterina Melanchthonis cõmenta.

Iſtas vaniſſ. Melãchthonis nebulas, quibus Apologiã Augu. Cõfeſſ. refarſit, aliàs dabimus orbi demonſtratas fuſiùs.

D. Cyprianũ Melãchthon adulterino deprauat cõmentario.

Melãchthon verus demõstratur sophista, vbi maximè sophistam dissimulat.

Philippus vna fidelia omnes conatur dealbare parietes.

Cypriani loco percõmodè non minùs quàm verè: Agit enim de Eucharisticis pro martyrum gloria sacrificiis: Verùm quòd hunc vnum locum ex Epistol. 5. lib. 4. qui aliis, qui de propitiatorio agunt disertè sacrificio, nihil præiudicat, vis omnibus D. Cypriani locis, vbi de sacrificio loquitur, tuum præscribere commẽtariolum adulterinũ, grauissimè sanè aut falleris, aut fallere vis. Istud est Philippe vna ex fidelia, quod habet prouerbiũ, omnes dealbare parietes. Hîc vbi maximè simulas te sine sophistica respondere, te conuincam maxima cùm primis vsum sophistica. Cùm tibi aureæ D. Cypriani lectæ sint Epistolæ, an non planè sophisticum est Philippe, omnia sacrificiorum genera in vnam conflare speciem? an qui res genere distinctas vno speciei inuolucro tectas imprudenti lectori pro iisdem obtrudere conatur, is sine sophistica rem tractat? Vide tuos Elenchos sophisticos, & hinc meliùs disce, quod alios te docere profiteris. Quò igitur liqueat, tuam istam responsionem verè esse sophisticam, agè eam clarissimis Cypriani redarguamus verbis. De martyribus, ais, hoc dicit, Hæc simplicissimè sine sophistica respondeo ad verba oblationis & sacrificij, quæ ex Cypriano obiiciuntur. Audi ergo Philippe, quàm tua isthæc responsio, quam simulas simplicissimã, verè sit multiplex, ideóque verè, si quæ alia vnquàm vlla, sophistica. Cùm clerici Africani passim à diuinis ad secularia curanda per tutelas & testamenta auocarẽtur, visum est Episcopis canonicum adhibere tanto sceleri remedium: Religiosè igitur, inquit Cyprianus, istud considerantes Episcopi censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros Leuitas auocare voluit. Quid hîc Philippe illa tua glossa, de martyribus hoc dicit? An non hîc disertè de alio sacrificij loquitur genere, atque Episto. illa 5. lib. 4. abs te fraudulenter allata? Certè velis nolis, prudens lector videt (omnibus enim oculos tuis nondum ademisti præstigiis) hîc in pœnam in-

Melãchthonis solutio, quã simulat simplic. demonstratur multiplex et ideo sophistica, quia gen⁹ totũ in vnam redigit atq; inuoluit speciem.

Vide epist. 9. lib. 1.

fligi canonum violatori, non esse pro eo offerendū altaris sacrificium: quod nisi pro defunctis iuuādis fuisset offerri solitum, cur in pœnam à Synodo fuisset constitutum pro eis non offerendum, qui canonem violauerint? Vnde & Cyprianus vetat pro Victore Furnēsi eius legis reo offerendum aut deprecandum. Tertullianum suis item vt agnouisset Philippus reluctantem erroribus, simili prorsus fuco Melanchthonico magistrū studuit oblinere, quo dudum eius discipulum Cyprianum. In Corona militis scriptum reliquit, oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Quem in locum ita commentatur Philippus in illa sua Ecclesia: Non loquitur de cœna Domini, ait, verùm in diebus natalibus & funerum, adferebantur in templum cibi & alia munera pauperibus. hæc vocabant oblationes & ἀγάπας: & mos erat ab Ethnicis acceptus, sed nonnihil correctus, ac posteà Nicæna Synodus, & aliæ prohibuerunt hanc pompam natalium. Fuisse quidem in veteri Ecclesia frequenter allatas ciborum, aliarúmque rerum, quæ erant esui, oblationes in pauperum fratrum vsum: vnde & ἀγάπας etiam Apostolorum tempore nuncuparunt, nemo inficiari potest: Verùm quòd non eadem dona sacris in altaribus pro mortuorum requie fuerint aliquando cumulata, negare nō potest qui Tertulliano fidem habeat. Quid eius igitur ætate de fratribus vita defunctis, an oblationibus & sacrificiis iuuari possent, nec ne, non crediderint modò Christiani; sed etiam factitarint passim, paucis est exemplis ex eo illustrandum. Viduum quendam Tertullianus ad perpetuam in posterum castitatem cùm exhortandum sibi putasset, inter alia, quibus eum à nouis deterret nuptiis argumenta, vnum ex publico Christianæ Ecclesiæ ritu intexuit: In secundo, inquit matrimonio duæ vxores eundem circumstant maritum, vna spiritu, alia carne, nec enim pristinam poteris odisse, cui etiam chariorem reserues affectionem. Et iam repete apud Deum pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illas commemoras oratione, & offeres pro duabus, &

Tertullianū Melāchthon in aliū detorquet sensum quàm eius verba disertè sonant.

Tertullia. de oblationibus p defunctorum refrigerio oblatis loqui libr. de Corona Militis.

Iudæ 1.

Tertulliani ætate fuisse oblatū Missæ sacrificiū p defunctorum requie.

Annua oblatio mariti pro defuncta vxore.

commemorabis illas duas per ſacerdotem de monogamia ob priſtinum de virginitate ſancitum circumdatum virginibus ac vniuiris, & aſcendet ſacrificium tuum libera fronte, & inter cæteras voluntates bonæ mentis poſtulabis tibi & vxori caſtitatem. An non hiſce in verbis ceu ſpeculo leuiſſimo publicum Chriſtiani populi ſit cognoſcere tum fidem, tum publicam conſuetudinem pro defunctis tam orandi, quàm ſacrificandi? Repete, inquit, pro cuius ſpiritu apud Deum poſtules, pro qua annuas oblationes reddas. Orabat itaque viduus pro vxore in Domino mortua, annuáſque reddebat oblationes: quas ne quis ſolùm in pauperum vſum fuiſſe allatas cauilletur, illud eſt vigilanter animaduertendum, Et offeres pro duabus. Rurſum ne quis priuatam ſolùm priuati hominis ſomniet oblationem, ſingulari animaduertentia quod ſubtexuit eſt annotandum, Et commemorabis illas, inquit, duas per ſacerdotem. An non clariſſima hac Tertulliani tuba excitetur quiſpiam oſcitabundus, vel maximè ad contemplandum vetuſtiſſimum veteris Chriſti Eccleſiæ ritum, cui notum eſt, quid publico ex more per vniuerſum in myſteriis geritur orbem Chriſtianum? An non habere viuorũ & mortuorum diſcretam perſpicuè videat cõmemorationem? Quid igitur nugatur Philippus, non loqui Tertullianum de cœna Domini? Quorſum enim poſt priuatam illam mariti vidui ſuarum vxorum apud Deum commendationem, ad ſacerdotalem earundem tranſiit commemorationem? Ad eundem modum & ſuæ quoque ſcribit vxori libello, cui de Monogamia titulum fecit, qui licet à Dogmatiſta ſit conſcriptus, teſte Hieronymo in Catalogo, præſenti tamen diſputationi non parum lucis adferre poteſt, quòd ex Catholicorum & Montaniſtarum hanc in rem conſenſu erat indubitatum: Ergo perſeueret in pace, inquit, cum illo (marito dudum defuncto vxor) neceſſe eſt, quem iam repudiare non poterit, ne ſic quidem natura, ſi repudiare potuiſſet; & pro anima eius oret, & refrigerium interim poſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Hanc vxoris

Obſeruanda pro mortuis olim deprecatio, & cõmemoratio in altari.

Offerebat olim vidua diebus annuis pro anima ſui mariti atque illius refrigerio.

pro marito mortuo deprecationem, annuámque eius obitus die oblationem, quis dubitare potest, ad eundem modum esse accipiendam, quem statim ex eius adhortatione ad castitatem demonstrauimus? Hinc quod de Corona militis suprà commemorauimus, Oblationes pro defunctis annua die facimus, multò conuenientiùs ad publicam in mysteriis refertur oblationē, quàm ad publicas pauperum ἀγάπας atque conuiuia Christiana. Cùm illic enim Tertullianus celebres enumeret Traditiones nō scripto Dei verbo, sed publico Christianorum vsu corroboratas, absurdum fuerit, hanc pro defunctis oblationem anniuersariam ad eleemosynas perspicua adeò Christi voce præceptas detorquere. Quod autem ad natalitia pertinet, in præsentiarū nihil dicendum existimauimus, cùm ea res alium postulet locum & tempus.

Tertullianus de Corona militis loquitur de annua pro mortuorum rifrigerio oblatione.

Sed quæ hactenùs in D. Cyprianum atque Tertullianum nō minus friuolè quàm improbè conatus est Melāchthon, leuiuscula videri possunt, si ad ea cōparentur, quæ in D. Augustinū callidè, nihílque minùs quàm candidè struit: quæ talia prorsus sunt, vt verè ex atro errorū puluere excitādo sibi Melanchthonis nomen inuenisse videri queat. Hic igitur in sua illa præclara Ecclesia, vbi sibi in Theologis censendis grauissimas Aristarchi partes sumit eximius Theologus, talis planè inter Theologos, quales olim inter Philosophos Epicurus (qui omnium imperitissimus omnes aut contumeliosissimè vexabat, aut ingratissimè maledictis figebat, totísque voluminibus concidebat) cùm ad Augustinum esset deuolutus, ita pronunciabat: Huius ætate, ait, percrebrescere sermones de Purgatorio cœperunt, quos ipse nec refutat, nec confirmat. Tantū narrat quosdam sic existimare, purgari animas piorum postquàm decesserunt à corporibus. Sed lib. Confess. 9. petit his verbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine seruis tuis, vt ad altare meminerint matris meæ & patris: Nec petit ampliùs. Quanquàm autem hoc verecundè dicitur apud illum, tamen sceleste detorquetur ad oblationē Sacramēti pro mortuis: qualis nondum fuit Augustini tempore.

Melanchthonis fraudes in August. verè Melāchthonē arguunt.

Vide primū de natura Deorum.

Vide præfat. in epiſto. ad Ro. anno 55. editam. Sicuti variis aliis in hac ſua Eccleſia locis ſuam prodit fœdiſſimam inſcitiam Philippus, vt verè ſe eſſe probet, quem profitetur, Theologum Grammaticum: ita hac in primis pericope illius ſe oblitum arguit, ne ſutor, quod dicitur, vltra crepidam. Quod etſi perdiligentes veterum Scriptorum Lectores nullo agnoſcant negotio, dabimus tamen operam, vt plebeius etiam Lector, rem ita ſe habere Solis luce clariùs perſpiciat. Initiò igitur quod ait, Auguſtini ætate percrebreſcere ſermones de Purgatorio cœpiſſe, quis ita abſurdus eſt qui non videat, quàm ſit non dico imperitiæ & indiligentiæ ſummæ, ſed & vanitatis impudentiſſimæ, qui modò illa clariſſima Patrum, qui ante Auguſtinum floruerunt, teſtimonia, Cypriani, Ambroſij, Origenis, Athanaſij, Chryſoſtomi, aliorúmque longò ſuprà catalogo commemoratum? An obſecro Auguſtini ætate ſermo de animabus defunctorum ſacrificio adiuuãdis percrebreſcere cœperit, cùm diu ante annos circiter ducentos Canone Concilij Africani decretum fuiſſet, Si quis frater moriens clericum ad tutelam vel curam nominaret, pro eo non eſſe offerendum, nec ſacrificium pro eius dormitione celebrãdum? Cuius rei locupletiſſimus nobis teſtis eſt Diuus Cyprianus Epiſt. 9. libr. 1. veterem iſtum canonem dudum ab Epiſcopis anteceſſoribus conſtitutum aduerſus Geminium Victorem eius violatorem ſeueriter vindicans. Niſi ergo ſermo de Purgatorio ante Auguſtinum annos ducentos percrebuiſſet in Eccleſia Africana, quî obſecro Epiſcopi illi Cypriani præceſſores in Concilio conſtituiſſent, ne pro Canonis illius violatore offerretur? nec ſacrificium celebraretur? An ſanctiſſimi illi Patres cum mortuorum laruis ſibi luctandum, quod dicitur, credidiſſent, niſi hæc de iuuandis per ſacrificium defunctis opinio apud religioſi populi animũ fuiſſet pridem peruagata? An iſthoc Canone Chriſtianos à delicto, quo clericos moleſtiis & laqueis ſecularium curarũ implicatos, ab interrupto Dei miniſterio aſſiduiſq; precibus auocabant, potuiſſent deterrere, niſi hæc Purgatorij doctrina vniuerſorum prorſus animis inſediſſet indubitata? Sed nimis longum foret per ſingulas aut æta

Ducentos annos ante Au. fuiſſe ex more oblatum pro mortuis ſacrificium altaris.

tes, aut Ecclesias decurrere, vbi sanctissimi illi ante Augustinum floruerunt, minúsque necessarium, quòd superiùs copiosè simul & luculenter id sit demonstratum. In præsentiarum nostro instituto sat egimus, quòd in ipsa adeò Africa Episcoporum Concilio ducentis ampliùs annis ante Augustinum, illum de Purgatorio sermonem non solùm cœpisse percrebrescere ostendimus, sed omnium etiam animis indubitanter insedisse, adeóque prorsus fuisse persuasum. Iam quod addit Philippus, Augustinum hos de purgatorio sermones nec refutare, nec confirmare, vehementer equidem ambigo, habeátne plus impudentiæ, an veriùs imperitiæ? Quòd autem istam de Purgatorio doctrinam non refutat, quid mirũ, cùm ei apud Catholicos constanter obtinenti nemo, quod equidem sciam, tunc temporis reclamaret? Quinimò, an non refutat, qui non esse orandum, aut sacrificādum pro defunctis inter hæreseos Aërianæ capita commemorat? Vide Augustin. ad Quoduultdeum in Aërio. Porrò quod addit, nec confirmat, quantum habet aut fallacis dissimulationis, aut sanè audacis imperitiæ? Qui populum suæ fidei creditum docet pro concione non dubitandum esse mortuos orationibus Sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari ita adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruêre, an non doctrinam de Purgatorio confirmat? Vide Hom. 32. de verbis Apostoli. Rursum, Fidei regulam Laurentio præscribens, qui docet cap. 110. non negandum esse, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt, an non illam de Purgatorio doctrinam confirmat? Pluribus Augustini locis recitandis supersedeo, perspicuis hisce duobus locis illam Philippi assertionem vanitatis manifestissimè conuicisse contentus. Quòd igitur attexit, eiusdem est telæ: Tantùm narrat quosdam, ait, sic existimare, purgari animas eorum postquàm discesserunt à corporibus. Istud equidem in Augustino lectum perlego, quòd disertè profitetur non esse dubitandum, mortuos adiuuari orationibus Ecclesiæ, & sacrificio salutari, Serm. 32. de verbis Apo-

Alia Phil. Melanchth. vanitas.

Augustinum verbis disert. cõfirmare doctrinam veriss. de Purgatorio.

ſtoli. Similiter de cura pro mortuis, Cap.4. de Ciuitate Dei lib.21.cap.15.

Quòd autem Auguſtini ætate Catholica per orbem habuerit fides, vniuerſóſq; Orthodoxos ſic exiſtimaſſe, quaſdam piorum animas delictorum dare pœnas, atque tormentis emendari, ſiue purgari, manifeſtiùs docet Auguſtinus, quàm vt loco eius lecto addubitare, etiamſi velis poſſis. Cùm enim docuiſſet, mortuos orationibus & ſacrificio adiuuari, eius adfert ætiologiam, Hoc enim, inquit Homilia trigeſimaſecunda, de verbis Apoſtoli, à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia. Vide Caput quartum de cura pro mortuis agenda. Cęterùm quod ex 9. Confeſſ. lib. ait Philippus, Auguſtinum petere tantùm precationem pro matre mortua, vt illi iſtud concedamus, nouam tamen Philippi doctrinam prorſus euertit. Nam iſta matris Monicæ ad altare Dei cōmemoratio quid obſecro ſibi vult aliud, quàm vt ipſa aliis piè defunctis commemorata ſalutaris illius ſacrificij pro mortuis etiam offerri commemorati (ait Auguſt. Homil. 32.) vim præſentiſſimam atque propitiationis aliquid inde perciperet? Nam quòd iſto animo D. Monica ſui memoriam ad altare Domini voluit repetendã, inde liqueat, quòd exequiarum negligens, Eccleſiaſticorúmque ſolatiorum auida tantummodò ſui memoriam, ait Auguſt. libr. 9. Confeſſ. cap. 13. ad altare Dei fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt cheirographum, quod erat contrarium nobis. Ex huius vtique victimæ ſalutari efficacia ſperabat ſibi pia matrona non parum poſſe (licèt hac vita defunctæ) ſolatij atq; auxilij accedere: cùm haud dubium ita de hoc ſacrificio ſibi habuerit perſuaſum, ſicuti D. Ambroſ. quem ſępenumerò audierat, ſuos docebat, vti ex funebri oratione in fratrem Satyrum conſtat, & eius filius Auguſt. credebat. Cæterùm hanc fuiſſe piæ matronæ voluntatem extremam, vt mortuæ per Miſſæ ſacrificium aliquid adferretur ſolatij tum auxilij, quomodo mihi credatur, ſi ipſi non creditur Auguſtino? Quòd enim in illius defunctæ funere pro ea ſit oblatū ſacrificium, quod viua deſidera-

Quidnā D. Aug. Monica ſibi moribūda petiuerit.

Oblatū fuiſſe Miſſæ ſacrificium pro Monica mortua in exequiis.

rat, verbis luce meridiana clarioribus ita narrat: Cùm ecce corpus elatum eſt, inquit libr.9.cap.12. materni funeris diem deſcribẽs, imus & redimus ſine lachrymis. Nam „ neque in eius precibus, quas tibi fudimus cùm offerretur „ pro ea ſacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrum „ poſito cadauere priuſquàm deponeretur, ſicut illic fieri „ ſolet, nec in eius precibus ego fleui. Qui locus natiua ſua „ verborum claritate adeò eſt perſpicuus, quod in Miſſa D. Auguſtini ætate corpus Domini offerebatur in ſacrificium pro mortuis, vt licèt Melanchthon iſtud neget, tamen ipſa rei euidentia Bucerus victus ingenuè lib. 2. de vera & falſa cœnæ Dominicæ adminiſtratione: quod cùm hic inficiari non poſſet, ad alia conuerſus conſilia, fraudulenter ſtuduit hunc locum peruertere, quaſi in ſola Auguſtini Eccleſia id fuerit geſtum, & non paſſim per orbem Chriſtianum: cùm id non contigerit in Eccleſia Auguſtini Hipponenſi, ſed Hoſtienſi Italiæ: de quo ſtatim copioſiùs in eruenda ex Epiphanio vera Aëri hæretici opinione. Quòd igitur Philippus Catholicos ſceleratæ accuſat detorſionis, quàm eſt ſycophanticum? Quãquàm autem, inquiens, hoc verecundè dicitur apud illũ, tamen nunc ſceleſtè detorquetur ad oblationem Sacramenti pro multis, qualis nondum fuit Auguſtini tempore. At quænam Philippe iſta eſt ſcelerata detorſio? Ad oblationem Sacramenti, inquit, pro mortuis. An non hoc Auguſtini verba nihil detorta ſonant, Cùm offerretur pro ea, inquit, ſacrificium pretij noſtri? Quòd ſi tuis diffidis auribus, Bucerum audi myſtagogum, quem tuæ cùm diſpuderet & imperitiæ & impudentiæ, agnoſcit ingenuè Auguſt. ætate fuiſſe pro mortuis oblatum, ſed alicubi, ait, quod tamen mox nobis veniet refutandum. Quale igitur eſt, quod ore, neſcio quo, affirmare audes, Qualis Sacramenti oblatio pro mortuis nondum fuit tempore Auguſtini? Si non fuit talis, quid ſibi illa „ Auguſtini verba volunt, Cùm offerretur pro ea, ſine du- „ bio vllo, nuper mortua, ſacrificium pretij noſtri? Quid „ illud eiuſdem, mortuos ſalutari mediatoris ſacrificio „ adiuuari? Serm.32. de verbis Apoſtoli? Rurſus in Enchirid.ca.110. corpus Domini in altari oblatum quibuſdam

Bucerus Melanchthone cãdidior, Melanchthõ Bucero ſimplicior.

Sycophãtica Philippi in Catholicos criminatio.

Bucerus Phi. Mel. redarguit imperitiam & impudentiam.

defunctorum esse propitiationem? An quis nunc audeat inficiari, Augustini tempore nondum talem fuisse Sacramenti pro mortuis oblationem? Frustrà commemoraro ex Diuo Cypriano, Tertulliano, aliísque veteribus ducentos amplius annos ante Augustini ætatem hanc oblationem pro mortuis apud Catholicos fuisse frequẽtissimam, vti superiùs ex illius Epist. 9. lib. 1. ex Canone Concilij Africani Solis luce demonstrauimus manifestiùs. Hæc obseruasse oportuisset eum, qui tanto supercilio veteres in vniuersum omnes Theologos sibi sumere audet censendos: quę si habuit cognita, non potuit citra impietatem nefariam dissimulare: Sin illi fuêre ignota, quid cæcus de coloribus?

Cæcum & imperitissimum Melãc. de D. Gregorio iudicium.


Istius sanè temeritatis se ipse damnat miser, vbi in D. Gregor. ita pronunciat, Eius tempore, inquit, in eadem Ecclesia sua, irrepsit opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi pro mortuis facienda. Prô fallacem, ne mendacem dicam. Atqui iamiam ostendimus, non modò ante Gregorij ætatem annos ducentos, Augustini putà seculo: sed etiam quadringentos, nimirum Tertulliani & Cypriani ætate, imò anteà, si illi fides est habenda, in Episcopali erat Concilio constitutum, ne quis pro eo sacrificaret, qui clericum à precibus auocans scripsisset tutorem & curatorem. Quinimò si August. Chrysostomo, atq; Athanasio existimamus credendum locis suprà commemoratis, non Gregorij ætate isthęc de oblatione corporis & sanguinis Christi pro mortuis facienda irrepsit opinio, sed annos anteà totos sexcentos, ab ipsis adeò Apostolis Catholicæ Christi Ecclesię fuit tradita. Quàm est igitur horribilis Philippi blasphemia, quam in hunc Eucharistiæ vsum longè saluberrimum euomit: Hęc opinio, inquiens, peperit horribilem prophanationem Sacramenti. Bona verba quæso Philippe. An ipsos Apostolos, quibus hanc sacrificij doctrinam acceptam ferendam ostendimus, prophanatæ cœnæ Dominicæ suggillare audeas? An lectissima Spiritus sancti organa sceleris adeò nepharij, adeò sacrilegi, adeò denique parricidalis non verearis incusare? Non peperit Philippe, non peperit hæc sacrificij opinio Gregorijtempore Dominicæ

Vide superiùs ca. 50. et seq.

Doctrina de sacrificio missæ pro mortuis offerẽdo Apostolos habet authores.

cœnæ prophanationem: Sed hæc opinio ab Apostolis Ecclesiis tradita, per Tertull. Cyprian. Athanasij, Chrysostom. Ambrosij, & August. seculum deuoluta, Gregorij ætate in Ecclesiis confirmata apud Catholicos etiamnum vbique obtinens Christianos verum iuxtà ac saluberrimum doctrinæ Dominicæ exhibet vsum. Adeò hęc Philippe de offerendo pro mortuis Eucharistiæ sacrificio doctrina eius non peperit prophanationem, vt legitimum non minùs quàm sacrosanctum eiusdem demonstret vsum ab ipso Christo Domino institutum, qui ab ipsis Apostolis Catholicæ Christi Ecclesiæ abs sui vsque exordio traditum: quod meridiana Solis luce clariùs nobis Catholicæ Ecclesiæ filijs contestantur præclaræ illæ priscorum Patrum Orthodoxorum sententię longo dudum catalogo accensitæ atque commemoratæ.

Caput LIIII.



Transitio ad Buceri fraudes in D. Epiphanium & Augustinum structas ad tollendum pro defunctis sacrificium.

SVperest vt quod de Philippi Melanchthonis in veteres Patres nobis euertendos conatu est demonstratum, iam de Buceri etiam stratagemate ostendamus: quo pugnator strenuus suis fretus lacertis atque lateribus plusquàm athleticis audet vniuersum Christianum orbem in certamen prouocare de Aërij illius Arrhiani doctrina constituenda. Perinde quasi hactenus Aërij sententia omnibus fuerit incognita, ita non veretur nouam illi affingere opinionem, qua hæreticum ante annos plus minùs 1200. damnatissimum infamiæ istius ineluibilis nota ab Augustino, & Diuo Epiphanio atque Damasceno illi inusta purgare studet. Eius itaque errorem à Diuo Epiphanio, & D. item Augustino, atque Damasceno hæreseos damnatum audent Euangelici isti pro vero (si superis placet) Euangelio venditare.

Martini Buceri stratagema fraudulentiss. in D. Epiphaniū

Aeriū Bucerus cur conetur ab infamia hæreseos vindicare.

Verùm Aërij sententia cùm ita perspicuè apud veteres scriptores constet certissima, vt de ea addubitans nodos in scirpo quærere manifestissimè deprehendatur, mirandum profectò venit istud audax Buceri consilium,

cur Aërium ab infami isthac hæreseos nota, cùm à D. Epiphanio, tum à D. etiam Augustino atque Damasceno notatum voluerit vindicare: nisi quòd illius præiudicio suum quoque errorem ex illo repullulantem, iam tunc ante annos mille ducentósque agnouisset damnatū ac veluti in herba (quod vulgò dicitur) oppressum. Quare vt reuiuiscentē Bucerus in Germania veterem hęresin pridem ab Ecclesia radicitùs excisam pro Catholico, quod dicit, dogmate foueret atque corroboraret, profligata mirè audacia atque vaferrima planè astutia omnes ingenij sui neruos hîc quàm contentissimè intendebat, vt istam D. Epiphanij sententiam non paucis sui partibus accisam solùm atque mancam: sed & distortam, atque adeò corruptam Catholicæ Dei Ecclesiæ peruerteret priùs: deinde surriperet etiam: quod ex eius verbis nos liquidissimum ostensuros confidimus, Diuumque Epiphanium in Buccerianę perfidię defensionem accersitū, in eum ipsum verè esse productum. Sed Aërij forsan hæretici, inquit Bucerus, obiicies condēnationem, qui ob id condemnatus est, quòd negaret orandum esse pro defunctis. Atqui Epiphanius memorat hunc Aërium damnasse, recitari in solēni Ecclesia nomina mortuorū, & id ex eodem fecisse paralogismo, quòd putaret ideò orare Ecclesiā pro defunctis, vt eis quam hîc respuissent viui iam mortuis exoraret peccatorū remissionem. Nam volens afferre rationē, cur Ecclesia frustrà sanctos & malo exemplo nominaret in suis precibus, afferebat & obiiciebat illud tanquàm certū Ecclesię dogma, mortuos superstitum precibus non iuuari. Quibus in verbis Aëriani erroris causa diligenter est animaduertenda, quam Bucerus fingit Epiphanium commemorare, quòd putaret Aërius ideò Ecclesiam, ait, orare pro defunctis, vt eis iam mortuis, quā hîc viui respuissent exoraret peccatorū remissionem. Certè Bucere si id putauit Aërius, cur mortuorum quæso nomina in precibus sacerdotum solennibus rectè recitari negasset, quos peccatorum remissionem Ecclesiæ precibus, vt ais, accipere posse credebat? Si existimabat Aërius hęreticus (quod tu eum putasse affirmas) Ecclesiam mortuis peccatorum remissionem de-

Bucerus quā fraudulentus libr.2.ca.10. de vera & falsa Do.cœna admi.

Bucerus Aërio falsum ascribit, & Catholicos vanißimo onerat mendacio.

precari, quo animi ſtupore, ſuíque dogmatis obliuione, mortuorum nomina vtiliter ad altare recitari negaſſet? Non fuit profectò Aërius, non fuit tam bruto miniméque Aërio ingenio, quàm tu eum Bucere, craſſa mente fuiſſe fingis, vt ſui dogmatis adferret rationem, quæ prorſus cum eo eſſet aſyſtatos atque diametro pluſquám toto pugnans. Sed vt fraudulentas iſtas in Catholicum Chriſtianæ fidei dogma inſidias conſtrueres inſidioſiùs, non te puduit hæretico homini Catholicam ſententiam falſò affingere (ſicut & paulò pòſt alterum item dogma) vt iſthoc ſaltem ſtratagemate veteris illius hæreſeos defenſor nobilis apud tuos euaderes victor. Itaque non iniuriâ quis miretur, quídnam iſthac aduerſus Latomum velitatione moliaris, qui gemino à mendacij ouo fabulam tuam ſis exorſus: priore quidem Aërium oneras vt falſò, ita quod cum eius dogmate bis per omnia pugnet, imò euertat prorſus: Altero D. Epiphanium, quem pro ſingulari iſta, ſcilicet, erga illum pietate & reuerentia, virum Dei toties dicis, impiè contaminas: quem ſcribis memoraro Aërium damnaſſe, recitari in ſolenni Eccleſia mortuorum nomina, quòd putarit ideò orare Eccleſiam pro defunctis, vt eis quam hîc reſpuiſſent viui, iam mortuis exoraret peccatorum remiſſionem. Quod extremæ impudentiæ mendacium quid opus ſit prudentibus viris apertiùs facere, qui D. Epiphanij ſententiam Aërianæ hæreſi obiectam vel audierint vnquàm? Quod enim Diuus Epiphanius Apoſtolicam ſtrenuus defendit eſſe traditionem, Bucerus mira ingenij calliditate dicam an malignitate, Aërio hæretico tribuit, idq; duplici defœdatum mendacio: & quòd illud ſenſerit: & quòd mortuis, qui viui reſpuiſſent peccatorum remiſſionem, crediderit ſuperſtitũ preces prodeſſe. Quo pacto is exiſtimarit obſecro vel impœnitentibus profuturas viuorum preces, qui pias ſuperſtitum orationes & oblationes, teſte Auguſtino & Epiphanio, mortuis in vniuerſum negabat eſſe vtiles? An ne hoc ſit re vera eſſe Sophiſtam Bucere, qui iſthac ſophiſtica, quã rectẽ Ariſtoteles, teſte Cle. Alex. furandi artẽ definiuit? Verùm Catholicæ fidei dogma à viro Catholico contra

Bucerus gemino mendacij ab ouo ſuã exorditur fabulam.

D. Epiphanius.

Bucerus falſum affingit.

Catholicum D. Epiphanij dogma Bucerus Aërio affingit hæretico.

Bucerus ſophiſta ab Ariſtotelis definitione.

Vide Clem. Alexand. lib. Stro.

hęretici hominis opinionem productũ hæretico tribuis vt tuam hæresin ista veri dogmatis specie personatã pro Orthodoxæ fidei dogmate popello imperito obtrudas. An ne hoc sit furum more rerum furto sublatarum notas mutare, ne à Domino facilè agnoscantur? An aliquis sceleratissimorum trifurum vel fallacissimus astutioribus vtatur strophis, vt alienis rebus manus adferat, aut surreptas maiori impudentia inuertat? Sed nolo istam tragœdiam latiùs in præsentia persequi, cùm huius rei epitasis execrãdam magis Buceri impudentiam apertiùs prodat, atque peruersam animi improbitatem manifestiùs redarguit: quam post ostensam Aërij hæresin & Epiphanij refutationem in medium proferemus omnibus cõspicuã.

Vera Aërij sententia cõtra orationes & sacrificia pro defunctis

Verba Aërij contra orationes eleemosynas pro defunctis.

Aërius igitur inter alia, vti Epiphanius scribit μανιωδῆ μᾶλλον ἤπερ καταστάσεως ἀνθρωπίνης ῥήματα, furiosa potiùs quàm sanæ mentis verba & hæc debacchabatur: τίνι τῷ λόγῳ μετὰ θάνατον ὀνομάζετέ, φησι, ὀνόματα τεθνεώτων; εὔχεται γάρ, φησι, ὁ ζῶν, ἢ οἰκονομίαν ἐποίησε, τί ὠφεληθήσεται ὁ τεθνεώς; εἰ δὲ ὅλως εὐχὴ τῶν ἐνταῦθα τοὺς ἐκεῖσε ὤνησεν, ἄρα γοῦν μηδεὶς εὐσεβείτω, μηδὲ ἀγαθοποιείτω, ἀλλὰ κτησάσθω φίλους τινὰς δι' οὗ βούλεται τρόπου, ἤτοι χρήμασι πείσας, ἤτοι φίλους ἀξιώσας ἐν τῇ τελευτῇ, καὶ εὐχέσθωσαν περὶ αὐτῶν ἵνα μή τι ἐκεῖ πάθῃ, μηδὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα τῶν ἀνηκέστων ἁμαρτημάτων ἐκζητηθῇ: Quod est, Qua, inquiebat Aërius, ratione mortuorum nomina post illam vitam ad altare recitatis? Oret enim superstes aut † œconomiam fecerit, sed quid vtilitatis consequatur mortuus? Quòd si omninò viuorum preces vita defunctis prosunt, nullus igitur pius viuat, null[9] benè agat, sed amicos quosdam sibi paret, quibus velit cunq; modis aut precio inducens, aut moriens amicos precatus: qui pro ipso deprecentur, ne mali quippiam illic perpetiatur néue criminum nefandorum quæ commiserat pœnas luat, pendátque. Quæ verba accuratiùs expensa, ipsam Aërij sententiam perspicuè pronunciant: Primò, nulla ratione ait à Catholicis defunctorum nomina recitari: Secundò, quia non prosunt mortuis viuorum nec orationes nec œconomia: mam si prodessent, inquit, frustrà piè viuitur, frustrà benè agitur. Imò si prosunt, inducantur superstites aut precio aut precib[9], qui defunctos suis

† Ita Aërius videtur eleemosynas pauperibus ĩ defunctorũ gratiam distributas appelasse nomine œconomias.

Dogmata Aërij à Lutheranis renouata.

orationibus aut à cruciatu liberent, aut à pœna criminibus patratis reddenda eripiant. Quæ dogmata quàm cũ Catholica Christianorum doctrina pugnent, quámque cum nouo isthoc Lutheranorum Euangelio prorsus congruant, quis vtriusque sententiæ conscius non è vestigio agnoscat? Nam vt Aërius negabat viuorum preces mortuis prodesse, ita & Lutherani: quia hinc egressi Christiani qui in Domino moriuntur, statim à morte, inquiunt, plena accepta hîc per fidem remissione peccatorum, optatam in cælis quietem consequuntur. Quid pro eis igitur ores? Iam omnibus prorsus fiat indubitatum, Aërij doctrinam vt pessima fide à Bucero recitatam, ita magna cum Epiphanij iniuria, maioríque Catholicæ Christi Ecclesiæ blasphemia ab eo defensam esse. Quæ enim verba vel tenuissimam innuant significationem, Aërium ideò damnasse quòd mortuorum recitarentur, quasi putarit (vti persuadere conatur Bucerus) ideò orare Ecclesiam pro defunctis, vt eis quam viui respuissent, iam mortuis exoraret peccatorum veniam? An hoc illa Aërij vox loquatur, orat superstes, sed quid inde vtilitatis mortuus consequatur? An qui negat mortuos vtilitatis quippiam ex viuorum oratione accipere, vllo pacto credat Ecclesiam mortuis exorare peccatorum veniam, quam etiam viui adhuc respuissent? Quod emblema (quam viui respuissent) Bucerus pro sui ingenij dexteritate & candore mirificè de suo cerebro attexuit Aërij verbis, quò ita atrociorem illius sententiam redderet. O miram odij vim, quæ & Aërium belli istius Papistici socium isthoc fœdissimo errore aspergere Bucerum coëgit vt dogma Catholicæ Christi Ecclesiæ à Lutheranis pudendo mendacio affictum magis redderet execrandum. Voluit igitur Aërius viuorum preces nihil mortuis prodesse, non, vt Bucerus mẽtitur, ideò orare Ecclesiam pro mortuis, vt peccatorum veniam eis exoraret: sed qua id ratione Aërium sensisse Bucerus doceat, audiamus: Nam inquit, Bucerus, volens afferre Aërius rationem, cur Ecclesia frustrà sanctos & malo exemplo nominaret in suis precibus, afferebat & obiiciebat illud tanquàm certum Ecclesiæ dogma, mortuos precibus superstitum non iu-

Bucerus Aërij verbis suũ intexuit emblema, quò aliquam veri speciem imperitis præ se ferrent.

Bucerus in suumquoque commilitonẽ est iniurius, quò magis Catholicam Dei vexaret Ecclesiam.

uari. Quibus in verbis illud initio adnotandum, Bucerum qua est ingenij calliditate, monstri aliquid alere. Nam disputationi Aërianæ de precibus pro mortuis fusis frustraneam sanctorum in precibus nominationem obiter immiscuit, leuitérque inspersit, quò isthac versutia lectoris animum in eam abripiat cogitationem, vt Sanctorum itidem inuocationem ab Aërio fuisse reprehensam ceu nouitiam abriperet.

Falsum controuersiæ statū fingit Bucerus inter Aerium & D. Epiphanium.

Illud sanè vigilantiori studio persequendum, quod asserit Aërium ad suam de mortuorum recitatione reprehensionem confirmandam attulisse & obiecisse tanquàm certum, inquit, Ecclesiæ dogma, mortuos precibus superstitum non iuuari. Hanc sanè rationem ab Aërio allatam fuisse ad stabiliendam impiam suæ mortuorum recitationis atque nominationis reprehensionem agnoscimus. Verùm eam tanquàm nouam hæretici hominis doctrinam cum Diuo Epiphanio & Augustino, vetustissimis Catholicæ Ecclesiæ ritibus obiectam dicimus. Tantum abest, vt cum Bucero eam tanquàm certum Ecclesiæ dogma fuisse adductam profiteamur, siquidem inter alia Aërij de tollendis statis Ecclesiæ ieiuniis & festis, illud Diuus Epiphanius tanquàm Apostolicæ Traditioni aduersarium suscepit confutandum, mortuorum nomina non esse in publicis Ecclesiæ Christianæ precibus recitanda, quódque viuorum orationes mortuis non prosint. Hic igitur inter Aërium & Epiphanium status versatur, an prosint mortuis preces viuorum? Negabit Aërius, ideóque frustrà mortuorum nomina in precibus recitari: affirmat contrà Epiphanius, mirificè prodesse, sic ab Apostolis fuisse traditum, vt paulò post eius verba à Bucero quidem mutilata, sed à nobis integrè rememoranda apertissimè contestabuntur. Quò igitur euadat indubitatum illud Aërij axioma mortuos precibus superstitum non iuuari, non vt Bucerus affirmat tanquàm certum Ecclesiæ dogma, sed vt Epiphanius testatur, tanquàm nouitium hæretici figmentum fuisse allatum, atq; veteri Ecclesiastico & Apostolico ritui obiectum. Diui Epiphanij viri Dei vel Bucero teste verba integra subiicimus.

Verus controuersiæ status inter Aerium & Epiphanium.

Ἔπειτα δὲ περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, τί ἂν εἴη προυργιαίτερον; τί τούτου καιριώτερον καὶ θαυμασιώτερον; πιστεύειν μὲν τοὺς παρόντας ὅτι οἱ ἀπελθόντες ζῶσι καὶ ἐν αὐπαξίᾳ οὐκ εἰσίν, ἀλλά εἰσι καὶ ζῶσι παρὰ τῷ δεσπότῃ, καὶ ὅπως ἂν τὸ σεμνότατον κήρυγμα διηγήσοιτο, ὡς ἐλπίς ἐστιν ὑπὲρ ἀδελφῶν εὐχομένοις ὡς ἐν ἀποδημίᾳ τυγχανόντων. ὠφελεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχή, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι. ἀλλ' οὖν γε διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως, ἵνα τὸ εὐτελέστερον σημανθῇ, καὶ γὰρ δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν: ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους Θεοῦ δεόμενοι: ὑπὲρ δὲ δικαίων, καὶ πατέρων, καὶ πατριαρχῶν, προφητῶν, καὶ ἀποστόλων. καὶ εὐαγγελιστῶν, καὶ μαρτύρων, καὶ ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων τε, καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ παντὸς τοῦ τάγματος: ἵνα τὸν κύριον ΙΗΣΟΥΝ ΚΡΙΣΤΟΝ ἀφορίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν τιμῆς, καὶ σέβας αὐτῷ ἀποδῶμεν: Quod est, Cæterùm, inquit, de recitãdis mortuorũ nominibus quídnã eo sit vtilius? Quid illo opportunius? Quid admirabilius? Quòd nimirùm superstites credũt eos qui hinc discesserunt viuere, quódq; nequaquàm toti interierũt, sed existunt atq; viuũt apud Dominũ, vtq; tandẽ quàm maximè venerandũ dogma exponatur, ꝙ orantes spẽ habent pro fratribus tanquàm in peregrinatione agẽtibus. Prodest enim oratio quæ ꝓ ipsis funditur, quãquàm nõ tota crimina abscindat. Verùm enimuerò quũ nos in mundo adhuc degentes sæpenumerò offendamus atq; labamur vltronei & inuiti (vt quod leuissimũ est dicatur) iustorum sanè & peccatorum meminimus: peccatorũ quidem, misericordiã Dei deprecantes: Iustorum verò, Patrúmq;, Patriarcharũ, & Prophetarum, atq; Apostol. Euangel. Martyrũ, Cõfessorum, Episcoporum, Anachoritarum, totius denique ordinis Ecclesiastici, vt Iesum Christum ab hominum ordine discernamus, propter eum quem erga illum gerimus honorem, vtque suum illi reddamus cultum.

Causæ cur mortuorũ nomina in myſterijs recitantur.

Quam Diui Epiphanij refutationem si quis citra oscitantiam perpenderit, non fuerit sanè arduum veras piæ illius mortuorum recitationis causas perspicere. Primò enim, quòd superstites, inquit, mortuorũ nomina sacris in mysteriis recitamus, argumentum est, nos

credere vita defunctos viuere, eósque non omninò totos, vt Ethnici hallucinantur, interiisse: sed verissimè existere, atque apud Deum viuere. Secūdò, vt grauissimum dogma, inquit Epiphanius, tādem exponatur, ideò mortuorum nomina recitantur in Christiana Ecclesia, quia Christiani pro mortuis orantes fiduciam habemus pro fratribus tanquàm in peregrinatione adhuc existētibus. Tertiò iustorum simul & iniustorum fit in mysteriis rememoratio, quo nos in vniuersum planè omnes homines confiteamur peccatores, Christum verò solum omnis omninò peccati nescium. His ergo causis innixus D. Epiphanius, Aërium hæreticum piam mortuorum in mysteriis recitationem subsannantem atque delere molientem refutauit: illius quæstiunculæ, Ecquid mortuis profuerit viuorum oratio? Respondens, multum sanè eis prodesse, quanquàm non tota mortuorum crimina deleat atque abscindat. Nunc ergo Bucerum audiamus isthæc viri Dei, quem nomine quidem vocat, re verò ipsa violat, verba sacrilegè mutilantem.

Bucerus D. Epiphanij verba mutilat & sententiam peruertit.

" Proinde (verba sunt Buceri) quum hunc hæreticum
" Epiphanius confutat, non adfert id quod D. Augustinus
" scripsit, non esse negādum defunctos pietate viuentium
" releuari: sed ostendit alias & veras causas huius officij
" erga defunctos: & primam quòd ex eo officio fides con-
" firmabatur de existentia & vita defunctorum, & ea vita,
" qua viuunt apud Dominū. Alteram, quòd eo & spes cor-
" roborabatur superstitibus, ꝙ essent Sanctos qui præces-
" sissent, rursus conuenturi. Postremam, quòd simul con-
" fessio fiebat humanæ infirmitatis & prauitatis, eóque
" Domino Christo suus honor deferebatur, quód solus is
" sit qui vixit absque peccato, & à peccatis nos liberauit.

De prima igitur & item tertia Epiphanij ratione nulla inter Catholicos & Lutheranos est cōtrouersia, nisi quis illud fortè ad viuum resecandum putarit, quod de humanæ prauitatis cōfessione obiter inspergit Bucerus, quam horribili in Christum ingratitudine magis effingūt impiam, quàm vera Christianorum iustitia patiatur. Secūda verò ratio totum de hoc loco complectitur quæstionis statum. Quam si Bucerus ea fide atque verborum in-

tegritate nobis recitasset, quàm homo scilicet religiosus Diuo Epiphanio (quem non nisi virum Dei appellasse erat religio) meritò debebat, non esset quòd istam disputationem prolixiùs produceremus. Sed suæ sibi fraudis conscius Bucerus maluit turpiter viri Dei sententia sacrilegè accisa Catholicam Dei Ecclesiam hostiliter oppugnare, quàm ea integra sese gloriosa victoria ipse fortiter vincere.

Recitat ergo Bucerus, D. Epiphanium secundam aduersus Aërij calumnias rationem attulisse ad cõfirmandam mortuorũ in mysteriis recitationem: quòd superstitibus, inquit, spes corroborabatur, quòd essent sanctos qui præcessissent, rursus conuenturi. Quam Epiphanij sententiam ex obscura Iani Cornarij cõuersione falsus cuipiam bona fide recitasse Bucerus posset videri, nisi, allatis D. Epiphanij vocibus Græcis suam imprudens proderet imposturam: habet equidem Epiphanius, » καὶ ὅπως ἂν τὸ σεμνότατον κήρυγμα διηγήσοιτο, ὡς ἐλπίς ἐστιν ὑπὲρ » ἀδελφῶν εὐχομένοις, ὡς ἐν ἀποδημίᾳ τυγχανόντων, Quod est: » atque vt illud venerandum in primis, inquit, dogma exponatur, » quòd Christiani spem habent pro fratribus deprecantes, tanquàm in peregrinatione existẽtibus. Quid isthæc integra D. Epiphanij sententia cum illa apud Bucerum semilacera conuenit? An hoc sit Bucere bona fide, non dico Euangelica veterum Patrum sententias in tui dogmatis defensionem adducere, dilaniatas, conuulsas, semilaceras adferre, quæ totæ tuum dogma semel euertant? quæ integræ bis per omnia tecũ pugnent? quæ suis aptæ ac connexæ partibus, totique coniunctæ corpori meras cauillatiunculas ad fraudem imperitorum instructas facilè auertant, abarceant, profligent?

Præter sicarium istud Buceri flagitium alterum quoque scelus in eandem Epiphan. sententiam commissum nullo negotio deprehendatur: quòd scilicet perspicuas eius voces ab illo mortuis tributas ipse viuis trãscribat. Quod enim D. Epiphan. affirmat, Christiano oranti spẽ » esse pro fratribus mortuis in peregrinatione degentibus » adiuuandis & exilio liberãdis, Bucerus insidiose distorquet ad viuos, quòd eis spes sit Sãctos iterũ conueniẽdi.

Bucerus falsarius viuis transcribit quod Epiph. mortuis ascribit.

An non iſthac Bucere illiberali arte liceat cuilibet authori quodlibet dogma, vtvt maximè à ſua cuiuſq; ſententia abhorret, improbè affingere? An non iſthac ratione ex reo actorem confeſtim feceris, & iterũ ex actore reum? An non iſta fraude ex ſtulto atque ſtolido Terentianæ fabulæ actore ſerium atque prudentem effeceris, ſi eorum commutatis nominibus alteras alterius ſententias cum vtriuſque ingenio pugnantes affinxeris? Verùm hîc tantùm imperitus decori obſeruator, aut calũnioſus ſycophanta, aut furioſus authorum rapſodus iudicaberis: Illic verò, vbi de tanto hominum grege, imò tot præclaris Germaniæ prouinciis rectè inſtituendis agitur, fidem fallere, illic inſidioſè agere, illic ſentẽtias tecum ex diametro pugnantes in tui ſomnij confirmationem & tortas & laceras trahere, quod quæſo nomẽ tantum facinus ſuæ atrocitati par atque merito reſpondens inueniat? Tales ſunt præclaræ iſtorum artes, quibus corroboratam vetuſtate veritatem conantur euertere.

Vocem Epiphanÿ orãtibus, Bucerus peruertit orationibus.

Vide vt hîc Epiphanÿ ☌ ſentẽtiam ☌ diſtortã aliô abripiat Bucerus. ☌

Quod Epiphanius ☌ docet ſpẽ eſſe orantibus de mortuis per preces iuuandis Bucerus adulterat de ſpe mor-

Cæterùm poſteà Bucerus tanti ſibi flagitij probè cõſcius, integrum D. Epiphanij locum ſuis velut emblematibus vt interſtinctum, ita ab authoris ſententia planè deprauatum ſubiicere ſeſe ſimulat. Si namque Epiphanij voces ſine mente numeres, ad iuſtum fortè numerũ perucnias: verùm ſi eius ſentẽtiam penſiculatiùs appendas, prorſus cum eo pugnare agnoſcas. Siquidem illam Epiphanij vocem, τὸ δι'χεμόνοις, reddidit Bucerus, orationibus quam ſtatim exponit, grauiſſimas ſcripturarum lectiones: quum diſertè dicat Epiphanius, quòd orantibus Chriſtianis ſpes ſit pro fratribus defunctis per illas adiuuandis. Hanc ſpem Bucerus quoque aliò retorquet, atq; authoris ſentẽtia ferat, vt ſcilicet Chriſtiani ſuperſtites, inquit, cõfidant fore, vt relicti in hac miſeria defunctos apud Dominum, iam à corpore feliciter peregrinantes iterum conuenirent, qui nunc ceu peregrè ſunt à nobis. Verùm quòd non iſtam ſpem ex orationibus pro mortuis Chriſtianos ſuperſtites dicat Epiphanius cõcipere, ſed aliam toto genere diuerſiſſimam, tribus argumentis diſertè ipſius verba ſonant: Orantes, inquit Epiphanius,
» ſpem habemus pro fratribus mortuis, quaſi adhuc pere-

grinantibus: quaſi diceret, dum ſolennes Chriſtiani preces pro fratribus vita defunctis Deo Opt. patríque clementiſſimo fundimus, maximã ſpem nobis concipimus pro fratribus noſtris, licèt iſthoc corpore exutis, adhuc tamen à Domino peregrinantibus, quòd noſtræ nimirum preces ipſis auxilio eſſe queant. Talem igitur ſpem Chriſtianos ſuperſtites ex orationibus ſuis dicit pro fratribus mortuis exilio citiùs liberandis cõcipere Epiphanius, non iterum conueniendis, vt commentatur Bucerus, ſed per noſtras preces iuuãdis. Quod ipſum luce clariùs verba Epiphanij cõuincunt: probaturus enim hanc ſpem de fratribus non eſſe inanem, certum & indubitatum Catholicæ ſui ſeculi Eccleſiæ adfert dogma, ὠφελεῖ δὲ καὶ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι: Quod eſt, Vtilis quidẽ eſt oratio pro eis fuſa, & ſi non vniuerſas pœnas præſcindat, aut, ſi mauis, crimina tota aboleat. Hãc igitur ſpem Chriſtiani priſco illo Epiphanij ſeculo ex orationibus pro defunctis fuſis concipiebant, quòd reatum peccatis hîc commiſſis debitum ſua oratione partim deprecarentur, ne acerbas adeò prolixáſque darẽt pœnas quàm eorum peccata commerebantur. Quod niſi Bucerus concedat, quis non eius dementiam miſeratus deploret, quòd vtiles eſſe neget mortuis preces ſuperſtitum? quum Epiphanius ita perſpicuè id pronunciet, vt nemo niſi qui ſciens prudens inſaniat, ea de ſententia ambigat: » Prodeſt enim, inquit, viuorum oratio pro mortuis fuſa: ſed quantum proſit adiecit, etſi non vniuerſas pœnas prę́ſcindat. Sed hîc Bucerus aliquam remoram reperit, quam Colonienſibus doctiſſimis Theologis, atque perſtrenuis Apoſtolicæ fidei propugnatoribus obiiceret, quòd ex illo, Etſi non omnẽ pœnam abſcindat, collegerint, aliquam ergo culparum partem Eccleſiæ officiis atq; precibus abſcindi. Verùm, » inquit Bucerus, id nec Epiphanius ſubiicit, nec ſcholaſtici hoc recipiunt. Nam & hi culpam omnem viuis remitti agnoſcunt. Sed quàm id de Epiphanio congruenter collegerint Colonienſes, poſthac declaratum dabimus, vbi priùs Buceri ſophiſma exploſerimus. Illam ergo Diui Epiphanij vocem, ὅλα τῶν αἰτιαμάτων, quam

» *tuos iterũ* » *conueniendi.*

Orationes piorum pro defunctis minuere ipſis pœnas pro delictis luendas, ait Epiphanius.

Colonienſes Theologi à Buceri calũnia defenſi.

Colonienſes totam culpam cum Cornario interpretati exponunt, quaſi culpæ pars mortuis abſcindatur, Bucerus ſophiſticè aduerſus hos vrget, quòd culpa non niſi viuis ex Scholaſticorum doctrina remittatur. Sed quænam tibi inceſſit deſipientia Bucere, vt Latinarum vocũ proprietatem ex Scholaſticis Theologis petendam exiſtimaris, quos non tam ex vſu rectè loquentium, atque ſuis illis ſcholæ atque diatribæ aptis loquendi formulis ſcribere non neſciebas? Niſi quòd tuo ſophiſmati obtegendo rapis, quicquid ſeſe vllo modo dat obuium. An igitur culpam mortuis remitti rectè dicatur (vt demus probè à Cornario, τὸ τῶν αἰτιαμάτων eſſe redditum) non aliunde profectò petendum, quàm à Latinæ linguæ peritis. Quare cùm teſte Donato culpa meritum ſit, & crimen, quis niſi Latinæ vocis imperitiſſimus neget, mortuis culpam remitti, quum eis delictorũ merita aut data ignoſcuntur venia, aut precaria remittũtur gratia? Cęterùm quòd ſcholaſtici ferè culpam viuis remitti docent, an ita ex veterũ id faciant loquendi formula, quàm vt certam inter peccatorum pœnam & culpam præſcriberent docendi cauſa diſtinctiunculam, nolo hîc verboſiùs perquirere. Certè Græca Epiphanij τῶν αἰτιαμάτων vox vt crimina ſignificat, ita & delictorũ reatum, adeóque pœnas, ſuppliciáque peccatis merita. Sic enim veteres ἐν αἰτίαις εἶναι, pro pœnas pendere dixerunt: quemadmodum ex edicto Antiocheno recitat Budæus. Pœnarum ergo criminibus patratis debitarum partem aliquam mortuis oratione viuorum remitti, rectè ex Epiphanio collegêre Colonienſes, qui ſuperſtitum preces mortuis vtiles eſſe affirmat, licet nõ totam culpam præſcindant, vniuerſúmque reatum penitùs deleant. Qua namque ſententia dixerit quis, libellum ſupplicem iudici pro venia reo impetranda porrectum vtilem quidem fuiſſe, etſi non totam peccati pœnam deprecetur: niſi ſummi iuris ſeueritatem eſſe ſignificet mitigatam, partímque imminutam? Sicut igitur in foro reus illo ſupplici libello multò leuiores luat pœnas, quàm eius flagitia poſcebant, ita & mortuos Chriſtianorum precibus à Deo Optimo clementiſſimóque patre ſuppliciorum ſibi

Buceri ſophiſma contra Colonienſes retortum.

Culpa an mortuis remittatur.

Culpa quid Latinis.

Vide donat. in Terent.

αἰτιάματα quid Græcis.

ἐν αἰτίαις εἶναι quid in Edicto Antiocheno.

Vide Budæi Comment.

luendorum partem aliquam ſentire deprecatam atque condonatam docet Epiphanius. Atqui, inquit Bucerus, nihil ſubiicit Epiphanius de impetranda vlla ſiue remiſſione, ſiue mitigatione, vel culpæ, vel pœnæ: ſed dicit clarè orationem pro defunctis ad id prodeſſe, vt ſignificetur quod perfectius eſt: Quod quàm illiberale ſit mẽdacium, quis non agnoſcat, qui illas D. Epiphanij voces intelligat: ἀλλ' οὖν γε διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως (ἵνα τό εὐτελέστερον σημανθῇ) καὶ γὰρ δικαίων ποιοῦμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν: ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους Θεοῦ δεόμενοι: ὑπὲρ δὲ δικαίων, & quæ ſequuntur: Quod eſt, Cæterùm, inquit, quia nos in iſthoc mundo agentes ſæpenumerò offendimus atque labimur vltronei & inuiti (vt quod leuiſſimum eſt dicatur) hinc & iuſtorum & peccatorum orantes meminimus: Peccatorum quidem, illis Dei miſericordiam implorantes: iuſtorum verò, & cætera. An quicquam vllis vocibus dicatur manifeſtius, quibus mortuis ſuperſtitum precibus ſignificaret Epiphanius à Deo Optimo impetrari aliquam, ſiue remiſſionem, ſiue mitigationẽ vel pœnæ, vel culpæ, quum diſertis verbis cauſam reddat, cur in tremẽdis myſteriis omnium planè hominum (piorum dico atque fidelium) memoria recitetur, vt ſcilicet peccatoribus hinc digreſſis Dei miſericordiam impetremus? Si igitur peccatorum hominum meminimus in myſteriis, vt eis Dei benignitatem imprecemur, an hoc ſine ſpe remiſſionis vel mitigationis ipſorum pœnæ fieri credendum ſit? quod ſi eſſet, vti vult Bucerus, quorſum ergo pro ipſis peccatoribus Dei miſericordiã imploramus, vti teſtatur Epiphanius? Sanè non eſſet Dei miſericordia precibus viuorũ mortuis, nec imploranda, nec impetranda, niſi per eam à iuſtis delictorum ſuorum ſuppliciis atque pœnis, aut planè remiſſis, aut partim mitigatis liberari crederentur. Sed, inquit Bucerus clarè dicit Epiphanius orationem pro defunctis ad id prodeſſe, vt ſignificetur quod perfectius eſt. O præſtigiatorem. Quod namque pius dixerat Epipha. ad incredibilis noſtræ fragilitatis, & quotidianæ omnium planè noſtrum offenſionis atque labis excuſationem, id

Buceri vanitas detecta in recitando Epiphanio.

Cur in myſteriis memoria hominũ peccatorum.

Orando miſericordiam Dei imprecamur piis defunctis fratribus.

Torquet impudēter Bucerus D. Epiphanij verba.

Bucerus mira impietate detorsit ad tollendam pro defunctis orationem. Quia, inquit ille, sæpius offendimus & libenter & illibenter, vt quod leuissimum est significetur, ideo pro defunctis peccatoribus oramus, vt eis Dei misericordiam imploremus. Vides Diuum Epiphanium illud quod crassius fortè atque rudiùs dixerat, nos sæpè vltroneos, sæpè inuitos offendere atque labi, hac quasi excusatiuncula, vt quod leuissimum est significetur, extenuare voluisse: quò nimirum ostenderet, nos non tam inuitè quàm voluntariè labi atque offendere. Imò quò magis nostram in peccata assidua propensionem exaggeraret, necessariámque propemodùm, aut veriùs voluntariam maximè in leuiora illa, quæ scilicet à regno Dei non excludunt, offensionem declararet, illud veluti accuratiorē simul & exactiorem sui dicti interpretationem intexuit. Non ergo ad orationum pro defunctis fusarum fructum illud D. Epiphanij dictum pertinet, quò Bucerus trahere obtorto tentabat collo, ne omninò nullum earū vsum nobis ex Epiphanio daret: sed vt admirandæ nos nostræ admoneret infirmitatis, quæ & iustos alioqui viros quotidianis ferè labibus assolet aspergere.

Bucerus locū Epiphanij à se truncatum & adulteratum cōqueritur mutilū.

Cæterùm post D. Epiphanij verba toties truncata, toties in alium, atq; ille patiatur, sensum distorta, toties nouis cōmentis adulterata, cōqueritur de illis Bucerus, quòd sint nōnihil obscura, & forsan, inquit, oratio alioqui mutila. Certè Bucere, isthanc tuam querimoniam & nos alibi comprobaremus iustam: Verùm isto loco non erat quòd de sententiarum mutilatione quemquam in suspicionem adduceres, præter te vnum, qui (si veram Epiphanij sententiam tanto studuisses opere eruere, quanto pro vera falsam substituere: próque genuina affingere adulterinam operosissimè conabaris) haud dubium perspicuam Epiphanij sententiam ex apertissimis clarissimísque eius verbis fuisses facilè, qua es ingenij dexteritate, consequutus. Sed quid mirū, verba hæc Epiphanij luce ipsa meridiana illustriora tuis istis alibi plus quàm felinis, hîc nimiùm noctuinis oculis visa esse & sublustria, & obscuriora, qui crassissimas iis perspiciēdis

Clarißimis D. Epiphanij verbis Bucerus sciens & prudens caliginosas offundit tenebras.

tua ſponte cæcutiẽs offudiſti tenebras? Dum enim Epiphanium tuis iſtis conatibus, quibus Orthodoxos alios veteres tibi reluctantes in tuam hæreticam pertrahere moliris opinionem, ſingulariter offendebas reſiſtentẽ, quòd eius verba diſertiùs atque manifeſtiùs te ſubuerterent, certioríque victoria profligarent, quàm aliorum teſtimonia, non potuiſti quicquam ex eius ſentẽtia pro tuo aduerſario dogmate ſtatuendo adducere, niſi & Aërio hæretico tui dogmatis authori veram Orthodoxorum ſententiam multis aliquot mendaciis etiam ſuffarcinatam affingeres, & Epiphanio tua commenta miris fraudibus contra diſputationis eius rationem attexeres: vt ea ratione imperitis veterũ hæreſeon lectoribus contra vetuſtam admodum hæreſin ſtrenuus pugnare videreris. Sed iis ipſis artibus ſubdolas tuas fraudes toti orbi terrarum non ita ridendas, vt lugendas, miſer prodidiſti manifeſtiores. Itaque poſt præclaram iſtam operã in adulterando Epiphanio poſitam quaſi de victoria ſecurus, quòd de tuis in ſeſe fraudibus nõ timeretur mortuus tecũ expoſtulaturus, ita pronuncias: Id tamen abũdè certum, inquiens, ex eius verbis percipitur, quòd nequaquàm ſenſit defunctis per preces & ſacrificia Eccleſiæ impetrari remiſſionem, vel culpæ, vel pœnæ, ſiue totius, ſiue partis eius. Et paulò poſteà: Nam ſi ſenſiſſet mortuos viuorum precibus releuari, vt id putauit Auguſtinus oportuiſſet eum etiam idem reſpondere, quod Auguſtinus reſpondit, nimirùm prodeſſe, ſed iis tantùm, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſteà poſſent prodeſſe, meminiſſent. Verùm agè Bucere (vt tibi Diuus Epiphanius ipſe atrocem hanc ſui nominis blaſphemiã, qua eum à Diuo Auguſtino reliquíſque Catholicis Patribus omnibus in Apoſtolico dogmate diuerſum ſenſiſſe ſuggillas, nequaquàm ſuſtinens, reſpondeat) an tibi ab Auguſtini ſententia aliud contra Aërium defendiſſe videor, quàm quod illi, mortuorum ſcilicet quoſdam precibus poſſe ſuperſtitum releuari, qui ſummo animi ſtudio, verbíſque diſertiſſimis ſuperſtitum orationes pro defunctis fratribus Deo clementiſſimo patri fuſas non poſſe eſſe nec inanes nec inutiles, enitor

Bucerus pridem ſe Aretium Felinũ ſcriptitabat ſuum ad nomen alludẽs.

Epiphaniũ opponit Auguſtino Bucerus quaſi non ſenſerit mortuos precibus & ſacrificiis Eccleſiæ iuuari.

Proſopopœia qua D. Epiphanius ſe idẽ Auguſtino aliiſq; orthodoxis ſenſiſſe demonſtrat de mortuis p preces & ſacrificia iuuandis.

ostendere? An ne sanis auribus idem prorsus sonet illud meum ὠφελεῖ δὲ, φημι, ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι, id est, Prodest quidē deprecatio, inquā, pro ipsis (fratribus scilicet hoc corpore licet exutis, at peregrinantibus tamen) fusa, etsi nō totum delictorum reatum præcidat: quod illud Augustinianum, mortuos posse superstitutum precibus releuari? Et illud eiusdem, mortuos orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari adiuuari, vt cùm eis misericordiùs agat Deus, quàm eorum peccata meruerunt? An ne tibi meam abundè satis explicasse videbar sententiam, mortuos posse viuorum deprecationibus & releuari & adiuuari, qui disertis meis ex verbis (nisi miser errore deceptus alios quoque in errorem demens præcipitare, quàm aut resipiscere ipse, aut alios reuocare maluisses) discere planè quiuisti, ὡς ἐλπίς ἐστιν ὑπὲρ ἀδελφῶν εὐχομένοις, ὡς ἐν ἀποδημίᾳ τυγχανόντων, id est, Nos Christianos maximā spem deprecantes concipere pro fratribus quasi adhuc in peregrinatione cōstitutis: Quos nisi nostris superstitum precibus releuari, atque à miseris lugendæ illius peregrinationis in peccatorum luēdorum supplicio, atque vindicta transigendæ carceribus liberari citiùs posse credidissem, cur Christianos in Domino mortuos, ὡς ἐν ἀποδημίᾳ τυγχανόντων, tanquàm adhuc in peregrinatione degētes affirmassem? Sciebam equidem maiorem peregrinationis partem nos vita isthac misera defunctos emetiri: sed docuit me Catholica Christi Ecclesia Apostolorum doctrinis instituta, plerosque nostrum in Domino licet morientium non ita puros putos contagiosum istud corpus mundúmque nimis immundum posse exuere, vt nos non sui, aut contagij næuis contaminet, aut spurcitiæ labibus aspergat: quod vt sæpè vltronei, ita non rarò itidem patimur inuiti. Hanc meam doctrinam mea ipsius verba non alienis oculis & interpretum fide tibi reddita, sed tuismet ipsius oculis lecta constanter tibi clamabant, vt non nisi surdissimus eam transire non posses inauditam. Sed mœstus agnosco anticipatam tuam opinionem, quā mea verba lecturus animo pertinaci obtinere statuisti, pluris tibi habitam

Sic Epiphanius contra Aerium.

Vide sermonem 82. de verbis Apostoli.

tam eſſe, atque meam aliorúmque veterum ſententiam
ex priſca Apoſtolorum traditione depromptam: quam
quia tecũ ex diametro toto pugnare manifeſtè animad-
uertiſti, aliud tibi ſubiit callidum, heu nimis, conſilium,
quo apertiſſimam totius Eccleſiæ Catholicæ veritatem
non ſolùm oppugnare, ſed & mea verba priùs truncata,
pòſt diſtorta, in alium ſenſum adulterare es aggreſſus.
Quod enim habeo, ὡς ἐλπίς ἐστι ὑπὲρ ἀδελφῶν εὐχομένοις,
ſpem eſſe viuis orãtibus pro fratribus mortuis, tu apud
me eſſe dicis: orationibus, inquiés, pro defunctis ſpes fit
de fratribus. Ego diſertè viuos cõfidere affirmo, ſeſe ſuis
precibus poſſe mortuis fratribus prodeſſe apud clemen-
tiſſimi Patris benignitatem: tu contrà me dicere ais, vi-
uos ex orationibus conſolationem accipere, quòd mor-
tuos tandem conuenient. Ad eundem fraudis modum
allatam meam huius dicti orationem, quæ te imperitiſ-
ſimæ iſtius hallucinationis, imò malignæ potiùs depra- »
uationis, potuiſſet admonere ſalubriter, non es veritus »
corrumpere nequiter. Nam quod ego ſubieceram, ὠφε- “
λεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ ὅλα τῶν αἰτιαμά- “
των μὴ ἀποκόπτοι. Prodeſt quidem illa viuorum oratio pro “
mortuis fuſa, etſi non totam delictorum pœnam præci- “
dat: Tu verò ita, me id aut de viuis ſcripſiſſe, quò Aërij “
ais obiectionibus reſponderem: ſed ô bone, mihíne de “
orationibus, quæ viuis proſint contra Aërium ſuſcepta “
eſt diſceptatio? aut certè, inquis, ſi de peccatis defuncto- “
rum id vir Dei dixerit, idem neceſſe eſt, vt polleat, atque “
ſi ſimpliciter dixiſſet, etiamſi culpas non abſcindat. Sed
vt diximus locus hic de mendo ſuſpectus eſt. Verùm Bu-
cere, an aliquem mentis ſanæ compotem iſtas tuas ſine
mente diuinatiunculas lecturum exiſtimaſti, vt non te
tuæ puduerit vanitatis? Quis vel communi tantùm præ-
ditus ſenſu clariſſima illa mea verba de aliis vllo modo,
quàm de mortuis cirtra manifeſtam inſaniæ ſuſpicionẽ
accipiat? Nam explicaturus quatenùs ſuperſtitum de
fratribus mortuis iuuandis ſperantium orationes his
proſint, clariſſimam ſentẽtiam ſubieci, non totas videli-
cet delictorum luendorũ pœnas mortuis per eas præci-
di: an hoc cuiquam mortalium ad viuorum peccata de-

Querimonia D. Epiphanij, qua Bucerum legis Corneliæ reũ conuincit varijs ex capitibus atque categoriis.

lenda pertinere vllo modo videatur? At, inquies, istam meam insanam coniecturam posteriori cogitatione castigaui: Quod ad mortuos fortè pertineat. Sed eo sensu vt idem polleat, atque si dixisses, Etiamsi culpas non abscindat. Sed quis hominum ita suæ sit rationis arbitrio captus, vt pro eisdem habeat prodesse opes ducẽdę mortalibus vitæ, etsi non totam miseriam excludant: & prodesse easdem, etsi miseriam non excludant? Item libros studiosis etsi non totas ignorationis, aut inscitiæ tenebras pellant: & prodesse, etsi ignorationem non pellant? Quemadmodum igitur nemo nisi communium rerum imperitissimus opes dicat esse vtiles ad vitam commodiùs transigendam, etsi irruentes ærumnarum calamitates depellere nullas queant: ita vt magna incogitantia, sic maiori fraudulentia idem mihi esse asseruisti, Preces superstitum prodesse mortuis, etsi non totam peccatorum luendorum pœnam deprecẽtur: &, prodesse easdẽ, etsi pœnas mortuorum non abscindant. Quid namque mortuis prosint viuorum orationes, si cruciatum culpis commissis debitum nulla sui parte, aut imminuant, aut deprecẽtur? Certè Bucere, quòd noluerim viuorum precibus mortuorum culpas non deleri, vt tu mihi affingis: sed eas illis partim, etsi non totas, præcidi, id re vera, si captatas istas dedita opera tenebras, quas in meo scripto demendis, vti ais, suspecto tibi videri vis, videri fuisses detestatus, candido sanè veritatis studio agnouisses facilè, nisi te præposterus ac planè impotens Lutheranæ hæreseos defendẽdæ zelus potiùs, quàm rectus Apostolicæ fidei amor in istum tuæ sententiæ furorem dedisset præcipitem. Quorsum namque, nisi mortuorum pœnas suppliciáque superstitũ precibus docere voluissem releuari atque imminui, partímque mitigari, illam de pia mortuorum cùm iustorum, tum iniustorum, in mysteriis memoria distinctionem subtexuissem? An, vti tu colligis, ad humanæ fragilitatis confessionem, gloriæque Christi illustrationem amplificandam? Sanè id quidem mea docent verba: sed dicti mei scopũ prudens fraudulenter dissimulas, ne lectori agnitis meis verbis apud te sic integris quicquam tuarum fraudum subolef-

eat. Nam ſi illud ſerio animaduertere, imò aſcribere (nã te animaduertiſſe quis ambigat, quod te ſtudio liquet & diſſimulare & opprimere?) candidus voluiſſes, quod fidelem decebat interpretem, & cum Euangelicum, ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν μὲν, ἵνα τοῦ θεοῦ ἐλέους δεόμενοι, nos fratrum quidem peccatorum in myſteriis meminiſſe, vt eis Dei Opt. clementiſſimi Patris miſericordiam impetremus: Si hæc, inquam, tuo iſti mendaciorum atque fraudum ſpiritui viſum fuiſſet commodum attexere, nullus planè omnium de apertiſſima verborum meorum ſententia in dubitatiunculam vel leuiſſimam adduci potuiſſet. Sed iſtud tuo veneno pharmacum præſentiſſimum maluiſti inſanus pernitiosè fugere potiùs, vt rabidi aquam canes: quàm eo ad tui ingenij, Lectorúmve ſanitatem ſalubriter vti. Non erat ergo Bucere, quòd perfectã mei nominis de Catholiciſmo integritatem atque firmam in Apoſtolica fide conſtantiam, aut inuidè arrodere, aut malignè ſtuderes labefactare: quaſi ego aliud non ſolùm Ab Auguſtino, ſed tota in vniuerſum Eccleſia Catholica de iuuandis, releuandis, mitigandis mortuorum pœnis atque ærumnis per viuorum preces: quum id conſtanter vt hoc loco, ita aliis præterea duobus libris cõtra hæreſes, & in Epitome diſertis verbis ex Apoſtolorum traditione docuerim, ὅτι ἀναγκαίως ἡ ἐκκλησία τοῦτο ἐπιτελεῖ παράδοσιν λαβοῦσα παρὰ πατέρων, id eſt, Supplicationes atque deprecationes pro mortuorum pœna releuanda atque mitiganda Catholicam Chriſti Eccleſiam neceſſariò perficere, quòd ab Apoſtolis ita traditũ acceperit. Sed quid diutiùs malè me habeat, quòd mea verba non ſolùm corruperis, & ſententiam planè in cõtrarium, atque ego ſenſerim, detorſeris, qui video me hanc iniuriam cum aliis Catholicis Patribus ſuſtinere communem. Verùm quò maximè fuiſſet æquum nomine me intactum abs te relictum eſſe, eò tuam rabiem experior ſeueriorem. Nihil profectò te latuit Bucere, me locis non paucis mortuorum cauſam ſuſcepiſſe defendendam, quos non ſolùm ſuperſtitum precibus, ſed & ſacrificio illo noſtro Chriſtiano poſſe ſuorum malorũ ſentire opitulationẽ, atq; mitigationẽ ex Apo-

Epiphan. ex Apoſtolorum doctrina affirmat mortuis prodeſſe orationes ſuperſtitum.

ſtolorum traditione conſtanter alibi affirmo. Sub finem enim lib. 3. in fidei Apoſtolicæ Epitome legas, ἐπὶ τῶν τελευτησάντων ἐξ ὀνόματος τὰς μνήμας ποιοῦνται προσευχὰς τελοῦντες, καὶ λατρείας; καὶ οἰκονομίας, id eſt, mortuorum memoriam nominatim in myſteriis celebrari, precéſque & ſacrificia atque eleemoſynarũ diſtributiones fieri in Eccleſia dum funebre agitur officium, ex Euãgelij & Apoſtolorum traditione. Hæc pro mei purgatione tibi Bucere loquutus, aliis aliorum infamiæ notam abs te illis immeritò inuſtam relinquo abolendam.

Tranſitio ad alias Buceri corruptelas in D. Aug. tentatas.

Quæ igitur (vt ad inſtitutum ex diuerticulo recurrat oratio) hactenus ex D. Epiphanio adduximus, atque orbi Chriſtiano demonſtrauimus vera efficaciáque mortuis fratribus à ſuperſtitibus de more exhiberi ſolita ſuppliciorũ pro peccatis hîc cõmiſſis luẽdorum ſolatia, Buceri inſaniam meritò cõpeſcuiſſent, atque ad priſtinam ſanitatẽ reuocaſſent, niſi anticipatæ ſemel opinionis amore, imò hæreſeos furore ceu œſtro percitus alios item veteres ſcriptores callidè maluiſſet corrumpere, quàm ab eis genuinã Catholicæ Eccleſiæ nobiſcũ concorditer diſcere doctrinã. Cùm enim quoſdam PP. vetuſtiſſ. agnoſceret ingenuè (quod Melanchthon & alij neſcio vtrum imperitiùs, an maligniùs eunt inficias) & orationes & Miſſæ ſacrificia teſtari fuiſſe olim ante Gregorij Magni ætatem in defunctorũ ſolatium adhibita, maluit adulterio illa PP. loca corrumpere, quàm genuino ſenſu ex Catholicæ Eccleſiæ vſu intelligere. Quod enim D. Aurelius Auguſt. ſcribit lib. 9. Confeſſ. cap. 12. Nam neque in eis (inquit de matre apud Oſtiam Tyberinam defuncta) precibus, quas tibi fudimus cùm offerretur pro ea ſacrificiũ pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrũ poſito cadauere priuſquàm deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, ego fleui, &c. audebat homo vaferrimus adulterino cõmento aggredi corrumpere: Eum, inquiens, ſacrificandi pro mortuis morem non vbique obſeruatum licet in Auguſtini Eccleſia precibus funebribus ſacrificiũ cœnę fuerit adiunctum. Nam quod in Oſtienſi Eccleſia, vbi ipſius mater vita iſthac defuncta ſepeliebatur, factũ diſertè narrat Auguſt. ait os impudens, in eius Eccleſia

Quod Aug. ait in Italia factũ Bucerus fingit in Africa cõtigiſſe.

contigisse, quum nondum clerici nomen, nedum Ecclesiam haberet. Sed istum errorem quónam statuere conetur paralogismo nũc paucis demonstretur. Nam August. dicit (verba sunt Buceri) sicut illic fieri solet, nõ ergo vbique veteres precibus pro mortuis fusis cœnæ Dominicæ sacrificium adiungebãt. Sed quid hoc loco Bucere, magis admirer ignoro, callidásne ingenij tui hîc minùs cautas insidias, quibus Augustini Ecclesię imprudens tribuis sanctũ pro mortuis sacrificium, vt toti Catholicæ Dei Ecclesiæ detrahas: an dolosas potiùs in Augustinum fraudes? quibus quod ille de ritu funebri, quo cadauer sepulchro ante depositionem apponebatur, ex Ostiensis Ecclesiæ more commemorat, tu ad sacrificium pro mortua matre oblatum transfers, ídque in Augustini Ecclesiam: Sicut illic fieri solet, inquit Augustinus, quòd scilicet cadauer sepulchro apponebatur tempore sacrificij: quum solennis Ecclesiarum mos passim obseruatus haberet, vt cadauer ante depositionem medium templum soleat excipere. Hoc erat notatu dignũ, quòd illic in Ostiensi Ecclesia sepulchro apponebatur cadauer, dum viuorum preces & sacrificia pretij nostri pro mortuis Deo Optimo offerebantur.

Vide Aug. lib.22.cap.8. Me & fratrem meum Alipiũ nõdũ quidẽ clericos, sed iam Deo seruientes.

Aug. verba in falsum deprauat sensum Bucer⁹.

Verùm quia Bucerus clarissimo D. Augustini testimonio, quod nullos nec cauillorum fumos, nec verborum deprauationes, nec sententiarum detorsiones patiatur, conuictus non potuit non profiteri ingenuè (ne totus aut vanus, aut insanus omninò omnibus videretur) in Catholica Dei Ecclesia olim pro mortuis oblata fuisse sacrificia, illud adulterino conatur subuertere cõmentario: sed in aliis Ecclesiis, inquit, sacrificium cœnæ Dominicæ funebribus precibus adiungebatur, in aliis minùs. Hîc Catholicæ fidei amor iterum ostendere nos compelleret, non in Augustini modò Ecclesia, quod vult Bucerus, sed toto passim orbe quaquà versum latè patet, hunc solennem pro mortuis sacrificandi morem fuisse vsitatissimum, ni id priùs liquidò esset antè demonstratum. Verba autem Buceri cap. 18. lib. 2. de vera & falsa cœnæ Dominicæ administratione sic habent: Oblationes itaque, inquit Bucerus, apud veteres in fu-

Aliud Buceri cõmentũ vanitatis cõuictum.

Vide paulu- lum superius istud liquido commōstratum. cap 53.

Oblationes pro defunctis Bucerus adulterat orationes & gratiarum actiones.

nebribus precibus, præsertim publicis, rarissimè deerãt: sacrificium verò cœnæ Dominicæ in aliis Ecclesiis adiungebatur, in aliis minùs. In August. Ecclesia adhiberi solebat, vnde de funere matris suæ ita scripsit lib. Confessionum suarum 9. cap. 12. Cùm ecce corpus, & quæ seq. Isthoc suo Epilogo Bucerus vt docet Catholicis quidem vtiliter apud veteres plerumque semper funebribus illis precibus adiunctas fuisse oblationes, quas ad Deum supplicationes & gratiarum actiones interpretatur: ita mirè fallaciter sacrificium quoque cœnæ Dominicæ fuisse alicubi adiunctum, alicubi minùs, demonstrare conatur. Quod vt confirmet, locum adfert ex Augustini Confessionibus, verbis quidem integrum, sed vti apertissimo fœdatum mendacio, ita violento distortum commentario, quod ex ipsis Buceri vocibus luce clariùs cuilibet pateat: In August. inquit, Ecclesia adhiberi solebat sacrificium scilicet cœnæ Dominicæ publicis precibus, vnde de funere matris suæ ita scripsit lib. Confess. 9. cap. 12. Cùm ecce corpus elatum est, imus & redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus cùm offerretur pro ea sacrificiũ pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, sicut illic fieri solet (sicut illic annotat Bucerus) fieri consueuit: is ergo mos non vbique obseruabatur. Sacrificium pretij nostri vocat Cœnam Dominicam, qua pretium nostrum in ea verbis & Sacramentis celebrari debet atque exhiberi. Hîc primò Buceri vanitas omnibus est demonstranda, vis deinde reprimenda. Quod itaque habet, in August. Ecclesia adhiberi solebat sacrificium, verissimum quidem est, at non hoc loco D. August. de sua Africana, vel Carthaginensi, vel Hypponensi loquitur Ecclesia: sed Romana, hoc est, Ostiensi. Hîc enim & mater eius Monica & mortua est & sepulta, quod ex eiusdẽ lib. cap. 8. apertissimè constat indubitatum. Et cùm apud Ostia Tyberina, inquit, essemus, mater defuncta est. & cap. 10. Imminente autem die, qua ex hac vita erat exitura, &c. illic apud Ostia Tyberina, &c. cap. 11. descripta eius febri, & pia vt sepulchri maritalis negligentia, ita de precibus ad altare Dei pro se fundendis diligẽtia,

Augu. verba fœdo cõtaminat mẽdacio Bucerus.

Bucerus falsitatis vanis. conuictus.

Quod Augu. docet de occidẽtali Ecclesia, Buce-

morientem depingit Cap. 12. atque Psalmorum cantum funus deinde, & sepulturam Christianam. Ostiensis ergo Ecclesia S. Monicam sua cœmiterij vrna Deo tandem excepit reddendam, cuius Ecclesiæ ritus funebres hîc Augustinus commemorat: inter quos & sacrificij oblationem pro mortuis recenset: non vt Bucerus molitur docere, suæ, hoc est, Africanæ. At, inquiet Bucerus, disertè illud Augustinus adnotat, sicut illic fieri solet: is ergo mos non vbique obseruabatur. O argutam fraudem. Quod Augustinus ad Ostiēsis Ecclesiæ peculiarem curandi funeris retulit cæremoniam, id Bucerus violenter ad sacrificij ritum detorquet. Solet namque ex solenni Ecclesiarum ferè omnium more Christianum funus ante sepulturam illa templi pars, quæ ante Chorum iacet, excipere, inde verò ad sepulchrum deferri: quemadmodum & Dionysius Areopagyta capite vlt. Ecclesiast. Hierarch. describit. Hoc igitur erat memorabile, quòd in Ostiensi Ecclesia S. Monicę cadauer iuxta sepulchrum poneretur, antequàm deponeretur & sepeliretur. Quare D. Augustinus non hîc voluit peculiarem sacrificij pro mortuis offerendi describere rationem, sed priuatum sepeliendi Ostiensis Ecclesiæ ritum. Quod cùm Bucerum latere minimè potuit, maluit ad priuatam Ecclesiæ Augustinianæ sacrificandi pro mortuis rationem & mendaciter transcribere, & violenter deprimere, quàm in Occidentali quoque Ecclesia, id est, Romana & Ostiensi eundem pro mortuis sacrificandi morem agnoscere: ne ex Meridionali & Occidentali Ecclesiis vniuersalem sacrificandi pro mortuis consuetudinem cogeretur admittere. Nouerat enim ex Cypriani lectione, Meridionalem, hoc est, Africanā Ecclesiam iam olim ante Augustinū, adeòq; Cypriani tempora, non solùm pro mortuis sacrificasse, verùmetiā quibusdā Canonibus vetuisse, ne pro certo hominū genere frequētaretur Ecclesiæ deprecatio, aut vlla celebraretur pro eius dormitione oblatio. Maluit itaq; Augustini locū & turpiter mēdacio illiberali defœdare, & violenter nouo figmento detorquere, quàm in Occidentali quoque Ecclesia solennem

rus fallaciter ad Meridionalem traducit.

Ritus curandi funeris varius.

Ritum sepulchralem Bucerus in sacrificij locum conatur obtrudere.

Bucerianæ fraudis scopus.

Vide libr. I. epist. 9.

pro mortuis sacrificandi consuetudinem ingenuè agnoscere, ne vniuersalem istum oblati apud veteres pro mortuis sacrificij ritum, quem impotenter conatur euertere, cogeretur violenter concedere. Verùm quàm sit sycophantica prorsus calumnia plenissimum quod cauillatur Bucerus, non per vniuersalem Ecclesiam, sed alicubi sacrificium fuisse pro mortuis oblatum, ex iis quæ superiùs ex quatuor mundi plagis, id est, omnium Ecclesiarum Patribus demonstrauimus, manifestiùs esse confidimus omnibus qui animaduertere non fuerint grauati, quàm quòd fusiore sit persequendum oratione.

Calumnia Buceri vanissima.

Caput LV.

De alio Missæ vsu, quod ritè offeratur pro aliis rebus aut bonis impetrandis aut malis deprecandis.



Æterùm quòd tandem hunc de salutari cùm primis sacrosanctæ Eucharistiæ sacrificio locum concludamus, illud coronidis vice est attexendum, hanc eandem sacrificij Christiani oblationem, siue vti hodie veteri de more loquimur, hanc Missam verè (vti nunc est demonstratum) Euangelicam in alios quoque ritè adhiberi vsus, quàm modò explanauimus, hoc est, non tantùm pro peccatorum remissione tam defunctis, quàm viuis concilianda atque à Deo patre benignissimo impetranda: sed in gratiarum etiam actionem, pro Martyrum, sanctorúmq; omnium gloria, pro deprecandis malis aut iam præsentibus, aut impendentibus, pro beneficiis denique tam spiritualibus quàm corporalibus assequendis atque adeò obtinendis. De hoc varij Missarum vsus genere paucis mihi ordine dicendum video, priusquàm ad saluberrimam huius Sacramenti communionem atque participationem proficiscamur.

Quòd in martyrum gloriã ritè fiat Missa.

Quòd ritè in gratiarum actionem pro Martyrum gloria istud Missæ sacrificium Catholica offert Ecclesia, vnus abundè satis Diuus Cyprianus nobis fecerit contestatum. Cùm sua ætate passim per Africam mactarentur hostiæ Christo martyres, alij equuleis immortui, alij

fornacibus viua calce candentibus iniecti, aut ſuo ipſi arbitrio præcipitati, alij variis tormentorum immaniſſimorum generibus exanimati, alij denique rigida in catalta, duriſque carceribus, ſqualore, ſitu, pedore enecati, iubet Cyprianus totius Africæ præſul vigilantiſſimus presbyteris atque Diaconis illorum nomina diligenter ceratis inſcriberent atq; annotarent. Tertullum igitur fideliſſimum fratrem vult ſibi ſignificare dies (inquit epiſtol. ſexta libri tertij) quibus beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſierunt, & celebrentur hîc à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum. Ad eundem modum & B. Celerini Encomion celebrans plurima in eius Martyrij gloriam cùm dixiſſet, tandem eum ab auita laudaturus conſtantia & gentili propè martyrij gloria, eius patruum, auiámque Celerinam martyrio coronatos, palmas à Domino & coronas illuſtri paſſione dicit meruiſſe: quibus attexuit quod præſenti conducit inſtituto: ſacrificia pro eis ſemper (inquit) vt meminiſtis offerimus, quoties matyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. His ex verbis Cypriani nullo eſt negotio intelligere, alia de cauſſa Cyprianum hoc Miſſæ ſacrificium obtuliſſe, quàm ſuperius eſt demonſtratum, nimirùm non pro martyrum peccatis delendis: iniuriam enim facit martyri, ait ille, qui orat pro martyre: ſed pro martyrum gloria: Deo Opt. enim hoc ſaluberrimum Euchariſtiæ ſacrificium ob glorioſa illorum certamina, illuſtréſque reportatos de hoſte triumphos ſolenniter immolabant. Verùm hoc de ſacrificii vſu video aduerſarios non tantum contentionis ſuſcepturos, atque de illo altero genere, quod nunc venit pertractandum, putà ritè etiam offerri pro malis deprecandis & beneficiis omne genus impetrandis.

Pro martyribus offert Cyprianus Miſſæ ſacrificium.

Hîc ſanè aduerſarios ſatis pro eo atq; par eſt demirari equidem nequeo, magnam in eis deſiderans prudentiam, nedum liberalem ingenuámque in vetuſtiſſimos Eccleſiæ patres reuerentiam. Cùm enim ſuis ipſi ſcriptis profiteantur, Euchariſtiam eſſe ſacrificium gratiarum actionis præter illum potiſſimum ſui vſum, qui ad

Aduerſarij agnoſcunt legitimum ſacrificij Euchariſtiæ vſũ extra crucẽ.

delenda totius mundi peccata fuit pridem adhibitus, cur non & idoneam quæso censeant ad alia quoque bona à Deo optimo impetranda? Si enim offerre hodie licet corpus Dominicum Deo patri pro beneficiis acceptis, quod illi vltrò & in Apologia Confessionis Augustanæ & alibi disertè profitentur, quidni obsecro & pro accipiendis? Atqui de hoc, inquias, nullum Dei mandatum. Certè nec de illo, quod tamen asseritis, & constanter sine Dei verbo expressóque mandato & affirmatis, & facitis. De neutro enim vlla est in scripturis mentio: quare de vtroque tantundem mandatum. Cæterùm quia Christus Dominus diuinam illam sui corporis & sanguinis oblationem Christianis instituit Deo Patri offerendam in locum sacrificiorum prorsus omnium Leuiticorum siue Mosaicorum: quippe qua vna consummauit in æternum eos qui sanctificantur, hinc & Catholici illi ex Christi præcipientis verbis, Hoc facite in mei commemorationem, sacrosanctum Christi corpus Deo Patri ritè offerimus, & in sacrificium pro peccatis, & in holòcaustum pro ignorantiis & in hostiam pro malis deprecandis atque depellendis, & in victimam denique pro victoria, boníque aut impetratis aut impetrandis. Quod si liquida veterum Patrum imitatione nos facere demostraro, nemo opinor tam erit nobis iudex iniquus, qui hîc Catholicos in posterum accusare, nedum codemnare, audeat idolomaniâs, quam vbique crepitant illi Euangelici. Diuus Augustinus nobilissimum Catholicæ Christi Ecclesiæ columen vno exemplo nobis fecerit contestatum, in quósnam vsus populi Christiani crediderit non ipse modò, sed tota passim Ecclesia Catholica valere Dominici corporis sacrificium. Cùm suo in Episcopatu domus cuiusdam à cacodæmonibus redderetur infestior, eorúmque vexaretur terriculamentis, atque noxis etiam fortè impeteretur, censuit D. Augustinus illorum infestationes, noxiásque incursiones precibus coërcendas: quas vt faceret efficaciores, iussit eo in loco Dominicũ altaris nostri offerri sacrificium, quod angelis non modò bonis est venerandũ, sed malis etiam tremendum: quemadmodum rei euen-

Eucharistia Christianis est sacrificiũ gratiarum actionis holocaustum, hostia victima. Vide D. August. lib. 3. ca. 19. cõtra Donatist.

Vide. D. August. de Ciui. Dei. lib. 22. cap. 8.

Missa ædibus pellit cacodæmones, teste Augustino.

tus meridiana luce demonſtrauit clariùs. Cùm enim illic à ſacerdote à ſe illas ad ædes miſſo fuiſſet Chriſtiano de more ſacrificatum, redditæ ſunt à dęmonum incurſationibus, ludibriis, noxiiſque vexationibus liberæ atq; immunes. Quòd ſi ritè atque Chriſtianè illa Dominici corporis oblatio Deo patri offertur ad cacodemones profligandos atque domo expellendos, quod ex Auguſtino liquet, quidni obſecro eadem Deo Optimo offeratur hoſtia ad mala omnis generis aut præſentia, aut impendentia deprecanda & propulſanda? Si pro malis igitur deprecandis ritè offerre licet ſacrificium hoc Chriſtianum, ecquid non pro bonis etiam conſeruandis, aut impetrandis? Sanè quantùm malo præſtat bonum, tantùm hoc Chriſtianę Eccleſię ſacrificium ſingulare, quod omnia ſemel vt abſtulit mala, ſic attulit hominibus bona, ad bonum obtinendum atque impetrandum valet apud Deum Patrem Optimum efficaciùs, quàm ad malum depellendum atq; propulſandum. Iſtud ex D. Ambroſij codice Mediolanenſi, qui Miſſæ Canonem antiquiſſimum habet, pauculis admodùm à Romano, quòd Gręcos imitari maluerit, euariantem liquidò demonſtretur, quòd ſacerdos ibi offerat pro Eccleſia, vt eam Deus Opt. pacificare, cuſtodire, adunare & regere dignetur: Item pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuę. Item vota piorum ad vnũõniũ. Huic ſuffragatur & Liturgia Gręca tam D. Baſilij, quàm Chryſoſtomi, quæ offerre docet ſacerdotem pro pace, pro aëris temperie, & tranquillitate reipublicę, pro exercitus, nauigantium, peregrinantium ſalute, pro terræ fructibus, pro ſalute denique tam viuorum quàm mortuorum. Idem nobis conteſtentur & aliæ Miſſę pridem editæ, quæ hunc ſacrificandi ritum toto paſſim orbe tam apud Æthiopes, Moſcouitas, quàm apud Indos & Schytas demonſtrent ſolennem. Verùm in huius rei confirmationem non fuerit inutile vnum ex hiſtoria veteri Eccleſiaſtica prompſiſſe exemplum, quod liquidò oſtendat nobis, non modò pro bonis impetrandis atque malis depellendis hoc fuiſſe olim publico ex more Deo Optimo oblatũ ſacrificiũ: ſed quanto etiã cũ fructu

D. Ambr. Miſſa pro pace, pro incolumitate, &c.

Miſſa D. Baſilij & Chryſoſt. pro pace pro aeris temperie, pro trãquillitate reipub. pro terræ fructibus.

planè paradoxo, & qui omnem superare videatur fidem, nisi testibus & ocularis & auritis fide dignissimis munitum cōsisteret. Refert Beda, qui ab eximia cum fide tum probitate Venerabilis cognomen inuenit, in nobilissima illa Ecclesiæ Anglicanæ historia fratrem regis Merciorū Edilredi suorum magna cum strage fusum, inter quos & adolescens nobilis Imma cecidisse ferebatur. Huic frater erat Germanus Tunna presbyter atque Abbas, à cuius præstantia & Tunnacesti oppidum nomen tenet, cui cùm de fratris internecione foret nunciatum, ille ad castra properans cadauer sepeliendum inquirit: quod vbi se inuenisse crederet (nam fraternus amor iudicij aciem nonnunquàm obnubilat) domum aduehit honorificè sepeliens, atque pro absolutione animæ eius, inquit lib. 4. cap. vigesimosecundo, sæpiùs Missas facere curauit. Porro ille cùm viueret fraternæ pietatis atque supplicationis expers minimè existit. Nam vinculis nullis, quod vel hostes adeò demirabantur, & literis solatoriis, quas dicunt præstigiatores, ascriberent, aut stringi aut vinci non potuit, idque maximè sub horam tertiam, quando ex prisco illo Apostolorum ritu Missæ peragebantur. Quo miraculo hostes, quibus captiuus tenebatur, obstupefacti, eum Londoniæ cuidam Frisoni vendiderunt: cui cum idem quod illis acciderat, eueniret, ei facultatē se redimendi fecit. Ad fratrem igitur cùm rediisset, exposito quid incommodi, quídue commodi per illud accidisset, deprehensum est, illis maximè temporibus soluta illi fuisse hostium vincula, quibus pro eo Missarum fuerant celebrata solennia. Quo Christianæ Missæ vsu testatur Beda, multos, qui hoc ab illo ipso Imma audierunt, qui ipsi retulêre, fide accēsos ad offerendas Domino pro suorum ereptione, qui de seculo migrarant, victimas sacræ oblationis. Intellexerunt enim, ait eodem " cap. 22. libr. 4. quàm sacrificium salutare ad redemptio- " nem valeret & animę & corporis sempiternā. Quod qui cum illis priscis Christianis, sicuti res est, persuasum habet, an vllo queat pacto ambigere, sacrosanctum illud Dominici corporis sacrificium Deo patri haud dubium longè omnium gratissimum, & ad omnia impetranda

Vide histor. Gentis Anglorum libr. 4. cap. 22.

Missa pro captiuis liberādis dissoluit cōpedes, ait Beda.

multò efficacissimum ritè offerri pro beneficiis omne genus impetrandis? Quanquàm igitur orationes, Collectæ, Secretæ, & Præfationes adeò mutentur interdum, non tamen existimandum cum vulgo Missas mutari, aut aliud illis mutatis Deo Opt. sacrificium offerri. Vnum enim idêmque offertur incruentum sacrificium, vnus agnus, quod ait Chrysostomus ad Hebræos, & hîc, & toto orbe quotidie offertur, qui non modò in cruce, sed ab origine mundi occisus est. Nam ea Missæ siue sacrificij pars, quæ oblationem continet, atque sacrificij naturam tangit, semper eadem est & inuariata, quæ semper (qualecunque tandem sit officium reliquum siue de Paschate, siue de Natali, siue de Domina, siue pro mortuis, siue pro pace, siue quouis alio dicatur titulo) vnius illius oblationis à Christo sacerdote in crucis altari peractæ memoriam agit, atque eâdem hostiam corporis Dominici pro nobis passi Deo patri eisdem semper verbis cõsecrati in rememorationem offert atque sacrificat, vt illius cruentæ hostiæ vim atque effectum copiosiùs nobis impartiat. Hunc in sensum Missam semper nos eandem facere accipiendum esse, vnus nobis contestetur Diuus Vigilius, qui hac de re percunctanti Euthero siue Eleuthero, hisce respondit verbis: Ordinem quoque precum in celebritate Missarum, inquit, nullo nos tempore, nulla festiuitate significamus habere diuersum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera sacrare. Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, aut Epiphaniæ, sanctorúmque Dei fuerit agenda festiuitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctæ solennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus. Cætera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius Canonicæ precis textum direximus subter adiectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus: Facessat igitur illa non minús imperita, quàm improba aduersariorum calumnia, quòd Catholici ad diuersos fines Missa sumus abusi. Etsi enim titulus pro pace, pro rege, pro infirmis, pro prægnante, contra Turcas, pro defunctis, pro concordia, contra tempestates, contra pe-

Vna semper agitur apud Catholicos Missa, idémque semper offertur sacrificium.

Apoc.20.

Tempus aut occasio non variat sacrificium quod semper vnum est & idẽ.

Canon semper idem in Missa.

ſtem, & cæt. varient etiam orationes, lectiones, ſecretæ atque preces, ipſa tamen potiſſima Miſſæ pars (quæ olim fidelium Miſſa dicebantur) manet ſemper eadem, quod ad ſacrificium Chriſtianum attinet. Sicuti enim Eccleſia, teſte Diuo Auguſtino in Epiſtola ad Paulinum, & Diuo Ambroſio 1. Timot. 2. ex D. Pauli præſcripto in Miſſa pro regibus & omnibus hominibus fundit Deo Optimo deprecationes, obſecrationes, interpellationes, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: ita aborta noua aut difficultate aut neceſſitate adhibitis eam in rem precibus idoneis permanente eadem canonicæ precis forma, atque eadem hoſtia illa omnium rerum effectrice atque impetratice Domino Deo noſtro ſupplicamus, vt memor ſacrificij filij ſui noſtram in ſalutem ſemel oblati, cuius nos memoriam idem offerendo agimus, noſtri miſertus nos pius benignúſque exaudire dignetur, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Scopus Miſſarum omniũ pius, atque verbo Dei congruus.

Caput LVI.



Xplicato vero illo ſacrificij Chriſtiani vſu, quòd in vicem Moſaïcorum omniũ ſuccedens nobis ad omnia aut bona impetranda, aut mala deprecanda eſt adprimè idoneum, ſupereſt vt nunc ad illam deſcendamus controuerſiam, quæ de venerabili eſt Euchariſtiæ communione. Quæ enim in Miſſa ſunt reliqua, iam nobis intacta prætereuntur, quòd ea aut nihil habeant cum aduerſariis contentionis, aut nonnihil leuioris diſſenſionis: quæ nullo queat componi negotio, ſi de hiſce grauioribus inter nos conueniat capitibus. Quare nos ea ad libros ſacratum Originum, quos meditamur, putamus releganda: qualia ſunt, quòd ex Chriſti Domini inſtituto, teſte D. Hieronymo 3. Dialog. contra Pelag. ad ſacrificium dicimus orationem Dominicam: Item quòd pacem ſacerdos populo imprecatur, & id genus reliqua. Verùm hæc quia præſenti inſtituto, quod hæreſibus graſſantibus obuiam ſe dare nititur, minùs ſunt opportuna, iam ad S. Euchari-

De communione vtriuſque ſpeciei laicis nõ neceſſaria.

Vtriuſque ſpeciei communio an omnibus ſit ad ſalutem neceſſaria.

ſtiæ communionem accedamus, quæ nõ minimam profectò habet difficultatem, an videlicet vtriuſque ſpeciei cõmunio omnibus ſit neceſſaria, ita vt peccet qui vtrãq; non ſumpſerit? Hanc quæſtionem vt diſſoluamus liquidiùs, oſtenſo aduerſarios immeritò de calicis vſu cõtendere, qui cœnam Dominicam multis ſanè modis ab illa Chriſti obſeruant diuerſam, demõſtrabitur vetuſtiſſimo de more Chriſtianis tam ſanis, quàm ægrotis vnam tantùm ſpeciem accipere iampridem fuiſſe vſitatum, durante paſſim vtriuſque ſpeciei communione. Vnde liqueat, non fuiſſe creditũ, vtramq; ſpeciem accipiendã ex Chriſti præcepto, itáque paulatim factum, vt populus à calice vltrò alicubi abſtinuerit. Deinde accedentibus cauſis rectè fuiſſe declaratum & conſtitutum, vtriuſq; ſpeciei cõmunionem populo non eſſe neceſſariam. Poſtremò eos grauiſſimi eſſe criminis reos, qui antiquiſſimo Eccleſiæ more contempto ſibi ſumunt contra Eccleſiæ decretum vtramq; ſpeciem, vbi moris non erat: ſicuti piam illi demonſtrant obedientiam, qui antiquæ ſtudioſi conſuetudinis, vtramq; etiamnũm ſumunt ſpeciem, vti per Græciam, per Oriẽtem, & Septentrionem noſtrũ glacialem, & alibi, atque Romæ etiam hodie Diaconus Pontifice ſacris operante. Itaque hunc vnius ſpeciei ritum non eſſe contra Chriſti aut præceptum, aut inſtitutum: ſed hoc vel illo modo laïcis Euchariſtiam adminiſtrare relictum eſſe à Domino Eccleſiæ rectoribus liberum.

Qua methodo hæc perplexa quæſtio diſſoluenda.

Satis demirari nequeo, homines doctos veteríſq; hiſtoriæ peritos iſtam iteratò nobis mouere camerinam ab illo Petro Dreſdeñ. & Iaco. bello Saxone pridem motam. Cùm enim adeò multa videant nec Eccleſiam Catholicam, nec ſe quidem ipſos in ſua quàm dictitãt cœna obſeruare, quæ Chriſtus Dominus prior geſſit, cur adeò contendunt de calicis vſu? poſteaquam nobiſcum credunt (vti verbis quidem diſertè profitentur Saxones) verum Domini Chriſti corpus & ſanguinem ſub Euchariſtia contineri, an ſine ſanguine eam ſumant? An cadauer exangue accipiant? Si ſanguinem igitur Chriſti, imò ſi totum ſe credãt (quod ipſi quidèm aiunt) accipere Chriſtum, quid iſthanc ſeditioſam oportuit renouatam tra-

Plurima in ſua cœna aduerſarij habẽt à Chriſti exemplo variãtia et diſcrepantia.

Lutherani temerè nobiſcũ de calicis communione rixãtur: ſecùs Zuingliani,

quid hauſtũ bonum boni vini ſe perdere quiritantur.

Vide D. Auguſt. epiſt.

gœdiam, quàm luculentis adeò verbis vident in Concilio vniuerſali Conſtantieñ. conſopitam?

Si eos Chriſti exemplum vrget, cur non & poſt cœnam? cur non veſpere? cur non poſt lotos pedes, & voratum Iudaïcum agnum? Cur non, vti olim in Africa? veſpere feriæ quintæ ante paraſceuen cum Apoſtolis? Imò cur mulieribus, quæ nullæ intererant illi cœnæ? Cur denique laïcis, qui longiſſimè tunc aberant, nec vllus ad cœnam illam Ieroſolymitanam laïcus legitur admiſſus? Si tot tantáque diſcrimina audetis citra omnem ſacrilegij ſuſpicionem cœnæ Dominicæ inuehere, quid adeò hoſtiliter, adeò implacabiliter de calicis communione contenditis? maximè cum Chriſti ſanguinem vos in Euchariſtico pane haurire agnoſcatis? Si Zvuinglianis cõſentiretis, iuſtior vobis eſſet actionis titulus, quippe tũc de bono vini meri hauſtu ageretur, qui ſtomachum vobis latrantem implere, & guttur ſiticuloſum atque bibulum queat demulcere. Verùm nos Catholicæ Eccleſiæ vſum hunc in noſtra vſque tempora deductũ, & toto nunc Occidente obtinentem demonſtremus non eſſe nouitium: & quánam occaſione, ſaluo aliis ſuo cuíque iudicio, arbitremur eum in Eccleſiam inuaſiſſe.

Origo communionis ſub vna ſpecie ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquitatibus eruitur.

Cùm ex D. Hieronymi, Ambroſij & æqualium, atq; vetuſtiorum etiam, Clementis Alexand. Dionyſiiq; Alexandrini ſcriptis liqueat, illa ætate anno Domini 360. & 180. Chriſtianis in vſu fuiſſe vnam Euchariſtiæ ſpeciem accipere, nemo qui ſuæ mentis eſt compos, facilè aſpernabitur antiquam adeò conſuetudinem in noſtra hæc vſque deductam ſecula: de quo vt nemo ambigat, pauca promemus teſtimonia, quæ ſub panis tantùm ſpecie tũc temporis demõſtrent Euchariſtiam fuiſſe populo communicatam. Extat apud Clementem Alexandrinum 1. Stromatum nobile emblema, quod hunc locum illuſtret eximiè: Etiam Euchariſtiam, inquit haud longè à principio, cùm quidam, vt mos eſt, diuiſerunt, permittitur vnicuique ex populo eius partem ſumere. Quæ verba vt diſertè non de calice, ſed de ſacro loquuntur pane: ita libertatem quoque populo factam indicant, vt Euchariſtiam acceptam aut ſtatim in os mitterent, aut domum delatam,

Vide Clem. Alexand. 1. Strom. Vnius ſpeciei cõmunio, Anno domini 180. Alicubi po-

delatam, quando posteà pietas efflagitaret: quod ex Diui Hieronymi verbis liqueat manifestiùs. Epistola enim ad Theophilum contra Ioan. Hierosol. ritum accipiendæ Eucharistiæ describens: Quisquám ne extenta manu, inquit, vertit faciem, & inter sacras epulas Iudæ oscula porrigit? Viden' olim Eucharistiam in manus populo traditam? quod disertè & D. Cyprianus annotat de muliere, quæ corpus Domini arcæ inclusum retinebat. Idē etiam de Serapionis puero, anno circiter 200. narrat apud Eusebium Cæsariensem Dionysius Alexandrinus. Laborauerat senex diútino grauatus morbo pœnitentiā sui idolothyti explēs, qui totos dies tres vbi voce & sensu captus transegisset, ad se reuersus, puerum mittit ad presbyterum, qui Ecclesiasticam reddens reconciliationem sacro illum impertiret viatico. Ad quem etiā ægrotum vbi puer venisset noctu, paululum Eucharistiæ, inquit (libro sexto cap. quadragesimoquarto) dedit, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι, illud iubens madefacere, seníq; in os instillare. Puer autem domum reuersus seni diuinum illud viaticum anhelanti, vt hinc dimissus cælo auolaret, ἀπέβρεξεν, καὶ ἅμα τε ἐνέχει τῷ στόματι, macerauit, simúlque senis ori infudit. Quæ verba si quis accuratè perpendat, luce videbit meridiana clariùs, sacram Eucharistiā ægroto Serapioni illa tunc ætate, anno 200. ex more vna fuisse sub specie communicatam. Seni enim diu ægroto guttur aruerat. Hinc prudenter monet ille Parochus, vt maceratum vnà cum liquore ori infunderet: quod & puerum fecisse disertè annotat Dionysius, ἀπέβρεξεν καὶ ἅμα τε ἐνέχει τῷ στόματι, macerauit simúlque ori infudit: quod opus non fuisset, nisi vnam panis speciem attulisset puer, quæ & maceranda, humoréque imbuenda, ac tum demum aridis ægroti senis faucibus esset instillanda.

Quod enim hunc in modum seniculis soleat diuinum viaticum sub mortem administrari, vno fuerit operæpretium exemplo illustrasse. Diuus Theodoretus sua in SS. patrum historia refert Bassum quendam Archipresbyterum cùm suas obiret Ecclesias in D. Simeonem magnum illud orbis Christiani miraculum incidisse

pulos S. Eucharistiæ diuise partem » sibi sumit.

» Eucharistia in manū olim data, domúmque à volētibus delata pòst sumenda.

Vide Ser. de lapsis.

Vide Dion. » Alexand. » apud Eus. » Serapionis » ægroti puer S. Eucharistiam » manu exceptā adfert.

» Vnius speciei communio,

Anno 200.

Apud Græcos & tunc vtebātur fermētato, vnde S. Eucharist. obdurescēte, quia ægrotis custodiebatur, fuit Serapioni ægrotāti macerāda.

D. Bassus Archipresbyter S. Eucharistiã ægroto Simeoni porrigit vna sub panis specie, Anno 370. Hic Simeon est ille Stylites.

ægrotantem, qui præ valetudinis debilitate nec loqui, nec moueri posset. Hunc ille cùm existimasset morte hinc abripiendum, sacro pius præmunit viatico: sed quónam obsecro vide ritu. Spongia petita (inquit Theodoretus) Simeoni os humectat atque eluit, ac tum ei diuinum obtulit Sacramẽtum. Si ex more adhiberi tum solebat sacri poculi vsus, quid quæso fuit opus spongia humectare os? quod ad faucium ariditatem mitigandam fuisse adhibitum liquet, quò sacrum viaticum faciliùs in viscera descenderet acceptum, nec vlla aridioris gutturis interpediretur remora.

Eucharistiã manu exceptam passim domum deferebãt, posteà cum libuisset sumendam. Vide Cypri. de lapsis. Vide Sigebertum in Tandemo Antuerpien. hære. Tẽpore Concilij Niceni vnius speciei communio alicubi frequens.

Porrò quòd Eucharistiam manu exceptam non statim in os mittebant, sed domi retinebant ad quoddam tempus reclusam, vt sumerent aliàs pietate animum extimulante, inde liqueat, quòd accepta ab altari Eucharistia domi priuatim desidebãt, neglecto publico Ecclesiæ conuentu: quod & Hieronymus alibi annotat: Scio hãc consuetudinem Romæ (inquit lib. contra Iouinianum) vt fideles semper corpus Christi accipiant. Quòd verò istud domi priuatim factitabant, inde liqueat quod attexuit: Quare non ingrediuntur, inquit, Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? quod in Ecclesia non licet, domi non licet. Cæterùm quia paulatim abusus irrepebat, vt sumptam Eucharistiam non in os mitterent, sed domi reclusam custodirent, hinc Cano. Concilij Cæsar august. 3. statutum legimus, Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Istud similiter de calice accipi non potest, sed de panis sacri portiuncula. Cæterùm hanc rem non obscurè contestetur nobis canon magni illius Nicæni Concilij 14. qui indomitam Diaconorum quorundam (qui tunc, vti & hodie, contra leges & rationem se presbyteris præferebant) arrogantiam repressurus statuit, ne porrò audeant ipsi presbyteris corpus Domini dare, sed ab eis, aut Episcopo accipiant post sacerdotes. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel presbyter, tunc ipsi proferant, & edant. Hunc ergo morem vnius speciei alicubi tunc viguisse, Patres Nicęni indicant. Canonis enim exordium

habet, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, quibuſdam locis & oppidis, inquit, relatum eſt preſbyteris Diaconos Euchariſtiam dare. Quod non modò per Orientem & Occidentem vſitatum fuiſſe, vti iam demonſtrauimus, & magis ex Concil. Remenſis Cano. Peruenit. De Conſecra. Diſtinct.2. liqueat, qui prohibet, ne in poſterum ſacerdotes laïco aut fœminæ dent corpus Domini infirmo tradendum: ſed per Africam quoque nunc illuſtri admodùm exemplo clariſſimi viri Satyri Roman. D. Ambroſij germani venit illuſtrandum.

Solẽne olim fuit nauigaturis S. Euchariſtiã aſſumere ſeruãdam in naufragij periculũ, ne S. viatico deſtituti hinc demigrarent.

Eximiam ſui germani in Deum pietatem atque obſeruantiam demonſtraturus Ambroſius, narrat eum priuſquàm perfectioribus initiatus eſſet myſteriis, in naufragio conſtitutum, cum ea qua veheretur nauis ſcopuloſo illiſa vado ſolueretur, ab his quos initiatos eſſe cognouerat, diuinum illud popoſciſſe Sacramentum, non vt curioſos inferret oculos arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in Orario, inquit, & Orarium inuoluit in collo, atque ſe deiecit in mare. Et poſt quædam: Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum myſterij cæleſtis inuoluti in Orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano, quàm maius putabat fuſum in viſcera, quod tantùm ſibi tectum Orario profuiſſet: Sed non ita auidus fuit, vt eſſet incautus, & quæ ſequuntur. Hinc liquet illis Chriſtianis vectoribus Afris, ſaltem ex Africa in Europã ſoluentibus (Nam Lucifer, cuius mox Ambroſius hac occaſione meminit, Epiſcopus fuit Eccleſiæ Caralitanæ) de more Africanæ Eccleſiæ vſitatum fuiſſe, vt in naufragij periculum V. corporis Dominici aſſumerent ſeruandum Sacramentum, ne citra viaticum illud cæleſte miſero iſthoc euocarentur ad Dominũ exilio. Cęterùm eos vna ſub panis ſpecie S. Euchariſtiam in viaticũ aſſumere ſolitos, vel illud liquidiſſimo fuerit argumento, quòd ſacrum illud fidelium Sacramẽtum teſtetur D. Ambroſius Orario (quod hodie ſtolam dicunt) fuiſſe illigatũ; quod à liquidi natura cum abhorreat, ſacri illius myſtici panis ſpeciem manifeſtò arguit. Iſtud magis fiat perſpicuum

Vide orat. funebri in fratrem Satyrũ haud longe à fine.

Per Africã anno 380, vnius ſpeciei communio vſitata.

Vide Can. Burchardi Vuormatien. " ex Cano. quodam Concilij Carthag. qui inter fragmẽta " Burchardi extat, qui habet, vt Diaconus Eucharistiã corporis Christi populo iussus eroget. Nam alioqui Diaconi erat calicem sanguinis Dominici populo impartiri. Quemadmodum ex vita D. Laurẽtij Archidiaconi apud Ambrosiũ liquet, & ille apud Cypria. Diaconus demonstrat, qui puellæ vel reluctanti calicem infudit. *Vide D. Ambros. de Officiis Serm. de Lapsis.*

Paucis hisce ex D. Hieronymi, Ambrosij, Concil. Nicæni, Cypriani, Dionysij, & Clementis Alexandrini sententiis liquet, olim populo Christiano vsitatum fuisse, S. Eucharistiæ partem sibi sumere, atque in manibus traditam aut in os mittere, aut domum ex more deferre comedendam. Quod cùm de calice intelligi nequeat (tradebatur enim in manus, illigabatur Orario, & licebat cuique partem sumere) efficitur, sacri panis portiunculam fuisse tunc temporis passim communicatam, non ægrotis tantùm, sed & aliis passim sine calicis vsu. Quare videre est, tunc vnius speciei communionem fuisse nonnullis, etiam magni nominis Ecclesiis, etsi nõ omnibus, nec toto orbe solenniter, vsitatam. Quid, quod alicubi videre est, fuisse interdum ægrotis sacram administratã Eucharistiam sub vna vini specie, cùm panem sacrũ non possent præ morbi vehementia sumere, aut deglutire? Huius rei testimonium petamus licet ex Can. 76. Concilij 4. Carthag. " Is qui pœnit. reconcilietur & infundatur ori eius Eucharistia. " Sic enim de phrenetico statuit. Similiter & Concilij Toletan. 11. Canon istum communionis ritum luculentiùs edisserit, " quosdam ægrotos, " ait, præter Dominici calicis haustum traditam sibi Eu" charistiam non posse deglutire.

Sub vna vini specie aliquãdo ægrotis cõmunicatã S. Eucharistiã. Phreneticis olim infusa S. Eucharistia sub vna vini specie.

Iam an Apostolorum ætate sub vna fuerit specie cõmunicatum, quod præclari quidam viri opinantur, locum Acto. 2. & 27. de ea accipientes, quem etsi (Synecdochicôs ex illius ætatis more alij accipere malunt, viderint tamen quàm rectè) permagni in præsentiarũ cognoscere interfuerit. Sanè Diuus Augustinus Christum " die Paschatis duobus eam discipulis vna sub panis spe" cie tradidisse videtur sensisse: Eorum oculi, inquit libro " tertio capite vigesimoquinto de consensu Euang. tene-

Apostolorũ ætate alicubi vnius speciei cõmunionem videri fuisse adhibitam.

bantur ne agnoſceretur Ieſus, ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad Sacramentũ panis, vt vnitate corporis participata remoueri intelligatur impedimentum inimici. Iſtò inuitant & Diui Chryſoſtomi verba, Homil. decimaſeptima in Matthæum, diſcrimen oſtendens inter panem ſanctificatum (quem cum τὸ ἀντίδωρον, quod 1 Græci, Galli 2 verò *le pain benit*, panem benedictũ, qui poſt myſteria communionis loco diſtribuitur in ſymbolum vnitatis & cõcordiæ, intelligere arbitror) & ſanctificationem, quam dicit ſacram Euchariſtiam. De ſanctificato pane (inquit) licet & animalibus iactare, & infidelibus dare, quia non ſanctificat accipientem. Si autẽ vitale eſſet, quod de manu ſacerdotis accipitur, quale eſt quod in menſa manducatur, omnes de menſa manducarent, & nemo de manu ſacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non ſolùm benedixit panem, ſed de manu ſua dedit Cleophę & ſocio eius. Et Paulus nauigans non ſolùm benedixit panem, ſed de manu ſua porrexit Lucæ & cæteris diſcipulis ſuis. Huc facit & quod Theophylactus in D. Lucæ Euangeliũ annotat, de huius in Emaunte panis fractione. Inſinuatur & aliud quoddam, inquit, nempe quòd oculi eorum, qui benedictum panem aſſumunt, aperiuntur vt agnoſcant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini. Quòd igitur Chriſtus vna ſub panis ſpecie ſuis duobus illis diſcipulis in Emaunte ſuum in S. Euchariſtia corpus communicarit, diſertiſſimis verbis illa Catholicæ Eccleſiæ columina nobis conteſtantur, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Theophylactus. Accedit & illud quod Diuus Hieronymus Catalogo narrat, Iacobum Apoſtolum à Domino panem benedictum atque conſecratum die Paſchę accepiſſe. Similiter & Diuus Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, panem illum Euchariſticum memorat ad Epheſios. Hunc igitur in modum per Orientem & Occidentem in primis, paulatim vnius ſpeciei communio quorundam aut cautela anxia, aut pietate fortè religioſa, aut alia de cauſa pia irrepſit: quanquàm ſpeciei vtriuſque cõmunio eodem tempore paſſim obtineret non modò in Africa, vti ex Cypriano & Auguſtino liquet, atque per Orientem:

Chriſtus S. Euchariſt. ſub vna ſpecie data remouet duob. diſcipulis impedimentum inimici.

1 Vide Liturgiã Chryſoſt.

2 Sic vel hodie videre eſt Pariſiis & alibi.

Chriſtus in Emaunte S. Euchariſtiã dedit Cleophæ & ſocio.

Act. 27.

Luc. 24.

Theoph.

Suffragatur & Enthym.

Hieronym.

Ignatius.

Vide epiſtol. ad Epheſ.

Durãte vtriuſque ſpeciei communione quidam vna Sacramenti

specie abstinebantur.

sed per Occidentem etiam, atque Romæ cùm primis: vt huius ritus libertatem agnoscas in prisca illa Apostolica Christi Ecclesia, non illam verò de vtriusque speciei cōmunionis necessitate creditam fuisse vnquam opinionem. Cùm igitur illa vnius speciei communione (quam & Clementis Alexandrini ætate, ann. 180. & Dionysij Alexandrini, ann. 220. & Hieronymi, ann. 360. atque posteà non in vsu tantùm fuisse, sed in abusum propter frequentiam abiisse ostēdimus) quidam pseudochristiani ad suam obtegendam abuterentur hæresin, quia Manichæum sequuti persuasum habebant, Christum Dominum non corpus verum, sed phātasticum atque imaginarium, ideóque exangue habuisse, ad corporis quidem Sacramentum, id est, panem illum mysticum atque sacrum accipiendum accedebant: sed à calice Domini, quem è vino nobis non natura dat, sed facit cōsecratio, abhorrebant cane peius & anguè, quod opinarentur miselli, vinum esse mali principij (quòd Deo vero & bono somniabant Deum contrarium) creaturam, Christúmq; in corpore, vti aiebant, phantastico sanguinem non habuisse verum, sed phantasticum. Hanc superstitionem D. Leo anno 450. atque Gelasius anno 490. & successores quidam cùm deprehendissent illa sub vnius speciei communione ceu operculo tectam in populū Dei grassari, imò depasci, atque sceleratissima infectum hæresi enecare, suis nitebantur edictis pestem hanc sæuissimam à Christi ouibus depellere. Hinc orta, vt equidem arbitror saluo aliis suo cuique iudicio, illa decreta Comperimus, & similia, quæ non in sacerdotes, sed in laïcos illa de causa nobis vidētur promulgata. Quanquàm enim Gratiano erroris occasionem præbente, vti & aliàs iusto sæpiùs (vt mirentur eum homines non indocti sepositis Iuone, Burchardo, & aliis, qui non modò doctiùs, sed aptiori etiam methodo atque ordine studiosis vtiliore idem præstiterant, tantum in authoritatis locum erepsisse) passim de sacerdotibus plerique interpretentur, quod ille sic cap. Argumentum perstrinxerit: plurima tamen sunt quæ nos de laïcis Manichæi veneno infectis illud vt accipiamus inducant. Verba enim

Vide Hier. cōtra Ioui. et Sigebertum.

Cur vtriusque speciei communio in vsū aliquādo reuocata Romæ, & disertè mandata.

Sic August. contra Faustū Manich.

Manichæi cur à calicis tantùm communione abstinebant.

Germana sententia ca. Cōperimus, & similiū. De Consecr. Distin. 2.

cap. ex illius ætatis loquendi more in laicos quadrant. Accedit & temporis illius historia dudū perstricta. Denique sacerdotes quosdam video post sacrificium scelerato planè abusu ab vtriusque speciei communione superstitiosè abstinuisse (hunc enim abusum grauiter variis temporibus augescente hominum superstitione & cleri auaritia, cui disertè acceptam refert originem plurium vna die Missarum D. Alexander, dist. 1. cap. Sufficit, de consecratione, Patres nouis constitutionibus tollere sunt moliti) Sed nusquàm me veteri in historia legere memini, sacerdotes in altari vna contentos specie ab altera abstinuisse. Verùm hac re aliò reposita ad institutum recurrat oratio.

De Consecr. distin. 2. cap. Relatum.

Quò autem infallibiliter illi lupi Manichæi, pellibus Christi ouiculas mentiti possent & deprehendi & caueri, disertè docet suos Romanos D. Leo, quónam indicio haud dubiùm & agnoscantur & deprehendantur. Cúmque ad tegendam infidelitatem suam, ait Sermo. quarto de quadrag. exerta oratione contra Manichæos nominatim depugnans, nostris audeant interesse my- „ steriis, ita in Sacramentorum communione se tempe- „ rant, vt interdum tutiùs lateant. Ore indigno corpus „ Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis no- „ stræ haurire omninò declinant. Quod ideò vestram vo- „ lumus scire sanctitatem, vt vobis huiuscemodi homi- „ nes & his manifestentur indiciis, & quorum deprehen- „ sa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sancto- „ rum societate sacerdotali authoritate pellantur. Ad quæ Diui Leonis verba si illud Gelasij cap. Comperimus, D. Consecr. distinct. 2. componatur, perspicuum fiet, quísnam sit eius genuinus sensus: cùm eadem ex causa contra Manichæos à se Româ pulsos sit decretum. Com- „ perimus, inquit, quòd quidam sumpta tantummodò „ corporis sacri portione à calice sacrati cruoris absti- „ neant: qui procul dubio (quoniam nescio qua supersti- „ tione docentur astringi) aut integra Sacramenta perci- „ piant, aut ab integris arceantur. Hac igitur occasione per Italiam maximè, vbi grassabâtur per id tēporis Manichæi in omniū vsum & reuocata & mādata fuit adeò

Manichæi inter Catholicos delitescebāt Romæ sub vnius speciei cōmunionis prætextu.

Aetate D. Leonis Romæ cõmunio vnius speciei paßim vigebat durante ibidẽ tamen vtriusq; speciei communione.

vtriusq; speciei cõmunio: quę si fuisset illo seculo inuiolata, & ab omnibus obseruata Catholicis, non potuissent latere Manichæi, aut illa vnius speciei communione suam, vti ait D. Leo, tegere infidelitatem. Dum enim & Catholici vna panis specie contenti discedebant, incertum erat, vtrùm qui accederet Manichæus esset, an Catholicus: Verùm vbi edicto cautum esset, nõ ampliùs calicis communione abstinendum, qui Catholici erant, procul dubio ad sacrum accedebant calicem, suam & testaturi fidem, & hæreseos opinionem declinaturi. Qui verò in posterum à calice abstinebant, haud obscuriùs se prodebant ipsi Manichæos, atque suo perit indicio sorex.

Ex iis quæ diximus nunc perspicuum esse confidimus, illo tempore vnam Eucharistiæ speciem Romæ anteà vsitatam Leonis & Gelasij edictis sublatam, ad Manichæismum per Italiam in primis extirpandum. Quod inualescente iam per Frisiam, & alibi, eadem peste Manichæorũ, an eadem ex causa imitandum sit néc ne, iis quibus Ecclesiæ gubernacula credita sunt decernẽdum relinquimus. Certè vbi eadem morbi causa quæ Leoni & Gelasio, eadem videntur adhibenda remedia. Quanquàm igitur illa vnius speciei communio per Italiam tum videatur edictis sublata, alias tamen per Occidentis regiones non fuit abolita: sed populus, aut vtraque, aut altera suo pro arbitrio videtur vsus. Nam post illam Manichæorum tempestatem annos propè 80. hoc est, anno Domini 520. Concilio Cęsaraugust. definitum est, Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Hinc apparet, eundem fuisse Hispanis morem, qui pridem, teste Diuo Hieronymo, erat Romæ Italis: quod Eucharistiæ portionem domum deportabant: quod de calice accipi non potest, sed de pane sacro, qui tunc, teste eodem, in manus dabatur, &, vti ex Canone hoc liquet, in Ecclesia non consumebatur, sed vti testatur disertè Hieronymus, domum deferebatur: quod seculis consequentibus passim fuisse vsitatum, ex Sigeberto, aliisque liqueat. Hunc autem vnius speciei vsum varia

Cõmunione vtriusq; speciei Romæ propter Manichæos mãdata, alibi tamẽ vsurpabatur eodem tẽpore vnius speciei cõmunio vbi non vigebat Manichæismus. Vide Sigebertum in Tandemo Antuuerpiano hæretico.

Concilia prouincialia tollere videntur annixa, vti Turonense, quod præcepit Canone quarto, teste Burchardo, vt omnis presbyter pixidem habeat, aut vas tãto Sacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à seculo. Quæ tãta sacra oblatio intincta esse debet in sanguine Christi, vt veraciter dicere possit presbyter infirmo, Corpus & sanguis Domini proficiat tibi, &c. Porrò quod hìc de intincta hostia statuitur per Gallias, an ad illud superstitionũ genus referendũ sit, néc ne, quod Iulius Rom. epistola ad Ægypti Episcopos data asserit, esse cõtra diuinos ordines, & Apostolicas institutiones, alios (inquit apud Grat. de Consec. dist. 2. cap. Cum omne) intinctam Eucharistiam populis pro cõmunione dare, penes alios arbitrium esto.

Vnius speciei cõmunionem Concil. quædã prisca intercipere atque interpedire annixa.

Hostia per Gallias olim intingebatur in Christi sanguinẽ.

Hunc igitur in modum illam vetustissimam, planéque Apostolicam vtriusque speciei communionem conseruatam atque obseruatam populo Christiano cupiebant prisci Patres, cùm primis Diuus Leo, Gelasius, & PP. in Concilio Turonensi: an autem eadem de causa, qua illi, ad Manichæismi scilicet extirpationem, an priscæ potiùs consuetudinis exolescentis studio, nêc ne, nobis nondum liquet. Verùm populo, aut effusionem horrente, aut quod non paucis vsu venit, vini abstinente, quales permultos habet Gallia, aut alia de causa ad calicem non accedente, iampridem inualuit vnius speciei communio: ita tamen, vt vtraque species passim cupientibus per Occidentem cõmunicaretur diu posteà in annum vsque circiter 1200.

Antiquißimã esse vni⁹ speciei cõmunionem.

Quod vtrumque quia fortè quibusdam videbitur paradoxum, paucis est confirmandum. Populo igitur diutissimè vna sub specie fuisse communicatum corpus & sanguinem Dominicum, vnus nobis testis sufficiat locupletissimus iuxtà atque certissimus, totus Cõcilij Cõstantien. Patrum senatus, qui disertis verbis hanc vnius speciei communionem contra Hussitas definiens, non esse vtriusque speciem populo necessariam, id pro sui decreti adfert confirmatione: Vnde cùm huiusmodi cõsuetudo (inquit, de vnius speciei communione rationa-

Vtriusq; speciei cõmunio diu perdurauit intercurrẽte hîc illic vnius speciei cõmunione.

biliter approbata, & ad euitãda pericula & scandala introducta loquens) ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam nõ licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare.

Cæterùm quòd nihilominùs per Occidentem fuerit populo vtraque administrata species in proximum ferè vsque Constantien. Synodi seculum, haud prolixa opus habet demonstratione. Diuus Gregorius Magnus Augustino Anglorum Episcopo scribens, morem Anglicanæ Ecclesiæ reprehendit, quòd plures in altari consecrarentur calices: "Congruum non est, inquit, duos aut tres calices in altario ponere, cùm Missarum solennia celebrantur." Quod quin factum sit ad populo vtramque speciem impertiendam, quis est qui non videat ipse perspicuè? Testantur idem Ecclesiæ diu pòst, quasi gentium in Occidente reliquiæ, ad Christum conuersæ, quæ calices in hunc vsque diem nobis ostendunt, vnde populo sanguis Dominicus communicabatur, qui alia sunt forma quàm sacerdotum calices. Quia enim sanguinis effusio propter incultioris populi rusticitatem meritò timebatur, calicibus canna est ferruminata, affabréque inserta, vnde Christi sanguinem liceret sugere, non bibere. Tales duos vidimus Bolzvuardiæ Frisiorum. Habet & Monasterium Thabor, & Berghum poculum simile, sed argentea (nam illi sunt stannei) fistula, veterem in ritum factum, quo post communionem & hodievtuntur. Eodem facit & calix Diui Bonifacij martyrum in Dockum, quò ex Pago Dantum Vvolde, vbi trucidabatur, pridem fuit allatus, sed à Diuo Lullo in Fuldensem suam Abbatiam translatus. Is admodùm exiguus est, & nostris hodie calicibus quarta vix parte æquandus: nam altitudine vix palmam superat, & orificium tam est angustum, vt hostia, quam passim in altari sacerdotes offerimus, facilè cooperiat. Patenula puro puto ex auro, sicut caliculus, trium digitorum latitudinem vix assequitur. Eo illum aureum martyrem vsum credo sibi peculiariter, sed populo mysteria communicasse alio de poculo argẽteo, quod ibidem visitur: quod

Plures olim in Occidente calices cõsecrati ad populi communionem.

Calices cannam habent insertã vnde sanguis Domini sugebatur à populo per Frisiam.

Calix D. Bonifacij in Dockũ cur adeò exiguus.

Vide Regionẽ & Albertũ Crantzium Metropolita.

non calicis formam, ſed potorij vaſis ſpeciem præbet. Quo argenteo etſi illũ imperiti quotidiè in menſa vſum fabulentur, equidem exiſtimo diaconum eo de poculo Christianis Chriſti ſanguinem cõmunicaſſe. Nam peridoneum eſt vnde bibatur, ſi quis vtraque prehẽſum manu offerat.

Aliud eiuſdem D. Bonifacij poculum vnde pop.⁹ ſanguinem Domini biberit.

Quòd autem hoc calice ſanguis Dominicus fuerit populo impertitus, argumento mihi quidem eſt indubitato, quòd poculi in circulo, qui illud ambit medium, virunculi ſtant excluſi duodecim, qui calicem manu oſtentant ſacerdotis caſulati ſpecie ad veteris Eccleſiæ morem. Nam noſtræ ætatis & ſuperiorum aliquot paucorum ſeculorum caſula, quam dicimus, vix eſt illius priſcæ dimidium: tam enim nunc eſt acciſa, decurtata, atque aliam propè in ſpeciem deformata, vt ſi cum illa ſua priſca, vnde defluxit atque degenerauit cõponatur, vix ſuum tueatur nomen. Iſtud quò magis mihi perſuaſum obtineam, efficit quod dudum ex Diuo Gregorio Magno retulimus, Anglicanæ Eccleſiæ morem fuiſſe, plures in altario apponere calices conſecrandos. Vnde nihil mirum, hoc de Diuo Bonifacio Friſiæ Apoſtolo exiſtimare, qui vnà cum Diuo Vvilbrordo veteri regio Saxonum ſanguine orto ex Saxonia tranſmarina (quam nunc ab Angloſaxonibus ab Enghelum nunc Friſiorum apud Levuardiam, atque vicina Saxonia in Britanniam traiicientibus Angliam dicimus) in haſce Friſiorum atque Saxonum regiones Euangelij ergô tranſuectus ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem vnà cum doctrina populo tradidit. Omitto nunc alia quæ huc faciant, quòd in ætatem vſque D. Thomæ, id eſt, anno Domini 1260. vtriuſque ſpeciei communio ferè vbique fuerit laicis adminiſtrata, ſed non vbique: periculis fortè & effuſi ſanguinis Dominici ſcandalis vnà cum populi negligentia ac pietatis detrimento increbeſcentibus paulatim vtriuſque ſpeciei communio in vnam degenerauit, ita vt per Occidentem ante annos 150. pauciſſimi, imò vix ſcio an vlli, vtramque ſumpſerint.

Caſula olim totum obtegebat ſacerdotem.

Anglia olim Saxonia tranſmarina. Vide Epiſt. D. Bonifacij.

Cur in Occidente cõmunio vtriuſq; ſpeciei paulatim degenerarit atq; interierit.

Vide Alexandrum de Hales parte 4. quæſt. 53. Vide 3. partẽ quæſt. 8. art. 12. Vide Aeneam Syluium hiſ. Bohe. cap. 35.

Verùm hanc antiquissimam vnius speciei communionem cùm Iacobellus quidem Saxo, Pastor Pragensis suis cum Bohemis à Petro Dresdensi Saxone à vero seductus expugnare aggrederetur, & eos qui vna essent contenti specie sacrilegij damnare, Patres in Concilio Constantiensi congressi rectissimè iuxtà ac verissimè definierunt, vtramque speciem non esse necessariam, sed qui hactenùs vna fuissent vsi, alteram temerè sibi non exposcerent, ne illam ex hæreseos opinione antiquissimam iuxtà ac laudandam viderentur commutasse consuetudinem. Quò hanc igitur necessitatis opinionem, & impiam illam sacrilegij criminationem semel abolerét, statuunt illam laudabilem Ecclesiæ consuetudinem propter pericula, & scandala rationabiliter introductam diutissiméque obseruatam, pro lege habendam, quam reprobare non liceat, nec sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare. Quibus quidem verbis (liceat mihi quæso lector meum citra preiudicium alicuius in medium veritatis indagandæ causa adferre arbitrium) haud equidē existimo, vti vulgò dictitatur, vtriusque speciei communionem laicis prohibitam: sed defensam vnius speciei communionem tunc laicis antiquissimo ex more vsitatissimam. Hunc enim decreti sensum efflagitat ipsa Patrum antithesis, qua hanc Concilij constitutionem nouo Hussitarum errori, qui illos sacrilegij accusabant, opponunt: ita tamen vt iis intelligatur vtriusque speciei communio interdicta atque prohibita, donec Ecclesiæ authoritate liceat, apud quos illá tunc exoleuerat.

Causa iustis. de seruanda vnius speciei cōmunione. Vide Conci. Constantien. Sess. 11.

PP. in Conc. Constantien. magis defendunt vnius speciei communionē ceu legitimam, quàm prohibēt vtriusq;.

Deinde hoc Constantien. decreto nihil in Græcanica, aut Orientali, aut Indiana, imò Septentrionali adeò immutatum fuit Ecclesia, sicuti nec Patres tollere voluerunt vtriusque speciei communionem, vbi antiquo vigeret more, imò ne Romanæ quidem Ecclesiæ consuetudinem in hunc vsque diem obseruatam voluerunt variatam. Sicuti enim illæ Ecclesiæ Orientales, & vti audio Dalmatiana, & quædam Septentrionales, nunquàm vtriusque speciei communionem intermisère, sed maiori semper ex parte vtramque sumpsère: ita & Romana Ecclesia priscæ consuetudinis obtinet in hunc vsq; diem

Vtriusq; speciei cōmunio vbi hodie licita & cur potiùs Romæ quàm alibi.

veſtigiolum, vt ſacris operante Pontifice maximo Diaconus veteri ex more non ſolùm de hoſtia comedat, ſed & de calice combibat. Narrant enim viri grauiſſimi, qui ſe ſuis vidiſſe aiunt oculis, Diaconum fiſtula criſtallina de calice Domini ſanguinem exugere.

Sanè Concilij Conſtantienſis voluntatem non fuiſſe, vtriuſque ſpeciei communionem tollere, aut ſemel omnibus laicis interdicere, vel inde cùm primis liqueat, quòd abſoluto conſilio Martinus ipſe quintus vtramq; legatur Romæ adminiſtraſſe ſpeciem: quod non de Diacono Pontificis adminiſtro ſolùm accipiẽdum eſt: ſed & de populo. Teſtatur enim Reuerend. P. Henricus Raltyſen Archiepiſcopus Nidroſien. Martinum Romam reuerſum laicos ſub vtraque (ait) ſpecie communicaſſe.

Romæ laicis communicatũ ſub vtraq; ſpecie poſt cõcilium Conſtantienſe.

Quemadmodum igitur illæ Orientales, & quædam Septentrionales Eccleſiæ Græcos magis, quàm Latinos ſequutæ (quod illis ſicuti linguam † cum Germanis omnibus, ita & religionem debent acceptam) adeóque Romani nihil quicquam in illud peccant Concilij decretum: ita noſtri Saxones ſuis cum Bohemis nouæ iſtius doctrinæ authoribus, & aliis ſuis coniuratis, grauiſſimi ſe faciunt ſacrilegij reos, quòd intermiſſam, adeóq; conſuetudine antiquiſſima, quę haud dubium legis vim poſſidet abolitam ſuis in Eccleſiis vtriuſq; ſpeciei communionem ſibi citra, imò contra Eccleſiæ authoritatem audent vſurpare. Illos enim non tantùm excuſat, ſed iuſtificat pia perdurantis conſuetudinis obſeruatio. Hos contrà accuſat, imò damnat arrogans atque temeraria ſanctiſſimi iuxtà ac prudentiſſimi decreti violatio: cui in geminum ſacrilegij auctarium accedit, quòd hanc temerariã innouationem non pio ex Apoſtolicæ conſuetudinis ſtudio, ſed hæretica ex opinione inuehere in Eccleſiam contra Eccleſiam moliuntur. Volunt enim eſſe neceſſarium, atque diuini præcepti, vtramque accipere ſpeciem. Proinde alios omnes ſacrilegij damnant, ipſi à tota Eccleſia, quia à Concilio vniuerſali, ſacrilegij damnatiſſimi, ſi modò ex animo veréque ſentiunt, quod ſcriptis in imperitæ atque inconſtantis plebeculæ animos ſpargunt. Nam ex animo pleróſque illorum non exiſti-

Vide orationẽ D. Raltyſen cõtra Bohemos tempore Cõc. Baſil. habitam.

† Vide D. Hierony. qu. Hebraicis de filiis Noe idẽ loquuntur & voces et phraſes Germanorum, ſed luculentiùs Belgarum.

Quanto ſe cõtaminent ſacrilegio Saxones & alijqui contra Eccleſiæ leges ſibi vtramque ſumunt ſpeciẽ.

Cõmunionẽ vtriusq; speciei non esse necessariã ex Lutheranorũ confeßione.

mare vtriusque speciei communionem esse iure diuino necessariam, luce clariùs meridiana declararunt Lutheranę partis primipilares, Bucerus, & alij in colloq. Ratispon. in receptam illam vnius speciei communionem cõsentientes porrò retinendam: ita tamen, vt liberum faceret Ecclesia Eucharistiam in vna, vel in vtraque specie sumendi. Vnde liquet eos agnoscere, non esse Christi præcepto vtriúsq; speciei communionem necessariam. Porrò argumentis, quibus istud in speciem (non verè neque ex animo, vti demonstrabimus ex Lutheri verbis, Melanchthonis scriptis, & priuatis colloquiis, Buceri & aliorum publicis actis) persuasi aliis conantur persuadere, in præsens diffusiùs respondere minùs videtur necessarium: quòd ea nunc toties sint non modò in Concilio Constantiensi, sed intereà quoque à doctissimis Catholicis viris solidissimè dissoluta: quæ qui desideret copiosè iuxtà ac neruosè refutata, consulat Reuerend. Dom. Ruardi Tapperi Decani Louaniens. Commentarios.

Ioan. 6.

Argumenta Lutheranorũ contra vnius spe. cõmunionem ipsis sui Lutheri verbis dissoluta.

Locum illum Ioan. Nisi manducaueritis, & cęt. quem Lutherani cùm primis ceu inuictum suum arietem semper mordicus vrgẽnt, nullo, quod equidem arbitror pacto, refellemus faciliùs, aut meliùs, quàm si cum ipsorum magistro Luthero respondeamus, eum ne syllabam quidem vnam de Sacramento Eucharistiæ habere, nedum de Sacramenti communione.

Sic Lutherus de cap. Baby. addens Christũ non prece pisse vtriusq; speciei cõmunionẽ: ideòq; non peccare qui sub altera accipit S. Eucharistiã.

Similiter illis verbis: Bibite ex eo omnes, ait Christum non præcepisse vlla Sacramenti communione vti, sed cuiusque reliquisse arbitrio, dicens: Quotienscunq; hæc feceritis, &c. Quorum vtrúmque nos Orthodoxorum Patrum sententiis faceremus contestatum, nisi maioris authoritatis crederem illis esse sui magistri Lutheri dogma, quàm aut Basilij aut Augustini, aut alicuius verè Euangelicorum & Apostolicorum Patrum.

Vbi ergo hîc sui Lutheri sententiam hoc de Euangelij loco expugnarint, nos tum demùm satis, apparet, tempestiuè plurimas Catholicorum Patrum in eandem doctrinam accumulabimus sententias. Verùm quò liqueat, Lutherum hac in re sensisse nobiscum, non esse vtriusq; speciei communionem ex Christi præcepto necessariam

paucula eius intexemus verba, Quoniam pulchrum quidem esset, inquit libr. ad Bohemos scripto, vtraque specie vti, & Christus hac in re nihil tanquàm necessarium præceperit, præstaret pacem & vnitatem (quæ vtiq; Christus præcepit) sectari, quàm de speciebus Sacramenti cõtendere. Vtinam hîc Lutherani suum ipsi audire dignarentur Lutherum, quem tertium iactant Eliam? Sed verum esse clamat ipse dies, discipulos magistrum impietate vincere, & hanc inobedientiam suo reddere, ceu mineruale, magistro, quam ipse prior suis exhibuit magistris, nõ modò Catholicis, sed & Bohemis illis schismaticis, hæreticísque. Oportet enim huiusmodi homines iuxta D. Pauli prophetiam proficere in peius. Cæterùm quò magis conspiciatur quantoperè Lutherani isthac in Ecclesiam Catholicam rebellione peccent, paucula eiusdem Lutheri recitabimus verba, vt vel tandem pudore (si quis eis est ingenuus reliquus) suffusi, cùm suum sibi refragari audiunt Apostolum, ad saniorem redeant mentem: Non dixi, ait in declaratione Eucharistiæ, neque consului, neq; est intentio mea, vt vnus aut aliquot Episcopi propria authoritate incipiant alicui vtrámque speciem porrigere, nisi ita constitueretur ac mandaretur in Concilio generali. Quid his verbis ad hanc contentiosissimam sopiendam, adeóque semel decidendam controuersiam contra Lutheranos dicatur apertiùs? quid cõtra eos adferatur efficaciùs? Si suo non credũt magistro, cui tandem obsecro credent? Quòd si quis plures desideret sua ex factione testes, agè vnum aut alterum promamus haud obscuro inter Euangelicos istos loco, qui nobis disertè suffragantur, non esse vtriusque speciei communionem ex Christi præcepto necessariam.

Cõmunionẽ vtriusque speciei ex Christi præcepto non esse necessariam docet Lutherus.

Hîc hîc aures arrigant Lutherani & vel suo Luthero fidẽ habeãt non esse præceptam vtriusq; speciei communionem.

Philippus Melanchthon hac de quæstione disserens in eam descendit sententiam, vt altera, aut vtraque Eucharistię specie vti, inter adiaphora, siue res medias, quarum vsus hoc vel illo adhibeatur modo refert nihil, collocandum censuerit: Sicut edere suillam (inquit hypotyposibus à se recognitis siue locis cõmunib⁹ pridẽ editis) aut abstinere à suilla: sic altera signi parte vti, mediũ esse. Signi autem voce tunc fortè occultiùs, quàm paucis ab

Philip. Mel. agnoscit vtriusque speciei communionẽ non esse necessariam, sed liberam & adiaphoron.

Melanchthō perlibēter alludit ad Zuinglij placita.

hinc annis hominibus non stupidis haud obscurè indicat, vtrùm Luthero suo, an Zvuinglio potiùs subscribat: quod opportuniorem aliàs habebit locum. Neque verò hoc nobis quis eleuet Philippi testimonium, si dixerit, eum aliis in editionibus vnam communionis speciem oppugnasse acriter: istud enim vt fœdam eius arguit ingenij inconstantiam, variúmque tantis de rebus iudiciũ, mentémque, quod aiunt, Polypi: ita eum sui vbique similem aut Protheum, aut Chameleontem demonstrat. Post illa scripta enim verbis minimè obscuris priuatis in colloquiis haud infrequenter non Catholicis modò, sed & suis allectis discipulis confiteri non erubuit, indifferens esse vna, aut vtráque specie vti. Quòd si à Christo prçceptam esse vtriusque speciei communionem ex animo haberet persuasum, nequaquàm eam pronunciaret indifferentem. Bucerum quoque hîc Luthero & Melanchthoni subscribere notius est ex actis colloquij Ratispon. quàm vt fusiore sit oratione commemorandum, de quo & paulò antè nonnihil degustauimus.

Modum communionis S. Eucharistiæ esse inter res illas censendũ, quas Christus reliquit Ecclesiæ præpositis liberas atque in populi ædificationem disponendas.

Cæterùm cùm huius liquidam iuxtà atque solidam habeamus totius Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, definitionémque manifestissimam, nolumus hac in re esse fusiores, sed paucis demonstrare, hanc sacræ Eucharistiæ communionem in earum rerum catalogum esse accensendam, quas Christus Dominus non mandauit vt necessarias, sed liberas reliquit Ecclesiæ præpositis disponendas, per quos dispositurus esset Ecclesias. Hac enim ratione illud aduersariorum palmare argumentum dissoluetur aptissimè, quòd vtriusq; speciei, aiunt, communionem Christus præceperit. Non fuisse vt necessariam à Christianis initiò vtráque sub specie communionem obseruatam, inde liceat perspicere, quòd antiquitùs vna quoque species fuerit & ægrotis, & sanis laicis administrata: quemadmodum superiùs ex Clem. Alexand. Dionysio Alexandrino de Serapione sene, ex Hiero. de Romanis, atque Diuo Leone & Gelasio. Item ex Concilio Remen. & Carthaginen. adeòque Christi ipsius, & Diui Pauli exemplo.

Nunquàm vt necessariã obseruatam vtriusque speciei communionem.

Quod igitur Ianuario inquirenti, Vtrùm ieiuniis, an

pransis

pransis Apostolorum more cœna Domini sit adeunda, respondet Augustinus, Spiritui sancto placuisse, ieiunos communionem sumere: tametsi enim Christus suis dederit cœnatis, non tamen præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos dispositurus erat Ecclesias, seruaret hunc locum: id ipsum nos respondemus de vtraq; communionis specie roganti, Spiritui sancto placere, vt & vna sub specie à laicis sumatur: quod ex vetustissima illa consuetudine laudabiliter & rationabiliter introducta in Ecclesiam Occidentalem, quæ & ipsa, vti & aliæ, est Spiritus sancti discipula, liqueat. Tametsi enim Christus vtramq; speciem in cœna distribuit Apostolis, non tamen dedit laicis, aut vllis verbis dandam eis præcepit, quò Ecclesiæ gubernatoribus hunc seruaret locum, vt de hac, ita de aliis huius Sacramenti circumstantiis, de panis genere, azymo an fermentato, de tempore, vesperi an antelucano: an pransis an cœnatis, an ieiunis, & similibus pro huius Sacramenti reuerentia, populíque ædificatione disponendi. Nam si hoc Christus præcepisset, sicuti & superiùs illud, vt sub vtraque videlicet specie ab omnibus omninò Christianis sumeretur, credo quòd eum morem, vt cum D. Augustino loquamur, nemo variasset. Proinde illud à Domino præceptum esse, & ab Apostolis ordinatum statutúmque existimandum, quod nulla morum diuersitate variatur.

Idem de communionis modo respondendum quod August. de communicantiũ qualitate, an ieiunis an cœnatis accedendum.

Christum nõ præcepisse hũc vel illum communionis modum.

Cùm igitur communionis modus sub vna aut sub vtraq; specie, sicuti & tempus, & panis aut azymi aut fermentati forma, & alia non pauca circumstantiarum discrimina, ad illud genus rerum pertinet, quæ à Christo Domino non præceptæ, sed silentio prætèritæ vsum recipiunt ab Ecclesiæ præpositis liberum: demonstrato etiam ab hinc annis adeò multis & seculis Ecclesiæ florentis passim vnam fuisse Eucharistiæ portionem ab Apostolis, ipsóque adeò Christo administratam, satiùs esset de S. communionis vsu disputare, quàm de modo contendere. Illinc enim fructus indubius nos sequitur multò vberrimus: Hinc admodùm sanè exiguus, aut propè nullus. Cùm enim sit extra controuersiam, tantundem nos sub vna, quantum sub vtraque, id est, Christum

Magis de S. Eucharistiæ vsu & fructu atque pequẽtia cõmunionis vtilißima quàm de modo cõmunionis inutili disputandum.

D. Hiero. Catalogo de Iacobo.

Dominum totum, atque duabus naturis integrum accipere, quid obſecro te, frater chariſſime, rixemur diutiùs num vna, an verò vtraque Euchariſtiæ ſpecie vnum idémque accipias? Si te communionis fructus vrget, ecquis prohibet vel quotidie ad menſam accedere Dominicam? niſi te igitur illa malè ſana neceſſitatis opinio vexat, oportere omnibus Chriſtianis vtramq; Euchariſtiæ accipere ſpeciem, non fuerit, meo quidem iudicio, perdifficile animo perſuadere tuo (cùm tantundem ſub vna, quantum vti ipſe Lutherum ſectatus & agnoſcis, & fidei analogia poſtulat, ſub vtraque accipias) vna contentum ſpecie, tranquillam, diuturnam, adeóq; laudatam Eccleſiæ per Occidentem Catholicę conſuetudinem non perturbare, neque obſtrependo obtũdere. Habes enim quod aut Catholicus hæreticis obiicias, vniuerſalis Eccleſiæ in Concilio Conſtantien. manifeſtiſſimam definitionẽ: aut Lutheranus, quod aliis Syneuangelicis vtramq; ſpeciem poſtulantibus opponas, diſerta Lutheri tui, Melanchthonis, & Buceri verba, quibus vtramque ſpeciei communionem aſſerunt non neceſſariam, nec à Chriſto prçceptam. Aut ergo Catholicus Eccleſiæ in omnibus crede Catholicę: aut Lutheranus hac ſaltem in parte ſynagogę crede Lutheranæ: Aliis enim ſectariis, alio video eſſe opus collyrio: quod quia paucis perſtringere nequeo, in præſentiarum arbitror ab eo ſuperſedendum, quòd ſuo aptiùs loco veniet perſequendum.

Euchariſtia eſt & Sacramentum & ſacrificium.

Cæterùm priùs hunc Euchariſtiæ locum quàm concludamus, non fuerit abs re, paucis diſcrimen illud perſtringere, quod Euchariſtiam reſpicit aut vt Sacramentum, aut vt ſacrificium. De hoc nunc ſatis, quantum quidem præſens efflagitat inſtitutum egimus: de illo paucis differentes ad ſaluberrimam illam alteram Sacramenti ſalutis humanæ tabulam tranſibimus.

S. communionis vſus.

Quia in confeſſo eſt, Chriſtum Dominum ſacroſancta ſuæ cœnæ myſteria Chriſtianis iuxta ſuam promiſſionem. Ioan. ſexto reliquiſſe in Sacramentum, nunc paucis Deo adiuuante de eo, atque eius vſu dicendum venit. Eiuſdem rei nihil vetat vſum eſſe varium, ſicuti neo abſurdum, eandem perſonam variis ornatam eſſe reipu-

blicæ functionibus. Quòd Christus igitur suum corpus in sacrificium relinqueret, eius sacerdotij efflagitauit ratio, sicuti quòd illud ipsum in Sacramentum atque diuinum animarum pabulum, eius postulabat promissio: de hoc, quum non sit difficultas, nolumus esse multi in eo explicãdo. Illud admonuisse suffecerit, corpus Christi in Eucharistia nobis esse Sacramentum, id est, sacrum sacræ rei signum, quo id nobis præstatur inuisibiliter, quod visibiliter geritur: id est, animum rebus illo sub signo atq; Sacramento latentibus sic pasci, foueri, refocillari, atque nutriri, quemadmodum corpus cibo potúque alitur, fouetur, refocillatur, nutritur. Nam vti non satis est ad vitam traducendam ex parentibus esse ortos, sed quotidiano est opus nutriculæ lacte, quotidiano item alimento: ita & in Christo esse renatos non sufficit, sed propter assiduum nostræ imbecillitatis atque naturalis in malum pronitatis defluxum oportet & illud spirituale edere alimentum, quò iuxta Dominicam promissionem in eo maneamus, & ipse in nobis: vt omnes Christo capiti nostro magis agglutinemur, magis incorporemur, magis inuisceremur, vnusque tandem cum eo efficiamur spiritus, sicut omnes vnum cum eo sumus corpus. Hic igitur est huius Sacramenti fructus multò vberrimus, & vsu multò maximus, quo homo Christianus nihil desideret ampliùs. An non cum Dauide beamur, cùm illud ex animo exclamamus, Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Hoc certè nobis contingit pleniùs, cùm Christum Dominum sacro de altari sumimus, nobiscum iuxta ipsius promissionem mansurum: quod si hîc contingit, quid est quod dubitas, frater Christiane, si salutariter accipiendo in eo manes, quin æterna illa tibi quoque continget hæreditas regni cælestis, cuius hîc certò certiùs accipis arrabonem. Quod quò magis animo sit persuasum tuo, indubiam quoque adducit peccatorum remissionem, quæ te queant fortè ab adeũda illa hæreditate tua diutiùs, quàm velis, remorari. Sic enim Diuus Ambrosius, Quotiescunq; accipimus, inquit lib. 4. de Sacra. ca. 6. quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunq; accipimus, mortẽ Domini

S. Eucharistiã verè esse Sacramentũ.

Effecta S. Eucharistiæ in piis Christianorum pectoribus.

Vide D. Cypria. Sermo. de cœna Domini.

Ioan. 6.

Rom. 16.

Psal. 72.

S. Eucharistiæ communione solui peccatorum nexus, et mortalitatis istius remoras.

annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus remiſſionem peccatorum. Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illũ ſemper accipere vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam. Rurſus in orationem Dominicam: Si quotidianus eſt panis, inquit libr. 5. de Sacramen. cap. 4. cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotdie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere: quomodo Iob S. pro filiis ſuis offerebat quotidie ſacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quòd quotieſcunque offertur ſacrificum, mors Domini, reſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum, & panem iſtum vitæ non quotidianum aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus. Medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum.

Aurea hæc verba Christianum pectus ad frequentiorem extimulant communionẽ

Sed hæc de S. Euchariſtiæ communione, vſu atque fructu: nunc quæ reſtant huius rei explananda, alium poſtulant locum, quòd cum aduerſariis ea non veniant diſputanda, ſed piis cum Eccleſiæ Catholicæ fratribus conferenda atque expendenda. Quî factum, vt tam variè ſit olim ſtatutum de huius Sacramenti vſu, qui olim tam fuit varius, vt alibi quotidie, alibi ſingulis Dominicis, pòſt in anno ter, aut quater qui vellet Catholicus accenſeri, pòſt ne quis minùs quàm ſemel ad menſam accederet Dominicam? Rurſus an preſbyteri ſuo faciant ſatis muneri, qui aut per annum ſemel, aut menſem, aut per hebdomadam ſemel hæc ſacra peragunt myſteria? Ad hæc vtrum preſbyterorum ſit magis concionibus incumbere, vti hodie perſuaſum eſt pleríſque omnibus, quàm quotidiano ſeſe parare ſacrificio, & orationibus ſe dare quotidianis? quemadmodum Apoſtolos feciſſe, primo loco adnotat D. Lucas Act. 6. Nos autem orationi & miniſterio verbi incumbemus. An frequentia hæc Miſſarum hodie in Eccleſiæ ſit ædificationem, an potiùs ad Diui Franciſci conſilium, priſcámque ma-

Fabianus.

Sother.

Vide de conſecr. diſtin. 1. Et ſi non. Innocent. 3.

iorum verè Christianorum consuetudinem moderanda atque reuocanda? Similiter vtrùm Deus Optimus offendatur magis quotidiana ista sacerdotum adeò impurorum, adeò negligentum, adeò propè dixerim impiorum communione, cum aperta sacrificij illius vel angelis tremendi prophanatione, & piorum offensione, quàm ista populi Christiani adeò tepida, raráque communione, suæque salutis illinc haud dubium augendæ neglectu? Verùm hæc aliáque in Originum sacrarum libros reposituri ad alteram salutis tabulam Pœnitentiæ Sacramentum transeamus.

Caput LVII.



Ria fuisse in Paradiso arborum genera tradidêre præclari quidam antiquarũ rerum Scriptores, quæ diuinæ prouidentiæ videbantur alendo homini atque conseruando ita sufficere, vt quod ad vitam commodè suauitérque traducendam, mortémque pellendam pertineat, desideraretur nihil: si modò ille nostri generis parens Adam diuini mandati memor, illis vixisset contentus. Verùm vbi stulto placendi vxorculæ studio victus, vetitum siue malum, vt Christiani, siue ficum, vt ferè Iudæi sentiunt, & cupidè appetere, & auidè vorare in animum induxisset suum, non illi tria commemorata arborum genera ad vitam morte commutatam suffulciendam imò protrahendam fuêre satis: sed aliis prætereà vitæ alendæ fouendæque remediis habuit opus. Istum planè in modum & nobis miserrimis illius perditissimi & calamitosissimi Adæ posteris, per secundum licèt Adamum renatis, Spiritúque sancto confirmatis, atq; viuifico illo cælestis paradisi cibo pastis & recreatis, visum est sapientissimo Deo Opt. haud esse satis, ad nostram hãc animarum plagam sanãdam, corporúmq; tabem profligandam, in verissimo paradiso, Catholicam Christi dico Ecclesiam, tria nunc explicata condidisse Sacramenta, nisi & alia adderet nostrę tum infirmitati pleniùs profutura, tum propagandæ posteritati carnali simul & spiritali mirificè conductura:

Vide Procopium Gazeũ in Genesin.

Alia Sacramenta præter tria explicata cur à Christo instituta.

quibus instructi & adiuti, hanc nostram calamitatem si non propulsare & euadere, saltem leuare & mitigare intereà possemus, dum plenam illam corporis huius, quod secundum iustam illam Dei sententiam perenni in mortem fluxu proruit, immortalitatem & integritatem olim per Christum futuram in dies horásq; expectamus. Itaq; Pœnitentiæ Sacramentum nobis irato Domino Deo Patri propter delicta, atque offensiones à Baptismo perpetratas, per Christum reconciliandis abundè sufficeret: Sed quia plerique omnes peccatorum aut vulneribus nó leuiter sauciati, aut sordibus sumus inquinati ante nostram hinc emigrationem, benignissimus Deus per extremam etiam vnctionem salubriter nobis consulere est dignatus, quò ad ipsum sani mundíque toti euolaremus. Quare sicuti hoc Sacramentum citra nefariam impietatem noxámque sacrilegam de composito non possumus omittere, nedum negligere, multóq; minus contemnere: ita in præsentia non possumus silentio citra sacrilegæ impietatis notam præterire.

Gen. I.

Iam aliis præter quinque ista non foret opus Sacramentis, nisi Christi Iesu illa salutaris institutio (de qua inferiùs suo aptiùs loco differendum erit) non solùm singulis sui corporis, quod est Ecclesia, membris perficiendis, sed toti etiam corpori per Ordinationem atque Matrimonium censuisset consulendum, vt & rectè legitiméque per suos Magistratus gubernaretur, & multiplicatũ in finem vsq; seculorũ propagando saluũ conseruaretur.

Quæ qui secum prudenter, ac vti Christiano pectore est dignum, reputarit, agnoscet iure optimo à Catholica Christi Ecclesia, vt adhuc vsq; semper atque constanter, ita & nunc indubitanter septem prædicari Sacramenta veterum Orthodoxorum Patrum sententiis consentaneè atque congruenter, quòd ante annos 125. vniuersa Christi Ecclesia in Concilio Florentino, tam Oriente, quàm Occidente congregata, tum attestari, tum profiteri minimè addubitauit.

Ecclesia Catholica ante annos 125. cẽ suit septẽ sibi tradita fuisse Sacramenta.

Quare cùm tanta sit reliquorum Sacramẽtorum necessitas, superuacaneũ videri nequeat, quod in ipsis explicandis nunc ponendum est curę atque operæ. Non enim

tribus Sacramentis cum Lutheraniſmo veteri, nedum duobus cum Caluino, aliíſque ab Auguſtana Confeſſione deſciſcentibus: nec cum Philippo quatuor iam cudẽte, veterémque animi ſenſum ſubinde recudente contenti eſſe poſſumus: Sed tribus illis Baptiſm. Confirmat. atque Euchariſt. ſuprà pertractatis alia quatuor iuxta Apoſtolorum doctrinam addita ſuſcipientes, ſacrum illum ſeptenarium obtinemus, apprimè nobis gratulantes de pio Chriſti in nos iuuandi ſtudio, ſalutaríque ſolicitudine, qua nobis voluit deeſſe nihil, per quod incredibili noſtræ ſingulorum infirmitati, totiúſque corporis integritati (quod per Ordinem & Matrimonium agitur) incolumitatíque conſulatur. Ea propter conſiderantes reliquorum quatuor Sacramentorum iuxta Catholicam Eccleſiæ Chriſti doctrinam, cùm vſum, tum neceſſitatem, à Pœnitentia telam exorſi, de ſacra Ordinatione, Matrimonio, atque Vnctione extrema hoc opus diuino adiuti auxilio pertexere ſtudebimus.

Cur Septenarius Sacramẽtorum obtinendus.

Qua methodo alia quatuor Sacramenta perſequenda.

Quia igitur in illis Chriſtianæ Eccleſiæ tanquàm paradiſi deliciis trium illorum Sacramẽtorum quaſi pomorum illarum vitalium fructibus plerique omnes non perſiſtimus contenti, ſed pro innata nobis infirmitate, aut prona peccandi facilitate ita non rarò afficimur, atque proſternimur adeò, vt à largita nobis cælitùs gratia, donísque immortalitatis dudum acceptis, in priſtinam mortis labem atque interitum ſupini prolabamur. Hinc eſt, vt tanta ſit Pœnitentiæ neceſſitas, vt niſi ea fragilibus, & ad peccandum æquo pronioribus eſſet reliqua ſalutis recuperandæ & collapſę quaſi domus inſtaurandæ ratio, fruſtrà illa quoque ſuperiùs tradita Sacramenta viderentur inſtituta. Quid enim profuerit maximis quidem ornatum fuiſſe Dei donis, ſi ſemel amiſſa fuerint in poſterum irrecuperabilia? An non & nos meritò conqueramur, quod illi apud Poëtam quiritantes, Fuimus Troës? Verùm quia ſine Pœnitentia ſunt Dei Opt. dona, ac talia, vt eorum Deum pœnitere non poſſit, omittere ſanè non potuit, qua eſt aduerſum nos benignitate ineffabili, quin homini Chriſtiano à donis dudum per alia Sacramenta largitis prolapſo, aliud præ-

Pœnitentiæ Sacramẽtum cur neceſſariò inſtitutum.

Rom.11.

pararet remedium, quo miser ad felicitatis statum recuperandum iteratò sanaretur atque postliminio quodam restitueretur.

Sic Caluin. in Institut. Nouis à baptismo lapsibus noua esse quærenda remedia.

Non enim existimandum est, nobis à Baptismi gratia prolapsis noua non esse quærēda remedia, quod Caluinus vult, aliíque non pauci, vt à nobis Catholicis perniciosè, ita quoque à suis Symmistis turpiter fœdéque dissentientes, quasi ex Baptismatis vi nobis ratio suppetat, qua delictorum pòst commissorum citra pœnitudinis subsidium veniam adipiscamur, & perditorum iam donorum recuperationem consequamur. Istud enim inauditum post Christianorum memoriam figmentum, illo Nouatianorum furore plùs quàm fanatico pestilentius, non modò cum Orthodoxa veterum Patrū pugnat doctrina, sed ab ipsa etiam plus quàm δὶς διὰ πασῶν dissonat Scriptura sacra. Quod vt magis elucescat, initiò demonstrandum erit, eos qui peccando à Baptismi gratia, donísq; largitis sunt prolapsi, ab omni prorsus cælestium bonorum communione alienos, nouo Sacramēti Pœnitentiæ remedio, quodam quasi postliminij iure habere opus: vbi varias communionis formas nobis duximus pertractandas, quò clariùs Excommunicatio intelligatur, quæ dudum illuminatos, Spiritúsq; S. participes factos, ad vitia pristina prolapsos, à Christianorum consortio separare solet. Deinde ostenso Pœnitentiam esse veri nominis Sacramentum, explicatísque eius synonymis, ad illa Pœnitentiæ membra Publicam & Priuatam, partésque Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem persequendas erit accedendum.

Qua methodo tractandū pœnitentia Sacramentū.

Hebr. 6.

Variæ sunt Anabaptisticæ doctrinæ pestes, imperitum iuxtà atque miserum popellum exitialiter vastātes atque depopulantes: inter quas non est illa extremo loco habenda, quæ vt blando Syrenarum cantu alliciens, ita serpentino imbuta veneno sibilat, Iustificatos non posse Spiritum sanctum amittere. Quod dogma vt semel persuasis ad omne libidinis, qua illi subātes fœdissimè diffluunt, genus fenestram aperit: ita imperitis humunculis specie mirè blanda gratissimum allubescit. Mortaliū enim quisque impendiò illam filij Dei appellationem

Iustificatos Spiritum S. amittere posse, quòd cadere possunt atque peccare.

ſibi gratulari gaudet, tantæque dignitatis opinione animum titillari. Iſthac igitur fanatica perſuaſione iſti miſelli Spiritum ſanctum iactant ſibi aſſiduè clamantem, Abba pater, ſempérque teſtimonium reddentem ipſorum conſcientiæ, quód ſunt filij Dei: quo Spiritus teſtimonio ita firmiter nituntur, vt ſeſe Dei filios nequicquam dubitent, quantislibet ſeſe contaminent impuriſſimarum libidinum fæcibus, quantislibet ſe ipſi defœdent vt ſpurciſſimarum, ita execrandarum adeóque horrendarum pollutionum ſordibus.

Verùm quàm iſti miſeri piis omnibus lugendi ſeſe omnium infeliciſſimè fallant, quámq; ſeipſi miſerè perditum eant, vel inde diſcant, quod alij aliarum ſectarum Symmiſtæ (quos indubitatò cenſent damnandos, quòd non ſunt iſto Epicuri de grege porci) nõ minùs intrepidè crepant, fortitérq; Dei filios ſeſe aſſeuerant, ſibiq; aſſiduè illum Chriſti Spiritum intùs cantillare illud Paulinum, Abba Pater. Proinde ſi ſaperent, vereantur meritò, vt ne non illum verum veri Dei Spiritũ in ſui pectoris ſinu teſtimonium reddentem ſentiant Spiritui ſuo, ꝙ ſunt filij Dei: ſed illum hypocritam, qui ſeſe in Angelum lucis transfigurat, omnémque in formam vertit, vt veritatis ſimilitudine incautos fallat. Cùm enim D. Paulum audiant concionantem, Qui templũ Dei violauerit, perdet illum Deus, 1. Cor. 3. Rurſum: Omnis fornicator, adulter, & immundus regnum Dei non poſſidebit: quónam rogo ore ſibi Spiritũ Dei aſſeuerant aſſiduũ, adeóq; ineffugabilem, qui iſtis flagitiis ita impendiò, vt ſus in volutabro, delectantur, volutantur, rotantur? *2. Cor. 11.* *1. Cor. 3.* *Galat. 5.* *1. Cor. 6.*

Proinde cùm Solis luce clariùs ſit iſtis ſimilibúſque flagitiis Spiritus ſancti templa violari atque prophanari, eúmque non habitare corpora peccatis ſubdita, nemini qui apud ſe eſt, ambiguum eſſe queat, Anabaptiſticum illud delirium ex vetuſtis Eunomaniorum, ſi Honorio Auguſtodunenſi fides habenda eſt, fæcibus hauſtum, iuſtificatos Spiritum ſanctum amittere non poſſe, neque peccare, abs rei veritate multò eſſe alieniſſimum, vtvt blanda ſui ſpecie hominibus philautis atque ſui adulatoribus, arrideat, adblandiatúrque. *1. Cor. 2.* *Sapient 1.* *Vide Honoriũ Auguſtodun. de hæreſi.*

Amittere itaque poſſunt iuſtificati Spiritum ſanctum dudum acceptum, atque peccati fallaciâ cor ſuum obdurare, blandáq; victi voluptate qui ſteterant cadere: quod nec Euangelici inficias ire poſſunt. Verùm vt hîc nobiſcum contra Anabaptiſtas fortiter dimicant, ita contra nos viciſſim de Spiritus ſancti recuperãdi modo pugnaciter digladiantur, quanquàm non omnes, ſed Caluinus aliíque aliquot, quos pro eo atque illa hæreticorum nota & teſſera à veteribus nobis depicta efflagitat, quòd dogmatum, Teſtamentorum more, mutant atque commutant, Confeſſionem Auguſtanam deſerere nõ pudet. Saxones igitur Pœnitentiæ Sacramentũ aſſeuerare pergunt hanc ad rem neceſſarium, quorum vt doctrinæ huius conſtantia nonnullam meretur laudem, ita perfida Symmiſtarum defectio ſummam profectò vituperationem: etſi illi longè aliam ſomnient Pœnitentiæ rationem, qua Spiritus ſanctus nobis reddatur, quàm ipſa habet rei veritas, atque Scripturarum authoritas clariſſimis verbis ſonat: quibus cum infra ſuo aptiùs loco erit depugnandum. In præſenti verò illorum à Lutheraniſmo hac in parte Apoſtatarum atque defectorum manipuli aliquot antè ſunt ſternendi atque profligandi, quod eò fiat faciliùs, quòd deſertis quaſi ſociorum caſtris & hoſtium telis ſint magis expoſiti, & ſociorum auxiliis deſtituti ſint magis debilitati.

Caluinus à Confeſsione Auguſtana deſciſsit.

Nouis lapſibus noua negat Caluinus cum ſuis cohortibus quærenda expiationis remedia, ſed ex vna baptiſmatis vi adeſſe baptizatis facultatem atque copiam, qua in priſtinum dignitatis filiorum Dei gradum iteratò collocentur. Non igitur opus eſſe vult nouo Pœnitentiæ Sacramento, quo cæleſti Patri reconcilientur, quòd eius vis non ſit obſoleta, neque in præteritũ duntaxat tempus collata, ſed ſemel in omnẽ vitam nos ablui & purgari. Itaque quoties lapſi fuerimus (inquit cap. 17. inſtitut. de Bapt.) repetenda erit Baptiſmi memoria, & hac armandus animus, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus, ſecurúſque ſit. Nam etſi ſemel adminiſtratus proteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tamen peccatis nõ eſt abolitus. Puritas enim Chriſti in eo oblata eſt:

Pœnitentiæ Sacramentum eſſe neceſſarium.

Ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur, ſed omnes noſtras ſordes obruit, & extergit. Quæ doctrina ſi vel vlla ex parte eſſet veritati affinis, quis non miretur Orthodoxorum illorum Patrum ad vnum omnium ſententiam, qua adeò ſeueriter atque conſtanter aduerſus Montani & Nouati hæreſes ſunt colluctati? Quid enim? an oportuerit Nouatianos Eccleſiis Catholicis excludere, qui Baptiſmi vim non minus atque Caluinus & habebant, & cognoſcebāt? vt nihil modò dicatur de iſthac Caluini tectoria atque imputatitia duntaxat Baptiſmi iuſtitia. Proinde hac vna re Orthodoxi illi extra controuerſiam Patres Caluini doctrinæ præiudicarunt, clariſſimè commonſtrantes, eos, qui à Baptiſmi gratia fuiſſent prolapſi, alio expiationis remedio, atque in Baptiſmo dudum conſequebantur, habere opus. Neque hanc ad rem conficiendam eos fuiſſe arbitratos ſufficere, ſi in mentem reuocaretur Baptiſmi memoria, qua armatus animus ſemper de peccatorum remiſſione eſſet certus, inde fiat manifeſtiſſimum, quòd lapſis atque pœnitentibus non iſtud à Caluino confictum Baptiſmi adhibuêre pharmacum, ſed aliud longè diuerſiſſimum, nimirùm ſalutare, licèt aſperum, Sacramēti Pœnitentiæ remedium. Alioqui quorſum attinebat lapſos peccatis iam ſaucios auſteriori ieiuniorum & humidormitionum caſtigatione, quaſi ſtipulam illam Euāgelicam atterere duriùs, vel potiùs confringere, linúmque fumigans propemodum extinguere? An verò ignotam illis doctiſſimis viris Apoſtolorum diſcipulis cum Apoſtolis ipſis fuiſſe credas Baptiſmatis vim? Sed quis mortalium iſthac ſit arroganti impudentia, & impudentiſſima arrogantia? Salutarem porrò Baptiſmatis efficaciam vt longè potentiorem atque Caluinus hallucinatur, Baptizatis contingere cenſuêre: (quod ſuo ſuperiùs loco luce meridiana clariùs oſtendimus) ita illā nō niſi in percepta pridem gratia perſiſtentibus, quod ad expiationis quidē vim attinet, vtilē atque valentē docuêre. A qua qui vel temeritate, vel peccatorum delitiis in mortis barathrum fuiſſet delapſus, huic adeò non fuit ſalutis recuperandæ remedium ex Baptiſmo reliquum, vt ſeuerioris Dei iræ atque vltionis,

Nouatianorum hæreſis. Pœnitētiam arguit neceſſariam.

cùm propter ingratitudinem, tum impietatem, efficeretur reus. Ea propter euacuata fuit peccando Baptiſmi vis atque efficacia, niſi & illud ad eam pertinere dicas, quod ſalutari Pœnitentiæ Sacramenti remedio inflicta noua animi vulnera ſanare poſſit, priſtinámque dignitatis ſedem, vnde vel delitiis prolapſus eſt, vel diaboli perturbationibus deturbatus, caſtigationum quaſi gradibus non tam aſperis, quàm ſalubribus queat iteratò aſcendere: ſed non niſi in Catholica Chriſti Eccleſia, cui dudum per Baptiſma fuit inſitus atque incorporatus. In præterita itaque peccata Baptiſmus valebat ſuſceptus, non item in futura. Sed ſaluberrimum Pœnitentiæ Sacramentum, quo non minus Chriſti ſanguis noſtra abluit peccata, atque Baptiſmi gratia dudum percepta: quod non ſolum Orthodoxos docuiſſe Patres, ſed ipſos etiam Apoſtolos, inſtituti ratio nunc poſtulat, vt demonſtremus.

Pœnitentiæ vis & fructus. *Vide Tertul. de Pœnit.*

Hoc in priſca illa Chriſti Eccleſia tam fuit vel populo notiſſimum, vt Tertullianus ille magnum quondam Aſiæ lumen hunc in modum ſit lapſos ad Pœnitentiam exhortatus: Igitur cùm ſcias, inquiens, aduerſus gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ momenta " eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem " tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quo ſcias mederi tibi? " Mutæ quidem animæ & irrationales medicinas ſibi di- " uinitùs tributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta " transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vul- " nere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi " excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit?

Hunc in modum cùm Diuus Hieronymus ſaluber- " rimum Pœnitentiæ Sacramentum Baptiſmo propemo- " dùm exæquaſſet, Pœnitentia (inquiens Dialog. 1 contra " Pelag.) Baptiſmatis gratiam imitatur per ineffabilem " clementiam Saluatoris, id conſequenti dialogo totidem " verbis luculenter eſt interpretatus: Sãguis Ieſu filij eius, " inquiens, mundat nos: quod tam in confeſſione Baptiſ-

matis, quàm in clemẽtia Pœnitudinis accipiendum est: »
neque verò D. Hieronymi sententia sordes peccatorum »
post Baptisma commissorum Pœnitentia quasi scopis »
deterguntur tantùm, & secundo quodammodò (vt ipse »
ait de obitu Blesillæ ad Paulam matrem) Baptismo la- »
uantur: verùm etiam mors & vita sibi contraria (vti ait »
epistola ad Ruffinum) Pœnitentia copulantur. In ean- »
dem sententiam & Diuus Augustinus scribit, peccata »
post Baptismum perpetrata non iam regeneratione, sed »
salutari Pœnitudinis curatione sanari atque aboleri: lo- »
quens enim de paruulis à Baptismi gratia prolapsis Tũc »
etiam propria (inquit epist. 23. ad Bonifacium) incipient »
habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed »
alia curatione sanentur. Quibus verbis quidnam obse- »
cro desideres manifestiùs, quò istæ exitiales nouorum commentorum pestes salutari Pœnitentiæ Sacramento à Caluino dudum offusæ, aut ostendantur illustriùs, aut profligentur efficacius?

Caput LVIII.



Verùm hanc salutarem medicinam diris animarum nostrarum vulneribus post Baptismi sanitatem inflictis medicantem, ipsi adeò Apostoli clarissimis suis exemplis demõstrarunt. Siquidem qui Apostolorum ætate in mortifera incidissent à Baptismo crimina, non iam illis delicatum illud Baptismatis adhibebatur collyrium: verùm illud austerum quidem, sed salutare, Pœnitentię cauterium: imò terrificum illud atque molesta corporis vexatione non minùs, quàm inuisibili animi alligatione horribile excommunicationis vinculum. Eo namque criminosi atque violatæ maiestatis diuinæ rei ceu quibusdam compedibus quauis catena ferrea magis astringentibus impediti, non modò à cælorum regno detinebantur exclusi, iuxta potestatem eis traditam, Quorum alliga. &c. sed suauissima etiam Ecclesiæ Christianæ consuetudine atque saluberrima Sacramentorum communione abstinebantur separati, siue vt hodie loquimur, excommu-

Quis olim Apostolorũ ætate status eorum, qui à Baptismo peccarant.

Excommunicatio quorsum instituta.

Matth. 19.
Ioan. 20.

Abstinebantur olim, id est, excõmunicabantur.

Excōmunicatio animi vinculum pœnis corporis olim formidabile.

nicabantur. Hoc autem Christianæ castigationis genus quia oculis tantùm fidei & videbatur, & animi tantùm sensu percipiebatur, diuinæ prouidentiæ visum est, illud ipsum corporali quodam cruciatu olim attestari: qui vt in excommunicatorum corpora sæuiebat, ita in aliorum item sensus transibat, quò hac ratione crassis hominibus vel in oculos incurreret manifestiùs, quod in illorum animo gerebatur occultiùs. Sed res isthæc antiquitate obscura, exemplis aliquot clarioribus est illustranda. Simon ille Magus Baptismo haud dubiè Christiano Samariæ tinctus, conspecta admirabili illa miraculorum facultate, Apostolis Petro & Ioanni præ Philippo Diacono largita, ad illius æmulationem præpostero studio accendebatur. Eam itaque oblata Apostolis pecuniæ summula licitatus, sibi comparare in animum induxit. Quod quàm fuerit scelus atrocissimum, veréque Simoniacum, seuera D. Petri in illum sententia clariùs pronunciat, quàm vt de eo addubites: Non est tibi pars, inquit, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur hæc cogitatio cordis tui. Qua quidem verborũ formula sicuti D. Petrus Simonem Magum à Baptismi gratia prolapsum à Christi Ecclesia deturbauit & exclusit: ita viam ceu indice ostendit, qua istius criminis veniam consequeretur. Pœnitentiam, inquit, age: non ait, Baptismum tibi in memoriam reuoca, qua animus tibi armatus, de remissione peccati sit securus: Sed pœnitentiam, inquit, age, & roga Deum, si fortè remittatur hæc cogitatio cordis tui.

Act. 8.

D. Petrus Simonem Magum excōmunicat, & pœnitenti viam ostendit recōciliationis.

Quòd autem Simon Magus hisce Apostoli verbis à cælorum regno sit proscriptus, atque Christi Ecclesia simul exclusus, apertius est in veterum Commentariis, quàm vt sedulum sacrarum literarum Lectorem lateat. Testatur id D. Ambrosius libr. 5. de fide cap. 1. Petrus ad curam gregis, inquit, à Christo electus, hæreticum à cōmisso sibi ouili statim post vnam correptionem repellit. Qua de re diffusiùs disserit in vita Chrysostomi Palladius Episcopus statim ab initio.

Verùm etsi ille corporis cruciatus, quem suprà diximus Excommunicationi plerumque semper fuisse olim coniunctum, non ita liquido appareat in Simone Mago: in aliis tamen hac cẽsura Apostolica perstrictis quasi extuberabat manifestior, quàm vt quenquam pateretur ambigere. Sic enim ille Corinthianæ Ecclesiæ siue doctor, vt plerique sentiunt, siue discipulus à Christi grege exclusus, Sathanæ fuit traditus in interitum carnis, vt exemplo D. Iob in carne vexatus resipisceret, atque violatæ nouercæ pœnas viuus lueret: quemadmodum Græci commentarij concorditer interpretãtur. Ad hæc ne quis huiusce rei supersit scrupulus, testatur D. Chrysostomus Homil. in cap. 2. prioris ad Timoth. quòd excommunicati in febres incidebant: cui dicto & Diuus Theodoretus ibidem suffragatur: Quos tradidi Sathanæ, non tanquàm magistro, inquit, sed tanquàm sæuo carnifici. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles affectiones, & & alias calamitates. De his porrò corporis cruciatibus, quos diximus Excommunicatos perpeti solere Apostolorum ætate, dubitare nõ poterit, qui epistolis D. Apollinaris nomine in lucem editis fidem habet. Quàm diu autem ista in oculos atque sensus incurrẽs pœna Excõmunicationem sit secuta, in præsens haud ita magni nostra interest. Hoc adiecisse fuerit satis, quod D. Paulus annotat in D. Ambrosij vita, vbi Stilliconis Comitis seruum ob flagitia dixisset Sathanæ tradendum, in aliorum exemplum fuisse à Dæmone correptum.

Excõmunicationẽ olim cruciatus corporis morbósque fuisse subsequutos.
1. Cor. 5.
Vide epist. ad Tolosanos vbi cap. 23. hac de re agere videtur.

Sed ista corporis castigatio, sæuáque Excommunicatorum punitio in oculos incurrens, occultioris fuit castigationis, quæ animam cruciabat, symbolum, latentísque in pectore pœnæ argumentum. Quò igitur Excommunicationis ratio perspiciatur dilucidiùs, & intelligatur pleniùs, permagni interest animaduertere, varias fuisse apud priscos communionis formas, putà communionem Sacramentorum, communionem in precibus, communionem in conuictu, communionem quoque Laicam & Peregrinam.

Variæ olim cõmunionis formæ declarãt, quid fuerit olim Excommunicatio.

Hæ autem variæ communionum species idcirco accuratiùs sunt nobis & indagandæ & persequendæ, quò ex illarum notitia seuera illius horrendæ Excommunicationis vis, qua Baptizati in flagitia lapsi percellebantur, perspiciatur. Quod in præsentiarum singulari diligentia videbatur exquirendum, vt inde impudens Caluini figmétum, quod asserit Baptismum peccatis posterioribus non esse abolitum, Christíque puritatem in eo nobis oblatam semper vigere, nullis maculis opprimi, sed omnes nostras obruere maculas & extergere, certiùs cognoscatur subuersum, vanitatísque conuictum. Vbi enim palàm fuerit factum, Baptizatos in peccatorũ sordes reuolutos, à Christi ouili tanquàm immundos porcos fuisse olim abstentos & excommunicatos, atque in pristinum Christianæ pietatis locum (vbi immaculatorum illorum mysteriorum non nisi item immaculatis concedebatur communio) quibusdam communionum initiò in conuictu, exinde in precibus, quasi gradibus ascendere fuisse coactos, in procinctu fuerit cognoscere, ex veteris Catholicæ Ecclesiæ iudicio habitos verè immundos, atque à percepta dudum Baptismi puritate alienos, nouísque sordibus noua quadã ablutione eluẽdis aspersos contaminatósque.

Quibus olim rebus iusti pseuerantes in percepta Baptismi gratia cõmuniter fuerint vsi.

Delitiæ cõuiuij Eucharistici apud Catholicos paradisiacũ repræsentãt epulũ.

Qui in percepta dudum Baptismi Spiritúsque sancti perseuerabant gratia, omnibus omninò bonis filiorum Dei propriis fœliciter perfruebantur, ínque regni cælestis speciem (cuius est Christi Ecclesia ἀντιτυπόντι, instar quoddam atque exemplum) non modò sanctorum fratrum societate, communibúsque cum illis ad Deum Patrem votis & comprecationibus congaudebant: Verùm etiam illa Angelorum esca delitiosissima, veréque paradisiaca in tristibus istius heremi peragrandi laboribus refocillati suauissimè conuiuantes epulabãtur. Hisce Christianæ religionis cùm deliciis tum solatiis, qui & aduersus tetricas illius sempiterni hostis incursationes demulcebantur ac muniebantur, & in molesto ærũnosóque difficilis per istud vitæ desertum itineris tædio consolabantur, án non tibi Lector Christiane dulcissimos terræ illius promissionis à Christo in cælis olim

præstandæ

præstandæ fructus videantur anteuertisse? suauissimúmque illud mel & lac, nectare dulcius & ambrosia, quibus verè illa demùm promissionis Euangelicæ regio scatet, affluit, abundat, copiosè hausisse, delicatissimè gustasse, beatissiméque seipsi expleuisse? Qui igitur istis deliciis verè diuinis vel quotidie, vel summum hebdomadatim (donec lugẽdum istud desiderij cælestium deliciarũ frigus, diuinæque alimoniæ ἀνορεξία & inappetentia omnium propè nostrum corda inuasit) beatissimis fruebatur, sicuti si in cœpto piæ vitæ instituto perseuerabat, omnium cum gaudio ad communes cùm preces tum cõuiuij cælestis epulas admittebatur: ita si à recto deflectens in læthalia crimina fuisset delapsus, omnium Dei filiorum cum mœrore ab illis bonis iustorum propriis, pro eo atque oportebat, segregabatur & abstinebatur.

Olim quotidie cõmunicabatur, etiã D. Hiero. ætate per Hispaniam, & Italiam.

Quia autẽ hæc hominis in peccata relapsi à grege Christi segregatio illam cælestem sequebatur, qua à Dei consortio fuit proiectus, rectè ad suum archetypum atque instar cæleste Ecclesia, cuius quoddam est, vti diximus, antitypon & exemplum respondens, ab omni cum piis & iustis consuetudine submouebat & excommunicabat. Cæterùm cùm Sacramentorum communio primas tulerit inter alias, quas diximus, Communionis species, meritò ipsa ante alias est perstringẽda. Communio igitur Sacramentorum aliud non erat, quàm non impedita eorundem participatio. Hæc autem omnium erat cõmunis, qui in accepta dudum gratia persistentes, nihil patrabant, quod Dei iram commereretur: quàm vbi quispiam fuisset commeritus, statim vti à cælestium bonorum participio agnoscebatur exclusus: ita Ecclesiasticorum quoque communione Sacramentorum iudicabatur abstinendus, siue vt hodie loquimur, Excommunicatione maiori excommunicandus. Hæc porrò Excommunicationis species rectè à posterioribus maior dicta, quàm fuerit olim, atque adeò nũc est extimescenda, formidãda atque horrescẽda, clamant illæ pœnæ atque cruciatus, quos demonstrauimus, vt in omnium oculos incurrere solitos, ita & Excommunicatorũ sensus singulari cum corporis cruciatu diuexasse, quibus à

Lapsi cur olim excõmunicati.

Christi Ecclesia illius regni cælestis est antitypon & exẽplar.

Communio Sacramentorum quid.

Excõmunicatio Maior quid.

Dæmone sæuissimo tortore affligebantur, vexabantur, torquebãtur. Verùm quia nunc tẽporis Deo Opt. Max. visum est istas corporum vexationes Excõmunicationi detrahere, idcirco fortassis putes rem minoris esse momenti, minúsque habere timoris aut noxæ, ac habuerit olim. Postulabat nouæ relgionis Christianæ ratio noua atque insolentia diuinæ virtutis prodigia, quibus & doctrinæ salubritas suscipientibus comprobaretur, & eius contemptus aut neglectus in improbos vindicaretur. Sicuti igitur manuum impositioni ad quoddã tempus visibilium signorum accesserat cõmendatio: ita Excommunicationi multò diutiùs diuinæ sentẽtiæ vltionísque addenda fuit attestatio, ne vanum crederetur terriculamentum, quod certissimum habebat coniunctum Excõmunicatorum detrimẽtum atque carnis interitum. Aliquandiu igitur miserabilis animorum status atque Excõmunicatorum calamitas miserãdo erat corporis cruciatu cõtestanda: sed quàm diu hoc requireret fidei propagandæ, siue ratio, siue commendatio. Proinde ne puerorum more, aut infidelium veriùs, existimet quispiam huius de Excommunicationis horrore dogmatis confirmationem ex corporalibus cruciatibus petendam: sed ex inuisibili potiùs noxa, qua animos afficit, necat, atq; interficit adeò. Hæc enim potior eius detrimenti pars etiamnùm hodie persistit vigens atque valens, tametsi altera, quæ corpus vel febribus tentabat, vel cruciatibus vexabat, diuina sit submota voluntate: quemadmodũ & superiùs de sacrosancta confirmatione est demonstratũ.

Excõmunicatio nunc aquè ac olim terribilis atque efficax.

Quàm hîc igitur grauiter errant aduersarij, qui Excommunicationem amandam prædicant, tantum abest, vt piis hominibus metuendam putent, nullo negotio licet cognoscere: quanquàm enim iste erroris furor, quò initiò percitus Lutherus bacchabatur, manifestior sit, quàm qui vllius egeat refutationis (Quod & ipsi illius discipuli reipsa comprobant mutuis in se ipsi grassantes excommunicationibus: quas si amant, cur supplicij loco infligunt? sin oderint, cur eum sectantur, qui amandas docet?) paucis tamen veterum testimoniis pro nostro instituto est demonstrandum, nihil homini Christiano

Excõmunicatione nihil magis horrescendũ Christiano.

esse iuxtà metuendum atque exhorrescendum.

Eadem propè fuit Christianæ Ecclesiæ facies D. Augustini ætate, quæ modo isthac nostra, quod quidem ad miracula attinet atque prodigia, quæ Deus Opt. vel per Sanctos nondum corpore isto exutos, vel in Sacramentorum administratione operari est dignatus. Nam viuorum miracula Augustini seculo religione iam vbique gentium plantata satísque confirmata, paulatim deficere, & in Sacramentorum exhibitione non item euidenter, vt antè apparere: licet sacrarum reliquiarum veneratio non minoribus quàm illo Apostolico tempore fuerit diuinitùs comprobata: vti Mediolani Sanctorum Prothasij & Geruasij corpora, & D. Stephani in Aphrica. Illo itaque seculo quàm fuerit Excommunicatio verè perhorrescenda, locus vnus atque alter Diui Augustini faciat manifestum. Salubrem disciplinæ Ecclesiasticæ seueritatem demonstrans Apostolis à Christo esse traditam illis verbis: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo, illud: Si Ecclesiam, inquit lib. 1. cap. 17. cōtra aduersarios legis, non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus & publicanus, grauius est, quàm si gladio ferire-tur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur. Et paulò pòst: Ecce ab hominibus, inquit, non reddētibus malum pro malo alligatur homo amariùs & infœliciùs Ecclesiæ clauibus, quàm quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis vel adamantinis nexibus. Et quæstionum super Deutero. lib. 5. cap. 59. loco mortis quam lex infligebat, successisse docet Excommunicationem. Hoc quidē illud est, quod Diuus ille Cyprianus terribilissima voce vt contra sui seculi, ita nostri quoque Excommunicatos detonabat: Ne putent sibi vitæ aut salutis rationem, inquit epist. 11. lib. 1. constare posse, si Episcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint Et paulò pòst: Spirituali gladio superbi & cōtumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur: neque enim foris viuere possunt, cùm Dei domus vna sit, & nemini salus, nisi in domo Dei esse possit. Sicuti igitur hæc ab Ecclesia & Sacramētis excōmunicatio à Christi regno excludebat, adeóque necabat, nō modò quādo sensibilib9 cruciatib9 atq; tormētis

Excōmunicationis vinculū animā infœlicißimè stringit.

Excōmunicatio animæ nūc operatur, quod olim pœna mortis corpori.

Excōmunicati necantur, dum excommunicantur.

fuit extimeſcenda, verùmetiam illis, vt & nunc eſt, deſtituta: ita prorſus hodie adeò non eſt amanda, vt fugiendum ſit magis nihil. Verùm quia hæc à Sacramentis Excommunicatio pro offenſionum differentia varias videtur habuiſſe coniunctas Excommunicationum formas, putà à precibus, & à conuictu, ad earum explicationem paucis dicendum venit, quídnam illæ apud veteres fuerint, quò fiat apertius, quibuſnam rerum vtiliſſimarum, atque ad ſalutem in primis cõducibilium fuerit interdictum. Qui cœptum Chriſtiani inſtituti iter inoffenſo pede pergebant, iis ſicuti ad Sacramentorum vſum liberrimus patebat acceſſus, ita in fundendis ad Deum Patrem precibus ſupplicibus votíſque piis communis erat conuentus: à quo propter patratum flagitium ad quoddam tempus excludebantur lapſi, donec Epiſcopi arbitrio legitima emendati caſtigatione, ad communes cum fratribus preces reciperétur. An autem iſthæc à precibus Excommunicatio prorſus ſit eadem cum illa nunc Eccleſiæ vſitata, qua Excommunicati ab Eccleſiæ ſuffragiis excluduntur, néc ne, haud ita magni in præſentia refert perſequi, cùm diſcrimen haud magno appareat negotio. Erat quoq; cùm à conuictu & Chriſtianorũ conſuetudine ob ſcelerum atrocitatem ſubmouerétur. Quod an ſemper illis ſuperioribus Excommunicationum formis fuerit adiunctum, vti nunc eſt, non immeritò fortaſſe quis dubitet, ſi illum Concil. Cartha. cap. vltimum de viduis cogitet à pudicitiæ voto in adulteria prolapſis. Nam ad earũ pœnas exaſperandas atque exacerbandas, iſtud ſupplicij genus videri poſſit fuiſſe adiectum. Ad hanc, quæ in conuictu atque Chriſtianorum conſuetudine fuit, cõmunionem priùs admittebãtur Excommunicati, quàm ad eam quæ aut in precibus, aut ſacrorum vſu fuit, vt certis quaſi gradibus in priſtinum aſcenderent dignitatis locum. Verùm quæ hactenùs de cõmunione in precibus & conuictu diximus, ita ad Laicos pertinuiſſe videntur, vt ad Clerum nõ pertingant: Cuius illa fuit Cõmunio propria, quæ apud veteres legitur Laica, & fortaſſis peregrina. Sicuti enim Laici ab Excõmunicatione partim abſoluti, in conuictus,

Excõmunicatio à precibus quæ fuerit.

Excõmunicatio à cõuictu olim quæ.

atque orationum cõmunionem admittebantur: ita Clerici Excommunicationis vinculo implicati, paulatim ad pristinum stationis suæ locum reducebantur per cõmunionem, vti diximus, Laicam, atque vti apparet, peregrinam. De quibus vt nunc breuiter dicamus, rerum ordo postulat. Quanquàm autem Clerici olim ad Pœnitentiam publicam non adigebantur, vt Laici excõmunicati: sua tamen Excõmunicatio eis non deerat, quæ in eos & seueriùs & acerbiùs optimo iure stringebatur. Vt enim hos sanctiùs atque ab omnibus peccatorum sordibus puriùs viuere efflagitat cùm vitæ professio, tum dignitatis celsitudo: ita suo gradu delapsos æquissimũ erat castigare seueriùs, deiici submissiùs, atq; puniri duriùs. Quod ô vtinam & Ecclesiæ Christianæ moderatoribus videretur in obseruationem viuam reuocandum. Hinc enim haud dubium multò maximum Ecclesiæ proueniret pietatis emolumẽtum, scandalorum istorum vt plurimorum, ita intolerabilium moderatio, omnísque virtutis certissimum incrementum. Faciliùs quoque Laicorum pœnæ Canonicæ possent in suum vsum pristinum non tam salubrem quàm necessarium reuocari atque restitui. Quod quàm sit ex re Catholicæ Christi Ecclesiæ, imò necessarium veriùs, alibi erit commodior dicendi locus. Clerici itaque suæ dignitatis immemores, si vel Dei legem, vel Ecclesiæ Canones trãsgressi offendissent, sicuti ab Ecclesiæ communione separabãtur, ita ad Pœnitentiam publicam haud temerè adigebantur. Hoc enim gradui Ecclesiastico consultum esse Maioribus nostris non fuit visum. Pœnitendum tamen eis fuit nec sanè suauiter, nec leuiter. Non redigebantur quidem ad illam públicè pœnitentium hypoptosin atque præ foribus conculcationem, sed choro (qui solos capiebat Clericos, non item Monachos, nec therapentas, nedum ex aliis Laicis vllum) exclusi, quia suo ab officio suspensi, inter Laicos in Ecclesiam admittebantur: sed non nisi quibusdam stationũ gradibus. Nam geminũ ferè mihi obseruasse videor castigationis Clericorum genus. Est in Canonibus communio Laica, est & communio peregrina. Vtrumque cõmunionis genus equidem citra vl-

Communio Laica & Peregrina quæ olim fuit Clericorum.

Clerici olim choro exclusi cũ Laicis erant in Ecclesia.

Communio Laica ad solos olim pertinuit Clericos.

lius præiudicium ad Clericos olim pertinuiſſe exiſtimauerim, licet clariſſimi quidam Scriptores aliter cenſuiſſe videantur. Hîc dum à magnis viris diſſentire me cogunt meæ ratiocinationes, ex Canonum antiquitate priſca obſeruatæ, tanti apud Lectorem antiquæ Eccleſiaſticæ doctrinæ ſtudioſum eſſe velim, quanti eius valebunt arbitrio. Non nos illis magnis cõponat, qui nos ſua vel vmbra poſſunt obſcurare, ſed argumenta iudicio expendat, non verba numeret.

Laica cõmunio quid.

Laicam igitur communionem ſunt qui exiſtimant fuiſſe S. Euchariſtiæ ſub vna panis ſpecie cõmunionem. Quod quàm ſit à veritate alienũ, mecum agnoſcet ſpero, qui priſcæ conſuetudinis ſedulus inueſtigator conſiderarit, Laicam communionem tũc vel in primis in vſu fuiſſe, cùm paſſim priſco de more vtraque communionis ſpecies & panis, & calicis toti exhibebatur Eccleſiæ.

Nam D. Cypriani atque Cornelij Romani ætate iſtũ fuiſſe morem quis ambigat? Horum ergo ſeculo án non fuerit communio Laica? án in pœnam Laicis aſſerat quiſpiam fuiſſe calicis, non panis, ſubtractam ſpeciem? Cur potiùs calicis, quàm panis? imò ſi calice fuêre indigni, proculdubiò & pane. Quòd autem priſcis illis temporibus fuerit hęc Laica communio, cùm vtriuſque ſpeciei fieret paſſim populo adminiſtratio, ſatis ex vna D. Cornelij Romani epiſtola ad Fabianum Antiochenum fuerit demonſtraſſe. Hîc commemorans, qualínam cenſura in ſacrilegos illos Nouati ordinatores Epiſcopos animaduertiſſet, vnum illorum ad Eccleſiam reuerſum temeritatem ſuam deflentem atque confitentem, populo cuncto pro eo intercedente, Ad Laicam, inquit, communionem recepimus: in locum autem reliquorum Epiſcoporum ſucceſſores à nobis ordinatos miſimus. Hîc igitur Epiſcopus ad pœnitentiam quidẽ fuit in gratiam populi pro illo ſuum ſcelus deflente intercedentis receptus, ſed non ita ſubitò in priſtinum dignitatis locum reſtitutus. Redigitur itaque in ordinem, vt cum Laicis Eccleſiæ partem occupet, choro Cleri loco indignus. Ille igitur ſuis ſuſpenſus officiis, ſicuti nihil gerebat Epiſcopale, ita omnia cum Laicis fratribus ha-

Vide Euſeb. lib. 6. cap. 43

Epiſcopus ad Laicam cõmunionẽ poſt pœnitẽtiam admittitur.

buit communia, putà orationes, conuictum, atque Sacramentorum communionem, qualem tunc Laici ex more Ecclesiæ Catholicæ percipiebant, id est, vtriusq; speciei. Nam id ex Cypriano, & aliis illius ætatis Scriptoribus liquet. Porrò Laicam communionem idem esse quod cũ Laicis, siue inter Laicos, & non cum Clero communicare, inde fiet manifestiùs, quod Cano. 4. Concil. Toleta. 1. de Subdiacono statuitur, si tertiam vxorem duxerit abstentus biennio, posteà inter Laicos reconciliatus, per pœnitentiam communicet. Vides Subdiaconum primo suo deiectum gradu, à communione separatũ, post biennium acta pœnitentia reconciliatum, sed inter Laicos: non autem inter Clericos cõmunionis caussa admissum. Laica ergo communio non fuit vnius speciei, vti hodie videmus vsitatum ex antiquissima Occidentis consuetudine, sed cum Laicis communio. Erat enim Clericorum Excommunicatorum propria: Quippe nondum erant sicut nec sui gradus redditione atq; dignitatis restitutione digni: ita nec Clericorũ communione: verùm ad Laicorum societatem adiũgebantur intereà, dum sacris expiationibus atque saluberrimæ pœnitentiæ castigationibus ad amissæ cum Clero dignitatis recuperationem (si ea modò contingeret) præparabantur. Hoc liquidum fuerit, si quis veteres cõsuluerit Canones, qui istam pœnam canonicam Clericis solis præscribebant.

Laica communio nõ est vnius speciei (vt opinãtur nonnulli) sed cum Laicis communio.

Superest, vt de peregrina communione nonnihil dicatur. Hîc sanè alios equidem audire malim, disciturus potiùs quàm docturus: Verùm quod de ea nobis eruisse videmur, in medium candidè proponemus. Quanquàm enim mihi videre videor eam Clericorum quoque fuisse propriam: ita ingenuè fateor, nostræ tenuitati nondum satis esse perspectam. Si quis igitur nostras coniecturas in obscurissima ob vetustatem quæstione desideret, haud inuiti communicabimus, non tam vt cæci cęco ducatum præstemus, quàm vt eruendæ antiquæ disciplinæ causa aliis vel studij diligẽtioris aculeos acuamus, vel doctioribus nos erudiendi ansam præbeamus.

Communio peregrina quid.

Peregrinam itaq; communionem pro meo videre in præsenti crediderim fuisse illa Laica vt indigniorẽ, abie-

Loca Pœnitentibus aßignata. ctioremque, ita tempore priorem. Nam certis gradibus Clerici ab Ecclesiastico corpore separati, ad suæ dignitatis recuperationem præparabantur. Sicuti ergo Laici certis Pœnitentiæ quasi gradibus post Pœnitentiæ lachrymas sua egressi Proclausi, Acroasi atque Hypoptosi per conuictus consuetudinem cum fratribus, atque cum eisdem in fundendis Deo precibus communionem, ad saluberrimum sacrorum vsum tandem ascendebant: ita Clerici sua scelera in sese ipsi non quidem publicè, sed priuata secessione seueriter vlti per communionem Peregrinam ad Laicam, inde ad pristinam sui gradus maiestatem velut postliminio redibant. Quare peregrinam communionem fuisse apparet, non quæ ad conciones admittebat audiendas, odásue Christo cantandas, siue ad Missam, quæ Catechumenorum dicebatur: (nam ea omnes citra discrimen & Iudæos, & hæreticos, & Pœnitentes, & Excommunicatos accipiebat) sed quæ ad eam, quę in precibus fratrum, id est, Christianorum à sacris non abstentorum, neque à Sacramentis exclusorum erat communio, admittebat Clericos suo dudum gradu deturbatos. *Vide Leonẽ epist. 91.*

Peregrina cõmunio an eadẽ cũ Laica. Quòd si quis hanc cum ea, que appellabatur Laica, eandem prorsus fuisse contendat, nolim equidem pugnaciter hac de causa rixari. Ne tamen eandem prorsus fuisse existimem, facit, quòd Laica communio coniunctum habuerit sacræ Eucharistiæ vsum, non item fortassis isthæc Peregrina. Cuius rei argumentum minimè absurdum inde petatur, quòd Christianis peregrinis, nisi palàm nota esset, ac spectata eorum probitas, nulláque esset Excommunicationis suspicio, non ita passim omnibus diuina permittebatur Sacramentorum communio: sed vti eos aliquantulum ab hac remorabantur: ita ab omni cum fratribus communione sine iustis causis non excludebantur. Ad preces itaque Deo Patri fundendas cum fratribus accedebant. Huic rei certißimo indicio esse potest, quòd præclaris Catholicæ Ecclesiæ Episcopis sacrosancta Eucharistia ad declarandam in vno Christi Spiritu communionem olim mitti solenniter fuerit solita, vti D. Irenęus ob exortam de Paschate quę- *Laica cõmunio habuit Eucharistiæ participationem nõ Peregrina.*

ſtionem ſopiendam apud D. Victorem conquerebatur, teſte Euſebio lib. 5. cap. 23.

Eodem inuitat, quòd Clericorum iſtorum nomina ſuo gradu ob flagitia deiectorum de matricula quoque fuerint deleta. Quemadmodum & mortuorum memoria de dyptichis, id eſt, piorum in Chriſto dormientium tabulis atque catalogo olim ſolet abradi: quod & ſanctiſſimo Chryſoſtomo iniuriâ contingerat, teſte Nicep. *Vide Can. 1. Conc. Agath.*

Iſtud ergo Clericorum genus aut ſuperbio tumidũ, aut contumaciâ perfractum, ita ad Pœnitentiam redigebatur, vt à Clericorum choro adeóque Chriſti corpore excluſum, & de matricula Cleri, id eſt, Clericorum catalogo deletum, auſteráque pœnitentia caſtigatum, tandem peregrina gauderet communione, atque in matricula reſcriberetur priſtinam recuperaturũ dignitatem, vti eſt Concil. Agathenſis Cano. 2. quem ſi accuratiùs perpendamus, haud fuerit obſcurum cognoſcere hanc peregrinam paululùm fuiſſe aliam à communione Laica. Hæc enim cum ſalutari ſacrorum vſu erat coniuncta: illa non item, quod inde multum lucis accipiat, quòd Clerici ad hãc peregrinam admiſſi in Pœnitentia viuere cenſebantur. Iam Pœnitentia apud veteres à Sacramentorum vſu arcebat, ſicuti variis ex Cano. liquet.

» Contumacibus Clericis peregrina communio tribuatur, ait Canon 2. Agath. (& ſi quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, ait 4. eiuſdem) ita vt cùm eos Pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatémque recipiant. Cæterúmne quid omittamus, quod ſuperiorem de communione peregrina commentationem illuſtret, extat apud Georg. Patriarcham Conſtantinopol. vita D. Chryſoſt. exemplum, quod rei huic obſcuræ permultum ſanè affundat luminis. Ioannes igitur ille Antiochenus, cui ab aureo orationis flumine cognomen poſt huius exilij labores Chryſoſtomus contigit, tragœdiam illam à Theophilo Alexandrino piis illis Monachis Nitriæ montis cultoribus motam cùm ignoraret, de illorum grege conſpicatus quinquaginta vnà cum Iſidoro illo profugos benignè quidem audiuit, & ipſorum aduerſus Theophilum expoſtulationem ſuſce-

Vide Georg. Patriarchã Conſtantino. vita Chryſo. fol. 42.

Vide hiſtoriã tripartita n lib. 10. c. 10.

pit. Verùm eos honorificè quidem exceptos ad orationes publicas admisit, sed non item ad Sacramentorum communionem, priusquàm illi causa hæc pleniùs innotesceret, ait Georg. Patriarcha Constantinopol. Vides hîc ignotos peregrinos ob Excõmunicationis suspicionem ad communes quidem preces fuisse admissos, quod ignoraret Chrysosto. iuréne an iniuria suo ab Episcopo Alexandrino essent monasterio Nitriæ pulsi: sed non ad sacram mysteriorum communionem, donec pleniùs ei constaret, quónam loco res esset. An hac de causa Clericis peregrinaturis olim fuerint suo cuique ab Episcopo literæ petendæ, quas dicebant formatas, nec ne, alibi discutiatur aptiùs.

Caput LIX.

Quòd nobis multò magis Pœnitentiæ Sacramẽtum est necessariũ quã olim in Ecclesia primitiua.

Num. 31.



Stæ communionum formæ, quibus suæ respondent Excommunicationes, videbantur priùs exponendæ, quàm ad demonstrandum illud præclarum salutaris Pœnitentiæ remedium, tam nunc esse quàm olim fuit lapsis necessarium, accederemus. Siquidem iniquè comparatum fuisset priscis illis Christianæ Ecclesiæ filiis, si durioribus fuissent subiugati instaurandæ sanitatis remediis, quàm nos hodie, qui verissimè surreximus, vt ille aiebat, pro Patribus nostris incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeremus furorem Domini contra Israël. Vt enim ab illorum innocentia atque sanctimonia longissimè absumus, ita flagitiorum multò crebriorum flagella commeremur tum frequentiora, tum acerbiora. Hoc igitur in primis seculo iisdem prorsus remediis necessario est vtendum, quibus Catholica Christi Ecclesia ab sui vsque exordio suis filiis à Baptismatis puritate in vitiorũ cœnum relapsis solet consulere. Verùm illos austeriùs, pro eo atque ferebant tempora, ad suum pristinæ stationis locum Pœnitentiæ gradibus redire voluit: nostræ verò ætatis hominibus atque seculis aliquot superioribus, blãdam magis quàm seueram, suauem veriùs quàm austerã, censuit adhibẽdam, cùm propter collapsam rigidæ casti-

gationis diſciplinam, tum propter hominum infirmitatem, atq; dolendam veriùs (vt quod res eſt dicamus) ſuæ ipſorum ſalutis, negligentiam. Cæterùm qualiacunque tandem iſta ſunt veteris Pœnitentiæ veſtigia, hoc ſaltem liquidò ſedulis priſcæ doctrinæ ſtudioſis indicant, eandem nũc in Catholica Chriſti Eccleſia extare Pœnitentiæ rationem, quæ Apoſtolorum temporibus, atq; clariſſimorum illorũ veterum Patrum ætate lapſis à Baptiſmi gratia non minùs ſalubriter quàm neceſſariò adhibebatur: cùm enim in delinquẽtes ſeueriter adeò animaduertendũ cenſuerint, vt à Sacramẽtorum vſu abſtentos, atq; à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, excommunicatos, non niſi certis Pœnitentię quaſi gradibus in priſtinũ dignitatis locũ atq; Chriſtianarum delitiarũ communionem permiſerint redire, nemo non videt, niſi qui admodùm eſt excors, eandem prorſus fuiſſe priſcis Patribus doctrinæ rationem de amiſſa dudũ donata Baptiſmi gratia, quæ hodie in eadem Chriſti Eccleſia obtinet. Non ergo Chriſti puritas in Baptiſmo nobis oblata ſemper viget, vti Caluinus ſuſpicatur, quæ nullis maculis opprimitur, aut noſtris ſordibus obruitur: ſed peccatis à regno excludentibus, vti Paulus appellat, ita polluitur, atque contaminatur, vt non ſolùm nobis fiat inutilis, opprimatur, obruatur, atque extinguatur: verùmetiam ſeueriſſimæ Dei vindictæ ob nouam tranſgreſſionem conſtituat vel maximè reos atque obnoxios. Quotquot igitur diuinæ liberalitatis in Baptiſmo nobis impartitæ cęleſtia dona non retinentes, in cœnoſum reuoluimur peccatorum volutabrum, iis cum Simone Mago à Diuo Petro oſtenditur recipiendæ per Chriſtum puritatis ratio atque via: Pœnitentiam age, inquiebat, ab hac iniquitate tua, ſi fortè tibi ignoſcat Deus: imò quòd ipſe Dei filius Angelo Epheſi à Ioanne Apoſtolo ſcribendum dictauit: Memor eſto, vnde excideris, inquiens, & age Pœnitentiam, & prima opera fac, Sin autem, veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Hunc in modum Diuus Paulus quoq; incœſtũ illũ Corinthiũ à Chriſtiana caſtitate prolapſum non ad Baptiſmi memoriam reuocandã hortãs remiſit,

Eadẽ hodie apud Catholicos Pœnitẽtia doctrina, quæ apud veteres.

Galat. 5.

Apoſtoli quã viam lapſis recuperandæ ſalutis demõſtrarint.

Act. 8.

Apoc. 2.

1. Cor 5.

sed ad austeram adeò pœnitentiam Excommunicatum
2.Corint.2. adegit, vt meritò posteà metuerit, ne remedij acerbioris impatiẽtia fractus absorberetur. Proinde alia curatione
" est opus, vti D. August. ait epist. 23. ad ea peccata sananda,
" quæ à Baptismo peccamus. Siquidẽ Baptismus prçterita donat peccata, inquit Diuus Hieronymus Dialog. 3. contra Pelagia. non futuram seruat iustitiã. Et quæ peccauimus, ait Nazianzenus, remittit Baptismus, non quæ peccamus. Quibus ex verbis manifestior est illa Caluini vanitas, quàm vt vlla verborum luce indigeat, qua sibi sumit, quocunque tempore baptizemur, nos semel in omnem vitam ablui & purgari: itaque quoties lapsi fuerimus, repetendam esse Baptismi memoriam. Non enim in futura, sed in præterita tantùm peccata abluimur in Baptismo. Itaque qui suis peccatis aut fatigati aut conscientiæ aculeis diuexati gemunt, non est, quòd propter perditam Baptismi munditiem in desperationem ruant, sed eundem habent Christi Iesu sanguinem, contractas posteà sordes expurgaturum per Pœnitentię Sacramentum, qui illas priores Baptismate abluit, ac emundauit: quemadmodum ex Diuo Hieronymo est commemoratum. Sanguis Iesu filij eius, inquit Dialog. 2. contra Pelagia. mundat nos: quòd tam in Confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est.
1.Ioan.1. " Quod ipsum & D. Ioan. 1. cap. 1. disertis verbis edisserit:
" Si confiteamur peccata nostra, inquiens, fidelis est & iu-
" stus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos
" ab omni iniquitate. Et paulò antè: Sanguis Iesu Christi filij eius emũdat nos ab omni peccato. Quod cùm Christianis dudum baptizatis scribat in pristina delictorum sordes lapsis, eundem quidem ostendit reconciliationis atque impetrandæ veniæ fontem, qui & in Baptismate, Christum Iesum: sed alia longè viâ adeundum, nimirùm per saluberrimum Sacramenti Pœnitentiæ remedium, vti quamprimùm ex Diuo Hieronymo confirmauimus, Emundat nos, ait, Christi sanguis tam in Confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis. Porrò hęc D. Ioannis Apostoli doctrina ob sententiæ generalitatem obscurior, clariorem multò accipiat lucem ex vno

Baptisma in præterita tãtùm valere peccata, non item in futura.

Quòd in Pœnitentiæ Sacramento idẽ Christi sanguis peccata nostra abluit, qui in Baptismo.


Apostolicæ Pœnitentiæ exemplum admodum illustre.

eiuſdem Apoſtoli exemplo, quod adoleſcenti illi Aſiatico ætatis lubricæ in ſcelera prolapſo adhibuit, quemadmodum ex D.Clemente Alexandrino & Sozomeno narrat Euſebius Cæſarienſis. Aſiaticus ille adoleſcens à D. Ioanne Euangeliſta, teſte Clemente Alexandrino & Sozomeno, quos recitat Euſeb.lib.3.cap.23. Epiſcopo cuidam ad inſtituendum baptizandúmque commendatus, à ſuis æqualibus in otij malè blandi delitias pellectus, vitæque diſſolutionem protractus, ad furta deſignanda, homicidiáque patranda prolabitur. Eum D.Ioannes Epheſo illuc reuocatus ab Epiſcopo, ceu depoſitum inquirens, didicit ſicariorum ducem eſſe factum, quem illius Chriſtiani gregis ſperabat olim Imperatorem fore. Coguita itaque re, latronum ſpelæa equo concitato petit. » Ille vbi Apoſtolum agnouiſſet, pudore ſuffuſus ſeſe » in fugam dat: contrà Ioannes voce cōtentiore perſequi- » tur: Quid me, inquiens, fili patrem tuum fugis nudũ ac » ſenem? Miſerere mei fili, ne timeas. Habes adhuc ſalutis » ſpem. His ille armatus inermibus Apoſtoli vocibus vi- » ctus, proiectis ilicò armis conſtitit, ac corpore toto con- » tremiſcens, acerbè fleuit, accedentem ſenem eum lachry- » mantem cōplexus, fletúque reſpondens vt potuit, denuò » lachrymis baptizatus eſt, dextera duntaxat occultata. » Apoſtolus autem eum, cùm promiſiſſet, & iuraſſet, quòd » remiſſionem ipſi à Seruatore impetraturus eſſet: oraſſet » etiam, & in genua procubuiſſet, ipſam quoq; dexteram, » tanquàm per Pœnitētiam iam repurgatam deoſculatus » eſſet, ad Eccleſiã reduxit. Et cùm aſſiduis precationibus » pro eo oraſſet, continuíſque ieiuniis decertaſſet, ac men- » tem illius variis ſermonibus demulſiſſet, confirmaſſét- » que, non receſſit, ſicut aiunt, priuſquàm eum Eccleſiæ re- » ſtituiſſet, atque ita magnum veræ Pœnitentiæ exemplũ, » magnúmque regenerationis experimentũ, ac trophęum » viſibilis reſurrectionis exhibuiſſet. »

In Pœnitentia lachrymis quaſi denuò baptizamur.

Satisfactio Apoſtolica qualis.

CAPVT LX.


Vo ex Apoſtolico exemplo Solis luce clariùs apparet, Sacramentum Pœnitentiæ hominibus infirmis à Baptiſmo in ſcelera lapſis diuinitùs inſtitutum, Apoſtolica illa ætate

Pœnitentiæ Sacramentũ non eſſe fictitium.

fuisse & obseruatum, & per Apostolos Ecclesiis traditũ. Non igitur error de clauium potestate commentitium Pœnitentiæ peperit Sacramẽtum, vti hallucinatus commentatur Caluinus: sed indubia Apostolorum Ecclesiis assignauit doctrina, imò si Tertulliano fides est adhibenda, Domini institutio Scripturis superiùs adductis communita. Ostenso igitur, pœnitudinem lapsis à Baptismo ex Apostolorũ doctrina, & clarissimo veteris Ecclesiæ vsu esse necessariam, priusquàm demonstretur, illam esse veri nominis Sacramentum, per quod ceu nouũ animorum remedium peccata remittantur, remouendi sunt Caluini contra istud suspicionum nouarum scrupuli. Qui Pœnitentiæ & clauium beneficio, inquit Caluinus, nos post Baptismum remissionem obtinere comminiscuntur, in eo errant, quòd non cogitant, potestatem clauium, de qua loquuntur, à Baptismo sic pendere, vt nullo modo separari debeat. Remissionem accipit peccator Ecclesiæ ministerio: nempe non sine Euangelij prædicatione. Qualis autem illa est? Nos sanguine Christi emundari à peccatis. Atque lauacri illius signum ac testimonium quod est, nisi Baptismus? Videmus igitur, vt ad Baptismum absolutio illa referatur. Vna isthac captiosa ratiuncula captus Caluinus, permittendum sibi infœlix putauit, vt nõ modò à Catholica dissentiret Ecclesia: sed à suis adeò Symmistis fidelissimis, quos frequenter deprædicat, Christi seruis atque Euangelij ministris, qui nobiscum Pœnitentię & nomen & quandam Sacramenti obtinent rationem. Agnoscebant enim pro sua ingeniorum haud infœlicium sagacitate atque prudentia, ad vnum omnes sese proculcaturos veteres illos extra controuersiam Orthodoxos Scriptores, si cõtra illorum cónsensum Pœnitentiam de Sacramentorum albo delere auderẽt. Ista sanè iudicij modestia vt magnoperè in aduersariorum plerisque est laudanda: ita in Caluino contrà isthæc arrogantissima ingenioli fiducia nec Catholicis, nec ipsis eius Symmistis existit toleranda. Quòd igitur Pœnitudinis Sacramentum error de potestate clauium pepererit, quis ore improbo affirmare audeat, nisi qui ipse vniuersam illam doctissimorum vete-

Caluini sophisma dissoluitur.

rum Scriptorum ſcholam fœdiſſimę inſimulet ignorantiæ? Niſi qui illos omnibus τῆς ἐγκυκλοπαιδείας, & orbicularis ſcientiæ numeris abſolutiſſimos, ſi quiſquam alius, vel rudimētorum doctrinæ Chriſtianæ incuſare audeat rudes, imperitos, ignaros? Si namque commentitium eſt Pœnitentiæ Sacramentum, quid infœlices illi contra Montanum & Nouatum ſe ipſi temerè, imò ſtultè diſcruciarunt? Quid iſtorum blaſphemias, quibus peccatorum veniam lapſis negabant ſtolidè atque adeò inſanè tanto cum molimine obtundere ſtuduêre, atque de Eccleſia Chriſti abolere? Sed vt demus Caluino, ſanctiſſimos illos Patres non fuiſſe iſtius ſui Euāgelij ſatis peritos, quia nondum exortum, nunc primùm ab Angelo illo, qui ſe in Angelum lucis transformat, annunciatū: demonſtrandum tamen eſt, ratiunculā eius adeò eſſe & friuolam & futilem, vt non modò nullum ſanæ mentis ab Orthodoxia meritò depellat, ſed prudētes etiam in ſtuporem agat, iſtum homunculum aliàs perſpicacē iſthinc falſa veritatis ſimilitudine ac recti ſpecie à vero, reclamantibus licèt Symmiſtis, fuiſſe abductum. *2.Cor.11.*

Ex errore de poteſtate clauium Eccleſiæ Sacramentum hoc vult eſſe confictum, Quia non cogitāt, inquit, poteſtatem clauium, de qua loquuntur, à Baptiſmo ſic pendere, vt nullo modo ſeparari debeat. Iſtud quidem ſibi audacter non minùs quàm falſò ſumit, ſed ne nouum iſtud doctrinæ genus imperito lectori temerè obtrudere quis ſuſpicetur, cauſam addit, quòd peccatorum remiſſio non contingit Eccleſiæ miniſterio, ſine Euangelij prædicatione. Fingamus autem in præſentia illud in pueris quoque, vti vult eſſe verum, vt non intelligentes intelligant, & ſine fide credant: quod quàm ſit longè abſurdiſſimum, nemo non videt, niſi qui claro ſe rationis lumine, diuinóque fidei Sole propter nouum Euangelium vt libenter, ita dementer ipſe orbat, atq; priuat. Accipiat itaque peccator Eccleſiæ miniſterio, vt dicis, ſiue clauium poteſtate, peccatorum remiſſionem, nō ſine Euangelij prædicatione, quid autem? An non Euangelij eſt prædicatio, quę miſellis nobis homunculis nō modò vnam in Baptiſmo pollicetur cum Nouationis peccatorū

veniam,ſed cum Catholicis ad vnum omnibus,adeóque Apoſtolis ipſis ex Chriſti imperio ſecundam, tertiam, ſeptimam,imò ſeptuageſimam ſeptimam?ſed pergit dolos texere. Qualis autem,ait,illa eſt?Nos ſanguine Chriſti emundari à peccatis. Maximè verò,ſed quod aſſumit, tam à vero abeſt, quàm quod longiſſimè: Atqui lauacri illius ſignum,inquiēs,ac teſtimonium quod eſt, niſi Baptiſmus? Lauacri quidem nos Chriſti ſanguine abluentis,aliud non eſt propriè ſignum præter Baptiſma ſacroſanctum,quo propriè à peccatorum ſordibus abluimur: Verùm emundationis per eundem Chriſti ſanguinem aliud in Scripturis Catholicæ fidei oculo perlectis, indicatur ſignum, putà Abſolutio: quæ illius eiuſdem ſanguinis virtute noſtra poſt Baptiſmũ peccata tollit, abolet,ac emundat. Imò ſi cum Diuo Hieronymo de obitu Bleſillæ quis audeat loqui, ſecundo quodammodò Baptiſmo illa extergit, atque lauat. Illum igitur verum Euangeliſtam audiamus potiùs, qui Baptizatis ſcribens, non dubitat pronunciare: Filioli ſcribo vobis,vt nõ peccetis,ſed & ſi quis peccauerit,aduocatum habemus apud Patrem,Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Et paulò antè: Si confiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus,vt remittat nobis peccata noſtra,& emundet nos ab omni iniquitate. Qua clariſſimorum verborum ſententia quid expetas apertius,quod perſuadeat, ſi quis à Baptiſmi gratia peccando ita fuerit prolapſus,vt Chriſto ipſo apud Patrem opus habeat aduocato,paratam eſſe aliam, ab illa dudum in Baptiſmo adhibita, per Chriſti ſanguinem peccatorum emundationẽ? De futuris enim peccatis loquitur apertiùs,quàm vt vlla verborum luce habeat opus: quæ vt remittantur, non iam nouo indigent Baptiſmo, quem repeti eſt impoſſibile,teſte Paulo,neq; memoria Baptiſmi huic perficiendæ rei eſt idonea, ſed alia curatione, vti Auguſtinus ait,indigent, quæ verbis illis, Quorum remiſeritis peccata, Apoſtolis animarum medicis fuit commiſſa. Porrò huius medicinæ ex Chriſti ſanguine,vt illa etiam prior,confectæ,aut ſi mauis emundationis ſignum, atq; teſtimonium longè eſt aliud, quàm Baptiſmus, ſicuti ipſe alius

Matth.17.

Aliud eſt emũdationis à peccatis per Chriſti ſanguinẽ ſignũ, quam ſolus Baptiſmus.

1.Ioan.2.

Hebr.6.

Auguſtin. epiſt.23.

Ioan.20.

ipſe alius eſt à ſalutari Pœnitentiæ remedio. Lauacri ergo illius per Chriſtum nobis purgandis, aut veriùs repurgandis inſtituti ſignum ac teſtimonium non eſt Baptiſmus ſolus, ſed ſicuti non Baptizatis Baptiſmus: ita Baptizatis pœnitentibus Abſolutio Euangelica. Quare quod ex ſuperioribus falsò ſumptis fallaciter colligit Caluinus, nequaquàm ad ſuperiora conſequitur: Videmus igitur, inquiens, vt ad Baptiſmum Abſolutio referatur. Siquidem Abſolutio Apoſtolis à Chriſto commiſſa, non Baptiſmi concluditur limitibus, ſed extra eum quoque ſeſe protendit: quod nunc eſt demonſtratum, vt nihil dicamus de illa quæſtione, an Abſolutio propriè dicta in Baptiſmo habeat locum? cùm ille nõ ſolùm à mulierculis & pueris poſſit conferri, verùmetiam Iudæis, hæreticis, atque paganis. Iam quæ Caluinus pergit nugari, quòd Baptiſmus ipſe eſt Pœnitentiæ Sacramentum, quódque Baptiſmi vis in totam vſque vitam debeat extendi, quòd illa in totam vitam nobis commendatur, quis non videat, quanta cum imperitia ſint coniuncta? Requirunt quidem Apoſtoli à Baptizandis Pœnitentiam: ſed alterius multò rationis, quàm de qua Simonem Magum dudum Baptizatum admonuit Petrus, Corinthium illum Paulus, & per Ioãnem Euangeliſtam Angelum Epheſium ipſe Chriſtus.

Alia Pœnitentia Baptizandorũ, alia Baptizatorum.

Act.8.

1.Cor 5.

Apoc.2.

Illud porrò, Pœnitentiam nobis in totam vitã commendari: itaque vim Baptiſmi ad eoſdem vſque fines debere extendi, manifeſtiùs cum Chriſti doctrina pugnat, quàm vt vllo refutationis telo ſit iugulãdum: ſunt enim iuſti, vt Chriſtus teſtatur, qui non indigent Pœnitentia. Et qui iuſtus eſt, inquit ille, iuſtificetur adhuc. Huic ergo iuſtorum generi Pœnitentiæ Sacramentum minimè eſt neceſſarium, ſicuti illis contrà, qui perceptam dudum in Baptiſmo iuſtitiam fallacia peccati perdunt, donatámque animorum puritatem fœdiſſima peccatorũ colluuie inquinant, atque contaminant. Quæ purgati dudum pectoris macula non niſi Chriſti ſanguine mundari queat, nõ per Baptiſmum adhibitio, qui in præterita, ait Nazianz. non in futura item valet: ſed per ſalutare pœnitudinis Sacramentum, iteratò etiam, ſi fuerit opus,

Luc.15.

Hebr.3.

adhibendum. Fallitur igitur, quisquis vim sanguinis Christi vno Baptismo metitur. Abundantior enim est Christi apud Patrem pro nostris peccatis propitiatio, copiosiórque apud Deum redemptio, quàm quæ vno contineatur Baptismi Sacramento. Rursum, infœlicior est nostra humani generis miseria atque acerbior calamitas, quàm quæ vno Baptismi pharmaco contenta esse queat, aut vno collyrio pristinæ instaurari sanitati. Si enim nostri in Christo regeneratio ad eundem prorsus modum animi vires peccato afflictas sanaret, perditásque restitueret, quo illas nostri ex Adam generatio infirmauit, destruxit, atque labefactauit, poterant tria illa Sacramenta dudum explicata animabus nostris sanandis, firmandis, atque alendis, saluandísque instituta abundè sufficere: Verùm quia maior est nostri fundi calamitas, quàm quæ, non dico possit à Christo sanari, sed prorsus integram sese in hoc exilio resarciri, atque ad pristinam vsque incolumitatem patiatur reuocari. Hinc fit miserabiliter quidem, quòd homines in vniuersum " omnes semper perseueramus homines, hoc est, animo " semper anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad " labores, prono ad libidines. Ad hanc ingenitam nobis imbecillitatem accedunt & blandæ rerum pulcherrimarum illecebræ, atque difficultates gerendarum rerum honestarum asperæ, quibus sempiternus ille nostræ salutis hostis, nostri inuidia ceu œstro percitus, nunc blandus inuitat ad transgressionem, nunc contra sæuus adigere conatur ad defectionem. Proinde istis innatæ omnibus ad peccandum pronitatis reliquiis quum Christianorum plerique omnes frequenter in altissimas delictorum foueas solicitati relabamur, Deíque offensam noua inobedientia, ac rebellione temeraria commeriti, à Paradiso dudum nobis redaperto, iterum excludamur, non potuit Deus Opt. qua est ineffabili erga nos misellos humanitate atque benignitate, nostram miseriam non miserari, nouóque nostro exitio salutare aliud præparare pharmacum. Quod nunc, qualé nam sit, quàm fieri potest breuiter, explicare studebimus.

Christi sanguinem non in Baptismo dūtaxat esse nobis salutarem.

Psal. 129.

Hominis miseria & fragilitas aliud à Baptismo requirit salutis remedium.

Ita Cicero humanā depinxit scitiss. calamitatē.

Caput LXI.



Vum alio nobis à Baptiſmi gratia lapſis ſit demonſtratum eſſe opus remedio, quod ſauciatas nouis peccatis animas de integro ſanat, contaminatáſque expurgat, nunc iuxta ordinis inſtituti rationem eſt commonſtrandum, Pœnitentiam veri nominis eſſe Sacramētum, vt ab ipſis Apoſtolis Catholicæ Chriſti Eccleſiæ traditum, ita perpetua adhuc obſeruatione in eadem eſſe ſemper cuſtoditum. *Pœnitētiam eſſe veri nominis Sacramentum.*

Sacramentum eſſe inuiſibilis gratiæ viſibilem formam atque ſignum efficax, ſuprà diffuſè eſt oſtenſum ex vetuſtiſſimorum Scriptorum teſtimoniis atque Scripturæ documentis. Quæ diffinitio cùm in Pœnitentiam Eccleſiaſticam quadret, fieri nequit, vt non continuò Sacramentum euincatur. Quòd autem Sacerdotalis abſolutio viſibile ſit ſignum, quod ſenſibus ſenſibiliter ingerit id, quod in animo inuiſibiliter geri dicitur, nemo ambigit. Quod verò illud ipſum in animo efficaciter fiat, quod corporali quodam ſpectaculo adumbratur, obſcurius eſt, quàm quòd ab omnibus ſine contradictione concedatur. Hoc vt fiat illuſtrius, initiò explicandum eſt Pœnitentiæ nomen, quàm variè, quámque latè pateat. Deinde ſynonyma ſunt attexenda, quibus apud veteres Scriptores hoc Sacramenti genus legitur exornatum, vt Metanœa, Pœnitudo, Manus impoſitio apud D. Cyprianum atque Hieronymum, lachrymarum lauacrum apud Nazianzenum, & Baptiſmus quidam apud Hieronymum. Et ſecunda naufragij tabula Tertullian. & Hieronym. Et ſicuti hodie abſolutio, ita olim Exomologeſis ſiue Confeſſio. *Pœnitentia Synonyma.*

Pœnitere Latinis auribus eſt facti ſui dolore atque conſilij diſplicentia ceu pœna quadam teneri: ſiue vt Turtullianus, paſſio animi, quę veniat de offenſa ſententiæ prioris: quod ſicut in bonum & malum patet apud probatos authores, ita interdum perſonaliter, vti apud Pacuuium: Nunc pœnitebunt, libant liberi grato ex loco. Et illius archaïſmi imitatione apud Scriptores Eccle- *Pœnitere. Vide Tertul. li. de Pœnit. Vide No. Marcell.*

ſiaſticos,& ſimul imperſonaliter,licèt frequẽtiùs, eſt inuenire. Verùm in Eccleſiaſtico vſu non niſi malè geſtæ rei,& quæ in vitio eſt,ſignificationem habet. Contingit autem, vt vel ante Baptiſmum,vel pòſt peccetur. Vtriuſque verò eſt pœnitentia, id eſt,facti diſplicẽtia & pœnitudo,quæ non in animo tantùm latet,ſed extra ſeſe prodit quoque. Verùm illic non eſt ſacramentali pœnitentia opus,hîc autem eſt maximè. Vtriuſque vſus in Scripturis eſt manifeſtior, quàm vt vlla verborũ luce ſit exponendus. Quia tamen hanc geminam Pœnitentiæ ſignificationem quidam fraudulenter magis,quàm imperitè (vti impoſtores circumforanei Thiriacas ad ſimpliciorum fraudem) commiſcent,diſcreta vtriuſque ſignificatio eſt commonſtranda. Chriſtus Euangeliũ regni annuncians,hortatur,vt pœnitentiam agant,& Euangelio credant. Quemadmodum & Ioannes Euangelici regni, ita dixerim,lucernarius & nuptiarum paranymphus antè docebat. Ad eandem Petrus Iudæos illa Pentecoſtes concione ad Chriſti fidem conuerſos,Hieroſolymis baptizandos hortatur. Et Paulus & alij alibi,omnéſq; ſuos Competentes,id eſt,qui inter Catechumenos ſiue Auditores,qui & Audientes, Baptiſmum ambibant, vetus ſolet exhortari Eccleſia, Verùm illa quæ Baptizatorum eſt propria,eſt multò alia. Illa blanda & ſuauis: ſed hæc laborioſa,ait Nazi. Homil. de Baptiſ. dura & Auſtera. Illa non requirit gemitus & planctus, teſte Ambroſio : Hæc præter illa eleemoſynas, ieiunia, chameunias : etſi apud veteres nonnunquàm Baptizati ieiunaſſe legãtur, vt eſt apud Diuum Iuſtinum Apolo. ad Antoninum A. Verùm hæc magis ad Sacramenti præparationem, quàm ad neceſſitatem ſpectabat. Huius verò teſtimonium in Scripturis tam noui quàm veteris Teſtamenti nullo eſt negotio reperire. Quod enim nobis poſt Baptiſmum eſt Pœnitentia,hoc fuit ante Euãgelium in peccata iteratò demerſis eadem Pœnitudo, ſed hæc non Sacramentalis, id eſt, quæ Euangelicam habet coniunctam Abſolutionem:ſuo quodam tamen modo per peccati apud Sacerdotem Aaronicum profeſſionem per ſacrificia, & piam in Chriſtum fidem operabatur peccatorũ remiſſionem

Duplex Pœnitentia in Scripturis.

Marc. 1.
Matth. 2.

Acto. 2.

Competentes qui.

Pœnitentia ad Baptiſmũ præparatoria.

Pœnitentia Euangelica poſt lapſum à Baptiſmo.

De hac concionantur Prophetæ Iudæis, & Noë iustitiæ octauus præco, ait Petrus, sui illius perditissimi seculi hominibus. Hac sese macerauit Dauid, castigauit Achab, afflixit seipse atque emendauit Manasses. Ad eandem hortatur Diuus Petrus Simonem Magum à Baptismi gratia lapsum: Paulum illum incœstum aliósque Corinthios: Ioannes Euangelista Christi vice Angelum Ephesium, Pergamensem atq; Sardicensem. Hanc semper Ecclesia suis prædicat filiis, ne in peccatorum sordibus hærentes, sibi damnationem concilient, cùm hîc, donec vita est incolumis, licet offensum peccatis Deũ reconciliare. De hac enim agimus, quæ peccata à regno Dei excludentia sequitur, non quæ illa leuicula, & quotidiana: citra quorum aspergines & inquinatiũculas siccis gemitũ suspiriis & precatiunculis detergendas, isthæc vita non traducitur. Hanc insuper Scriptores veteres frequenter commemorant, eámq; pro argumenti varietate atq; Ecclesiarum consuetudine, variis nuncupant nominibus.

Iohel.2. *2.Pet.2.* *Act.8.* *1.Cor.6.* *Apocaly. 2.& 3.* *Non quæuis peccata lethalia, aut à regno Dei excludentia.* *Galat.7.*

Pœnitentiæ nomen atque pœnitudinis apud Latinos est vsitatiùs, vt apud Græcos vox Euangelica Metanœa, quam hodie malunt resipiscẽtiam reddere: ego verò cum veteribus Pœnitentiam malim retinere: quod illud in solis animi deliriis, mentîsque erroribus sit, quasi meliùs sapere, atque de rebus integriùs veriúsq; iudicare: quanquàm ad factorum errores pertinere possit. Hoc verò præter animi dolorem de malè gesta, ex vsu Ecclesiastico corporis etiam significat castigationem siue punitionem, etsi vocis proprietas animi pœnitudinem magis sonet: quæ tamen à mali consilij aut rei malè gestæ pœna atque cruciatu dicta sit. Verùm quemadmodum professionum atque disciplinarum vocabula non nisi cum rerum iactura atque obscuritate damnosa mutantur, & innouantur: ita & cum primis Christianæ religionis voces equidem temerè haud existimarim nouandas aut variandas.

Pœnitentiæ nomẽ aptiùs quàm resipiscentia exprimit Metanœam.

Iam quòd hoc Sacramentum manus impositio legitur apud Cyprianum Serm. de ablutione pedum, & D. Hieronymum contra Lucifer. & contra errores Ioan. Hierosl. & Leo. epist. 90. ex ritu Ecclesiastico nomẽ mu-

Cur manus impositio.

tauit. Solet enim olim, vti & hodie, Pœnitentibus recõciliandis imponi manus, quo indubia apud Ecclesiam significabatur reconciliatio, plenáq; ad salutarem Christianarum rerum communionem receptio, ceu quædam postliminio reuertentis in bona restitutio. Quo de ritu in absolutione erit dicendum diffusiùs. Quod apud Nazianzenum Oratione in luminaria dicitur lauàcrum lachrymarum, & Hieron. Baptismus quidam, à saluberrimis Sacramenti effectis est translatum, quòd quodammodo peccata lauat, & illĩus simulachrum quoddam abluendo peccatorum sordes exhibet, sed vti Nazian. ait, laboriosiùs, atque magna cum corporis molestia & cruciatu: qua de re in 3. Pœnitentiæ parte satisfactione copiosiùs dicendi erit locus.

Cur quidam Baptismus.

Eadem res huic Sacramẽto præclara admodùm apud veteres dedit nomina: ita & D. Hieron. in Fabiolæ epitaphio hostiam Deo placabilem, & D. Basilius alicubi salutem appellat, hoc est, vt Ambr. loquitur, de Pœnit. 2. c. 7. qua mortui reuiuiscunt, & peccatorum indulta venia resuscitantur. Et D. Hierony. ad Pammach. Daniel sciebat Regem superbissimum pauperum sustentatione saluandum. Cæterùm quòd hodie passim absolutio iactatur, à nouatoribus effectum existimo nouitatis studio, qui rem veterem Christi Ecclesiæ surripere conãtes, vocem nouã nouo suo Pœnitentiæ Sacramento aptè confinxerunt: quasi in absolutione tota Pœnitentiæ vis sit comprehensa. Haud dubiè per illam demùm ferè consequimur peccatorum remissionem: Sed veteribus aptiùs & prudentiùs placuit Sacramentũ hoc ab altera sui parte Exomologesin dicere atque Confessionem.

Cur hostia placabilis.

Cur salus.

Absolut.

Confessio.

Variis hisce nominibus res vna atque eadem apud veteres designatur atque exprimitur, salutare putà illud Sacramentum Pœnitentiæ, quam esse veri nominis Sacramentum, nunc porrò superest, vt oratione prosequamur. Dominus noster Christus Iesus spirituale illud Euangelij regnum dudum inchoatum confirmaturus, ipso resurrectionis suæ à mortuis die Apostolos eximia planéque diuina peccatorum remittendorum exornauit potestate: Accipite, inquiens, Spiritum sanctum, quorum

Pœnitẽtiam esse veri nominis Sacramentum.

Ioan. 20. a

remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quibus verbis iuxta Orthodoxorum Scriptorũ conſenſum intellectis, gemina accipitur Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus donata poteſtas, qua & peccata ſoluere, ſiue remittere: & peccata ligare, ſiue nõ condonata retinere, pro ſuo queant arbitrio. Hanc autẽ donandorum peccatorum Apoſtolis traditam poteſtatem aduerſarij ita Baptiſmo volunt terminatam, vt extrà non habeat locum. Sed ſi poteſtas ſoluendi illic habet locum, habet quoque ligandi. Quis autem tam fuerit abſurdus, vt recto animi iudicio adhibito, non peruicaciæ contentione præfractus, aſſerat eum largiri poſſe, qui Chriſti Eccleſiæ nondum inſitus iſti Apoſtolorum poteſtati nondum eſt ſubiectus? Qui igitur inter aduerſarios ſunt ſaniores, poteſtatem quandam hiſce verbis agnoſcunt Apoſtolis traditam, quæ ſeſe extra Baptiſmũ protendens, illos à peccatorũ vinculis abſoluat, qui acceptam in Baptiſmo peccatorum veniam aſpernati, nouis ſeſe criminum implicauêre nexibus. Sicuti ergo illi priores ea parte cum Nouatianis delirãt, quòd in Chriſti Eccleſia non eſt alia, prẹterquàm in Baptiſmo peccatorum venia, licet hoc differant, quòd ex Baptiſmo repetendam volunt: ita iſti ea parte quidem cum Catholicis conueniunt, quòd lapſis per Pœnitentiam impartiẽda eſt peccatorum remiſſio: ea verò diſſident, quòd non eodem aut modo præparatis, aut ritu accedentibus eſt indulgenda. Porrò ne ex aduerſariorũ conceſſione hanc remittendorum per Pœnitentiam peccatorum poteſtatem ſtatuere velle videamur, afferenda ſunt veterum aliquot Scriptorum teſtimonia, quibus illa Chriſti donatio Eccleſiæ facta comprobetur.

Apoſtolis poteſtas in peccata datur.

Quid ſentiãt nonnulli aduerſarij de poteſtate ſoluẽdi & ligãdi.

D. Auguſtinus accuratus in primis Scripturarum interpres, hanc poteſtatem Eccleſiæ traditam oſtenſurus: Dicet aliquis, inquit Serm. 8. de verbis Domini, quid prodeſt Eccleſia, ſi iam Confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia, reſpondet, cõfitenti, cui Dominus ait: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo? Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit, iam viuebat confitendo, ſed nondũ liberè ambu-

Eccleſia ſoluit à peccatorũ vinculis iuſtificatos.

tiam Dominus confirmet. Iam quid ipsum hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur: Quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Cedo? Quæ nam potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit. Cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Ne autem laudatissima hæc Sacerdotum potestas in solo Baptismo putetur Sacerdotibus concessa, Leuiticis Euangelicos statim pòst conferens: Nostris, inquit, Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Rursum maius Christianis à Presbyteris prouenire demonstrans beneficium, quàm ab ipsis nostris parentibus, quòd in vitam hi temporariam & mortalem: illi in æternam atque immortalē generant, non in Baptismo duntaxat, sed etiam posteà, si à donata semel vita vsu veniat excidisse. Neque enim solùm, ait, cùm nos regenerant, sed postmodùm etiam cōdonandorum nobis peccatorū facultatem obtinent. Ad hæc si quis plura veterum scriptorum requirat testimonia, quibus indubitatum fiat, illa Christi verba, Quorū remiseritis, &c. ad saluberrimum Pœnitētiæ remedium quoque pertinere, is D. Entichianum Christi Martyrem consulat, & D. Athanasium Serm. in illa verba, Euntes in vicum, qui contra vos est, & D. Gregorium Nazianzenum in verba Hieremiæ.

Sacerdotes cur parentibus plus diligendi.

Præclaris horum Scriptorum sententiis æquo ac cādido Lectori perspicuè satis demonstratum cōfidimus, relictam esse à Christo Ecclesiæ suæ filiis alteram medicinam, qua noua post Baptismum vel sua ipsorum fragilitate, vel insidiantis semper diaboli fraude accepta vulnera curentur atque sanentur. Verùm eam Apostolos ipsos hunc in vsum adhibuisse solitos, omnémque deinceps illorum posteritatem, nunc rerum ordo poscit, vt faciamus palàm. Geminam habent illa Christi verba Apostolis ipso resurrectionis die dicta potestatem & ligandi & soluendi: illa D. Petrus Simonem Magum mox à Baptismo propter facinus sacrilegum à Christi grege

Apostolos & ligasse & soluisse Christianos à Baptismi gratia lapsos.

1.Corinth.6. *2.Cor.2.7.* proſcripſit,atque excommunicauit: quemadmodum ſuperiùs ex D. Ambroſio, & D. Palladio oſtendimus: Hac verò D. Paulus incœſtum illum Corinthium in Excommunicatione ab ipſo pronunciata lugentem atque pœnitentem à peccato abſoluit, & communioni Eccleſiaſticæ, Chriſtíque corpori reſtituit, atque iteratò inſeruit. Quod ne cui ſit incredibile, D. Ambroſ. ſuffragium nobis eſt flagitandum. Sed hoc improbè, inquit lib. 1. de Pœnitent. cap. 6. quòd etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit: Tibi dabo claues regni cælorum. Et: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: cùm & ipſe vas electionis Dominicæ dicat: Si cui autem quid donaſtiš, & ego: nã & ego quod donaui, propter vos in perſona Chriſti. Cur igitur Paulum legunt, ſi eum tam impiè arbitrantur erraſſe, vt ius ſibi vendicaret Domini ſui? Sed vendicauit acceptum, non vſurpauit indebitum. Vnum hoc exemplum moderatis hominibus facilè ad veritatem perſuadeat, ab aliis quoque Apoſtolis eandem ſalutaris Pœnitentiæ medicinam fuiſſe lapſis, atque peccato ſauciatis admotam, quòd ipſis eadem fuerit à Chriſto cõmunicata, quæ Paulo: eadem quoque illa vtendi in aliorum ſalutem haud dubiùm fuit oblata occaſio: quemadmodum ſuperiùs ex D. Clemente Alexandrino de Ioanne Euangeliſta recitauimus, quod repetere nõ eſt animus, ne de Lectoris memoria & iudicio diffidere videamur. Enimuerò ne quid ſuperſit ſcrupuli, promendum eſt ex antiquitate Eccleſiaſtica præclarum monumentũ, quod omnem prorſus diſpellat ambiguitatis caliginem.

Corinthium incæſtũ poſt Pœnitentiã abſoluit Paulus.

Canon Apoſtolorum docet Apoſtolos abſoluiſſe Pœnitentes.

Acta Concilij Nicæni ſecundi Canonẽ habent Apoſtolicum, qui clariſſimam præſenti rei lucem adferat. Si quis aut Epiſcopus, aut Preſbyter illum, qui à ſuo flagitio reſipiſcit, nõ ſuſcipit atque admittit, ſed repellit, deponatur, quòd Chriſtum mœrore afficit, qui dixit gaudium in cælo fieri propter peccatorem vnum ad pœnitentiam conuerſum. Quem Canonem ſi quis apocryphum potiùs cũ noſtri ſeculi nouatoribus iudicet, quàm cum noſtris Maioribus genuinum, is modeſtiæ Chri-

ſtianæ memor ſibi in mentem reuocet oro atque obſecro, hunc ipſum in celeberrimo Oecumenico Concil. Nic. 2. ex bibliotheca Patriarchatus Conſtantino. citra cuiuſquam contradictionem fuiſſe à Conſtantino Diacono pro germano, miniméque ſuppoſititio publicè recitatum. Canon hic igitur eximiis tot Patribus conſentientibus, vetuſtiſſimiſque Græcarum bibliothecarum exemplaribus ſuffragãtibus, graui ſub pœna ſtatuit, pœnitentes à Sacerdotibus non abiiciendos, ſed ſuſcipiendos, & ad Eccleſię communionem admittendos. Verùm quánam ratione iñ primitiua illa Chriſti Eccleſia pœnitentes à Presbyteris fuerint recepti, clariſſi. Imperatoris Phillippi, quem Auguſtorum primũ Chriſto dediſſe nomen, noſtræ perhibent hiſtoriæ, exemplo videtur illuſtrandum. Tranſactum erat propè ſolenne illud Chriſtiani ieiunij quadrageſimalis ab Apoſtolis, vti ſuprà docuimus, traditi tempus, quum Cæſar Philippus pridem baptizatus ſeſe Chriſtianorum precibus ex more publico voluit admiſcere. Poſtremo enim paſchatis peruigilio (nam compluſculos aliquot dies illius hebdomadæ, quam hodie paſſim ſanctã dicimus, alij bonam, alij verò ex veteri diſciplina, qua corpus tum erat caſtigandũ aſperiùs, pœnoſam, alij à victus tenuitate atque parcimonia **die fatuuoche**, vt hodie Germani & veteres Græci, vigiliis ſolent dedicare) quum in Chriſtianorum cœtum comprecationis cauſa vellet accedere, teſte Euſebio lib. 6. cap. 4. nõ illi patuit per Eccleſiæ Antiſtitem antè in Eccleſiam aditus, quàm Exomologeſin faceret, atque Pœnitentium numero, qui ordine & loco ſuo ſegregati, Canonica ſuæ pœnitudinis caſtigatione explorabantur, aggregaretur. Niſi enim hoc faceret, dicebat ille (quem D. Fabianum fuiſſe probabilis admodùm eſt coniectura) non poſſe propter multa ipſius ſcelera cum Chriſtianorum populo feſti Paſchalis fieri participem. Hic verò animi qua erat in Deum pietate, & nihil minùs quàm ficta religione, perlibenter Epiſcopi monitis obſequutus, ſua crimina de more apud Eccleſiam confitebatur, in Pœnitentium ordinem redigendus. Quẽadmodũ & poſteà D. ille Theodoſius Auguſtus Ambroſij

Quo ritu Auguſtus Philippus fuerit ad Pœnitẽtiam admiſſus.

Vigilia Paſchæ.

Sanctæ hebdomadæ ſynonyma.

libertate atque authoritate ad publicam Pœnitentiam fuit compulſus. Quod igitur Philippo Cæſari propter ſua flagitia à ſacrorum ſimul & precationum communione excluſo vſu euenit, procul dubio Chriſtianis ad vnum omnibus pari flagitio contaminatis ſceleribúſque pollutis contingebat.

Hunc in modum per vniuerſum regni Chriſtiani orbem ſcelerati commeritas ſolent dare pœnas, vt ſcilicet præmiſſa delictorum exomologeſi atque confeſſione, præſcriptam à Sacerdote commiſſorum pœnam luentes, tandem à peccatorum vinculis abſoluti, ad priſtinam reciperentur Eccleſiæ communionem, donec Montanus ille Phryx, eorum, qui Cataphrygas dicũtur, dux, & Nouatus ille Apher D. Cypriani defector, & Nouatianus D. Cornelij deſertor, nouum in Chriſti Eccleſias intrudere conarẽtur doctrinæ genus. Quod qualénam fuerit, operæpretium eſt breui oratiuncula, ſed perſpicua, in Lectoris gratiam oſtendere.

Nouatianorũ dogma quid verè habuerit.

Apud veteres ſæpenumerò fit obuiam, Nouatianos, qui ſeſe ob arrogantiſſimam puritatis atque ſanctimoniæ opinionem apud populum iactitabant Catharos, id eſt, puros, vt olim Sadducæi apud Hebræos ſuam venditabant iuſtitiam, de Eccleſia Chriſtiana Pœnitentiam ſubmouiſſe atque ſuſtuliſſe: vnde quorundam vel imperitia vel indiligentia factum eſt, vt Pœnitentiæ Sacramentum cum noſtri ſeculi hæreticis ſubmouiſſe credantur. Nouatiani igitur illius inſani paracleti Montani, qui ſibi poſteà ipſe laqueo vitam abrupit, rabiem renouantes, non totam delere conabantur Pœnitentiam, ſed vnam Pœnitentiæ partem, nimirùm Abſolutionem ſacerdotalem: non dico totam ligandi & ſoluendi poteſtatem, ſed tantùm Pœnitentes abſoluendi. Nam ligandi retinebant, teſte Diuo Ambroſio libr. de Pœnitentia, imò ſoluendi etiam, ſed partim, putà in Baptiſmo. Animi ergo dolorem ſiue Contritionem non reſpuebant, nec Satisfactionem: ſed Abſolutionem ſuis impartire nõ
" ſuſtinebant, ne Dei partes audaci, ô viros religioſos, te-
" meritate ſibi vſurparent. Faceſſat Nouatus, inquit Diuus
" Hieronymus contra errores Ioan. Ieroſoly. errantibus

manum non porrigens. Idem docet apertiùs ille Aërius » Nouatianorum Episcopus histo. Tripart. 21.13. Inuitandos » quidem lapsos, respondens Constantino Augusto, » ad pœnitentiam, spem verò remissionis non à Sacerdo- » tibus, sed à Deo solummodò sustinere, qui potestatem » habet peccata remittendi. Nostræ autem ætatis hæretici saniores relicta absolutione tollunt & Satisfactionem & veram pœnitentium confessionem, ipsámq; adeò veri nominis contritionem, vti inferiùs faciemus omnibus palàm. Istud sanè hi tantò faciunt imprudentiùs, & temeritate magis sacrilega, quàm Nouatiani audaciùs, quantò ille qui submota Solis luce rerum velit discrimina discernere: aut vt dicatur illustriùs) qui litigatoribus non audita accusatoris Categoria, atque causa, iurisdictionem facere, atque in causa pronunciare permittat sibi. Verùm vt Nouatiani pia quadam animi reuerentia ducti, non sibi audebant partes Dei sumere, licèt concessas: (quanquàm enim ligarent peccatores intrepidè, soluere tamen verebantur meticulosi) ita nostræ ætatis hæretici passim omnes suos indiscriminatim soluũt, nullos aut perpaucos prorsus sua potestate ligant, qui fortè alio dissensionis enthusiasmo afflatus, imò inflatus, veterem audet noui Euangelij deserere errorem.

Euangelici boni medici omnes omniũ morbos vno eodémque sanare volunt collyrio.

Cæterùm quod imperitos facere videremus Empyricos, qui varios variis ex morbis laborantes, vno sanare conantur collyrio, id magno cum ridiculo, imò luctu potiùs atque merore nostros istos factitare Euangelicos est conspicuum, contra Apostolorum Traditionem atq; maiorum exemplum. Omnibus enim in vniuersum animi morbis nec cognitis, nec exploratis, nec discretis, vnũ idémq; adhibent malagma, non exulceratis depurationem, non infectis incisionem, non cancro arrosis corrosiua, non putridis cauteria, non tumentes vulnerum sinus manu pertractant duriuscula, non virus altis in viscerum recessibus inclusum educunt: sed audito tantùm ab ægrotantibus Pœnitentiæ nomine, cuius tandem cũque rei nihil vltrà anxij, salutare sese apponere sibi perbellè videntur pharmacum, sed quo apud cordatos omnes suæ salutis non incurios, quibúsue animi oculus nõ

eſt hæreſeos glaucomate lippus, ſeſe de illorum prorſus eſſe genere demonſtrant, qui ventri ſuo ſeruientes, διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων per ſermonum ſuauiloquia, atque benedictionum blandimenta ſimplicium corda ſeducunt. Cæterùm Catholica Chriſti Eccleſia integrum cuſtodiens ſalutare pœnitudinis Sacramentum, variis illud variè accommodat & adhibet: contra Nouatianos illos quidem ſacerdotalem ſeruans abſolutionem, contra iſtos verò Euangelicos neceſſariam obtinens Confeſſionem, atque verè medicam Satisfactionem.

Rom. 16.

Eiuſdem telis hodie Pœnitentiæ Sacramentũ eſt propugnãdũ, quibus olim aduerſus Nouatianos.

Ea propter eodem omninò pharmaco expellendi ſunt ex Chriſtianorum cordibus, quos iſte peſtilens Euangelicorum ſibilus afflarę non deſinit, morbi, quo immanis illa Nouatianorum crudelitas incautos Pœnitentię deſperatione trucidans olim fuit deleta. Quemadmodum igitur ſanctiſſimus Chriſti Martyr D. Fabianus ſuas per orbem Chriſtianum ouiculas quàm diligenter hortatus, vti aduerſus Nouatianos qui aliam fidem, inquit epiſtol. 1. & doctrinam tenent, quàm Apoſtoli & ſucceſſores eorum tenuerunt, & docuerunt, ſalutariter quaſi porrecto antidoto præmuniuit, & à Chriſti caulis venenato errore palantes pręſenti pharmaco ſanatas reuocauit: ita nunc temporis contra Euangelicos contentiſſimo ſtudio annitendum, vt omnes ſuę ſalutis verè ſoliciti eodem vel pharmaco præſeruentur, vel antidoto ſanentur: putà quòd aliam fidem & doctrinam tenent noui iſti Euangelici, quàm Apoſtoli tenuerunt, eorúmque ſucceſſores docuerunt. Quòd iiſdem prorſus ritibus atque rationibus, quibus hodie, ſalutare Pœnitentiæ remedium animabus peccatorum morbo ægrotantibus, non modò antè & poſt Montanum & Nouatum illius dogma renouantem: verùmetiam ab ipſa vſque Apoſtolorum ætate in Chriſti Eccleſia fuerit ſanitatis gratia adhibitum, quod quidem ad ſatisfactionis ſalubritatem atque Confeſſionis neceſſitatem attinet, nunc porrò ſupereſt vt declaremus.

Caput LXII.



Oc quò fiat omnibus ipſa meridiana luce manifeſtiùs, initiò illa Pœnitentiæ quaſi membra, Publica, atque Priuata, veniunt perſtringenda: exinde tres illius partes, nimirùm Contritionem, Confeſſionem, atque Satisfactionem pro noſtra virili perſequentes, hæc Apoſtolorum etiam ætate ad inſtaurandam lapſorum ſalutem fuiſſe adhibita, ſtudebimus demonſtrare.

Pœnitentia olim duplex, publica & priuata.

Publicæ igitur Pœnitentiæ atque priuatæ nomen ex varia illius peragendæ ratione natum eſt. Qui enim nouis à Baptiſmo peccatorum criminibus ſeſe iterum in ſalutis adduxiſſent naufragium, ij vel ad publicam, vel priuatam adigebantur peccatorum pœnitentiam atque caſtigationem. Id verò ſemper non ex peccatorum aut publicè aut priuatim admiſſorum varietate, vti quidam ſuſpicantur, variabat, ſed ex Sacerdotis arbitrio, qui aliam atque aliam pro pœnitentium diuerſitate præſcribebat. Cùm enim non minùs ſolo animi propoſito Deus Optimus offendatur, ſanctiſſimæque eius leges ſola voluntatis rebellione violentur, quid quęſo cauſæ fuerit, cur peccatum idem, putà idololatriæ, adulterij, aut pæderaſtiæ iuxta Deum offendens, puniatur acerbiùs in aliorum conſcientiam productum, quàm ſolo Deo teſte clanculùm perpetratum? Atqui fortaſſis, inquias, quod publicè peccatur, ac in multorum oculos ſimul & conſcientiam incurrit, in multorum item offendiculum, grauémque infirmorum fratrum habet coniunctam offenſionem: ſecùs ſanè quod priuatim nullo mortalium conſcio delinquitur. Iſthac quidem ratiocinatione conficerent aduerſarij, publica tantùm peccata, publica item habere opus Pœnitentia, ſi illa propriè veteribus dicta Pœnitentia, in populi exemplum duntaxat, vt volunt illi, non in remedium quoque animorum fuiſſet olim deliquentibus admota. Quod cùm aduerſarij ſuæ doctrinæ iaciunt velut fundamentum, quia eſt veritatis ſoliditate deſtitutũ, vltrò corruit, quicquid futiliter ſuperſtruere magno conamine moliuntur.

Publica quid.

Pœnitentia publica non ſolùm ob publica peccata olim præſcripta.

Publicam igitur hanc Pœnitentiam non ob publica tantùm peccata, quæ multos publicitùs offendissent, sed occultè etiam admissa fuisse apud priscos illos susceptam, antè declarabimus, quàm quænam sit illius solennis à publica non solenni atque priuata diuersitas ostendatur.

Quanquàm qui peccatorum summulas nobis relinquêre, publicam doceant Pœnitentiam publica propter peccata apud veteres in vsu fuisse habitam, negari tamen non potest, veterum scripta accuratiùs considerāti, propter occulta etiam olim fuisse interdum adhibitam. Quod nec illos latuisse subindicant, dum publicam aiūt propter publica fuisse impositam non ex pœnitentium arbitrio, sed Sacerdotum imperio: publicam quoq; propter occulta peccata, sed pœnitentium voluntate, non Sacerdotis authoritate atque necessitate vltrò fuisse susceptam haud obscurè significantes. Quod multò esse verissimum, paucis sed luculentis ex veterum Scriptorū monumentis illustrandum est testimoniis. Hunc igitur morem apud priscos fuisse vsitatissimum inde constare liquidò potest, quòd Adamantius ille Origenes Ecclesiasticos sui seculi mores ad viuum depingens, eos exhortatur, qui animam peccatorū phlemagte aut crudo humore, tanquam stomachum cibo indigesto aut pituita sentiunt grauatam, vt adhibita salutari quodam quasi stomachi suffocationis periculo laborantis vomitu, confessione, pristinam sibi sanitatem studeant recuperare. Quę vt ipsis redeat faciliùs, & instauretur pleniùs, describto qualisnam sit consulendus medicus: Si is intellexerit, Homil. 2. in Psal. 32. & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.

Animus confeßione, seu stomachus vomitu leuatur & sanatur. Latens animi languor interdum publicè apud Ecclesiā exponebatur et purgabatur.

Quo loco vt apertissimè Confessionis demonstratur antiquitas, quod infrà dicetur aptiùs atque pleniùs: ita illis indigesti cibi phlegmatis atque humoris crudi metaphoris, quòd in corpore latent abdita, dilucidè occulta ostendit vitia publicæ Pœnitentiæ remedio sanari solita: languorem, inquiens, qui in conuentu totius Ecclesiæ

exponi

exponi debeat & curari. Ad eandem verbis haud quaquàm obſcuris Diuus quoque Cyprianus ſuos illos lapſos, ſi cuipiam videatur ſermone 5. inuitare nos ſibi facilè habeat ſuffragatores. Denique, inquit, quando & fide maiore & timore meliore ſunt, qui quàmuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirunt. Poteſt & ex Sozomeni hiſtoria illud oſtendi illuſtriùs, quàm vt vlla ſuperſit ambiguitatis nebula. Siquidē Nectarij cauſam expoſiturus, formā veteris Pœnitentiæ publicæ deſcribens: Sacerdotem aliquem, inquit lib. 7. cap. 16. tenacem ſecretorum & prudentem deputarunt, ad quem qui deliquerunt, accedentes, quæ geſſiſſent confiterentur: ille ſecundum vniuſcuiuſque delictum, quid faciendum luendúmue eſſet, mulcta impoſita, ea lege confitentes abſoluebat, vt à ſe ipſi pœnas commiſſorum exigerent. Quòd ſecretorum tenacem dicit, quid ſibi vult obſecro aliud, quàm propter ſecreta etiam peccata illam, de qua agit, Pœnitentiam publicam priſco ex more imponi ſolitam? ſin propter publica tantùm, quid opus erat Sacerdote prudenti? & eo ſecretorum tenaci? vbi omnia vt publicitùs commiſſa, ita publicitùs quoque nota: quæ ſecretorum vox reſpuit. Quare cùm Pœnitentia publica propter etiam occulta animi vitia fuit adhibita, nunc eius ſpecies, ſolennis & non ſolennis, diligenter ſunt diſcernendæ, quòd eas aduerſarij non tam inſcienter quàm fraudulenter ad obſcurandam veritatis lucem miſcent, atque confundunt. Cùm enim illa ſolennis, niſi ob atrociſſima non fuerit vſurpata flagitia, quæ non poterant non eſſe publica: cuperet Philippus Melanchthon hac vna ſpecie vniuerſum Pœnitentiæ publicæ genus ſtrangulare atque enecare. Verùm ſolennis, quia ſolennibus, pecularibúſque ritibus peragebatur, quos in Canonibus veteribus eſt agnoſcere, non niſi ſemel in omni vita permittebatur ſubeunda: Secùs verò publica non ſolennis. Quare hæc toties ite-

Pœnitentiæ publicæ duæ ſpecies, ſolennis & non ſolennis.

Solennis Pœnitentia publica quæ.

Publica non ſolennis.

rabatur, quoties id lapsorũ saluti & disciplinæ Ecclesiasticæ obseruandæ iudicabatur consultum. Quod igitur apud veteres interdum occurrit, Pœnitentiam non esse iterandam: item, Pœnitentiam semel, vti Baptismum, esse subeundam, non nisi de publica illa solenni intelligat oportet, qui grauissimos Scriptores secum ipsos con sistere, eósue sui ipsorum non fuisse immemores arbitratur. Hunc in sensum illud Diui Ambrosij accipiendum est: Meritò reprehenduntur, qui sæpiùs agendam Pœnitentiam putant, inquit cap. 10. lib. 2. de Pœniten.
" quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent Pœni-
" tentiam, iterandam posteà non putarent, quia sicut vnũ
" Baptisma, ita vna Pœnitentia, quę tamen publicè agitur.
" Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hęc de-
" lictorum leuiorum, illa grauiorum.

Rhenani temeritas refutata.

Quæ apud alios Orthodoxos reperiuntur, similem in sententiam ad hanc solennis Pœnitentię speciem sunt interpretanda, ne Montani quippiam aut Nouatiani resipiant. Proinde falso Aurel. Augustinum Nouatianismi affinem insimulat beatus Rhenanus Annot. in Tertull. de Pœnitentia, aliósque veterum permultos, quòd ij lapsis à Baptismo Pœnitentiam prorsus denegant. Quòd enim ægriùs lapsis Pœnitentiam concedunt, solennem illam publicam intelligunt. Porrò illa publica non solennis iterari potuit, quoties peccatorum merita eam videbantur efflagitare. Qui enim alioqui de adulteriis & ebrietatibus Canones sunt editi, nullum erant vsum habituri, postea quam iis aliquis semel fuisset castigatus.

Pœnitentia priuata, quæ olim, et quod iisdem ritibus, quibus hodie obseruata fuerit.

Explicatis duabus Pœnitentiæ publicæ speciebus, illa nunc Pœnitudinis species est perstringenda, quæ priuata dicitur. Conuenit autem hæc cum illis in Pœnitudinis natura, quòd scilicet ad delictorum veniam consequendam, & ægris peccato animabus medelam adhibendam olim, vti hodie, fuerit admota. Porrò alia re nõ differunt, quàm quòd illæ publicitùs satisfactionem siue castigationem, & confessionem habuerint coniunctam: Hæc verò apud se priuatim, atque vno cum Sacerdote transegerit omnia. Quanquàm autem Pœnitentia publica ita quorundam vel imperitia, vel incuria sit aboli-


ta, vt vix obscurissima in Ecclesiis supersint eius vestigia, vt in reconciliandis hæreticis & recipiendis homicidis: tamen hæc priuata suos etiamnùm, vti apud priscos, habet atque obtinet ritus legitimos ac necessarios. Quod vt appareat dilucidiùs, efflagitat rerum ordo, vt illas Pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem, atque satisfactionem aggrediamur pertractare. Quò igitur meridiana luce fiat clarius, eandem hodie in Catholica Christi Ecclesia, de saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento persistere atque obtinere doctrinam, quæ ab Apostolis tradita omnibus semper ętatibus fuit sarta tecta, præmisso de contritione tractatulo demonstrabimus, diuino adiuti præsidio, confessionem, quæ diserta fit peccatorum ęnumeratione & satisfactione, quæ ad pœnæ remissa culpa restantis deletionem adhibetur, ab ipso vsque Apostolorum seculo pœnitentibus fuisse familiarem, imò veriùs necessariam.

Pœnitentia sacramētalis semper tres partes fuêre.

Illud in partium Pœnitentiæ explicatu pium Lectorem duximus admonendum, hasce, quas diximus, non esse propriè Sacramenti Pœnitentiæ partes, quòd aliorum more, vti suprà indicabatur, sua quadam materia ac forma quasi partibus essentialibus conficitur atque constat: sed hæc de qua agitur Pœnitentia, totam complectitur hominis dudum baptizati quidem, sed relapsi renouationem, atque in integrum quodam quasi postliminio restitutionem: quæ vt Sacramentum illud requirit, quo perficiatur: ita illa omnia, quæ ad id rectè & ordine suscipiendum sunt necessaria, complectitur. Hæc autem sunt illa tria, quæ iam nobis supersunt persequenda atq; explicanda.

Caput LXIII.

Nō esse duas Pœnitentiæ partes contritionem & fidem, vt fingūt hæretici.



Qui sibi vt abs receptissima Christianæ Ecclesiæ doctrina recedant, permittunt, ij nunc ferè duas Pœnitentiæ partes constituunt, contritionem & fidem: Illam non aliud, quàm horribiles animi terrores ob gehennæ metum: hanc cōscientiæ consolatricem, quę afflictum animū erigat, atq; ad Christum mediatorem adducat. Verùm quàm temerè

nullóque Euangelicæ doctrinæ consilio istud conentur, palàm facere studebimus. Quòd Pœnitentiæ partes faciunt contritionem & fidem, bis non minùs turpiter quàm imperitè peccant. Primò ipsum rerum perturbant ordinem, deinde fidem Pœnitentiæ quasi partem attribuunt, cùm eius sit fons & origo: perinde quasi dicas, lumen esse illius discretionis partem, qua per visionem atra & candida discernimus: Porrò quòd rerum perturbant ordinem, inde liquet, quòd hanc, quam describunt, contritionem nullus in animum suum potest admittere, nisi antè sibi fidei persuasionem admiserit. Quis enim Epicureus istos gehennæ stimulos, atque irati Dei aculeos sentiat vnquàm? Hi enim nullo pacto istum affligant, aut torqueant, nisi antè crediderint, Deum esse malorum iudicem, & gehennam delictorum vindicem carnificinam. Prior ergo est fides, quàm illa, quam suspicantur, contritio: vnde & priore loco erat collocanda: cui cùm secundas partes tribuunt, quàm & hîc fœdè impingant est paucis exponendum.

Fides est Pœnitentiæ fons non pars.

Volunt fidem alteram esse Pœnitentiæ partem, quæ conscientiam illa contritionis afflictione exagitatam, & ærumna quasi fatigatam consoletur, deiectam erigat, & vexatam quasi apposito emplastro demulceat. Istud quidem efficere fidem nequaquàm inficiamur: verùm non propterea est Pœnitentiæ pars collocanda. Fides enim vt conscientiam gehennæ terroribus concussam, adeóque perculsam, ad Christum ducit consolatorem, ereptorem, atque liberatorem: ita initiò hæc non aguntur, non terretur conscientia, non excruciatur gehennæ formidine, nisi hanc formidandam atque horrescendam fides animo proponat: quemadmodum clarissimè est cernere in Epicureorum, Turcarum, & Atheorum cogitationibus. Fides ergo fundamentum est, quo sine Pœnitentia vt non suscipitur, ita nec agitur: Quemadmodum sine lumine res nec videantur, nec discernantur. Quàm ergo grauia peccant, atque absurda apud Physicos, qui lumen discretionis rerum partem faciunt: tam apud Theologos, qui fidem Pœnitentiæ partem subiiciunt. Porrò fides tanquàm fundamentum sternitur a-

Fidem non esse Pœnitentiæ partem.

ctionis omnis, imò vitæ totius Christianæ: quæ si rectè statuatur Pœnitentiæ pars, omnium sanè Sacramentorum, omnium negotiorum, omnium denique operum Christianorum pars est collocanda: quod & aduersarij ipsi propter absurditatem abominantur, eò quòd sine fide illa nec desiderantur, nec suscipiuntur, nec denique geruntur.

Sed quia aduersarij nouis istis opinionibus, vtvt absurdis Euangelij fucum student induere, quò hac recti specie incautis fucum, quod dicitur, faciant, agè in medium veniat ista præclara Euangelij sententia. Christus in Euangelio clamat, inquit Philippus in Apologia: Pœnitentiam agite & credite Euangelio. Sed quibus obsecro? certè non credentibus, in propria venientem non suscipientibus. Meritò his igitur Pœnitentia atque fides proponitur, verùm non ea, de qua in præsentiarum est controuersia. Hîc enim non disputatur, quánam ratione Iudæus quispiam, aut paganus per Christum consequatur salutem: sed de iis, qui dudum in Christi corpus insiti, fide illuminati, variisque Spiritus sancti charismatibus ornati, se ipsi in pristinum sempiternæ perditionis naufragium perniciosè pręcipitauêre. Huic hominum generi multò aliter concionantur Christi Apostoli, atque illi priori. Petrus Symonem Magum à Baptismi gratia lapsum ad Pœnitentiam reuocat. Sed nulla hîc fidei mentio. Paulus incœstum illum, alióſque Corinthios ad hanc Metanœam inuitat: sed vbínam ista Euangelij fides commemorata? Christus ipse illos Ecclesiarum Angelos per Ioannem Euangelistam hortatur ad vitæ minùs Christianæ Pœnitentiam, sed nulla istius fidei memoria. Quid ita? Quòd hæc vt Pœnitentiæ inducendæ tanquàm materia præiacet, ita in pœnitentium animis ea ferè persistit salua, vt quemadmodum initiò Baptismum conciliauit ad peccatorum veniam, sic & nunc alteram salutis quasi tabulam in idem pristinæ submersionis periculum lapsis conciliet Pœnitentiam. Cæterùm sicuti illud Christianæ salutis Sacramentum absque animi pœnitentia ab adultis non suscipitur, ita nec istud. Quare vt inter se sunt longè diuer-

Argumenta Apolo. Aug. refutantur.

Act. 8.

1. Cor. 6.

Apoc. 2.

Alia in Baptismo, alia pòst opus est pœnitentia.

ſiſſima, ſic & Pœnitentia in vtroque longè alia atq; alia eſt adhibenda: quemadmodum ipſos Chriſti Apoſtolos pro Sacramentorum diuerſitate varias demonſtrauimus prædicaſſe Pœnitentias. Qui ergo illam, quæ ante Baptiſmum eſt, cum hac quæ Baptizatis adhibetur, vt multa iura coquus confundit, quis ita ſit abſurdus, vt iſtud præclarum conſilium non aduertat? aut inſulſus adeò, qui latentem ſub iſtis Euangelij condimentis fraudem non deprehendat? Iam quòd alij aliis verbis alias fingũt Pœnitentiæ partes, mortificationem & viuificationem, quas dicunt, nulla opus habet refutatione: quòd iſta non ſint Pœnitentiæ Sacramenti propria: ſed ad Baptiſmum quoque pertinentia, imò eorum adeò communia, qui baptizati in percepta dudum iuſtitia perſeuerantes, mẽbráque ſua iuxta D. Pauli admonitionem, quę ſunt ſuper terram mortificantes, hac de qua agitur Pœnitentia, vel Chriſti teſtimonio non habet opus.

Mortificationem & viuificationem Caluinianã non eſſe Pœnitentiæ partes.

Caput LXIIII.

Tres eſſe Pœnitentiæ Sacramentalis partes.



Roinde iſtis Euangelicorum depulſis tenebris, quas noui prætextu Euangelij doctrinæ liquidò Euangelicæ vt nouo, ita ſacrilego auſu ſtudent offundere, nũc tres illæ veri nominis dictæ partes Pœnitentię iuxta Apoſtolicam ſimul & Catholicam doctrinam veniunt explicandæ & exponendæ.

Contritio pars prima Pœnitentiæ quid.

Pœnitentia hęc Sacramẽtalis cùm ſit conſilij priſtini diſplicentia, ſiue vt Tertullian. placuit, animæ paſſio, quæ de offenſa veniat ſententiæ prioris, reconciliationem irati Dei Opt. requirens, non poteſt non eſſe ſummo cum animi dolore coniuncta. Hunc autem animi dolorem propter offenſam Dei apto ex ſcripturarum vſu contritionem appellat Orthodoxia: quem quia plurimi Catholicæ doctrinæ propugnatores ſuis ſcriptis explicarunt, nolumus in eo pertractando eſſe copioſiores, pau cis admodum verbis ex Auguſtini doctrina illũ perſtrinxiſſe contenti. Aureo illo ſiue libello ſiue ſermone, quem de vtilitate ac neceſſitate Pœnitentiæ inſcripſit D. Aurelius Aug. cùm hominem Chriſtianum ad Pœnitentiam

Hypotipoſis viuahominis

verè agendam ſalubriter præparauit, quánam ratione illa ſit agenda informans : Aſcendit homo, inquit, aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud, quód oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, vt recipiat, quod per corpus geſſit, ſiue bonum ſiue malum : atque ita conſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidem ſanguis animæ confitentis per lachrymas profluat. Et paulò pòſt: Verſatur ante oculos imago futuri iudicij, vt quum alij accedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet, quàm ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis uitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam. Et multis interiectis : Iudicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores conuertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam pręter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, & tanquàm bonus incipiens iam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à Præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, vt in offerendo ſacrificio cordis contribulati deuotus & ſupplex id tamen agat, quod non ſolùm proſit illi ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Huiuſmodi ergo eſt veræ Pœnitentiæ contritio, quæ dolorem de offenſa Dei habet peccatis ad vlciſcendum laceſſiti, vitámque in melius commutat, ideóque ad Antiſtites & ſacrorum Præpoſitos accedit clauium Eccleſiæ miniſterium requirens.

verè pænitẽtis & cordis contriti.

Tribunal quale ſibi proponant verè Pænitentes.

Excluſio à communione, cuius rei typus.

Cõtritionem non eſſe terrores gehennæ, ſed animi dolorem de peccatis.

Faceſſat igitur nouum iſtud nouæ contritionis figmentum, quod meros animi horrores, & conſcientiæ carnificinas ſomniat : quaſi verò hiſce rebus perficiatur cõtritio, non inchoëtur tantùm. Quare dum aduerſarij iſtos horrores omnibus Scripturę locis affingunt, & ſuis ſemper obtrudũt, quid aliud, quàm ad ſeruilem eos metum alligant ? Proinde Catholici rectiùs Auguſtini doctrinam ſecuti, aliorúmque item cæterorum veterum, hoc contriti cordis ſacrificium à perhorrenda tremendi illius iudicij ſeueritate exorſi, mores veteres in melius iubent commutare, eóſq; amaris quidem, ſed ſalubribus

Non sufficere animi dolorem ad irã Dei placandam.


Vide Epiph. in Dosith.

operum Pœnitentiæ remediis emendare atque castigare. Verùm id non priuato cuiusque pœnitentium arbitrio, quasi solis illis corporis & animi & afflictionibus Deum iratum possint reddere propitium, quod Anabaptistæ fanatica perciti hallucinatione illum Dositheum Iudæum sequuti delirant: sed salutarem illam peccatorum remittendorum per vnius Christi sanguinem in Ecclesia credens potestatem Præpositis sacrorum traditam, non dubitat se illi, quantus quantus est, subiicere, atque medelam suis animi morbis inde petere, & tanquàm bonus incipiẽs iam esse filius, ait Augustinus, maternorum membrorum ordine custodito, suæ Satisfactionis modum suscipere. Quis porrò hic sit maternorum membrorum ordo, tanta diligentia pœnitentibus custodiendus, hoc loco à Diuo Augustino subindicatus, clarioribus nunc verbis est aperiendum. Is verò est,

Ordo Ecclesiæ custodiẽdus pœnitenti.

« vt pœnitens suo seipse iudicio damnans, ait Augustinus,
« ad Antistites veniens, à Præpositis sacrorum satisfactio-
« nis suæ accipiat modum, hoc est, quod lingua nostræ
« huius ætatis Ecclesiæ Catholicæ dicitur manifestiùs, vt
« verè contritus legitiméque confessus, imposita satisfactionis Pœnitentia absoluatur. Quòd enim vera peccatorum remissio præter animi cõtritionem requirat, tum confessionem, tum satisfactionem, iam ex doctrina tam Apostolica quàm Catholica astruere satagemus.

Caput LXV.



Vod de voce Confiteri à veteribus obseruatum est, eam ex Scripturarum vsu non rarò ad Hebraïcam phrasin sonare laudem, interdum profiteri, & agnoscere, id de Confessionis item vocabulo intelligendum est.

Confessio quid.

Confessionis diuisio.

Est autem Confessio hæc, quàm præsens institutum postulat, qua quis se delictorum agnoscit, atque profitetur reum, ferè bipartita, occulta scilicet & manifesta. Vtraque Deo fit, sed hæc etiam coram hominibus: qualis est Dauidis, Danielis, Antiochi illius illustris, Iudæ & publicani Euangelici.

Porrò manifesta rursus est gemina, vna generalis si-

ue indiſcreta: altera ſpecifica ſiue diſcreta, quæ diſertam habet delictorum enumerationem. Quicquid in cōtrouerſia eſt poſitum de Confeſſione, ad hanc diſcretam ſpectat. Siquidem illa, quæ Deo fit, extra quæſtionem eſt: Quemadmodum & quæ generaliter apud fratres ſeſe peccatorum accuſat.

Manifeſta confeſſio aut eſt generalis aut ſpecialis.

Ad veram itaque offenſarum Dei veniam cōſequendam Catholici hanc diſcretam atque ſpecialem docent neceſſariam: aduerſarij verò generalem illam ſufficere contendunt: adeò vt hanc etſi non inficiantur vtilē, imò comprobēt, & quandam examinationem prodeſſe iudicant, vt inſtitui homines meliùs poſſint, quod eſt in Apologia Auguſtana, & Saxones paſſim ſeruant ſuis in ſynagogis: minimè tamen volunt neceſſariā. Proinde verbum veritatis ὀρθοτομεῖν rectè ſecare ſtudentes, illius neceſſitatem non modò ex Chriſti verbo atque inſtitutione, & Apoſtolorum vſu ac obſeruatione: verùmetiā perſpicuò priſcæ Chriſti Eccleſiæ more, clarīſque Catholicorum Scriptorum teſtimoniis, atque conſenſu declarare confirmaréque pro noſtra virili annitemur.

Cōfeſſionem diſcretā ſingulorum eſſe neceſſariam.

Sunt qui hanc diſertam peccatorum enumerationem, ſiue priuatam malis, ſiue clancularìam, ſecretam, auricularem, ſiue Sacramentalem, ex illa publica exomologeſi veteribus dicta, vltronea hominum natam eſſe docent pietate. Alij ad Eccleſiæ inſtitutionem referre malunt. Hîc equidem mirari ſatis nequeo, tantam eſſe anticipatæ opinionis vim, vt integritatem iudicij hominum alioqui doctiſſimorum euertere, atque adeò eripere poſſit. Cùm enim tam perſpicuè apud veteres legant, primùm Deo eſſe confitendum, deinde Sacerdoti, pòſt exomologeſin ſubeundam, qua obſecro ratione inuerſo naturæ ordine matrem ex filia ſomniant prognatam? Cùm enim publica Pœnitentia, id eſt, ſatisfactio, quæ publicam habuit Confeſſionem coniunctam, niſi ex Sacerdotis arbitrio hunc vel illum modum pro delictorum varietate præſcribentis, non fuerit ſuſcepta, quónam modo ex illa publica exomologeſi hanc priuatam & ſecretam dixeris eſſe progenitam? Illam porrò exomologeſin, quæ non niſi publica erat Confeſſio, ex illa

Confeſſionis ſacramētalis origo quæ.

Vide B Rhenanū in Tertull. dè Pœnit. fœdè hallucinantem.

ſecreta Sacerdotali facta ortam eſſe, vel vnum illud clariſſimum faciat, quòd nõ omnium olim peccatorum publica fuerit Confeſſio: ſed eorum duntaxat, quæ Sacerdotis arbitrio in publicum erant, tanquàm ex antro ſerpens protrahenda, atque vt Origenes monebat, fœdo licèt in ſpeciem, at ſalubri tamen, quodam quaſi vomitu publico medicanda atque ſananda. Huic & D. Leo ſuffragatur, qui nouitium morem, quo de ſingulorum peccatorum genere ſcripta profeſſio publicè recitabatur cõtra regulam Apoſtolicam, ſua ætate à quibuſdam inuectum inhibuit, atque à Chriſtianorum vſu damnatum ſemouit, epiſt. 78. Quòd verò alij hanc priuatam atque diſcretam ab Eccleſia affirmant inſtitutam, ex iis, quæ de confeſſionis huius Sacramentalis origine adferemus, notum fiet, an veritatis affine ſit, nec ne.

Homil. 2. in Pſalm. 37.

Leo epiſtola 78.

Illis Chriſti Domini verbis, Quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt, Apoſtolis ex veterum Patrum ſententia & aduerſariorum adeò conſenſu antè eſt demonſtratum, traditam eſſe peccata ligandi atque ſoluendi, etiam extra Baptiſmum, poteſtatem, quæ illis ſalua conſtare nequiuit, niſi hominum aut abſoluendorum aut ligandorum peccata illis forent cognita. Cognita autem eſſe omnia nõ poſſunt, niſi vltronea ipſorum authorum accuſatione. Siquidem Deus Optimus non ſolùm externa ſuæ legis tranſgreſſione offenditur, ſed occulta etiam inobedientia, atque ignota in vulgus animi ſolius rebellione. Quibus peccati ſpeciebus cùm homines in reatum atque tranſgreſſionis culpam quaſi vinculis ex æquo ligentur, & compedibus quaſi ſtringantur, fieri nequit, vt alia ſit manifeſta illa delicta ſoluendi ratio, alia occultiora, & in animi receſſibus deliteſcentia. Ea propter ſi manifeſtorum quædam ſunt liganda & retinenda, quædam ſoluenda & remittenda, idem de occultis animi delictis prorſus eſt iudicandum, cùm vtrorumq; par ſit culpa, & ſimilis omninò, idémque reatus. Quàm igitur abſurdum fuerit, ſi peccata tantùm publica huic poteſtati Apoſtolis traditę dicas ſubiecta, non etiam occulta quoque, tam fuerit abſonum, ſi occulta animi vitia recondi-

Ioan. 20.

Confeſſionẽ ſingulorum iure diuino eſſe inſtitutam.

táque crimina ſoluendi aſſeras ſubiecta poteſtati, non item ligandi. Qui in idololatriam fuiſſet lapſus, aut alterius thorum adulter fœdaſſet, haud dubium apud priſcos ligandus erat hac clauium Eccleſię poteſtate: quid illis faciendum putes, qui de tradendis Rom. Prætori apoſtaſiæ atque idololatriæ libellis, quod paſſim Cypriani ætate accidit, vel cogitarant: Quid illi, qui alieni coniugis ignem alit venis, & cęco carpitur igni? Non iſtos clauium Eccleſiæ cenſeas indigere? Indigent, inquias, ſed ſuffecerit apud ſacrorum Præſidem reos, ſi ſe ipſi agnoſcant, atque peccaſſe in Dei legem profiteantur. Rectè iſtud, ſi illi ſola eſſet abſoluendi facultas à Chriſto Domino credita. Iam verò vbi & ligandi & ſoluendi pariter eſt commiſſa, quî ea vtatur legitimè, niſi ipſe diſertè cōmemores, quónam delicti genere Deum Optimū offenderis, eiúſque legem violaris, quò ex ipſa ſceleris natura & doloris quantitate, num æquo ſit leuior an ſufficiens, cognoſcat, vtra illius poteſtatis Apoſtolicæ parte ſibi ſit vtendum? An illum ita ſui muneris à Chriſto accepti oblitum credas, vt ligandorum peccatorum immemor, meminerit duntaxat ſoluendorum? Quod qui hodie faciunt, in Eccleſiæ leges peccant atrociùs, miſellis ſub omni cubito puluillos ſuentes, quàm in Hyppocratem Empyrici, qui omnia corporis mala ſuis medicantur emplaſtris, nullum cauterij, inciſionis, aut etiam præciſionis tenentes vſum. Quare quàm ſit nefarium, impium, atque ſacrilegum, hanc ligandorum peccatorum poteſtatem Eccleſiæ Chriſti velle ſurripere, quis tam ſit cæco animi iudicio, qui non videat? Iſtius autem ſceleris ſeſe alligant, quotquot confeſſionem, quæ diſertam habet peccatorum vel ſoluendorum vel ligandorum enumerationem, magna cum hominum iniuria nefariè ſtudent abolere, maximáque in Chriſtum impietate temerè conantur abrogare. Hic igitur vnus ſacrarum literarum locus tanto verborum lumine perfuſus affatim ſufficiat ad vniuerſas, quas aduerſarij offundere conantur, nebulas cùm diſpellendas tum illuſtrandas, ne quid caliginis reſideat reliquum apud eos, qui lugenda pertinacis cōtentionis phreneſi non toti laborāt.

Vide Cypr. de lapſis.

Ezech. 13.

Ioan. 20.

Cōfeſsionem ſingulorum diſcretam eſſe neceſſariā iure diuino.

Luc.3.
Act.19.
Vide D. Basil. quæst. ascet. ticis cõpẽdio expli. quæst. 288.
Vide quæst. diffusè expl. quæst. 26.

Alios si quis desideret, habet apud D. Basilium, Deus Opt. quem virum? Quòd ad Ioan. Baptistam milites, & ad Apostolos Paulum & Barnabã Ephesij accedunt confitentes actus suos, Magnus ille Basilius ad Euangelicam nostram confessionem statuendam existimauit valere. Quòd si quis ex primo illo Euãgelij loco pleniùs atque solidiùs quàm ex duobus posterioribus eam putet confirmatã, nos perlibenter accedemus suffragatores: quanquàm tanti viri authoritas cõfessionis Ecclesiasticæ nobis demonstret & antiquitatem & necessitatem. Verùm vt nihil supersit scrupuli, quin pius cãdidi Lectoris animus planè sibi ad veritatem persuadeat, hanc in confessione delictorum enumerationem esse necessariam, illísque apud Ioan. 20. verbis à Christo Domino præceptam, nunc demonstremus oportet, Apostolos hac ligandi soluendíque potestate fuisse quoquevsos, hoc est, peccata discretis atque disertis confessionibus exposita tum absoluisse, tum ligasse.

Caput LXVI.

Apost. ætate lapsis fuisse Confeßione opus.
Act.8.
1. Cor.6.
Apostolos cõfeßionẽ singularẽ discretam lapsis adhibuisse.



Postoli veri Euangelij, hoc est, lætissimi de Christi gratia atque peccatorum remissione nuncij, quod à Domino Christo mandatum acceperant, perdiligenter simul & fideliter toto terrarum orbe sunt executi. Quo autem pacto cum baptizandis egerint, ex Euangelica historia dilucidè satis perspicitur: quam verò rationem in lapsis reconciliandis sunt secuti, minùs ex Scriptura liquet, nisi quòd ad Pœnitentiam agendam illos fuisse exhortatos legimus. In euoluendis itaque veterum scriptis ea vestigia multò sagacissima sunt indagatione inquirenda, quæ obscurissimæ isti propter vetustatem rei clarioris aliquid lucis adferre queant. Proinde quòd nobis in sublustri cognitionis quasi aurora videbatur splendèscere, nihil puduit è tenebris erutum, etsi minùs cultum atque politũ, certè inelaboratum, in lucem iuuandi studio edere.

Pœnitentiæ ab Apostolis

Catholica Christi Ecclesia abs sui vsque principio variam semper pro delictorum varietate medendis ani-

mabus peccato sauciis adhibuit medicinā: flagitiis publicis, aut alioqui grauioribus publicam, leuioribus leuiorem admouens Pœnitentiam. Hæc autem Pœnitentiæ ob peccata ab Apostolis indictæ varietas locum profectò nullum in illa Ecclesiæ nascentis pueritia habere potuisset, si delinquentes sese in genere tantùm fuissent peccatorum reos professi. Si enim generali tantùm confessione pœnitentes sese profitebantur peccatores, cur eiusdem planè confessionis reis diuersa indicitur peccatorum castigatio, huic publica, illi priuata? Sin propter varia istorum facinora varia rectè præscribebatur Pœnitentia, fieri nequit, quin varia quoque fuerit commissorum confessio, quæ istud satisfactionis discrimen pepererit: cùm ea non stulta Apostolorum voluntate, sed pro eo atque illorum scelera commerebantur, fuerit iustissimè prescripta atque imposita. At istam, inquias, castigationis diuersitatem ipsa peccatorum publicorum varietas requirebat, vt grauioribus publica austerior, leuioribus priuata mitior præscriberetur Pœnitentia. Bellum istud commentum imperitis fortè arrideat, qui publicam Pœnitentiam propter publica tantùm peccata suspicantur fuisse olim adhibitam, exempli tantùm modo, non etiam medicinæ remedio: quæ quàm à veritate longissimè adhorreant, superiùs arbitramur demōstratū manifestiùs, quàm vt prolixiori oratione sit diffusiùs persequendum. Ad hæc non omnis publica fuit Apostolorum ætate pœnitentia. Apostoli igitur cùm apud probatos authores publicam legantur lapsis adhibuisse Pœnitentiam, eam haud dubiùm non omnibus eandem, neque omnibus etiam lapsis publicam indixêre. Hoc enim ipsa delictorum in Dei legem commissorum differentia efflagitat, vt atrocioribus pœna acerbior, leuioribus pœna item infligatur leuior. Quòd autem Apostoli medendis animarum peccato sauciarum vulneribus salutaria Pœnitentiæ adhibuerint fomenta, vnus ille D. Leo Magnus nobis locupletissimo fuerit testimonio: Alienum est, inquit epist. 90. cap. 2. ad Rusticum Narbonensem, à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in Presbyterali, aut in Diaconi gradu fuerint cōsecrari,

impositæ varietas Confessionē arguit illo seculo obseruatā.

Apostoli publica pœnitētia in quosdā animaduertūt, in quosdā verò peccatores minimè.

" pro crimine aliquo suo per manus impositionem reme-
" dium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Aposto-
" lica Traditione descendit, secundum quod scriptum est:
" Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro illo? Vnde huius-
" modi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priua-
" ta est expetenda secessio, &c.

Pœnitentiæ ab Apostolis indictæ varietas, arguit peccatorum disertã enumerationem.

Quibus verbis D. Leo clarissimè pronunciat, publicam Pœnitentiam ex Apostolorũ Traditione non posse subire nec Presbyteros, nec Diaconos, quòd illorum sit officium pro peccatoribus orare. Laicos igitur tantùm publica Pœnitentia ad promerendam Dei misericordiam purgabat: Clerum verò, hoc est primarios Cleri ordines: Presbyteros & Diaconos, priuata secessio. Iam cur inter Laicos hi potiùs, quàm illi publicæ Pœnitentiæ castigationem cogebantur subire, causa exponenda est. Certè si istum Euangelicorum morem obseruassent Apostoli, vt scilicet peccatoribus in genere tantùm, nulla facti specie nominatim commemorata, sese reos profitentibus absolutionem pronuntiassent, sanè aut prorsus nullos duris pœnitentiæ legibus luendis alligassent, aut profectò in vniuersum omnes citra vllum pœnitentium discrimem eadem prorsus pœna mulctassent. Quis enim insaniisse adeò vel semisanus dicat Apostolos, vt pœnitentes duos, alterum fornicarium, simoniacum, aut parricidam: alterum iracundulum, vitæ molliusculæ deditum, aut verbosulum: duos, inquam, istos, si sese vterque eadem pœnitentiæ voce veri doloris teste profiteantur peccatores, vna planè atque eadem sententia iudicassent, aut statim absoluẽdos, aut eisdem pœnitentiæ Canonibus subiiciendos? Si igitur Pœnitentiæ peragendæ, mulctæque patratis peccatis luendæ diuersitas inter Pœnitẽtes reperiatur, vt certè reperitur multò diuersissima, ea quidem aut ad Apostolorum arbitrium, aut ad pœnitentium Confessionẽ necessariò est referenda. At quónam pacto ad Pœnitentium illorũ vocem vnam planè atque eãdem varia adeò & longè diuersissima luendę pœnæ disciplina referatur, quum eorum Cõfessio nihil habeat diuersitatis, qua sese vterque peccatorem duntaxat profitetur? Si igitur Pœ-

nitentiæ ſubeundæ varietas ex pœnitentium illorũ profeſſione non poteſt citra dementiam ſtatui, ex Apoſtolorum certè arbitrio eam fuiſſe ſuſceptã neceſſariò conſequi nemo non videt. Itaque ſi moris erat Apoſtolici, vt peccata ſua tantùm in genere Pœnitentes agnoſcerent, ſéque peccatores eſſe ſine vlla flagitiorum enumeratione (quod iactitant & factitant iſti Euangelici) profiterentur, non potuerunt ſanè Diui Apoſtoli iuſta aliqua ratione, niſi aut temeraria puniendi libidine, aut inconſulta perſonarum acceptione, quoſdam Pœnitentium æquo ſeueriùs ad publicam peragendam pœnitentiam aſtringere, quoſdam æquo indulgentiùs leuiori peccatorum mulctæ addicere: quum ratio ſit planè nulla, cur hunc præ illo, aut puniant auſteriùs, aut habeant clementiùs, quorũ vtrunque peccatorem tantùm in genere eſſe ſciunt. Apoſtolorum igitur arbitrium illud atque ſententia, qua Pœnitentes diuerſis adiudicarunt caſtigationis aſperæ legibus, ex varia ſcelerum à pœnitentibus cõmiſſorum diuerſitate extiterit oportet, ne Apoſtolos ipſos, aut ſtultę diiudicationis inſani damnemus, aut temerariæ ſententiæ dementes accuſemus. Iam qua cenſura Pœnitentium reatus recta mulctæ vindicta potuiſſent diſcernere, ac quaſi æſtimare, vt alios Publicæ Pœnitentiæ adiudicaſſent ſubiiciendos, alios leuiori pœna expiandos, niſi expreſſam, diſertam, certámque peccatorum omnium agnouiſſent differentiam? Quod quî obſecro aliàs fiat, quàm ſingulis ſingulorum factorum ſpeciebus diſertè commemoratis, ac ſingulatim enumeratis? Huic diſputationi non parùm affulgeat clarioris lucis, ſi & Apoſtolorum acta nobis à Diuo Luca obiter depicta conſideremus accuratiùs. Narrat *Act.19.* igitur inter alia quoſdam Pœnitentium Epheſi Paulo *Epheſij Paulo cõfitentur.* confeſſos, πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι, καὶ ἀπαγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν, Audita illa Dęmonis Tragœdia, qui in Chriſti nomine adiuratus à filiis Sceuæ Iudæorum archipreſbyteri in ipſos ſui exorciſtas adeò rabidè deſæuierat, vt nudi & lacerati ſibi fuga conſulendum exiſtimarint, Euangelium Epheſi apud omne hominũ genus eximios ſenſit promotus. Iudæi enim &

Græci siue Pagani, & non credentes omnes magno fuêre correpti nominis Christi timore. Porrò Christiani, qui iam dudum Christi fidem susceperant, non leuem suæ salutis promouẽdæ accepêre occasionem ex eadem
" re. Nam multi credentium, siue, vti Lucas habet, eorum
" qui iam dudum crediderant, veniebant confitentes & annunciantes sua facta. Quem locum vt de lapsorum à
Matth.3. Baptismi gratia confessione accipiamus, cogit D. Lucæ
Marc.1. vox τῶν πεπιςευκότων, multi eorum, inquit, qui antè crediderunt. Itaque non fuit confessio, qualem apud Euangelistas legimus Ioanni Baptistę factam, quę ante Christi Baptismum non est necessaria: sed ea prorsus ipsa, quam in hunc vsque diem perpetua obseruat consuetudine Catholica Christi Ecclesia. Hunc in modum & D. Basilius illud actorum caput accipiendum ex professo docet quæstionibus compendio explicatis, quæst. 288. Eodem inuitat personarum circumstantia à Diuo Luca annotata. Nam istud non de nondum Baptizatis, sed de credentibus Baptizatis dixisse ostenditur ex Pœnitentia librorum illorum magicorum incendio contestata. Ad
" istam rem clariùs illustrandam haud sanè parum lucis
" attulerit, quod apud D. Leonẽ alicubi extat: Illam etiã,
" inquit epist. 78. contra Apostolorum regulam præsum-
" ptionem, quam nuper cognoui illicita vsurpatione cõ-
" mitti, modis omnibus constituo submoueri, de Pœni-
" tentia videlicet (quæ à fidelibus postulatur) ne de singu-
" lorum peccatorum genere libellis scripta professio pu-
" blicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quæ D. Leonis verba cùm illicitã præsumptionem contra Apostolicam fateantur regulam, nuper à quibusdam vsurpatam, quòd nimirùm quælibet Pœnitentium peccata de libello publicè recitarentur, apertè demonstrant, ex regula Apostolica quælibet peccata Sacerdoti iudici esse commemoranda atque enumeranda: Sufficit namque, inquit, conscientiarum reatus solis Sacerdotibus confessione secreta indicari.

Absolutionẽ esse iudiciũ. Si enim contra Apostolicam erat regulam conscientiarum reatus Sacerdoti expositos de libello publicare, ex Apo-

ex Apoſtolica profectò erat regula, eos ſecretò Sacerdotibus enumeratos occultare atque abſcondere. Ex allatis igitur D. Leonis Magni teſtimoniis ſatis liquere exiſtimamus, Apoſtolos ipſos poteſtate à Chriſto ſibi conceſſa quædam peccatorum genera ligaſſe, quædam ſoluiſſe: non modò publica, ſed etiam occultiora, id eſt, cõſcientiarum reatus: quod cùm ſine peccatorum cognitione fieri nequeat, neceſſariò iſtud peccatorum vel ligandorum, vel ſoluendorum iudicium diſcretam atque diſertam expoſcit enumerationem, hoc eſt, Sacramentalem, qualis etiamnùm apud Catholicos obtinet, confeſſionem.

Caput LXVII.



Inc quàm euidenter poteſt perſpici, quàm ſit grauis illa inter alias Philippi Melanchthonis hallucinatio, quibus Apologiam Auguſt. non minùs fœdè quàm imperitè contaminauit: Abſolutionem eſſe alieni beneficij executionem, non iudicium. Chriſtus enim dedit mandatum, ait, remittendi peccata, id mandatum exequuntur miniſtri. Atqui & retinendi dedit mandatum Philippe. Si igitur miniſter poteſt ſoluere, poteſt & ligare. Quo autem pacto eum ligabit, quem ignoret, vtrùm abſolui mereatur, an ligari? Quia igitur abſolutio alieni eſt beneficij executio, quo peccatorum alia abſoluuntur, alia ligantur, neceſſariò eſſe iudicium euincitur. Quod itaque ſubtexit corollarium, Non habent miniſtri, inquiens, mandatum de cognoſcendis occultis, error eſt prioris erroris filius. Si enim ſolam abſoluendi acciperent poteſtatem, rectè iſtud cõſequeretur: ſed cùm diſertè etiam retinendi atque ligandi addiderit Chriſtus, quònam modo ſuum miniſterium legitimè exequentur, niſi iudicare poſſint, án peccator ſit ligandus, án ſoluendus? Hoc autem miniſtri ſcire nequeunt, niſi peccatorum genera diſerta enumeratione illis ſint expoſita, atque manifeſtata. Proinde Catholica Chriſti Eccleſia ſicuti aduerſum Nouatianos tuebatur peccatorum abſolutionẽ: ita eodem Chriſti verbo ſuam ſibi defendit peccatorũ alli-

Apologia Aug. refutata, abſolutionem non eſſe iudicium.

Sicut Nouatiani tollebant abſolu-

tionē ita Lutherani peccatorū alligationem.

gationē. Duo enim iſta cùm illa Sacerdotibus poteſtas à Chriſto tradita ſic complexa, non minori poteſt ſacrilegio cum Lutheranis peccatorum ligationem ab ſe abdicare, quàm cum Nouatianis eorundem ſolutionem ab ſe repudiare. Chriſti ergo mandato cōſtricta iſtud peccatorum iudicium obtinere cogitur, quod citra diſertā peccatorum enumerationem nullum eſſe deprehēditur.

Cæterùm quod addit: Hoc, inquiens, intelligi poteſt ex eo, quia infinita peccata remittunt, que nec nos ipſi meminimus, quibus remittuntur: minimè hanc Catholicæ Chriſti Eccleſiæ doctrinam labefactat, nedum ſubuertit, aut proruit. Si enim infinita miniſtri remittūt, ea cognoſcere nō poſſunt, quorū nec ipſi quidē authores meminêre. Verùm ea docet Eccleſia confitenda, quæ adhibita accurata diligentia nobis in mentē veniunt. Si non veniunt, iubet de largiſsima Dei Optimi gratia eſſe ſecuros. Abundè namque ſatis eſſe docet, ſi hoc ſit animo pœnitens, vt ſi quid aliud ſe offerret, candidè exponeret.

Quænā peccata cōfitenda.

Cōfeſsionem non eſſe impoſsibilem.

Itaque & ille impenetrabilis quaſi Aiacis clypeus in Apologia contra confeſsionis neceſsitatem oppoſitus, Quia impoſsibilis, hîc vltrò veritati cedere perſpicitur ab omnibus, qui Eccleſiaſticæ confeſsionis leges probè cognitas habent. An impoſsibile id alteri narrare, quod in memoriam reuocat conſcientia nimiùm fida cōmiſſorum teſtis? An impoſsibile id apud alios exponere, quod ſuo piis intolerabili pondere ad gehennæ vſque barathrum reluctante, imò torquente cōſcientia deprimit, detrudit, demergit? Nihil facilius, quàm eam pedis partem demonſtrare, quam calcæus æquo arctior vrget immodicè.

Ea cōfitēda, quorū anim⁹ meminit poſt ſeriā ſui diſcuſsionē.

Cùm igitur homo Dei religione perculſus, ſe ad eius legem velut ſpeculum leuiſsimum contemplatur, quánam parte reſpōdeat, qua non, in promptu eſt illi agnoſcere, án furti ſit reus, án idololatrię: án adulterij, an Sodomiæ. Quòd ſi de quibuſdam facti ſpeciebus ambigit, num peccata ſint regno Dei excludentia, Deíque offenſam commerentia, cur ſtultè ambigit? Securius eſt ſeſe illius etiam dubitanter reum accuſare, quàm cum peri-

culo reticere. Quid igitur? An homini hunc in modum ſe ipſi diſcutienti atque exploranti, & ad Dei legem, vti diximus, quaſi ſpeculum conſideranti, fuerit impoſſibile ſua agnoſcere delicta? An non perſpicax ratio fide illuſtrata Dei iudicis omnium conſcij metu exuſcitata, furtum à nõ furto diſcernat? An nõ vtrùm adulterij, ebrietatis, periurij rea ſit, nec ne, deprehendat? An non conſcientia illa veriſſimè mille teſtis dicta ſuggerat animo Pœnitentiæ aculeis vexato, quod ſibi maximo cum cruciatu conſcit miſera?

Sed delicta, inquias, quis intelligit? Iſto dicto ſuum illum Aiacis clypeum nunc perfoſſum Confeſſio Auguſtana propugnaculo quaſi inexpugnabili muniebat, obfirmabátque impoſito quaſi præſidio: quod vbi verę ſuę ſententiæ fuerit vindicatum ab iſto, quorſum improbè eſt detortum, ſenſu, adeò non propugnare agnoſcetur, vt oppugnet magis. *Delicta quis intelligit, nihil obſiſtit cõfeſſioni Sacramentali.* Cecinerat ſanctus Propheta Dauid legis diuinæ encomium, eiúſque effecta plùs quàm graphicè depinxerat, ſibíque illam cuſtodienti gratulatus, exultat ſpe illius retributionis, quam ſibi plurimam pollicetur, vtvt eam aduerſarij piis operibus impiè conantur eripere: quòd non retributionem æternæ vitæ, ſed bonorum vitæ iſtius miſeræ aliquam, ſiue donationem, ſiue remunerationem mereantur: cùm vox Dauidis עקב hoc loco, & Pſal. 118. atque 70. illic τὸ ἀνταπόδοσις, hîc τὸ ἀντάμειψιν apertiùs ſignificent, quàm vt quicquam iſtorum corruptelis plùs quàm Iudaicis, & peruerſionibus plùs quàm illorum Tykum Sophrim, linguarũ peritus moueatur. *Pſal. 18.* Sed de iſto in bonorum operum merito fuſiùs. Hanc igitur obſeruatæ Dei legis in altera illa vita retributionem ſibi gratulatus Propheta, vidit nõ leuiter illi recipiendæ ſua obſiſtere delicta, nõ tam numero infinita, quàm reatu incredibili grauia, & ſeueriùs, atque vulgò perſuaſum eſt caſtiganda, atrociúſque punienda. Quare deprecatur, ne per illa impediatur aliquando, ne tardiùs atq; optabat, obſeruatæ legis mercedẽ in illo retributionis ſeculo cõſequatur. Hãc enim Dauidis ſentẽtiam ad delictorũ grauitatẽ, nõ itẽ infinitatẽ ſpectare argumento eſſe poteſt, quòd peccata Dei legem violantia

Psalm. 118. diserto quodam Cathalogo à Moyse explicata, Dauidem die noctúque illam meditantem haud temerè latere quiuerint: quid, quòd tam variis peccatorum speciebus Deus Opt. sacrificia præscripsit, quibus peccata suo illo modo voluit expianda? Ad hæc ne quid deesset, voluit & pro ignorantia superesse sacrificium, quo typicè deleret, quod per ignoratam legis Dei transgressionem fuisset peccatum.

Infinitas peccatorũ in piis iustísque ab hostibus crucis Christi conficta exploditur.

Illi ergo delictorum infinitate imperitos terrere pergant, qui atrocissima in Christum Iesum blasphemia omnia ad vnum Christianorum opera bacchantur peccata, & cupiditatis veneno esse vitiata. Sanè isti verissimè ex musca, quod dicitur, elephantum. Neque verò ista ratione gratiam Christi, quod iactant, prędicant, qua perpetuò peccantibus perpetua Dei Patris conciliatur misericordia: sed mendaciis cõtaminant, sed euacuant, sed adeò blasphemant. Quod enim sanguinis eius vi atque iustificationis verè Euangelicæ efficaciæ, siue in Baptismatis, siue Pœnitudinis Sacramento audaciâ plùs quàm sacrilega detrahunt, nos per illa docentes non iustos fieri, sed haberi: non mundari, sed puros reputari: id quodã quasi compensationis prætextu hinc studẽt resarcire, vt intelligamus Christi sanguine nos immũdos imaginariè ablutos, & pristinis semper peccatorũ sordibus fœdatos falsò purgatos, in Christi gratiam à Patre ementitam semper consequi peccatorum perpetuorũ veniã.

Aduersarios Christi gratiã blasphemare nõ prædicare.

Catholicos Christũ verè Iesum facere atq; prædicare non ita aduersarios.

Quantò autem gloriosiùs & augustissima Christi verè Saluatoris maiestate digniùs Catholici prædicamus gratiam, qui iuxta Scripturas eius sanguine, vel in Baptismo, vel Pœnitentia aspersos docemus, non tantùm ab omnibus peccatorum maculis verè mundari, à reatibus verè absolui, omníque pollutione verè expurgari: sed etiam per cælestem Spiritum illum secundi Adami viuificantem illis communicatum ita ornari, vt vera viuáque Dei Max. templa effecti, & peccata à regno exclũdentia prorsus euitare, & iustitiam veram suo quodam modo perfectam posse præstare? Verùm hac de re fusiùs differendi quia alius erit locus magis idoneus, ex diuerticulo regressi, quod instat, persequamur. Illud igitur

Pſalmi capitulum, Delicta quis intelligit, non ad erratorum, quod diximus, pertinet infinitatem, ſed delictorũ grauitatem. Alioqui enim falsò ſibi ex Dei gratia polliceretur, quod ſubiicit: Tunc immaculatus ero אֵיתָם ἄμωμος irreprehẽſibilis atq; inculpabilis ero. Hoc ſanè re ipſa contingere non poteſt, qui perpetua iſta à Lutheranis conficta peccatorum infinitate grauatur, maculatur, contaminatur. Multò autem ſecùs Dauidem de ſuis peccatis remittendis ſenſiſſe, ſubiecta precatiuncula eſt teſtatus: Ab occultis meis munda me, נַקֵּנִי quod Septuaginta καθάρισόν με. Quæ voces manifeſtò arguunt illorum peccatorum ipſum deprecari veniam, quorum ſibi notiſſimorum reatu ſe diuinæ iuſtitiæ, violati mandati vindici, teneri agnoſcebat obnoxium. Hanc igitur delictorum grauitatem, quæ tam acerbis cruciatibus luenda ſunt, atque pendenda, nulli mortalium ſatis notã ſtupet Propheta, eóque ſubiecta contriti cordis precatiuncula, illam quàm poteſt ſuppliciſſimè deprecatur: Ab occultis, inquiens, meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Cæterùm quod in Apologia Auguſta. huic de confeſſione capiti coronidis loco attexitur: Et ſi pẽderet remiſſio ex cognitione, tota res eſſet incerta, nihil quicquam aduerſus hanc confeſſionem verè Euãgelicam facit: non enim ex cognitione Sacerdotis pendére docetur peccatorum remiſſio: ſed Sacerdotis abſolutione, quæ non poteſt iuxta Christi mandatum lapſis adhiberi, niſi cognito, án ligandi ſint, án potiùs abſoluendi. Imò fit poteſtate hac prorſus diuina, vt vel non cognita remittantur, ſi vel memoria non ſuggerat, vel lingua ſpaſmo constricta, enumerationem impediat. Non igitur tota res incerta eſt, ſed multò certiſſima, quod quidem ad Dei remittendis pertinet promiſſionem, non itẽ hominis ſuſceptionem: cùm ea variis de cauſis fruſtranea eſſe poſſit (de quibus in præſenti non eſt dicendi locus) ſi aut animo acceſſerit fictitio, aut impœnitenti, aut aliàs non legitimè affecto. Cùm igitur illa Chriſti verba, Quorũ remiſeritis, &c. iudiciariam loquantur Apoſtolis traditam poteſtatem, qua peccator ſit, aut ligan-

Non pendet ex cognitione remiſſio.

Abſolutio verè eſt iudicium.

dus, aut soluendus, rectè absolutio iudiciũ appellata est, quòd ea non possit subsistere, nisi peccator sui sit accusator, & Sacerdos Dei vice iudicet, vel alligaturus, vel absoluturus. Quo autẽ modo cum illis agatur delictis, quæ aut memoriam fugiunt, aut lingua impediente recenseri non possunt, an remittantur Sacramentaliter, necnè, inter concordes Catholicæ Christi Ecclesiæ filios discorditer disputatur: De quo huius instituti, quòd hæreses cuperem expugnatas, ratio non patitur, vt hinc copiosiùs disseramus.

Caput LXVIII.

Cõfessionem peccatorum discretã fuisse ab Apostolorũ successoribus obseruatam.

Ex Diony. Areop.



Postolos itaque hac iudiciaria potestate in lapsos à Baptismi gratia variè fuisse vsos, hos quidem ligando, illos verò absoluendo (quod sine Confessione fieri non potuit) iam est demonstratum. Quare superest, vt eorum successores eadem potestate nõ citra disertam peccatorum tam occultorum quàm publicorũ enumerationem fuisse vsos commonstretur.

Pœnitentiæ ritus Apostolorũ ætate.

Notius est illud Demophili Therapeutę facinus, quo quendam, qui vt ipse sua ad Diuum Dionysium Areopagitam data epistola testabatur πρὸς ἰατρείαν τῶν κακῶν ad malorum medicinam accedebat, Sacerdoti aduolutum προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ repulit, atq; proculcauit, quàm fusiori oratione sit persequendum. Quo in vetustissimo exemplo varia sunt Apostolicæ Pœnitentię vestigia annotatu multò dignissima. Accedit peccator ad malorum suorum, quibus ægrotabat, ἰατρείαν medicinam, sed non nisi aduolutus Sacerdoti, qui illum delictis obstrictũ atque impium iustificauit, quemadmodum est in ipsa Demophili epistola. Porrò medicinæ nomine quid aliud, quàm salutarem illam animabus peccato sauciis curandis relictam à Christo intelligas absolutionem, iustis illis suis partibus Presbyteri collachrymantis, cõdolentis, atque consolantis ornatam? Quæ veram medicinæ rationem non habet, nisi medicinæ in morẽ certis animi plagis, vt illa certis corporis vulneribus, abhi-

Pœnitens à Sacerdote quærit peccatorum medicinam.

Ignoti morbi medicinã non admittunt.

beatur. Iam quia medicina, quod ignorat, nō ſanat, quod eſt apud Diuum Hieronymum in cap.10. Eccleſiaſt. hac de re diſſerentem, neque Eccleſiaſtica medicina ignotos animæ morbos aut vulnera poteſt ſanare latitãtia. Quẽadmodum igitur omnium iudicio habetur inſanus, qui ſanandis omnium oculis vnum idémque admouet collyrium: ita eò magis demens cenſendus eſt, qui omnibus peccatorum vulneribus ſiue cruda, ſiue deputata: ſiue cauterio aduſtulanda, ſiue lanceola incidenda, vno eodémque mederi ſtudet emplaſtro, quò animæ curatio accuratiorem & exquiſitiorem quàm corpus, efflagitat medicationis rationem.

Latentia animi vitia niſi authoris accuſatione detegantur, ſanari nequeunt.

Aptiſſimam hanc Metaphoram Origenes ille Adamantius verbis dilucidis expreſſit: Eſt adhuc & ſeptima peccatorum remiſſio, inquit Homil.2. in Leuiticum, licèt dura & laborioſa per Pœnitentiam, cùm lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt lachrymę ſuę panis die ac nocte, & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini ſui indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam. Et Homil.8. in Leuitic. de confeſſione Sacerdoti facienda loquitur, addit: Eſt aliquid mirabile, inquit, in hoc, quod ſecretum iubet pronunciari peccatum. Etenim cuiuſuis generis peccata pronuncianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus. Si quid in occulto, ſi in ſermone, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta profiteri, aut à nobis, aut ab illo, qui accuſator peccati eſt & incentor. Et libr.3. περὶ ἀρχῶν. Si quis, inquit, non priùs animæ ſuæ vitia & peccatorum ſuorum mala cognouerit, ac proprij oris confeſſione prodiderit, purgari is atque abſolui non poterit. Idipſum apertiùs in D. Lucam. Rurſus Hom.2. in Pſalm.37. in illud, Quoniam iniquitatem meam pronuncio: Pronunciationem iniquitatis, id eſt confeſſionem peccati, inquit, frequentiùs diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecùs. Fortaſſis enim ſicut ij, qui habent intùs incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, vel phlegmatis, ſtomacho grauiter & moleſtè imminentia, ſi vomuerint, releuantur: ita etiã hi, qui pecca-

Nō poteſt abſolui, qui animæ vitia oris Confeſſione nō prodit.

uerũt, ſiquidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgẽtur, & propemodùm ſuffocãtur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. An iis verbis quidquam dicatur clarius, quod diſertam occultorum adeò delictorum enumerationem apud veteres teſtetur vſitatam?

Accurata ſingulorũ confeßio ætate Cypriani.

Africanæ porrò Eccleſiæ confeſſionem apertioribus exprimunt ſententiis Tertullianus & Cyprianus, quàm vt quiſquam mentis non emotæ poſſit ambigere. Ille vbi pœnitentes dies noctéſque dixiſſet ad Dominũ Deum mugire, Preſbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, ſubiecit: Pleriſque tamen hoc opus, inquit lib. de Pœniten. vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumant, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Hic verò aureo illo de lapſis Sermo. 5. Denique quando, inquit, & fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quàmuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti: quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirunt.

Apologia Confeßionis Auguſtanæ conuincitur vanitatis.

Poterant hæc clariſſima veterum teſtimonia meritò ſufficere ad moderati ingenij hominibus perſuadendum, eandem fuiſſe apud priſcos Confeſſionis Sacramentalis rationem, quæ apud Catholicam Chriſti Eccleſiam etiamnùm obtinet, quod quidem ad diſertam peccatorum tam publicorum quàm occultorum attinet enumerationem, niſi Auguſtanæ Confeſſionis Apologia tam aperta quàm impudenti vanitate iſtud inficiaretur: Apud Scriptores Eccleſiaſticos, inquiens, fit mentio Confeſſionis, ſed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorum, ſed de ritu publicæ Pœnitẽtiæ. Et iterùm. Hæc tota res nihil ſimile habuit enumerationi, de qua nos diſputamus. An non Cyprianus Phi-

lippe, de hac occultorum enumeratione in Ecclesiis vsitata loquatur: Qui vel de hoc, inquiens, cogitarunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei fideliter exponunt? Rursus quod Origenes, si quis se proprij oris confessione non prodiderit, purgari, absoluíque non posse? Sed vti diximus, etsi hæc sanis ingeniis, & quæ partium studio pertinaci non tenentur, abūdè sufficiant ad confessionis, quæ per enumerationem fit, antiquitatem agnoscendam: plura sunt tamen ex veterum Scriptorum monumentis promenda testimonia, quibus hæc res ita fiat perspicua, vt nullus supersit dubitandi scrupulus, nisi oculos ad veritatis Solem claudentibus. An igitur Scriptores Ecclesiastici de hac peccatorum occultorum enumeratione loquantur, nec ne, penes te Lector Christiane arbitrium esto. Diuus Cyprianus simulátque eos, qui publicè aut sacrificio idolis immolato, aut libello persequutoribus tradito sese contaminarant, ad Pœnitentiam agendam fuisset sermone illo de lapsis exhortatus, subiecit alios perstringens: Quoniam tamen de hoc, inquit, vel cogitarunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur. Si quem serpens Diabolus occultè momorderit, inquit Diuus Hieronymus in Ecclesiast. capit. 10. & nullo eum conscio veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. Iam quid verbosiùs repetam illa Origenica testimonia superiùs allata? Est aliquid mirabile, inquit Homil. 8. in Leuitic. quod secretum iubet pronunciari peccatum. In publicū proferenda sunt cuncta, quæ gerimus. Si quid in occulto si in sermone, vel etiam cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta profiteri, & quę sequuntur. Rursus in Psalmo 32. commentatus occultorum confessionem aptissimè vomitui comparauit humorum, qui in stomacho latent absconditi.

Quòd veteres Scriptores loquantur de enumeratione occultorū peccatorum.

Confeßionē occultorum delictorum enumeratione olim fieri solitam.

Ad hæc D. Basilius quest. diffuse explicatis quest. 26. δεῖ καὶ τῶν ὑποτεταγμένων ἕκαστον, εἴγε μέλλει ἀξιόλογον προκο-

πλὼ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ ἐν ἕξει τῆς κατὰ προστάγματα τοῦ κῦ ἡμῶν ἰησοῦ χῦ ζωῆς γίνεσθαι, μηδὲν μὲν ψυχῆς κίνημα ἀπόκρυφον φυλάσσειν παρ' ἑαυτῷ, μηδένα δὲ λόγον ἀβασανίστως προΐεσθαι, ἀλλ' ἀπογυμνοῦν τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας τοῖς πεπιστευμένοις. Oportet etiam ſubditorum ſingulos, inquit, modò alicuius momenti in pietate progreſſus facere ſtudent, & illud vitæ genus, quod iuxta Domini noſtri Ieſu Chriſti mandata inſtituitur, ſequi: nullum quidem animi motum ſibi retinere abſconditum: nullum verò verbum temerè citráque examinationem proiicere: ſed cordis occulta iis, qui audiendis confeſſionibus ſunt præfecti, denudare. Vnum adtexemus ex D. Paciano in Pyrenæi iugis, ait Hiero. Barcilonæ Epiſcopo, qui hanc rem graphicè admodùm depingat. Hic igitur non modò caſtitate & eloquentia, ſed & vita & ſermone clarus, contra Nouatianos, teſte Hieronymo, diſputans, ſua in Paræneſi ad Pœnitentiam ita ſuos exhortatur in Chriſto filiolos: Vos ergo primùm appello fratres, inquit, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis. Vos (inquam) poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos: qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri. Et infrà: Ecce iterum Apoſtolus ad Sacerdotem: Manus citò nulli impoſueris, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? Rogo vos fratres etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporis partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimusquoſdam remota etiam, & verecunda membrorum non erubeſcentes ferro & cauterio, & grauiſſima illa pulueris mordacitate duraſſe. Et quantum eſt illud, quod homines præſtiterunt? Peccator timebit? Peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manꝰ Domino vulnera malè tecta ſubducet? Et infrà: Quòd ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorũ timere nolite, & quę ſequuntur. Eat nunc Philippus Melanchthon cum ſua Apologia Auguſtana, & veteres Scri-

Ex D. Paciani Barcilonẽſis paræneſi ad Penit. de confeſſionis neceſſitate.

Pacianus floruit ætate Theodoſij, vide Hiero. catalo.

ptores loqui neget de hac enumeratione occultorum delictorum.

Caput LXIX.



Confessionẽ non fuisse liberam veteribus, sed necessariam cõtra Caluinũ.

Sed cùm eam Caluinus apud veteres perspicuè agnosceret, non potuit simili improbitate, aut imperitia, imò veriùs fallendi imperitos astutia inficiari. Aliam igitur commentatur stropham, qua con fessionem Catholicis surripiat. Confitendi quidem morem, inquit in Antidoto articulorum Parisiensium, non nego vetustissimum esse, sed dico fuisse liberum. Quod pari breuitate clarissimis aliquot vetustissimorũ Scriptorum, qui de illo confitendi more (vti verissimè ait) vetustissimo testari queant, locis est manifestissimæ vanitatis conuincendum.

Diuus Basilius ille Magnus in suis Asceticis piorum hominum vitam ad vnguem studens perficere, illi quæstiunculæ, Num omnibus peccata sint confitenda? respondens, ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα. οὕτω γὰρ οἱ πάλαι μετανοοῦντες ἐπὶ τῶν ἁγίων εὑρίσκονται πεποιηκότες: Necessarium est, inquit quæst. compendio explic. 288. peccatorum exomologesin atque confessionem apud illum facere, cui mysteriorum Dei œconomia atque præfectura est credita. Ad hunc enim modum & olim Pœnitentes leguntur fecisse apud Sanctos.

Rursum quęst. diffusè explicatis quæst. 26. paulò antè commemorata, δεῖ τῶν ὑποτεταγμένον ἕκαστον, μηδὲν μὲν ψυχῆς κίνημα ἀπόκρυφον φυλάσσειν. &c. Oportet subditorũ singulos nullum quidem animæ motum reseruare occultum apud sese, nullum verbum temerè proiicere: sed occulta cordis denudare Præpositis. Similiter & Origenes Homil. 8. in Leuiticum, de confessione Sacerdoti facienda loquutus, Cuiusuis, inquit, generis peccata pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quę gerimus. Si quid in occulto, si in sermone, vel etiam inter cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta profiteri.

Hieronym. Eandem cõfeſſionis neceſſitatem & D. Hieronymus » in cap. 10. Eccleſiaſtæ illuſtri homœoſi demonſtrauit. « Poſteaquàm enim docuiſſet eũ, qui occulto peccati ve- « neno à ſerpente Diabolo percutitur, ſanari nõ poſſe, niſi « fratri ſuo & magiſtro vulnus ſuum confitetetur: Si eru- « beſcat, inquit, ægrotus vulnus ſuum medico confiteri, « quod ignorat, medicina non curat. Quibus verbis tantam docet eſſe confitendi, ſiue veneni hauſti indicandi magiſtro neceſſitatem, quãta eſt vulneris in corpore accepti: quod ſicuti curari non poteſt, donec occultum latet: ita nec animi vulnus ſerpentis morſu inflictum.

D. Leo. D. Leo etiam ſui ſeculi morem deſcribens, cùm quædam « Nouatorum ſtudia reprehenderet: Sufficit enim il- « la confeſſio, inquit epiſtola 57. ad vniuerſos Epiſcopos « Campaniæ, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sa- « cerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit, « tunc enim demùm plures ad Pœnitentiam poterũt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis. Quod poſtremum clariſſimè pronunciat eum de occultis loqui: ſicut & quod paulò antè præcedit, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuũt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli.

Hæc grauiſſimorum iuxtà ac ſanctiſſimorũ Scriptorum teſtimonia de confeſſionis neceſſitate qui recipit, quæ nemo Chriſtiani nominis non poteſt non ſumma cum veneratione recipere, án nõ cernat perſpicuè, quàm ſit illud Caluini impudens, Eſſe quidem confeſſionis ritum vetuſtiſſimum, ſed liberum, non neceſſarium?

Caluini vanitas impudens. Cæterùm quòd adiecit Caluinus idẽ, demiror, quónam ore hominibus in veterum lectione verſatis fuit auſus obtrudere legendum: Quinetiam conſtat ante Innocentium tertium, inquit, nullam confitendi neceſſitatem impoſitam fuiſſe Chriſtiano populo. Extat autem decretum eius factum in Cõcilio Lateranenſi. Ergo per annos circiter mille & ducentos incognita fuit Chriſtianæ Eccleſiæ hæc Theologia, quòd ad Pœnitentiam neceſſariò requiratur vocalis confeſſio. Atqui demonſtratum eſt, ipſa Chriſti verba, quibus ligandi ſoluendíque

Apoſtolis tradidit poteſtatem, non poſſe ſuam habere ratam efficaciam, niſi peccatorum confeſſio fuerit præmiſſa, quæ iudicem Euangelicum de cauſa pronuncianda informet, vtrùm reus ſit à peccatis ſuis abſoluendus, án ligandus potius. Huic ſuffragantur illa doctiſſimorũ Patrum Catholicorum ſententiæ, quæ confeſſionis prędicant neceſſitatem, nuper admodùm ex Baſilio, Origene, Hieronymo, & Leone Magno commemoratæ. Quare hæc Theologia de confeſſionis ad Pœnitentiam neceſſitate non fuit Catholicæ Chriſti Eccleſiæ vſque ad Innocétium per annos 1200. incognita, vti ais Caluine: ſed notiſſima, & à nobiliſſimis illis Scriptoribus per vniuerſum Chriſtianum orbem, Origene in Oriente, Cypriano & Auguſtino in Meridie, Baſilio in Septentrione, Hieronymo & Leońe in Occidéte prædicata. Quod autem ab Innocentio tertio decretum fuit, confitédum eſſe in Paſchate, non magis confeſſionis arguit nouitatem, quàm Euchariſtiæ: quam eodem decreto in Paſchate ſtatuit ſuſcipiendam. Verùm hac de re copioſiùs diſſerendum erit, ſi Deus Optimus nobis vitam ſuæ Eccleſiæ miniſtram largiatur longiorem, in falſis Eccleſiaſticarum rerum originibus à Lutheranis aliíſque Euangelicis in orbem temerè effuſis. Non potuit igitur nõ fuiſſe ſemper notiſſima hæc de cõfeſſionis neceſſitate Theologia, quæ præclaros illos Catholicæ Chriſti Eccleſiæ paſtores & Doctores habuit ſui & propagatores & aſſertores. Imò ſi quis accuratiùs ſecum reputarit, ipſos adeò Apoſtolos ſui Prædicatores: quòd paulò anteà ex magno Leone & D. Baſilio demonſtrabatur. Ad Euchariſtiam itaq; admittebatur nemo, niſi illo cæleſti viatico dignus: Dignus auté erat, qui aut à Baptiſmo accedebat mundatus, aut qui perceptam illic animi puritatem conſeruarat incontaminatam. Quam qui polluiſſet, ad pœnitentiã adigebatur, quæ confeſſionem clariſſimè oſtendit ſemper fuiſſe adhibitam ex varia Pœnitentiæ agédæ forma, vti ſuperiùs eſt manifeſtiùs declaratum.

Toti mundo fuiſſe notam confeſsionis neceſsitatem ante Innocẽ. 3. decretum.

Si quem porrò pij illi Chriſtianarum ouicularũ paſtores gregis ſui ſalutis accuratiùs ſoliciti cognoſcerent ſalutis negligentiorem, eum ſanè ad confeſſionem ver-

Cõfeſsio Euchariſtiæ percipiendæ præmiſſa.

bis salutariter asperis extimulabant. Hunc in modum celeberrimus ille per Ægyptum Dioscorus, qui cum Serapione illo mille fratrum Abbate Valentis temporibus floruit sanctissimorum centum Monachorum Præpositus, cum esset Presbyter, & sacrorum obeundorum minister, ait Nicephorus lib. 11. cap. 34. multam & exactam curam in diuinarum rerum dispensationem impendit, disquisitione maxima eos, qui ad mysteria percipienda adirent, explorans. Vt namq; mens anteà repurgaretur, & conscientiam, ne quid patratorum malorum haberet scrutabatur. An non idem exemplum & reliqui sint per deserta imitati dubitet, qui non videat per frequentissimas Christiani populi ciuitates fuisse factitatum.

Nectarius quid circa Cõfessionem egerit.

Verùm quia Caluinus ad falsam de confessionis necessitate originem statuendam Diui Chrysostomi aliquot sententiolis, & Nectarij facto abutitur, superest ad huius rei explicationem euoluendam, vt de Nectarij facto disseramus. Initiò igitur demonstrabimus, Nectarium confessionis ritum, de quo in præsens agitur, non sustulisse. Deinde quíd nam circa confessionem immutarit: an idem, quod Leo Romæ? vti quidam suspicantur. Tum denique, quid sibi illæ Chrysostomi sententiæ velint, quibus aduersarij conantur demonstrare, à Nectario sublatam fuisse confessionem.

Confessarij olim liberi, sed propter Nouatianos certi deputati.

Nobilis ille rerum Ecclesiasticarum Scriptor Socrates lib. 5. cap. 17. adnotat, Catholicos Episcopos eo tempore, quo Nouatiani ab Ecclesia discesserãt, Canoni Ecclesiastico certum quendam Presbyterum Pœnitentiæ adiecisse. Quibus ex verbis obseruasse fuerit operæpretium, quíd nam vsque ad Nouati tempora vbique terrarum fuerit apud Catholicos obseruatum, quid rursum propter Nouatianos immutatum. Canoni Ecclesiastico adiectum dicit certum Presbyterum, cui qui post Baptismum lapsi fuissent, confiterentur. Fuit ergo publici & antiqui moris, iuxta illum Canonem atque Ecclesiarum regulam peccata post Baptismum admissa confiteri, certè vt non nisi Sacerdoti, ita pro peccantium arbitrio vel huic vel illi, cuicunque tandem ea res ab Episcopis fuisset demandata: quod Solis luce manifestius

ex Dionisij Alexandrini epistola fiat apud Eusebium capit. 44. Verùm quia Nouatiani, vti suprà docuimus, negabant alteram superesse apud Ecclesiæ Præpositos peccatorum remissionem, præter illam quæ in Baptismo contingit semel, visum est Catholicis Episcopis illi veteri Ecclesiarum de confitendis post Baptismum admissis delictis Canoni quandam adiicere appendicem, quæ iam in posterum nõ cuilibet Sacerdoti permitteret peccata confiteri liberum, sed certo Pœnitentiæ Presbytero vni huic rei destinato: quod siue ad refrenandum populi Christiani animum, ne Nouatianis Pœnitentiam dolentibus consentirent: siue ad tardiores, vti solet hæreseon grassantium temporibus, ad pœnitentiam exacuendos fuerit factum, vti indicat Sozomenus, ad rem præsentem haud ita magni interest. Sanè à vero abhorrere non videtur, si hunc Pœnitentiæ Presbyterum Canoni Ecclesiastico dicamus additum, quò Christianis in idololatriam Deciana persecutione temporibus Cypriani & Fabiani lapsis consuleretur meliùs. Siquidem præficiebatur vir grauis & secreti tenax, & qui morborum quantitati idonea quiret adaptare salutaris Pœnitentiæ remedia. Quod ergo anteà liberum fuerat cuilibet ab Episcopis designato Presbytero confiteri, illa ætate anno Domini 250. in arctum fuit contractum, vt non nisi illi Pœnitentes confiterentur in posterum, qui ab Episcopo foret designatus pœnitentium Presbyter, siue, vt hodie loquimur, Pœnitentiarius. Quia verò Nectarij tempore Constantinopoli huius pœnitentium Presbyteri occasione ingens fuisset concitata ciuium acerba Paganorum maledicentia in Clericos lacessitorum commotio, vbi matrona quædam grauissima suum cum Diacono publicasset concubitum, visum illi fuit ex consilio Eudęmonis, qui Alexandrinus erat Presbyter, illum Pœnitentiæ olim præfectum Sacerdotem abolere, perinde quasi illius occasione (quòd fœdum illud incœstus flagitium in vulgus innotuisset) tam odiosè conuitiis proscinderetur omne Clericorum genus.

Pœnitentiarius cur olim creatus & à Nectario cur submotus Cõstantinopoli.

Hoc igitur fuit Nectarij factum, hoc inquam, quod Presbyterum Pœnitentiæ submouerit, quemadmodum

Socrates 5. cap. 19. Sozome. 7. cap & 19. Nicephor. 10. & cap. 28. Musculi fraus in peruertendo Sozome.

disertissimè Socrates scribit, testatur Sozomenus, suffragatur Nicephorus & ipse Constantinopolitanus Monachus: non vti nostro seculo ex Sozomeno sacrilega impietate vitiato peruertit Musculus, quòd Confessionem priuatam sustulerit. Nectarius igitur circa confessionis Sacramentalis substantiam nihil quicquam immutauit: sed illum certum duntaxat Pœnitentiæ Presbyterum sustulit, quemlibet suæ relinquens conscientiæ confiteri, cuinam ex Sacerdotibus vellet. Appendicem ergo Canoni Ecclesiastico pridem ante annos circiter 140. persequutione Decij adiectam submouit, pristinũ illum confitendi Canonem saluum reliquit, atque confessionis libertatem populo reddidit, vti testatur Sozomenus. Istud fusiùs disserẽdum foret, nisi ex doctissimis clariss. Theolog. Reuerend. D. Ruardi Enchusiani Decani atque Cancellarij Louanien. præceptoris mei immortali gloria dignissimi commentariis petendum mallem, vbi totam hanc controuersiã ex celeberrimi Theologi D. Ioan. Hassellani mei item Præceptoris nulli hac ætate secundi oratione luculentiss. Tridenti in Concil. habita copiosiùs inuenias pertractatam.

Non ergo Nectarius fecit Constantinopoli, quod Leo per Campaniam, & alibi. Leo enim nusquam hunc Pœnitentię Presbyterum amouit, quod fecit Nectarius: sed nouam illam peccata quælibet publicandi formulam sustulit, quemadmodum ex verbis epistolæ 78. liquet clariss.

Cõfessionem priuatã mansisse in Ecclesia Constant. post Nectar.

Sed ne quid supersit Christiane lector de Nectarij facto scrupuli, paucis nunc ex D. Ioanne Chrysostomo accipe, qualis nam fuerit in Ecclesia Constantinopolitana, in qua illi primus successit, teste D. Theodoreto, & aliis, de Sacramentalis confessionis necessitate doctrina.

Cõfessio à Chrysost. cõfirmata, & necessaria suis demõstrata ad salutem.

" Quia in magnam hanc peruenimus hebdomadam Dei
" gratia, inquit Homilia trigesima in Genesin, nunc ma-
" ximè & ieiunij cursus intendendus, & magis cõtinuan-
" dæ sunt preces, faciendáque diligẽs & pura peccatorum
" confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemosyna lar-
" ga, & cætera. Rursum apertiùs in eãdem Genes. Homil. 20. vbi exemplo Lamech adulterorum & fornicatorum

animos peccati conſcientia quaſi carnificina vexari & lancinari aſſiduè depinxiſſet, remedium oſtenſurus, ad confeſſionem ceu medicum deducit: Iam qui hæc fecit, inquiens, ſi voluerit, vt decet, vti conſcientiæ adiumento & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere vlcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè ſua peccata emundabit. Confeſſio enim peccatorum abolitio etiam eſt delictorum. Scit hoſtis noſter, inquit Homil. 29. quòd per tempus Quadrageſimæ poſſumus de his, quæ ad noſtrã ſalutem attinent, loqui, & peccata confiteri, & vulnera medico oſtendere, & ſanitatem conſequi. Iam ſi quem inſanum illud calumniandi vexat cacoëthes, nihil hîc de Sacerdotibus, nihil de auriculari doceri confeſſione, illum verè aureum ex Sacerdotij lib.3.cap.5. ſuperioribus addat, vbi poteſtatem Sacerdotibus conceſſam Archangelis docuiſſet negatam, maiorémque eſſe quàm huius ſeculi Principum: Habent terreni Principes, inquit, vinculi poteſtatem, ſed corporum ſolùm: οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανοὺς, & quæ ſequũtur, id eſt, Hoc verò Sacerdotum vinculum ipſam attingit animam, cælóſque tranſit, & quæcunque Sacerdotes operantur infernè, ea Deus supernè rata habet, ſeruorúmque ſententiam Dominus confirmat. Ecquíd enim aliud quàm merè cæleſtem eis donauit poteſtatem? Quorum enim, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur: & quorum tenueritis, retenta ſunt. Quæ autem maior exiſtat poteſtas? Omne iudicium pater dedit filio; video autem eis hanc vniuerſam ab ipſo filio in manus traditam.

Poteſtas Chriſti in peccata eſt Sacerdotibus data.

Ad hæc ſi quis illuſtrius ex Chryſoſt. deſideret teſtimonium, quo ſemel ad veritatem perſuadeatur, eum Sacerdotibus credidiſſe confitenda peccata, illum ſatis ſupérque fuerit indicaſſe locum Solis luce clariùs effulgẽtem, qui lib. 2. cap. 2. & 7. ab eodem de Sacerdotis officio diſputante tractatur. Vbi Paſtoris inducta homæoſi demonſtrat, Epiſcopi partes multò eſſe difficiliores, quòd

eius ouiculæ homines morbis sæpè laborant occultis: tum si innotuerint, cogi ad remedia non posse, ideóque πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πεισθῶσιν ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑπέχειν ταῖς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες, magna esse opus arte, vt isti peccatorum morbis ægroti vltrò sibi persuadeant, vt sese Sacerdotum curationibus subdant sanandos, atque peccatorum vinculis soluendos. Quódque quónam modo faciendum, pergit capite sequente disserere.

Ex hisce Chrysostomi locis liquidò confidimus demonstratum, fuisse illam Confessionis priuatæ consuetudinem à Nectario relictam, vti in aliis per Orientem Ecclesiis: verùm sublatam tantùm illam publicam, qua sese ipsi pœnitentes ore Episcopi aut pœnitentiarij apud Ecclesiam accusabant. Hanc vt videbat à præcessore Nectario submotam, ita non audebat in populi consuetudinem reuocare: sed eam quasi minùs necessariam nusquàm à suis Constantinopolitanis requirit: ita tamen, vt satis indicet, vni Sacerdoti Dei vice confitendũ, nõ omnibus in commune fratribus: Non dico, inquit, vt te in publicum prodas, nec vt apud alios te accuses. Rursum, nunc neq; necessarium est præsentibus testibus cõfiteri.

Luculentissima hæc Diui Chrysostomi testimonia liquidò studiosis veritatis contestantur, priuatam illam cõfessionem sua ætate nequaquàm fuisse sublatam, quæ solo cum Sacerdote transigebatur: sed illam, quæ coram testibus agebatur, quæ pòst publicè coram Ecclesia profitebatur, quod priùs priuatim coram Dei vicario. Idipsum clarissimè scribunt historici dudum commemorati, Socrates, Nicephorus, atque Sozomenus: cuius suffragium quia Caluinus pro se stare affirmat, quòd confitendi ritum dicit abrogasse Nectarium, & ad suam vsque memoriam obsoleuisse, quàm fieri potest breuiter, est perstringendum.

Caluini vanitas conuicta.

Intereà primus Nectarius (inquit libro septimo cap. decimosexto) eum Presbyterum, qui pœnitentibus deputatus erat, ex Ecclesia sustulit. Et infrà: In Constantinopolitana verò Presbyter pœnitentibus deputatus,

hoc munere functus est, donec mulier quædam nobilis, &cæt. Et statim: Munus illud Presbyteri pœnitentiarij sustulit. Hîc, Lector Christiane, perspicuum vides, nihil de toto confitendi ritu, sed de illo tantùm Pœnitentiarij publici munere Sozomenum loqui. Ille ergo solùm confessionis modus est à Nectario sublatus, quo pœnitentes publico illi pœnitentiario confitebantur, cuius iussu publicè apud populum ea profitebantur, quæ ille censuisset rememoranda. Quis igitur non demiretur, Caluini insolentem dicam, an impudentem gloriationem, qua sibi ipse victoriam quasi gratulatus ouando Catholicis insultat: Hîc hîc aures asini isti arrigant; quid quæso est Caluine, quòd triumpho ante victoriam exultabundus gloriaris? Vbi Sozomenus confitendi ritum in vniuersum scribit sublatum? Presbyterum equidem auxilio submotum, qui Pœnitentiæ dudum fuerat præfectus. Munus Presbyteri pœnitentiarij video abrogatum: sed nusquàm confitendi ritum antiquatum. Istud sanè an asini sit, non discernere inter illud Pœnitentiarij munus, & confitendi ritum, néc ne: sic obrudere vniuersis per Christianum orbem Patribus suprà cõmemoratis, num asini sit plus quàm Arcadici, iudicet æquus rerum arbiter.

Aliud est Pœnitentiarij munus esse sublatum, aliud confitendi ritum esse sublatũ.

Ritus ergo confitendi priuatim Sacerdoti, sicuti & ante Nectarij tempora vbique fuit per Christianum orbem obseruatus: ita & post eius tempora, imò sub ipso adeò Nectario: qui iuxta illius Eudæmonis Presbyteri consilium Pœnitentes non sine confessione atque absolutione ad mysteria participanda admittebat: (quod ne ipsi Nouatiani quidem sustinebant) sed quemque suæ permisit conscientiæ, vt videlicet iuxta pristinam Ecclesiastici Canonis libertatem, quis, cui vellet ex Sacerdotibus, confiteretur, non ad illum Pœnitentiarium, cuius arbitrio peccata erant publicè profitenda, ampliùs adigerentur.

Quòd autẽ hic priuatim cõfitendi ritus semper fuerit iudicatus ad Sacramẽtum pertinere necessarius, abundè doceant Audiani hæretici, qui omniũ primi, quod equi-

Audiani hæretici ri-

tum priuatæ confessionis primi conātur tollere. dem scio, illum sunt abolere conati. Narrat Diuus Theodoretus libro tertio hæreticarum fabularum, Audianos, qui ab Audio quodam Syro homine mirè zeloso, sed schismatico magis quàm hæretico, ait Epiphanius, nomen sibi trahunt, sed dogmata variantes iactare se peccata remittere: verùm quàm id ridiculè faciant, breuiter describit. Sacros libros ab adulterinis dispartiunt.
" Discretos enim reputant apocryphos & mysticos. Hosce
" igitur vtrimque στιχηδὸν per versus vbi collocarint, suos
" iubent singulos interambulare, peccata confitentes: de-
" inde confessis remissionem largiuntur, nullum Pœni-
" tentiæ tempus iuxta Ecclesiasticos ritus præscribentes,
" sed sua potestate veniam dāt. Illi autem, qui inter libros
" illos inambulant, cùm sciant, quod geritur, ludum esse
" puerilem, vera quidem peccata occultant, leuia quædam
" atque ridicula loquuntur, quæ vel proloqui aliquem pi-
" geat, qui non eadem, qua illi, laboraret insania. An istos hæreticos Diuus Theodoretus omnibus ridiculos duxisset propinandos de sua Confessione ludicra, nisi vir doctissimus & idem sanctissimus habuisset persuasum, illos sacrosanctum priuatum confitendi ritum per Christianas Ecclesias semper obseruatum immutasse, violasse, adeóque abrogasse? Eant nunc isti Catholicæ doctrinæ de confessionis necessitate aduersarij, & anhelis pulmonibus ac turgidis faucibus Catholicos tanquàm victos rideant, insultent, atque illudant.

Caput LXX.



Hisce clarissimis vetustissimorum Scriptorum testimoniis apud omnes, quibus iudiciū cōstat sanum, Solis luce manifestiùs cōfidimus declaratum, confessionem, quæ Sacramenti Pœnitentiæ pars est, ex Christi mādato & Apostolorum obseruatione fuisse semper per disertam peccatorum nō tantùm publicorum, sed etiam occultorum enumerationem, non liberè sed necessariò factam ad veram re-

missionem cõsequendam, quemadmodum & hodie Catholica Christi Ecclesia paternarum traditionum custos perquàm fide iuxtà ac diligens obtinet. Quare duabus pœnitentiæ partibus explicatis, ad satisfactionem est transeundum, vt eam quoque rectè à Catholicis ad peccatorum deletionem adhibendam doceri demonstremus. Videatur fortasse cuipiam antè de absolutione agendum fore, quemadmodum & nunc temporis vsus habet Ecclesiasticus: Verùm ipsum rerum ductum atque ordinem naturalem, tum propter sui perspicuitatem, tum lucem quam rebus alioqui obscurioribus affundit, libenter insequimur. Adde quòd & apud veteres absolutio, nisi satisfactione purgatis ferè non impartiebatur. Ipsa porrò absolutio præsentem de Pœnitentia tractatum coronidis loco aptiùs claudet.

Transitus ad tertiam Pœnitentiæ partem satisfactionem.

Quò doctrina igitur de Pœnitentium satisfactione dilucidiùs exponatur, & pleniùs perspiciatur, initiò dicendum, quidnam sit, vnde nascatur, quòd scilicet remisso peccato pœna restet plerumque luenda, quódque eam hîc soluere possumus. Deinde quisnam apud veteres satisfactionis modus, & quænam illius effecta.

Satisfactio, de qua in præsentiarum agitur, persolutio est reatus atque pœnæ, quæ peccatis remissis plerumque semper restat luenda atque expianda. Quæ descriptio vt cognoscatur esse verissima, Scripturarum capitulis ostendendum est, remisso per DEI clementiam peccato, id est, culpæ atque offensionis reatu, iustam DEI iram de illo pœnas plerumque sumere atque transgressionem vindicare. Istud licèt vnum illud transgressionis tam nostri parentis Adæ, quàm omnium nostrum exemplum satis doceat, quod tam euidenter iustos, Deíque filios, condonato haud dubium in Baptismate peccato quotidiana cum Spiritus afflictatione, tum corporis vexatione, adeóque morte excruciat, iustásque pristinæ illius rebellionis pœnas exposcit: tamen paucis aliquot, sed iis illustri-

Satisfactio quid.

Pœnam restare luẽdam sæpè peccati reatu & culpa remissa.

bus, sacrarum literarum testimoniis est docendum manifestius. Populus ille Iudaicus verissimum olim Dei peculium, inter alias offensiones grauissimam in se Dei iram lacessiuit, impio illo obmurmurationis iam decima vice flagitio, Numer. 14. Quod cùm Deus deprecatione Moysis placatus remisisset, acerbissima tamen puniuit castigatione: Dimisi, inquit, iuxta verbum tuum: Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra: Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Ad idem exemplum Dominus Moysi & Aaroni, quòd non credidissent ei, vt sanctificarent ipsum coram filiis Israël, offensus, Numer. 20. fuit quidem eorum peccatis propitius, Psalm. nonagesimo octauo, vlciscens tamen in omnes adinuentiones eorum, ita vt non introduceretis, inquit, hos populos in terram, quam dabo eis. Iam quid Dauidis historia est notius, quæ vt eius adulterium cum Vriæ & ebrietate, & homicidio cumulatum, narrat Prophetæ Nathan oraculo à Domino fuisse translatum: ita seuerissimè variis pœnarum generibus, & statim pòst & aliàs fuisse castigatum, punitúmque? Quibus exemplis cùm nihil queat adferri ad rem præsentem demonstrandam aut apertius aut illustrius, alia omittemus, quorum tanta est copia, vt nos priùs hic dies, quàm ipsa destituant: memoratis igitur contenti, nunc ostendere pergimus, quód pœnam hanc remissis peccatis restantem possumus in hac vita soluere, atque expiare.

Num. 14.

Deus peccatum precibus Moysis remissum punit atque seuerè vindicat.

Num. 20.

Psal. 98.

2. Reg. 12.

Pœna igitur peccatorum DEI gratia condonatorum soluenda, etsi propriè non sit huius seculi, sed futuri, quod retributionis erit, prout quisque gessit in corpore suo: Dei tamen benignitate nobis indulgetur, vt eandem, dum in ista vita agitur, quæ serendi tempus est, non metendi, possumus mitigare, pendere, auertere,

2. Corint. 5.

Pœna restās potest hac in vita expiari.

deprecari, luere, adeóque eluere, atque abolere. Dauid adulterij sui pœnam Dei oraculo prædictam filium ex Barsabæa natum moriturum singulari orationum & ieiuniorũ labore studuit auertere, 2. Reg. 12. Quod exemplum etsi frustrà illos labores doceat insumptos, operámque omnem fuisse perditam: eandem tamen fuisse Prophetæ Dei fidem cum nostra Catholica Christiana clarissimè demonstrat: Propter infantem, inquit, dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui: dicebam enim, quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & viuet infans? Rursus acerbissimam illam populi Iudaici plagam ob Dauidis superbissimum delictum habitum inflictam, idem sua cùm animi humilitate, tum deprecatione in diurnam commutauit, quæ per totum alioqui triduum erat sæuitura. Quorsum hîc fusiori oratione illa decantatissima Niniuitarum, Achab, Nabuchodonosor, aliorúmque exempla commemorem, qui Dei iram, plagásque interminatas animi pœnitudine, corporis afflictatione, eleemosynarúmque largitione mitigarunt, auerterunt, atque euitarunt? Quia igitur hinc meridiana luce efficitur clarius, non solùm pœnam peccatis remissis debitam superesse luendam: verùmetiam precibus, & ieiuniis, lachrymis & eleemosynis illam ipsam interminatam auerti posse, inflictam præscindi posse atque mitigari, nunc restat aggrediamur demonstrare, vt apud veteres, ita hodie rectè doceri, per pœnitentium satisfactionem relictas peccati, aut reliquias, aut pœnas iusto Dei iudicio luendas atque pendendas precibus & lachrymis, ieiuniis, xerophagiis, chameuniis, cæterísque itẽ istius corporis castigationibus auerti posse, tolli, mitigari, aboleri. Quod vt intelligatur pleniùs atque euidentiùs, priùs peccati à regno excludẽtis, quod verè ab effectu mortale dicitur, natura & indoles est exponenda: deinde quænam reatus delinquendo cõtracti pars maneat, peccato iam remisso, luenda: denique quónam modo ea rectè per satisfactionem tollatur, atque deleantur, siue hîc, siue in posterum: quod vt exemplis veterum erit illustrandum, ita eorundem testimoniis confirmandum.

2. Reg. 24.

Remißis per Pœnitentiã peccatis restare pœnam luendam.

Cùm quis sui corporis voluptatibus indulgens, aut animi superbiæ atque ingenij arrogantiæ cedens, aut quibuslibet denique blandis istius mũdi illecebrosis deliciis victus, in aliquod libidinis, hæreseos, aut cupiditatis peccatũ labitur, haud dubium, quin Dei legem transgressus, sicuti à Dei regno excluditur, ita damnationis æternæ reus gehennæ mancipatur: sed quia salus nemini, dum hîc viuitur, est desperãda, potest per Christum Saluatorem salus dudum deperdita resarciri atque instaurari, si modò ea in vsum adhibeantur Sacramenta, quæ vera Christi fides præscribit salutaria. Itaque Pœnitentiæ Sacramentum altera naufragis tabula à Christo institutum, quòd superiùs ex Orthodoxia docuimus, miserum illum à Baptismi gratia lapsum, vel etiam à Pœnitentia relapsum, per eundem illum Christi sanguinem ad Dei Patris reconciliationem pro nobis effusum potest diuina sibi indita vi in gratiam cum offenso Deo Patre reuocare ac restituere. Porrò vis huius Sacramenti extabit magis, atque maiestas emicabit clarior, si cognita fuerit miserrima hominis calamitas, vnde illius beneficio eripitur simul, & liberatur. Ille lapsus igitur sua diuinæ legis transgressione, non solùm Dei irã sibi conciliauit æternam, sed vindictam quoque violatæ legis sibi commeruit sempiternam. Ab hoc æterno culpæ & pœnæ, aut si mauis, iræ diuinæ & vindictæ reatu, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum Christum Iesum non potest nec absolui, nec liberari. Huius ergo sanguine nostras conscientias ab operibus mortuis emundante, vt in Baptismo, sic in pœnitudinis clementia teste Hieron. suprà recitato, illa Dei Maximi ira iustissima aduersus peccatorem illum concepta, obiecto quodam quasi Dei Patris propitiatorio demulceri, placaríque potest, pœnáque æterna tanquàm iusta captiui redemptione oblata condonari. Hunc sanè in modum is, quem suarum offensarum ex animo pœnitet, sibi per Christi propitiationem Dei Optimi Patris gratiam reconciliat, illius sanguine iterum quasi ablutus atque redemptus. Verùm non ea fruitur beneficij Christi largitate atque copia, qua initiò in Baptis-

Vnde perspiciatur Sacramẽti Pœnitentiæ salubritas.

Sãguis Christi Deo Patri est delitiæ, oblectamentũ atq; placatio. Hebr. 9.

mate. Vtrobique sanè illa Dei ira æterna, siue culpę reatus remittitur, tollitur, aboletur: sed pœnæ atque vindictæ hîc alia est, quàm illic ratio. Vtrobique enim Sacramenti efficacia atque vi æternæ quidem pœnæ reatus condonatur, sed in Baptismo prorsus condonatur, veréque non imputatur, ideóque non exigitur: In Pœnitentia verò ex sempiterno in temporarium mutatus restat luendus. Quod paucis admodùm verbis propter summam quam habet obscuritatem illustrasse fuerit operæpretium.

Collatio Baptismi & Pœnitentiæ quò ad peccatorũ remissionem.

Pœnam itaque illius reconciliati dudum æternam non prorsus tolli aut deleri in Pœnitentia, sicuti in Baptismo, caue quisquam intellexeris ex Christi sanguinis culpa aut impotentia prouenire, qui non solùm nostra, sed totius etiam mundi aboleat delicta, cùm sit illius agni ab origine mundi occisi: sed destinata Dei Patris voluntate, iustáque clementissimi iudicis æquitate. Hãc doctrinam Spiritus sanctus per Apostolos Christianam docuít Ecclesiam, nimirùm non ea impunitate filios exhibita dudum Dei Patris Optimi beneuolentia abusos in gratiam recipi, qua illi, qui primùm per Baptisma ad illius amicitiam admittuntur. Flagellat enim omnem filium, inquit Paulus, quem recipit. Prior illa offensa ante Baptismum aut ex ignorantia, vel nata, vel aucta, partim Opt. Patris gratiam eblandiebatur: aut animi imbecillitate vel progressa, vel instigata, partim clementissimi Dei veniam emerebatur. Verùm hæc posterior vt beneficiorum tam incomparabilium quàm planè cælestium immemor, ita suo authori ingrata, commeritam iure optimo cùm Dei cõtempti, tum aspernatæ salutis pœnam effugere, grauissimumque facinus ferre non potest impunè.

1.Ioan.2.
Apoc.13.
Cur nõ tollatur omnis pœnæ reatus in Pœnitentia, vt in Baptismo.

Hanc autem quæ restat pendenda remissis peccatis pœna, non posse, vti antè, persistere æternam, illud manifestissimo queat esse argumento, quòd Deus Optimus propter Christi intercessionem atque propitiationem, aut si mauis, satisfactionem, cum illo in gratiã rediit, adeóque in filium recepit. Quare irati Patris animum deposuerit oportet, atque temporaria duntaxat

Pœnã æternam mutari in temporariam.

quapiam pœna illius defectionem atque rebellionē castigare statuerit. Si enim æternæ manet pœnæ reatus, maneat necesse est ira Patris: quónam pacto ille igitur, quod Paulus asserit, in filiū est receptus sempiterna pœna, quam commeruerat puniendus? Sin autem vnà cum culpæ reatu omnis quoque in Pœnitentia condonatur transgressionis vindicta atque pœna, quónam obsecro iure omnem, quem recipit filium, flagellat? Hinc igitur necessariò conficitur, remissis in Pœnitudinis Sacramēto peccatis pœnam illam sempiternam delinquendo cōmeritam vi clauium, quod docent scholæ, siue Sacramēti in temporariam esse commutatam: quę vel hîc leuiùs, vel in futura vita acerbiùs erit luenda, pendenda, atque expianda. Quod nunc operis ratio efflagitat, vt claris Apostolorum exemplis illustremus, & certissimis veterū Scriptorum confirmemus testimoniis.

Caput LXXI.

Pœnā illam tēporariā restantē vel hic vel in posterū posse pēdi & expiari Apostolos docuisse.



Indictæ ergo Dei iustissimi esse obnoxios, pœnámque debere, certum est Pœnitentes, qui per Christum reconciliati, in gratiam recipiuntur. Ea porrò aut hîc luenda est, aut in posterum persoluenda. Quòd hac in vita possit ea pendi atque solui, vnus ille D. Pauli locus, 1. Cor. 11. docet manifestiùs, quàm vt vllam orationis nostræ lucem desideret: Si nosipsos diiudicaremus, inquit, nō vtique iudicaremur: Dum autem iudicamur, à Domino corripimur, παιδευόμεθα, castigamur, vt non cum hoc mundo damnemur. Viden' castigationem à Deo Patre filiis offensatoribus infligendā posse anteuerti? Imò ita posse illam vltronea in nos vindicta præueniri, frangi, præripi atque euacuari, vt à Domino non simus iudicandi, puniendi, atque castigandi? Si nos ipsi, inquit, diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Hoc illud est, quod aiunt veteres: In quantū non peperceris tibi, tantū tibi Deus (crede) parcet. Huius autē rei causa, vtrùm ex operū satisfactionis per Christi Spiritū factorum præstātia, an potiùs, quòd vltronea vindicta trāsgressionis Deo Opt. longè est gra-

Dū nos vltrò nostra punimus crimina, Dei flagella anteuertim⁹, & effugim⁹. Tertull. de Pœnitentia. Ambros. de Pœnit 8. Chrysost. de Lazaro.

tior ea, quã nobis tergiuersantibus atque subterfugientibus Deus infligit, nec ne sit petenda, haud sanè magni ad rem præsentem interest: modò hoc apud omnes constet indubitatum, posse nos pœnam peccatis debitam à Deo infligendam ex Pauli doctrina, ita præuenire, aut præoccupare potiùs, vt à Domino non simus iudicandi, hoc est, vt Hebraicam phrasin Latina commutemus, puniendi, supplicio violatę Dei legis vindici addicẽdi pœnísque castigandi.

Sed hæc res exemplis Apostolicis fiet illustrior. Corinthius ille incœstus Apostolica illla Pauli iudicis verè Euangelici peccata ligantis & soluentis virga percussus, multa durissimæ castigationis laborísque in Pœnitẽtia peragẽda exantlati accepit vulnera: quæ ipsum extra Ecclesiã detentũ priuata cogebant per preces & lachrymas remedia quærere: adeò vt ipse Paulus nõ leuiter illi metuerit, ne medicinæ asperitate in pręposterã pœnitentiã illisus, desperatione absorberetur. Sed quæ, rogas, tam asperæ castigationis causa? Vt Spiritus, respondet Paulus, in die Domini sit saluus. Hunc enim scopum & illa publica Pauli Excõmunicatio, siue vt ipse appellat, in potestatẽ Sathanæ traditio, & priuata Corinthij, qua se ipse macerabat, castigatio spectabat: videlicet vt nõ à Domino in die Domini, qui est cùm nos vel hìc viuẽtes, vel posteà mortuos visitat, iudicaretur, pœnísve addiceretur, sed Spiritu saluaretur. Iam quid opus erat tot acerbis tam ipsius Pauli quàm Corinthiorũ lachrymis pro illo misero Dei regno excluso, si vel nulla nostra est opus post lapsum satisfactione? vel pœnã erratis nostris debitam in die Domini infligẽdã nõ possumus nec auertere, deflectere, euitare? nec frãgere, deprecari, mitigare? Asiaticus ille adolescẽs à D. Ioãne Euãgelista, quod est apud Clemẽt. Alex. & Sozom. ab Euseb. lib. 3. ca. 23. recitatos, Episcopo cuidã ad instituendũ atque baptizandũ cõmẽdatus, à suis æqualibus in otij malè blãdi delicias pellectus, in vitã quoq; dissolutiorẽ perditámq; protractus, ad furta designãda, homicidiáque patranda prolabitur. Hunc D. Ioannes Epheso illuc reuocatus ab Episcopo ceu suum depositum requirens, didicit illum sicariorum

1. Cor. 6.

1. Cor. 2.

Apostoli pœnitẽtibus collachrymãtur pro venia pœnæ luendæ facilius impetranda.

ducem esse factum, quem illius Christiani gregis sperabat olim eximium fore pastorem. Cognita re, ille latronum spelæa equo concitato petit: Hic vero, vbi Apostolum agnouisset, pudore suffusus liberali, sese in fugam dat. Contrà Ioãnes voce contentiore persequitur. Quid me, inquiens, fili patrem tuum fugis nudum ac senem? Miserere mei fili, ne timeas, habes adhuc salutis spem. His ille armatus inermibus Apost. vocibus victus, proiectis ilicò armis constitit, ac corpore toto contremiscẽs acerbè fleuit, accedentem senem collachrymantem complexus, fletúque respondens vt potuit, lachrymis denuò baptizatus est, dextera duntaxat occultata. Apostolus autem eum, cùm promisisset & iurasset, quòd remissionem ipsi à Seruatore impetraturus esset, orasset etiam, & in genua procubuisset, ipsam quoque dexteram, tanquàm per Pœnitentiam iam repurgatam deosculatus esset, ad Ecclesiam reduxit. Et cùm assiduis precationibus pro eo rogasset, continuísque ieiuniis decertasset, ac mentem illius variis sermonibus demulsisset, confirmassétque, non recessit, sicut aiunt, priusquàm eum Ecclesiæ restituisset, atque ita magnum veræ pœnitentiæ exemplum, magnúmque regenerationis experimentum, ac trophæum visibilis resurrectionis exhibuisset.

Apostoli ieiunant pro Pœnitẽtibus

Hisce assiduis precationibus pro illo pœnitente fusis, assiduísque ieiuniis, quid se frustrà ille charissimus Christi discipulus, cælestiúmque mysteriorum, si quis alius, in primis conscius, doctrinæque verè Euangelicæ peritissimus macerabat, stultéque discruciabat, si nec lapsibus nostris pœna vlla restat pendenda, nec ea hoc in seculo solui potest aut expiari?

Pœnam restantem posse post hanc vitam mitigari & expiari.

Sed nunc eandem hanc pœnam in altera quoque vita persoluendam, quæ hîc persoluta non fuerit, superest vt ex Apostolorum quoque doctrina doceamus. Verùm robustissimis Cypria. & Augustini sententiis aduersariorum murus, quasi ariete antè est quassandus, quò Apostolicorum quasi tormentorum fulminibus ictus corruat. Nec putes, frater charissimè, ait Cyprianus epistol. 2. lib. quarto, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapsis laxata sit Pœnitentia, & quòd

pœnitentibus ſpes pacis oblata. Manet verò fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deum, ſtabilis & fortis perſeuerat integritas. Et quibuſdam interiectis: Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcere non exire inde, donec ſoluat nouiſſimũ quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendere in die iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.

Iam quid illud commemorem, quod non eſt vnius Cypriani, ſed totius Eccleſiæ Africanæ, Non eſſe orandum, nec ſacrificandum pro iis, qui morientes aliquem Clericorum ſuis filiis ſcripſiſſent tutorem aut curatorẽ? Vide epiſtol. 9. libr. 1. Qua Concilij Africani conſtitutione, an aliquid poſſit dici manifeſtiùs, quod homini ſuæ mentis compoti diſertioribus ſimul & dilucidioribus verbis faciat palàm, poſt hanc etiam vitam nos delictorum noſtrorum luere pœnas, quæ vel aliorum precibus, aliíſue in Defunctos ſalutaribus adminiculis minui poſſint, & mitigari? Verùm de hoc confeſtim pòſt, vbi quod ſupereſt præſentis rei fuerimus perſecuti, nimirùm ex Apoſtolorum doctrina Catholicam docere atque obtinere adeò Eccleſiam, pro peccatis nos hinc digreſſos pœnas luituros, niſi hîc eas expenderimus, lachrymíſue, ieiuniis, aliíſque ſatisfactionum rationibus luerimus, & quaſi redimerimus.

Apoſtolos docuiſſe pœnam reſtantẽ poſſe in altera vita ſolui & mitigari.

Docet Diuus Auguſtinus ouiculas ſuæ fidei concreditas poſſe mortuos precibus viuorum, ſalutaríque altaris ſacrificio ſubleuari, adiuuaríque, vt miſericordiùs cum eis agat Deus, quàm eorum peccata merentur: Orationibus verò, inquit Sermo. 32. de verbis Apoſtoli, ſanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum Spiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione

Non eſt dubitandũ adiuuari mortuos per Miſſas ait Aug.

defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oratur: ac pro illis quoque offerri id commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Hoc igitur vniuersa per orbem Christianum non solùm indubitanter credebat, sed obseruabat etiam Augustini temporibus Catholica Christi Ecclesia, vt pro mortuis oraret adiuuandis, misericordiúsque, quàm eorum peccata merebantur, tractandis: idque à maioribus traditũ. Quod etsi satis perspicuè iuxta peruagatã illã D. Augustini regulam, quod ab omnibus obseruatur Ecclesiis, nec in Concilis inuenitur institutum vniuersalibus, Apostolos habere authores credendum est, ex Augustini verbis ad Ecclesiæ Christianæ authores Apostolos referendum appareat: accedant tamen oportet propter nostræ istius ętatis homines nimiùm Academicos aliarum quoque Ecclesiarum clarissima testimonia. Diuus ille Ioannes ab aureo orationis flumine dictus Chrysostomus, non solùm adolescens in Apostolica illa Antiochena Ecclesia hanc doctrinam Apostolis refert acceptam Hom. 69. ad populum Antiochenum: verùmetiam grandæuus Archiepiscopus apud Constantinopolitanos: Non frustrà, inquiens, ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem vniuerso populo manus in cælos extendente, cœtu item Sacertali, verendóque posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fidę abcesserũt. Quibus testibus prorsus irrefragabilibus si fides habetur, (quæ non potest nõ haberi ab homine Christiano sui nominis haud immemore) num vltrà dubites, an pro peccatis luendis non solùm hîc, sed post hanc adeò vitam possis peccatorum pœnas luendas pendere, redimere, satisfacere? Plura hanc in sententiam, quæ mortuis auxilia per tremendum altaris sacrificium adferri demonstrent, qui desiderat, is caput 50. supęriùs consulat.

Vide suprà cap. 50.

Caput LXXII.



CÆterùm nunc vno totius veterum Scriptorũ chori consensu celebrata illa apud Catholicos satisfactionis Sacramentalis vis, atq; energia est confirmanda. Diuus Cyprianus clarissimum Christianæ Ecclesiæ lumen, quantam vim delendorum » peccatorum in Pœnitentiæ operibus atque castigatio- » nibus crediderit collocatam, etsi variis scriptorum eius » locis & iis luculentis quidem demonstrari possit, vnus » tamen, qui cæteris in solis modum præfulget, fecerit te- » statissimum. Intercedunt, inquit epistola 3. libr. 1. qua » Diuo Cornelio Pontifici Romano de illis Pseudoepis- » copis Felicissimo & Fortunato conqueritur, ne exore- » tur precibus & satisfactionibus Christus, qui negantem » se negare profitetur. Et statim: Elaborant, ne vulneratos » diuina clementia in Ecclesia sua curet, miserorum peni- » tentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne » Deo indignanti satisfaciant, ne Christum Dominum » suum, qui Christianus esse vel erubuit, vel timuit, post- » modùm quærat, ne ad Ecclesiam, qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Et quibusdam interiectis: Ira est » Dei non intelligere delicta, ne sequatur Pœnitentia, » sicut scriptum est: Et dedit illis Deus Spiritum transpun- » ctionis, ne reuertantur scilicet, & curentur, & depreca- » tionibus & satisfactionibus iustis peccata sanentur. Rur- » sum eiusdem libri epistol. 8. Intermissis precibus, inquit, » & orationibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placãdus est. Sermone de eleemosyna diuinã docet pietatem humanæ iterum subuenire fragilitati, vt sordes postmodùm, quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus: Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, & dicit: Eleemosynis & fide delicta purgantur. Non vtique illa delicta, quæ fuerant antè contracta, nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgãtur. Itẽ denuò dicit: Sicut aqua extinguit ignẽ, sic eleemosyna extĩguit

Quanta sit nostra satisfactionis efficacia & gratia apud Deum.

Redimuntur delicta satisfactionibus.

Placatur Deus satisfactionibus.

Abluunt.

Purgant delicta satisfactiones.

Extinguunt peccatum.

Sopiũt flã mas delictorum. Deũ faciũt propitiũ. Deo satisfit operibus iustis. Ex Augustino placãt Dei iram. Merentur misericordiam.

" peccatum. Hîc ostenditur quoque & probatur, quia sicut " lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur: ita " eleemosynis atque operationibus iustis delictorum flam " ma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissa peccato " rum datur assidua & iugis operatio, Baptismi instar mu " tata, Dei rursus clementiam largitur. Hoc & in Euange " lio Dominus docet, & quæ sequuntur. Et iterum: Reme " dia propitiando Deo, inquit, ipsius Dei verbis data sunt, " quid deberent facere peccantes, magisteria diuina do " cuerunt, operationibus iustis Deo satisfieri, misericor " diæ meritis delicta purgari. Ad eundem modum & D. " Augustinus in Matth. 12. de Niniuitis scribit, quod agẽ " do Pœnitentiam Dei iram placauerunt, & misericor " diam meruerunt. Sed hæc res apud Augustini lectores notior est, quàm vt fusiùs sit commemoranda: Suffecerit itaque, vnum ex plurimis indicasse locum. De peccatis præteritis, inquit Enchirid. cap. 71. propitiandus est Deus precibus & operibus. Ad hæc D. Hieronymus cùm in Fabiolæ illius ad publicam Pœnitentiam pridem ob vitam adulterio contaminatam adactæ, epitaphio dixisset, Pœnitentiam abluere peccata omnia, & sordes omnes purgare, Epiphonematis loco aduersus Montanum atque Nouatum, Pœnitentiam pronunciat esse hostiam Domino placabilem: & ad Pammachium de obitu vxoris: Daniel sciebat, inquit, Regem superbissimum pauperum sustentatione saluandum. Iam frustrà fortè Tertullianum Pœnitentiæ Encomiasten recitem: plura testimonia, qui desiderat, locos illos diligentia Reuerend. Pat. Ioannis Hofmaisteri in lucem editos consulat. Nũc ambigere post clarissima tot illustrissimorum Scriptorũ testimonia de operum Christianorum vi, an satisfaciant & pec[c]ata expient, an hominis sit vel vna sani iudicij vnciola præditi? Quare ad illam quæstionem, quomodo nostræ satisfactiones cum Christi satisfactione non pugnent, nedum in illam sunt iniuriæ, in præsentiarum nihil dicere statuimus: quòd eius definitio ex diuina illa operum à Christi Spiritu nobis per sacramenta communicatio profectorum natura atque Christi merito & satisfactione, quæ nostram facit Deo Patri gratam atque placitam

Propitium Deum reddunt, ex Hieronym. Pœnitentiæ opera peccata abluunt, purgant. Sunt hostia placabilis. Saluant.

placitam, ſit petenda: quemadmodum in operum merito ſuprà eſt demonſtratum. Quod quia copioſiſsimè ab aliis noſtræ fidei propugnatoribus acerrimis eſt pertractatum, nolumus hāc rem fuſiori oratione hîc perſequi.

Caput LXXIII.

Pœnam reſtantem poſſe aliorum quoque operibus mitigari & expiari.



Llud ſilentio prætermittere non poſſumus, eodem modo, quo ex Aug. & Chryſo. teſtimoniis demonſtrauimus, viuorum precibus & operibus piis adiuuari fratres mortuos, poſſe quoq; viuos pœnis ſuorū delictorum luēdis remiſsionē & mitigationem adeóq; expiationem per viuorum preces & opera impetrare. In tanto namque fuêre apud veteres Orthodoxos piorum opera pretio atque exiſtimatione, pro eo atque merentur, vt nihil dubitarint hominibus prolixioris atq; adeò ſeuerioris caſtigationis reis iuſtam Pœnitentiæ iniunctæ atq; ſatisfactionis præſcriptæ pœnam remittere & mitigare, atque vt hodie appellamus, indulgere. Quod vbi fuerit vetuſtiſsimorum Scriptorum teſtimoniis declaratum, non poterit piis Lectoribus vera indulgentiarum, quas hodie dicimus, atq; remiſſarum, vt veteres, origo eſſe aut incognita, aut ſaltem occulta.

Indulgētiarum origo.

Qui olim ab heroica confeſſæ fidei Chriſtianæ conſtantia dicebantur Martyres ſiue Confeſſores (nam vtrūque apud veteres idem fuiſſe diligentem Eccleſiaſticæ antiquitatis Lectorem latere non poteſt) carceribus incluſi Pœnitentibus non rarò pacem dare leguntur. Erat autem iſtud Pacem dare, non aliud, quàm Pœnitentibus præſcriptam ſatisfactionis pœnam præcidere, atque ad Eccleſiæ communionem ante expletum præſcriptæ caſtigationis ſpacium ob Martyrum commendationem admittere. Hoc per Africam Cypriani temporibus tam „ fuit peruagatum atque vulgare, vt coactus fuerit variis „ literis tam ad plebem quàm ad Clerum datis, & Pœni- „ tentium impudentiam compeſcere, & Martyrum, quo- „ rum verecundia, inquit lib. 3. epiſt. 18. ab illis vim patie- „ batur, facilitatem reprimere: adeò vt citra vllum Pœni- „

Pacem dare, Martyres pœnitētib. quid.

" tentium discrimen, nulla vel delictorum vel vitæ ante-
" ctæ habita consideratione scriberent Ecclesiarum Præ-
positis, Communicet ille cum suis. Tam porrò erant san-
cti illi Martyres voce quidem, sed nondum morte Chri-
stum testati, propter preclarum suæ confessionis meri-
tum apud doctissimos simul & sanctissimos Episcopos
commendati, vt non dubitaretur, quin eorum intercef-
" sione pœnitentium satisfactio minuenda esset, pœna le-
" uiganda, atque austerior delictorum castigatio mitigan-
" da. Cuius rei fidem vel vnus D. Cypriani locus quàm lo-
" cupletissimam faciat: Credo vt qui libellum, inquit epi-
" stol. 18. lib. 3. à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum
adiuuari apud Dominum in delictis suis possunt, si pro-
mi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi
facta, & manu eis à vobis in Pœnitentiam imposita, cum
pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittan-
tur. Neq; verò istud tantùm D. Cypriani ætate fuit Epi-
scopis persuasum, quòd pœnitentes à Martyribus possint
in suis delictis apud Dominum adiuuari, sed toto prisca-
rum omnium persecutionum tempore, quemadmodum
epistola illa 15. dudum recitata haud obscurè vigilanti
Lectori indicat. Siquidem Presbyteros & Diaconos ad
" Martyrum carcerem commeantes, scribit Martyrum de-
" sideria suis consiliis & Scripturarum pręceptis guberna-
" re, sicut & in præteritum, inquit, semper sub antecessori-
" bus nostris factum est.

Libellus martyrum deprecatorius pro Pœnitentibus cohibitus

Cuius rei fidem si quis requirat locupletiorem atque luculentiorem, Septimium Florentem Tertullianum illis vetustiorem adhibeat in consilium. Huius enim seculo ex eius scriptis fuisse vsitatissimum agnoscet, quod
" Cyprianus commemorat: Pax vestra, inquit libello Mar-
" tyribus designatis misso, bellum est illi. Quam pacem
" quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carce-
" re exorare consueuerunt. Et ideò etiam eam propterea
" in vobis habere, & fouere, & custodire debetis, vt si fortè
" & aliis præstare possitis. An non hîc, quisquis es, oculo non hallucinationis glaucomate suffuso, sed opum Christianæ pietatis illustrato, clarissimè cernas, quidnam pœnitentibus in Martyrum gratiam sit adultum? An non

manifestiſſimè videas, Pœnitentium pœnas atq; ſatisfactiones iudicio illorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum à » Martyribus fuiſſe adiutas & diminutas? Credo Martyrũ » auxilio, inquit Cyprianus, pœnitentes in ſuis delictis a- » pud Dominum poſſe adiuuari, quòd ſcilicet ad Eccleſiæ pacem, ſiue Eccleſiaſticam communionem, faciliùs ſimul & citiùs recipiendam pertinet: imò vt cum pace à Martyribus promiſſa ad Dominum mittantur. Quod qui cũ D. Cypriano Eccleſiæ Catholicæ columna firmiter credit, ánnon indulgentiis atq; ſatisfactionum remiſſionibus (quas re ipſa quidem veriſſimas ſimul & vtiliſſimas improba aliquot iam ſeculorũ diſſipatio atque nepharia nundinatio & in extremum adduxit contemptum, & Eccleſiaſticam, quod pij Patres præſentiſcebant, eneruauit, atque aboleuit Pœnitentiæ diſciplinam) indubius credat pœnas peccatis debitas poſſe relaxari atq; mitigari? Sed hac de re alibi opportuniùs copioſior erit inſtituenda diſputatio. Illud quoque paucis annotaſſe fuerit operæpretium, Apoſtolum etiam Paulum, ſi veterum Scriptorum commentarij fidem merentur, illi Corinthio propter inceſtus crimen Eccleſię communione ſeparato, iuſtam Satisfactionis pœnam ob aliorum preces, lachrymas atque interceſſiones mitigaſſe, adeóque aliquid con donaſſe. Cui autem aliquid donaſtis, inquit, & ego, 2. Corint. 2. Vbi Theodoretus, poſtquàm reſciuit eos vtilitatem cœpiſſe ex iis, quæ ad eum (de illo excommunicato Corinthio) ſcripſerant, dat eis poteſtatem oſtendendæ munificentiæ: Cui autem aliquid, inquiens, donatis, & ego. Id autem innuit, eos Corinthios perbeatos viros » Timotheum & Titum pro eo, qui peccarat, rogaſſe. Sic » & Theophilactus in illud: Ita vt è contrario magis do- » netis: Non modò, ait, ſoluenda eſt veſtra in eum concep- » ta obiurgatio, quin potiùs & aliquid plus veniæ concedendum. Et infrà: Oſtendit itaque Paulus, non tantùm » hunc Corinthium pœnitendo, quantum horum gratia » & dono ſe veniam accipere poſſe. »

Apoſtolos Pœnitentib. iuſtas ſatisfactionis pœnas mitigaſſe propter Sanctorum preces et lachrymas.

2. Cor. 8.

Si his locis & ille componatur: Adimpleo quæ deſunt, ait Paulus, paſſionum Chriſti, certè minùs habebit indulgentiarum doctrina, aut noui, aut admirandi. Si enim vt

rum est, quod ait Paulus, vti est verissimum, est aliquam profectò inuenire rationem, qua Sanctorum labores, curæ & solicitudines Ecclesiæ Christi corpori saluandę atque perficiendæ conducant, istúmque in modum indulgentiarum siue condonandarum pœnarum luendarum prosint. Christum enim Dei Patris iram placasse, peccata semel expiasse, nos semel sanctificasse, indubitatissimum est: Cui tamen pugnare non potest, quod hîc docet Paulus, adimplere se, quæ desunt Christi passionum.

Rom. 11.

Sicuti saluare aliis tribuit Scriptura, quàm Christo licet per Christum ita & pro aliis pœnas pẽdere atque luere.

Sicut igitur citra omnem Christi Saluatoris vnici atque singularis iniuriam Paulus sese in hoc totum testatur incumbere, vt aliquo modo ad æmulandum prouocet carnem suam, siue gentiles suos Iudæos, & saluos faciat aliquos ex illis: Rursum Timotheum affirmat studendo atque docendo seipsum, & eos qui ipsum audiũt, saluos facere: ita & citra Christi passionis contumeliam suas quoq; malorum perpessiones atque labores implere ait, ea quæ Christi passionibus desunt. Non quasi Christi capitis passionibus aliquid defuisse existimandum sit, qui omnia testatus est esse consummata: sed passionibus Christi suo in corpore, quod est Ecclesia, tolerandis quędam deerant, & in hunc vsque diem desunt, & in finem adeò intereuntis huius mundi deerunt semper. Hoc ipsum Diuus Paulus clarioribus expressit verbis, quàm vt vllius commentarij egeant explicatu:

1. Tim. 4.

Ioan. 19.

Coloss. 1.

" Gaudeo in passionibus, inquit ad Coloss. pro vobis, & adimpleo ἀνταναπληρῶ ad plenitudinem passionum Christi insuper accumulo, quæ desunt, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.

Thesaurus opulentiss. operum bonorũ in Christi Ecclesia.

Hunc in sensum si cum Diuo Augustino in Psalm. 61. & 86. Pauli verba accipiamus, certè agnoscemus, hoc in loco ditissimum illum Ecclesiasticarum indulgentiarum thesaurum latere defossum: quem quia nostra ætate doctissimi homines eruere, atq; in lucem hinc edere annisi sunt, nolumus in eo effodiendo atque expoliendo esse multi, quum animus Christianus bonorum operum merita habens perspecta facilè acquiescat veterum Patrũ insistens vestigiis, eadem opera bona posse & aliis suis ita dicere liceat, commẽbris atq; fratribus esse vsui, ita vt illis non tantùm imputentur, sed quasi ea ipsi

penderent atque luerent, habeãtur, atq; in luendæ pœnæ locum & satisfactionem à Deo Opt. Patre assumantur. Cùm enim Sanctorum sit communio, atque bonorum omnium quæ Ecclesia Christi corpus prędicata possidet, participatio omnibus ęqualiter obuia, quidni vnius mẽbri afflictio alteri membro affligendo in luendæ pœnæ solutionem cedat, cùm vnius membri fœlicitas aliis quoque omnibus membris ornamento sit & commodo? Hũc sanè in modum pij illi Patres ætate Diui Cypriani per Africam Sanctorum labores & afflictiones æstimabunt, vti superiùs ex eius epist. 18. lib. 3. declarauimus. Rursus & per Ægyptum ætate Origenis, qui in Nu. Ho. 24. testatur, Paulum & alios Sanctos sese in hostiam obtulisse iugulandos: quod quónam sensu acceptum velit, exposuit: Vide, inquiens, ne fortè sicut Dominus & Saluator noster quasi agnus ad occisionem ductus, & in sacrificiũ altaris oblatus, peccatorum remissionem vniuerso præstitit mundo: ita fortassis cæterorum Sanctorum & iustorum sanguis fusus est ad expiandum pro parte aliqua populum. Hanc Origenis doctrinam de expiandis aliqua ex parte populi Christiani per Sanctorum sanguinem delictis, cùm priscam illam Ecclesiam Catholicam Cypriani & Tertull. adeò ætate anno Domini centesimo vsurpasse & familiariter actitasse, sit ex superioribus Cypriani locis perspicere, quid obganniunt aduersarij indulgentiarum doctrinam esse aut nouitiam aut commentitiam? Certè vt de earũ vsu legitimo & origine alia atque alia est disputatio, ita in præsens nostro abundè satis est instituto, indulgentiarum fontem digito, quod dicitur, quasi intento indicasse: quẽ Deo Opt. adiutore in Originum sacrarum libris repurgare, atque in varios riuulos aliquando deriuare aggrediemur.

Sanctorum mors etiam quædam est pro populo hostia.

» *Sanctorũ* » *sanguine* » *peccata po* » *puli expiã* » *tur Origeni.*

Ex iis, quę nunc clarissimis Scripturarum & Scriptorũ vetustissimorũ testimoniis sunt demonstrata, nimirùm restare plerúmque luendam peccatis remissis pœnam, subeundámque satisfactionis vindictam, quę non solùm in hac vita ieiuniis, eleemosynis, chameuniis, aliísque id genus castigationibus possit euitari, tolli, atque mitigari, verùmetiam post hunc è viuis discessum viuorum pre-

cibus, eleemosynis, salutaríque altaris sacrificio solui atque expiari, vt misericordiùs cum eis agatur, quod ab antiquis traditum vniuersa credit, atque obseruat Ecclesia, ait Augustinus Serm. 23. de verbis Apostoli, quàm eorũ peccata meruerunt, luce meridiana consequitur clarius, verissimam esse adeóque Apostolicam doctrinam, quę in Catholica Christi Ecclesia de purgatorio, animabúsque expiandis obtinet. Quis igitur cæcos quorundam nostri sęculi homunculorum non defleat latratus, quibus alij purgatorium latrant figmentum esse Platonicum? Alij nisi huius vitæ esse, non item futuræ? Quod si verum, quorsum Apostoli ipsi mortuorum in Christi memoriã, teste Chrysostomo superiùs allato Homil. 3. ad Philip. voluêre accensendam? Quorsum frustrà vniuersa Christi Ecclesia ex obseruatione à Patribus, ait Augustinus, tradita, pro eis salutares fundit preces, salutaréque pro eis offert sacrificium? Certè si tantis testibus omni prorsus exceptione maioribus Augustino & Chrysostomo, quos ex maxima testiũ manu consultò eligimus, fides habenda est (quibus si abrogatur, omnibus facilè abrogetur) ambigere non potest æquus rerum arbiter, Apostolos ipsos purgatorium post hanc quoque vitam animabus hîc æquo minùs purgatis, atque pœnarum reatu expiatis superesse reliquum, docuisse. Ideo enim pro vita hac defunctis orandum tradiderunt, vt à peccatis soluerentur. Ideo, inquam, pro eis salutare sacrificium voluerunt offerendum, quòd expiatis pœnarum reliquiis, misericordiùs cum eis ageretur, quàm eorum peccata commerebantur. Sed hac de re in Eucharistia fusiùs disseruimus. Nunc autem ad Absolutionem est transeundum, vt saluberrimo huic Pœnitentiæ Sacramento sua quasi coronide imposita tandem faciamus finem.

Purgatorium post hanc vitã Apostolos docuisse.

2. Mach. 12.

Caput LXXIIII.

De absolutione, quod vera sit peccatorũ remissio, non antẽ



Xtremam Sacramenti Pœnitentiæ partem Absolutionem, quàm fieri potest, paucis absoluemus. Ea igitur Sacramentum istud perficit, quòd priora illa prorsus nulla sunt, nisi hæc vel re ipsa, vel animi saltem voto accesserit, tanquàm

operi absoluendo suus colophon, aut physicè rectiùs, tanquàm materiæ sua forma. Quid enim profuerit vel animo esse contrito, & peccata omnia, quæ mens suggerit sedula, enumerasse, eáque austeris corporis castigationibus emendasse, ni Absolutio accesserit, quæ ligatum soluat, quæ vincula rumpat, quæ peccatorum dissecet nodos? Quare quid nam ipsa sit, nõ fuerit cognitu arduum ex verbis Domini Solis luce clarioribus percipere. Quod enim apud Matth. dicit: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Alibi: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. In tanta verborum luce etiam meridiana clariore nihil piget, nec pudet aduersarios verissimæ doctrinæ Catholicę obscuras nouorum figmentorum tenebras obfundere. Sed hîc sanè, quod vetus habet prouerbium, Nodum in scirpo. Volũt enim Absolutionem non esse aliud, atque Euangelij annunciationem de remissis peccatis: non igitur referre, quísnam, vir an mulier, quóue dicatur animo, serió ne án ioco, atque per ludicrum. Multa hîc peccant aduersarij, quæ si ad vnum resecarentur, iustum possent libellum explere. Verùm nos nunc temporis silentio prætereuntes, quæ tam ad ordinis Hierarchici sacrilegam pertinent violationem, quàm quæ ad impiam Apostolicę potestatis prophanationem, ea modò persequemur, quæ ad rem præsentem in primis faciunt. Absolutionem itaque non esse Euangelij annunciationem, quis adeò fuerit absurdus, qui non videat, cui in mentem venit prima illa Petri concio: Baptizetur vnusquisque vestrum, & accipietis remissionem peccatorum? Istud enim Euangelium Iudæi corde compuncti credebant, nondum tamen remissionem peccatorum consequebantur, sed Baptismo fuit opus adhibito. Quare multò magis illa Absolutio, quæ Sacramenti Pœnitentiæ est propria, non contingit mera Euangelij annunciatione. Quasi verò in sola hominis peccato obstricti voluntate atque fide hæc sit collocata. Sanè, inquias: est enim executio alieni beneficij, quod Christus mãdauit ministris exequendum. Est quidem alieni beneficij executio, sed qualis est Prętoris, qui Imperatoris loco litigatoribus ius dicit, qui citra causæ

Euãgelij annunciatio.

Matth.18.
Ioan.20.

Quòd Absolutio non est Euangelij annunciatio.
Act.2.

cognitionem non poteſt niſi ſtultiſſimè iuxtà atque nepharie, vel hunc abſoluere, vel illum damnare. Atqui nõ eſt iudicium, inquit Philippus in apologia Auguſtana. Chriſtus enim dedit mandatum remittendi peccata. Sanè dedit, verùm & retinendi addidit, quare vtriuſque mandati vſus ſicut tolli non poteſt, ita nec alteruter. Verùm hac de re ſuprà diximus fuſiùs. Hac igitur in quæſtione quid homines audimus, quin ipſum Dominum audiamus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt. In adeò perſpicua clariſſimorum verborum ſententia nullus poteſt latere ambigui ſcrupulus, qui vel leuem pariat ſuſpiciunculam, án Apoſtolis data ſit his verbis ligandorum ſimul & ſoluendorum peccatorum poteſtas, nec ne: quam veritatis lucem vniuerſus Orthodoxorum Patrum chorus & agnouit, & poſteris manifeſtiùs prodidit, quàm vt de ea quiſquam Chriſtianorum citra veſaniæ ſuſpicionem addubitet: quorum teſtimonia partim à nobis ſuprà ſunt allata, partim, ne prolixitas tædium pareret, conſultò prætermiſſa.

Ioan. 20.

Cùm igitur hæc Abſolutio non niſi Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus ex ęquo cum peccatorum ligatione à Chriſto Domino ſit tradita, viderint qui illam vel mulierculis, vel infantibus adeò tribuunt, án apud cordatos hominis ſani nomen tueri queant. Cæterùm quià confeſſio hæc, de qua agimus, Sacramentalis abſolutionem reſpicit, ſicut non poteſt illa ſine hac aſſequi quod captat, neque hæc ſine illa efficere, quod valet: ita ſicuti confeſſio illa non fit legitimè, niſi Sacerdoti, qui Dei loco ſit iudex: ſic abſolutio hæc Euangelica niſi à Sacerdote per Apoſtolos hanc iudiciariam poteſtatem cõſecuto non poteſt pronunciari. Iã illa quæſtio olim inter Scholaſticos agitata, án Sacerdos oſtendat potiùs peccata eſſe remiſſa, quàm verè remittat, atque abſoluat, quia pręſentis non eſt inſtituti, in ſuum eſt locũ reiicienda. Quò igitur Abſolutio ſaluberrimum Pœnitentiæ Sacramentum abſoluat, ea accipienda eſt, quæ ſententiam habeat Sacerdotis in Dei vicem abſoluentis, quæ illa verborum formula eſt comprehenſa: Ego te abſoluo à peccatis tuis

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Hoc igitur piis Lectoribus, imprecati finem facimus, vt quotquot mecum (qui vt omnium notarũ reus, ita nulli rei nisi Pœnitentiæ natus) illo salutis pridem in Baptismo perceptæ portu excidimus, arrepta hac altera salutis quasi tabula Pœnitentia, vero cordis dolore, fida commissorum confessione atque detestatione compacta, per procellosum, quod superest vitæ gemituum scopulis asperæ & lachrymarum vndis perfusæ mare, ad salutiferam indubiæ salutis illam, quasi pharum, absolutionem, quæ ab omni prorsus delictorum nexu absoluat, contendamus: quod indubiè continget, si dum hora est de somno surgere, à peccatis excitati, læthalibus animorum vulneribus saluberrimum Pœnitentiæ Sacramentalis remedium adhibentes, ad thronum gratiæ Christi Iesu cum fiducia properantes, nobis misericordiam supplicemus, quam inueniamus ad auxilium opportunum.

Caput LXXV.



Væ iam supersunt pertractanda tria reliqua Sacramenta, sicuti habent controuersiæ minus atque superiora quatuor: ita minus quoque habẽt negotij, neque explicatus requirunt ita profusos aut prolixos. Restrictè igitur, quantum per instituti nostri rationem licet, ea persequemur. Quo autem ordine ad illa accedamus tractãda, haud ita magni retulerit, cùm ea varij variè collocent. Qui enim Sacramentorum vsum considerant, extremam vnctionẽ superioribus proximam ponunt, quòd eius vsus in omne Christianorum genus siue Laïcorum siue Clericorũ pateat: Contrà, qui eam ad vitæ extremum adhiberi animaduertunt, extremum ei quoque locum dare non dubitant. Huius & nos rationem habẽtes, primùm de Ordinis Sacramento differemus, quibúsnam gradibus constet, & perficiatur; tum ad Matrimonium erit accedendum. Extremam denique vnctionem extremo loco sumemus pertractãdam, vt ea libri huius finem occupans,

De Sacramento Ordinis.

Quo Ordine reliqua persequẽda Sacramenta.

ſatigatum de longa lectione pij lectoris animum diuina ſua vi atque efficacia, quam moribundis maximo adfert cum ſolatio, recreatum ad id, quod ſupereſt legendum, tranſmittamus alacriorem.

Qua methodo Sacramẽtum Ordinis pertractandum.

Quod igitur ad Ordinis Sacramentum attinet, initiò explicatis eius ſynonymis, veri nominis eſſe Sacramentum docebimus: Deinde quibus quaſi gradibus ad Sacerdotalis honoris culmen aſcendatur, quàm fieri poteſt, breuiter perſtringemus. Poſteà verò de ſingulorum aut graduum, aut ordinum, τάξεων ἢ ταγμάτων functione legitima erit diſſerendum. De vero etiam inter ipſos diſcrimine, quòd ſicuti Sacerdotes aliud gerunt officium à Diaconibus, & Epiſcopis ſunt inferiores: ita Epiſcopi vniuerſi, vni Chriſti Ieſu Vicario Diui Petri ſucceſſori Romano Pontifici, tanquàm omnis Chriſtiani gregis Paſtori ſunt ſubiecti.

Omnis Chriſti Eccleſia duos in ordines diſtributa.

Omne Chriſti regnum hoc in exilio à Domino dum peregrinatur, in duos diſtribuitur ordines, In Laïcorum ſcilicet populum, & Clericorum: Illos quaſi ciuitatis Dei plebem habens: hos quaſi patricium genus, penes quod gubernandi populi eſt poteſtas. Hoc Eccleſiæ Chriſtianæ diſcrimen cùm Solis luce clarius ex literis ſacris ſit manifeſtum, ſuperuacaneum fuerit, hac in re comprobanda eruditionis copiam oſtentare. Sed cùm quoſdam iſtius ſeculi homines malè habeat, Cleri nomen ſoli Eccleſiaſtico tribui ordini, quaſi reliquorum iniuriam habeat coniunctam, quòd appellentur Laïci, ea priùs calumnia eſt repellenda, quàm ad gradus Eccleſiaſticorum collocandos accedamus. Quemadmodum in illo Chriſtiani corporis membro, quod Eccleſiaſticum dicitur, Clerus, aut Sacerdotale, ſemper ab ſui vſque exordio quidam extitêre dignitatis atque præſtantiæ gradus: ita in altero, quod Laïcorum dicitur, ſeculare, & populare, nullus eſt inter ipſos ordo, niſi qualis eſt ouium in caulis. Quanquàm nõ neſcimus fuiſſe olim quoſdam Chriſtiani huius gregis ductores, qui à perfectioris ſanctimoniæ ſtudio dicebantur vel Therapeutę, vel Monachi, vel etiam aliis fortè nominibus. Qui omnes ſicuti erant ordinis Laïci, ita vnà cum reliquis templi choro, quem

Laicos verè rectéque à Clero diſtingui.

Monachi olim omnes erant Laici.

dicimus, erant exclusi, quemadmodum ex Dionysio Areopagita, epistola ad Demophilum. Therapeutis igitur, siue iidem cum Monachis fuerint, siue secus, chori ingressus cura illic fuit mandata, sicuti ostiariis fores templi, ne quis Laïcorum temerè ad sacra vel conspicienda, vel contrectanda irrumperet, vti est apud Dionysium epistola nunc commemorata. In vetustis etiam templorum structuris hoc ipsum est agnoscere: vbi in eam formam extructi conspiciuntur chori, vt Laïcis vel per cancellos, vel per ipsos etiam muros humiliùs subductos aspicere quidem liceat, quid nam publicè ibi geratur, ingredi autem non permittatur. Quod tanta olim cum diligentia fuit obseruatum, vt in Ecclesiis, vbi præfuissent Episcopi Ecclesiasticæ disciplinæ obseruatores seueri, ne ipsis quidem Imperatoribus in Clericorum statione atque choro locus non concedebatur. Sic Diuus Ambrosius Episcopi nomine, si quis vnquàm alius, multò sanè dignissimus, Theodosium illum magnum, vbi oblationem cum lachrymis ad altare ex more attulisset, choro excedere iussit: Purpura, inquiens, Imperatorem facit, non Sacerdotem. Qua libertatis verè Christianæ voce admonitus, non modò tunc temporis sese in suam Laïcorum classem recepit: verùm etiam pòst Constantinopoli eam nũquàm est prætergressus, ne ab Episcopo quidem Constantinopolitano Nectario, vt in chorum ascẽderet, inuitatus, didici ab Ambrosio, respondens, quódnam sit inter Sacerdotes & Imperatores discrimen. Quòd si hanc nostri temporis videat Theodosius Sacerdotalis loci prophanationem, in quàm aspera illum credas exarsurum reprehensionis verba? Sed hoc fortassis tanta in Ecclesiasticorum Canonum proculcatione, immaníque iuxtà ac intolerabili prophanatione videbitur leuius, quàm commemoretur fusiùs: certè leue videatur ei, quem nullus collapsæ, adeóque prophanatæ disciplinæ Ecclesiasticæ tangit sensus: sed illud fortassis videbitur iusta reprehensione dignius, quòd mysteriorum, quæ in altari peraguntur, intuitus omnibus etiam prophanissimis, sit promiscuus. Hæc enim olim non toti Clero, nedum Laïcis erant conspicua, sed iis duntaxat,

Vide histor. trip. lib. 9. cap. 30.

Altare olim cortinis circundabatur.

qui cum Episcopo vel Sacerdote in illius locum sacris operabatur circum altare obpansis vndique cortinis circumuelatum obuersabantur, quod ex D. Chrysostomi liturgia in promptu est agnoscere. Quod posteaquàm negligentiâ est sublatum, nec nisi tenuem antiquæ illius disciplinæ vmbram in Ecclesiis minùs deformatis, quæ cortinas altaribus vtrimque expandunt, sed nõ, vti oportebat, obpandunt, sit videre, ad reliqua instaurandæ Ecclesiæ capita pertinet, de quibus in præsens non est dicendi locus.

Hisce igitur duabus rebus, templi choro, inquam, & cortinis altari obpansis, tanquàm veteris disciplinæ vestigiis illius admonemur discriminis, quod fuit antiquitùs inter duas Ecclesiæ Christi partes, aut veriùs membra, inter populum dico Laicum, & ordinem Hierarchicum, siue Ecclesiasticum: quæ duo corporis Christi mẽbra vt vnum cum suo capite Christo efficiunt corpus: ita, etsi pleraque habeant nomina communia, vti gens sancta, populus acquisitionis, regale Sacerdotium & similia: tamen quædam sunt ita alterius partis propria, vt ad alteram non pertineant: qualia sunt Clerus, Sacerdotium, ordo Hierarchicus, Ecclesiastici, & id genus similia. Rursum Laici, & populus Christianus, seculares, & id genus reliqua. De sacerdotio istud demõstrabitur suo conuenientiùs in loco, nũc de Cleri nomine aptiùs disseramus: quod vt inuidiam Sacerdotibus faciant, aduersarij confingunt istud nominis Clericos sibi arrogasse cum Laicorum iniuria, perinde quasi sint ipsi Dei sors potiùs, quàm Laici. Vellem equidem aliud nomen, inquit Caluinus Institut. cap. 8. magis proprium illis inditum fuisse. Hæc enim Clericorum appellatio ex errore, vel certè praua affectione nata est, cùm tota Ecclesia Clerus, hoc est, hæreditas Domini à Petro dicatur. Certè tua ista Caluine in Clericos maligna affectio ex ignoratæ Clericorum originis errore nascitur. Qui namque olim in Clericorum allegebantur consortium, spretis huius mundi opibus, contemptis facultatibus, distributis in pauperum vsus patrimoniis vel locupletissimis, pauperes in pauperrimum transibant pauperis Christi

Inuidiosa Caluini in Clericos calumnia.

Clericorum origo.

Iesu contubernium. Huius rei fidem certissimam faciat vnus Cyprianus, qui vt Pontius eius Diaconus, atque Diuus Nazianzenus in illius vita testantur amplissimas opes, cùm genere esset patricio apud Carthaginenses, egenis dispartitus, in Clericorum egenus admittebatur collegium.

Posset hæc res exemplis pluribus illustrari, quæ cùm sint passim in historiis obuia, & ex Diuo Hieronymo in vulgus nota, nolumus esse frustrà copiosi. Neq; vlli dubium fieri potest, qui ex sacris Canonibus mores primitiuæ Ecclesiæ vel primis, quod aiunt, labris degustarũt. Liquet enim illinc Clericos in vniuersum omnes Episcopi (qui verè fuit Ecclesiæ Oeconomus, vti Paulus appellat, atque eleemosynarum Parochus & distributor) dispensatione atque cõmunicatione ali, nutriri, atque vestiri solitos. Quæ distribuendi in Clericos piorum oblationes ratio, cùm sit quorundam improbitate, ne auaritia dicatur, quam Synodi aliquot castigare nitebãtur, sublata; atque pro tota Ecclesiasticarum rerum possessione quarta duntaxat portio illis relicta, iam non tam auaritia, quàm insana illa prodigalitas esset refrenenda, qua piorum eleemosynas haud aliter passim, nec meritorum, nec hominum ratione habita effundunt, quàm si bona essent, vel feudi, vel patrimonij. Imò vt verum citra offensam dicere liceat, haud aliter dilapidãtur, quàm si ad profundendum, helluandum, abliguriendum, & semel deuorandum Ecclesiæ Christi relicta piorum patrimonia constituerentur: quod exemplis quotidianis notissimũ magis supplicis apud Dei misericordiam eget deprecationis, quàm fusioris commemorationis. Videmus enim, prô Deum immortalem, quid bona patiantur Ecclesiastica, non à viuis modò, sed à mortuis, si superis placet, per testamenta. Quasi verò bona illa ex piis maiorum nostrorum eleemosynis, sudoribúsque collecta, quæ Episcopis in suam cessêre portionẽ multò amplissimam (hîc enim de aliarum portionum æqualitate, aut obliterata possessione nihil dicimus) alterius sint post illam in 4. partes distributionem, aut rationis, aut naturæ, quàm fuêre antea. Verùm hac de re alibi opportu-

Clerici olim omnes paupe res de Ecclesiæ eleemosynis victitãtes.

Vide apud Gratianum 21. q. 1.

Titum 1.

Insana bonorũ Ecclesiasticorũ hodie profusio & dilapidatio.

nior erit aliquando, ſperamus Deo propitio, querulandi locus. Cùm igitur illi (vt ex diuerticulo ad propoſitum redeat oratio) qui in Clericorum allegebantur cõtubernium, inopes ex opulentis ad pauperem ſeipſi transferrent Chriſti familiam, illum ſibi pro terrena hæreditate præoptantes in Clerum, id eſt, ſortem & hæreditatem, an non optimo merito Clericorum nomen ſibi inuenêre? Non igitur Eccleſiaſticis hominibus hanc Cleri appellationem error peperit, aut praua affectio mutuauit, quod inuidia tumidus euomuit Caluinus: ſed ipſa terrenæ huius hæreditatis cum illa cæleſti, quæ Chriſtus eſt, commutatio commodauit. Quanquàm igitur Cleri nomen, quia & appellatiuum eſt, ad omnẽ pertineat, ſenſu quodam Chriſti populũ, vti Pſalmo ſeptuageſimoſeptimo: Si dormiatis inter medios Cleros: vſu tamen Eccleſiaſtico, vt Diaconus, Papa, Preſbyter, & alia ſexcẽta, ab ipſis adeò Apoſtolorum temporibus alteri tantùm corporis Chriſti parti, quæ Eccleſiaſtica dicitur, fuit attributum: ſicuti & gregis nomen omnes complectitur in vniuerſum Chriſtianos, ſi paſtorem Chriſtum reſpiciat: alteram verò Chriſtiani populi partẽ, ſi Epiſcopũ, aut Parochũ. Sicut igitur gregis nomen propriè populo tribuitur: ita & Cleri appellatio in eos, qui in illorũ veterum olim Clericorum locum hodie noſtro plerique omnes nomine indigni ſuccedimus, propriè conuenit, ſicuti & ipſo Apoſtolorum ſeculo. Non enim Diuus Petrus totã Eccleſiam Clerum appellat, vti ſuſpicatur Caluinus, nullo veteris commentarij teſtimonio ſubnixus; ſed eam corporis Chriſti partem, quę & hodie Cleri nomen obtinet. Clerum enim hoc loco, teſte Oecumenio, ſacrum appellat cœtum, quemadmodum & hodie, inquit, & nos etiam appellamus. Sicuti ergo iubet D. Petrus Preſbyteros, id eſt, Epiſcopos, gregis vniuerſi eſſe typos atque formam, ad quã populus ſuos mores Chri-
" ſtiano nomine dignos conformet: ita vt Cleris non do-
" minentur, neque in ſuos collegas regio more ſint imperioſi, præcipit. Hunc in ſenſum priſca Clerum intellexit Eccleſia. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, ait Diuus Cyprianus de Simplicitate Prælat. qui aduerſus Chriſti Sa-

Clerici cur veri dicti.

Clerũ Petrus vocat Eccleſiaſticos. 1. Petr. 5.

cerdotes facit, qui se à Cleri eius, vel plebis societate secernit? sic apud alios persæpè. Sed nunc locus est, vt Clericorum munia atque functiones, vetustásque inter ipsos distinctiones persequamur, quod post explicata huius Sacramenti synonyma, & vbi Ordini suum inter Sacramenta locum vindicauerimus, aggrediendum erit.

Synonyma Ordo, ordinatio, Sacerdotium.

Quod hodie Ordinis dicitur Sacramentum, Augustini seculo erat Ordinationis, sicuti & ante & post eius ætatem Sacerdotij nomē habuit apud Latinos quidem, apud Græcos verò τῆς ἱερωσύνης, & aliquando τῆς ἱεραρχίας sacri principatus.

Ordo cur huic Sacramento contigerit nomen.

Ordo Clericos instatione quasi collocat excubitores castrorum Dei.

Ex variis istis Sacramenti huius appellationibus palàm fieri potest, ipsum Ordinis nomenclaturam obtinuisse, non tam quòd politiam quandam efficiat Ecclesiasticam, quàm quòd Clericos in suas quemque classes redigat, atque ordines collocet: ne Ecclesia, quæ dum à Domino peregrinatur, hîc militans in aciei speciem ordinata, suis vnquàm destituatur ministris, qui fortium in morem militum, quod ad totius exercitus salutem faciat, sedulò curare ament, non pugnando tantùm, sed & excubias vigilanter custodiendo, ne hostes adeò infestè, adeò in illius necem pertinaciter coniurati, cladem vllā immanem incuriis, stertentibus, atque præsenti semper periculo expositis inferant.

Cæterùm quod inter Laicos matrimonij efficit Sacramentum, vt perpetuum quoddam populi Christiani veluti seminarium, hoc per Ordinis Sacramentum inter Clericos geritur, vt perpetua quædam virginea ministrorum Ecclesiæ Christi soboles oboriatur, gignatur, & educatur. Non minùs enim ministri Ecclesiæ suæ à Christo electi hac corporis istius tabe pessundati emoriuntur, quàm ille populus primùm à Christo, eiúsque Apostolis, vt ipse esset Ecclesia, vocatus. Proinde cùm vtrinque certus impendeat Ecclesiæ Christi interitus, si vel Clericorum genus, vel Laicorum populus semel intereat, Spiritui sancto Ecclesiæ Magistro placuit, talem in sua Republica instituere politiam atque gubernandi rationem, qualem & prudentia humana in re-

gnorum administratione animaduertit necessariam. Quemadmodum igitur non vt quisque natus est, ita cõtinuò est aut consul, aut prætor, aut alius quispiam magistratus: ita nec vt quisquam in Christo est renatus, simul est in Christi regno, aut Clericus, aut Diaconus, aut Sacerdos. Vt enim illic electio accedat oportet, atque publica ordinatio: ita & hîc oportere, nemo ita absurdus est, qui non videat. Quod cùm aduersarij ipsa rerum necessitate coacti comprobant, non est, quòd hac in re statuenda laboremus. Verùm quia inane Ordinationis nomen retinent, quam aut principibus adulantes ascribunt, aut suis Symmistis ea non dotatis hallucinãtes tribuunt, agè demonstremus, eam apud Catholicos semper ab ipsa Apostolorum vsque ætate veri nominis creditam esse Sacramentum.

Caput LXXVI.

Ordinationẽ Ecclesiasticã semper Sacramentum habitam.

Act. 1.

Die Paschæ Christus Apostolos facit nostræ reconciliationis nuncios.

Ioan. 20.

Quid sibi velit, ꝙ Christ⁹ in Apostolos inflat, antequã eis potestatẽ dat ligandi aut soluendi.



NVlli dubium fieri potest, quin ea omnia, quæ Christus Dominus in terris agens gesserit, ad suarum ouicularum salutem promouendam & perficiẽdam fuêre instituta, atque peracta. Siquidem à Sapiẽtia illa cælestium thronorum paredro atque assessore aut stultè, aut temerè geri potuit nihil. Quod vt in iis, quæ ante salutiferam eius mortem vel dicta sunt, vel facta, sanctissimo cum studio animaduertuntur: ita in iis, quæ diebus illis quadraginta in vitam à mortuis reuocatus de regno Dei loquens egit, singulari pietatis diligentia obseruantur. Proinde à miraculo non est alienum, quod ipso augustissimæ in vitam resurrectionis die, simul atque Apostolos creasset suum in locum Apostolos, siue pacis nostræ atque reconciliationis cum Deo Patre iam mundo impetratæ nuncios, cõtinuò in illos inflans: Accipite Spiritum sanctum, ait, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Vbi sedulus gestorum Christi perscrutator miratur meritò, ecquid sibi hæc Christi in Apostolos velit inflatio? quæ haud dubium maximæ cuiuspiam rei fuit Symbolum. Cùm enim Christus rectè

Adam ſecundus à Diuo Paulo dictus, illius fuerit Adam primi antitypon, ſicuti ille in animam factus erat Dei ſpiraculo viuentem: ita Christus, Deo vitam immortalem per reſurrectionis vim aſpirante, in animam viuificantem: quam cùm non poſſit inſtaurãdo generi humano impartiri, niſi depulſa mortis, quæ in omnes ſemel Adæ illius primi poſteros imperium poſſidet, cauſa, hoc eſt, peccato deleto atque abolito, rectè priùs Apoſtolis nouæ noui per Chriſtum creati mundi ſobolis authoribus atque Patribus Spiritum illum viuificãtem afflauit, quàm tollendorum peccatorum poteſtatem communicauit. Quam ergo hic Apoſtoli à Chriſto ordinati Preſbyteri, ſiue peccatorum, vel ſoluendorum, vel ligandorum adminiſtri accepêre Spiritus ſancti poteſtatem, eãdem prorſus & ij ad vnum omnes ſunt conſecuti, & cõſequuntur etiamnùm hodie, qui aut ab ipſis illis Apoſtolis, aut illorum ſucceſſoribus ad illud miniſterij ordinatis eandem accepêre peccatorum remittendorum poteſtatem. Hũc in modum D. Paulus per manuum impoſitionem Acto.13. ordinatus Titum atque Timotheum ordinauit Preſbyteros, qui tantam hac Paulina ordinatione cæleſtium chariſmatum atque donorum Spiritus adepti ſunt copiam, vt iis freti, ſuum miniſterium ſanè quàm arduum poſſent & ſuo nomini cõgruẽter, & Deo dignè exequi. Quod enim de Timotheo teſtatur Paulus: Moneo te, inquiens, vt reſſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum, 2. Timoth.1. Rurſum 1. Timoth. 4. idipſum & de Tito, aliiſque in vniuerſum omnibus à Paulo, aliiſque ordinatis non poteſt non intelligi. Si ergo præter peccatorũ remittendorum poteſtatem creati ab Apoſtolis Preſbyteri copioſam accipiebant manuum impoſitione Spiritus ſancti gratiam, fieri non poteſt, quin illud ordinationis ſymbolum, atque manuum impoſitio in creandis Preſbyteris ſit credita ab ipſis Apoſtolis adeò veri nominis Sacramentum. Nempe Apoſt. Paulus atque gratiã atque Dei donum accepiſſe teſtatur Timotheum, *ὅ ἐστὶ ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου*, quod eſt in te, inquiens, per impoſitionem manuum mearum (quod non de alia

1. Cor. 15.

Pſal. 48.

Sic D. Euodius apud Nicephorũ, quẽ lib. 1. ca. 4. recitauimus.

2. Timoth. 5.

Gratiã fuiſſe ordinatis datã per Sacramentum Ordinis Apoſtolorũ ætate.

manuũ impositione intelligatur, quàm quæ in presbyterio, admonet prioris ad illũ epist. locus: Cum impositione manuum Presbyterij, id est, totius Presbyterorũ collegij, qui vti & hodie apud Augusta. aliósque nõnullos, vnà cum Episcopo manus ordinandis imponebant) idipsum haud dubiùm, & de Tito & de aliis affirmaturus, si ita tulisset occasio. Iam quis adeò absurdus sit, qui Episcopis per alios Apostolos ordinatis minùs gratiarũ cõtigisse asserat, quàm qui à D. Paulo? Cùm igitur eandem per exterius illud visibile signum Deus donauerit Spiritus sancti gratiã erat sanè proprij nominis Sacramentum. Porrò ne quis hîc frigida distinctiuncula elabendum putet, aliud sentiendũ esse de Apostolis Presbyteros ordinantibus, aliud de illorum successoribus, quasi hi quàm illi minus contulerint gratiarũ Spiritus sancti, etiam atque etiam cogitãdum est, ipsum D. Paulum inter illos decem Apostolos, quos Christus suo afflabat Spiritu, non interfuisse. sed per illorum manus impositionem factum fuisse gratiarũ istarũ Spiritus sancti participem, Act. 13. sicuti & gratiarũ Baptismi, Act. 9. Quod igitur Apostolorũ successores atque propagandæ Christi Ecclesiæ socij ordinatis à se Presbyteris Ecclesiarum rectoribus conferebant gratiarũ cælestium flumen, hoc perpetuo quodam fluxu continua Episcoporum successione in vniuersos Catholicæ Ecclesiæ deriuatum est Presbyteros, etsi non illa exundantiori charismatũ copia. Quæ res locupletissimis Scriptorum veterum confirmanda est testimoniis.

Collegium Presbyterorum olim vti & hodie Augustæ, imponebat manus ordinandis.

Diuus Augustinus locum illum Ioannis 20. pertractans: Inspiratio hæc, inquit, libr. 4. veteris & noui testamenti cap. 93. gratia quædam est, quæ per Traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur: vnde Apostolus dicit ad Timoth. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij. Semel ergo fieri oportuit, vt decæterò traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse credatur. Sicut enim in Saluatore forma data est visibiliter, vt post Baptismum Spiritus sanctus credẽtibus decæterò inuisibiliter dari non ambigeretur: ita

Ordinẽ veri nominis esse Sacramentũ docet Augu.

& in suprà dicta causa forma data est in principio, vt ex eo Traditioni Ecclesiasticæ Spiritus sanctus infusus credatur. Rursum aduersus Permenianũ de Baptismo apud Donatistas malè iterato disputans, perperàm Baptismũ ab illis iterari docet, qui Ordinationem non repetunt. Vtrumque enim Sacramentum est, inquit libr. 2. cap. 13. & quadam consecratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideóq; in Catholica vtrumque non iterare licet. Et paulò pòst: Cùm hoc expedire videatur Ecclesiæ, vt Præpositi eorum (Donatistarum) venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manẽt super eos: Ideóque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria. Sic & de bono coniugali capite 24. quòd in ordinatis manet Sacramẽtum Ordinationis, etsi aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quàmuis ad iudicium permanebit. Diuus quoque Cyprianus inter alia Ecclesiæ Christianæ Sacramẽta, & sacros recenset ordines. Cùm enim Sermo de pedum ablutione dixisset. Docetur Petrus, quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas, per quandam subiecit distributionem: Nam Baptismum, inquiens, repeti, Ecclesiasticæ prohibent regulæ. Nemo sacros ordines semel datos iterùm renouat: & quæ sequuntur alibi cõmemorata. Similiter & Diuus Leo Magnus ordines sacros à ieiunis, & dandos, & accipiendos ex Apostolica docet doctrina. Vt intelligamus, inquit epistola 79. ad Dio. Alexand. quantum & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Quibus testimoniis multò clarissimis etsi luce meridiana clariùs sit comprobatum, Ordinationem ministrorum Ecclesiæ apud Catholicos semper ab Apostolorũ vsque seculo inter Sacramenta fuisse habitam, quod & Concilij Florentini decreto, si opus sit, confirmetur, quod & materiam & formã huius Sacramẽti luculẽter explicata dedit: vnũ tamẽ ex postremis Philippi Melanchthonis

D. Cyprian. Ordinẽ docet Sacramẽtum.

D. Leo illis suffragatur.

Philippus Melāchthon palinodiā canens, docet nūc ordinationem esse Sacramētū.

Locis communibus est adiiciendum, quo & suum Euāgelium adeò variè libellis in orbem effusum subuertit, & Symmistarum doctrinam, quæ vel duo tantùm, vel summum tria fingit Sacramenta, conuellit. Cùm enim suam de dogmatibus in controuersia positis doctrinam aliquot partibus sibi putasset recudēdam in Locis communibus anno 52. editis, quod pridem orbi pro Euangelio venditarat, nunc Manichæorum appellat insaniam, putà liberi arbitrij necessitatem, strenuè olim defensam: Rursus hîc tria cùm prædicat esse Sacramenta, quæ in aliis editionibus duo tantùm in Euangelio agnoscebat: Mihi maximè placet, ait, etiam addi Ordinationem, vt vocant, id est, vocationem ad ministerium Euangelij, & publicam eius vocationis approbationem; quia hæc omnia mandato Euangelij præcipiuntur, vt ad Titum, Constitue Presbyteros, vt iussi. Et est addita promissio omnium maxima & dignissima cognitione, quæ testatur, Deum verè efficacem esse per ministerium eorum, qui voce Ecclesiæ electi sunt, vt testatur dictum vniuersale de Apostolis, & omnibus sonantibus verbum traditum per Apostolos, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Christus Ioan. 18. Rogo non pro eis tantùm. Et, Quorum remiseritis peccata, &c. &, Ego sum vitis, vos palmites, & cætera. Quæ cum aliis Scripturarum sententiæ, vt sunt sine iudicio cōgestæ, ita maximam hominis apud Symmistas produnt stultitiam, quod illo ad Romanos dicto, vti ait, vniuersali, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, nouum conatur excoquere Sacramentum quod inde suam colligat vim. Si enim Euanlium est potentia Dei, nihil refert, à quónam populis annuncietur, an eius vocatio publica sit, an priuata: Rursum si hoc verum est, non iam ministri Ordinatio, siue ad ministerium Euangelij vocatio erit Sacramentum, sed ipsum Euangelium atque doctrinæ Euangelicę vox, quæ fidei habet seminarium.

Caput LXXVII.



Ed hæc miſſa facientes, ipſos nunc gradus conſtituamus, quibus ad Sacerdotij dignitatem aſcenditur. Vbi quis ex Laicorum grege ad Eccleſiaſticorum ordinem meditabatur tranſitum, in ipſo veluti oſtio creabatur Clericus, quòd in poſterum non huius mundi trāſeuntis ſimul & pereuntis opes, ſed Deum Opt. ſibi quæreret ſortem, contemptóque patrimonio cæleſtem pauperis Chriſti ambiret hæreditatem, ſicuti fuſiùs paulò antè docuimus. Quod & hodie, qui creantur Clerici verbis quidem haud ſanè obſcuris profitētur: Dominus, inquiunt, pars hæreditatis meæ, &c. In cuius rei teſtimonium Epiſcopus illis capillitium (quod huius ſeculi quidā priſcis fuit ornatus, cùm aut in gradus fracto, aut calamiſtrato, aut cirrato mundus gloriabatur cincinno) accidit, atque in coronulam verticem monet radendum. Cæterum quòd in coronam crinis radatur, quia nunc ab aduerſariis luditur & ridetur, vera eius rei origo nobis eſt eruēda, atque ab iſtorum ſannis vindicāda. In præſentiarum verò parùm nos habet ſolicitos, vtrùm ad myſterium pertineat, néc ne, de quo alibi opportuniùs, modò Apoſtolicam habere oſtendatur imitationem.

De gradibus Clericorum.

Clerici cur.

Corona Clericorum ab Apoſtolis deriuata.

Quòd igitur Clericorum Ordo capillitio vtatur certa lege attonſo, ex Apoſtolorum exemplo D. Germanus ille Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus in hiſtoria
ſua teſtatur Eccleſiaſtica, ſiue myſtica Theoria: Gemina, »
inquit, in Sacerdotis capite circūfuſa corona ex capillo- »
rum figura, εἰκονίζει τὴν τοῦ ἀποστόλου πέτρου τιμίαν κάραν, ἣν ἐν »
τῷ τοῦ κυρίου καὶ διδασκάλου κηρύγματι ἀποσταλεὶς καὶ καρεὶς ὑπὸ »
τῶν ἀπειθούντων τῷ λόγῳ, ὡς ἐμπαιζόμενος ὑπ' αὐτῶν, ſignificat »
venerandum Apoſtoli Petri caput, quod illi Chriſtum Dominum prædicanti deraſum fuit ab iis, qui Euangelio non crediderunt ludibrij cauſa, cui Chriſtus benedixit, & contumeliam vertit in honorem, ludibriúmque in gloriam. Huic Diui Germani ſententiæ mirificè ſuffragatur venerādus Coelfridus Ingrinenſis in An-

" glia olim ad Tinam fluuium Abbas, qui Naïtano Picto-
" rum in Septentrionali Anglia Regi ante annos circiter
" 800. scripsit in hæc verba, quę V. Beda illius fidelissimus
" collega commemorat lib. 5. Eccle. hist. Angl. cap. 22. Ve-
" rùm, inquit, his de Pascha succinctè, vt petistis, strictím-
" que commemoratis, tonsuram quoque (de qua pariter
" vobis literas fieri voluistis) hortor, vt Ecclesiasticam &
Christianæ fidei congruam habere curetis. Et quidem
scimus, quia neque Apostoli omnes vno eodémque sint
modo attonsi, neque nunc Ecclesia Catholica sicut vna
fide, spe, & charitate in Deum consentit: ita & iam vna
" atque indissimili totum per orbem tonsuræ sibi forma
" congruit. Et post pauca: Verùm si profiteri nobis libe-
" rum est, quia tonsuræ discrimen non noceat, quibus
" pura in Deum fides, & charitas in proximum sincera
" est, maximè cùm nunquàm Patribus Catholicis sicut
" de Paschæ vel fidei diuersitate conflictus, ita etiam de
" tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controuersia.
" Inter omnes tamen, quas vel in Ecclesia, vel in vniuerso
" hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis se-
" quendam nobis amplectendámque iure dixerim ea,
" quàm in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Do-
" minus ait: Tu es Petrus, & cætera. Nullam verè magis
" abominandam, detestandámque meritò cunctis fideli-
" bus crediderim ea, quàm habebat ille, cui gratiam Spi-
" ritus sancti comparare volenti, dicit idem Petrus: Pecu-
nia tua tecum sit, &c. Neque verò ob id tantùm in coro-
nam attondimur, quia Petrus ita attonsus est: sed quia
Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus
est, idcirco & nos, qui per eandem passionem saluari de-
sideramus, ipsius passionis signum in vertice, summa vi-
delicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim om-
nis Ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris Ecclesia
facta est, signũ sanctæ crucis eius in fronte portare con-
sueuit, vt crebrò vexilli huius munimine à malignorum
Spirituũ defendatur incursibus, crebra huius admoni-
tione doceatur, se quoque carnẽ suam cum vitiis & cõ-
cupiscentiis crucifigere debere: ita etiã oportet eos, qui
vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, ar-

Tonsuræ varietas Ecclesiæ vnitatem non violat.

Sic & in Cõcilio Trib. ca. 20. Clerici in hoc radũtur, vt solicitudinem coronæ Domini in capitib⁹ suis gerant.

Verus atque Christianus ceremoniarũ vsus.

ctioribus se necesse habent pro Domino continentiæ »
frenis astringere. Formam quoque coronæ, quam ipse »
in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac »
tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret, & auferret à nobis, suo quenque in capite per tonsuram præferre. Vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant. Vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, próque huius perceptione & aduersa se mundi & prospera contemnere designent. Cæterùm tonsuram eam, quam Magum ferunt habuisse Symonem, quis rogo fidelium non statim cum ipsa Magia primò detestetur, & meritò exufflet? Quæ aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre, sed vbi ad ceruicem considerando perueneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, inuenies coronam. Vt meritò talem Symoniacis, & non Christianis habitum conuenire cognoscas, qui in præsenti quidem vita à deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloria coronæ, sed in ea, quæ hanc sequitur vitam, non solùm omni spe coronæ priuati, sed æterna insuper sunt pœna damnati. Cæterùm varias istas radendi capillitij formas non fuerit fortè inconsultum ad vnum iuxta priscos Canones modũ reuocare: quem prçclarè nobis Concil. Tolet. 4. Cano. 40. præscribit: Omnes Clerici vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant: non sicut huc vsque in Gallitiæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt Laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondentur. Ritus enim iste huc vsque in Hispaniis hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando ab Ecclesiæ scandalo hoc signum dedecoris auferatur. Qui secùs fecerit, fidei Catholicæ reus erit. Sed his de rebus minimis facilè foret statuere, si infanda Ecclesiæ scandala, dedecora, probra, de medio essent alicuius Chrysostomi aut Ambrosij zelo sublata.

Ad hunc ferè modum & D. Germanus Archiepiscopus Cõstã. in sua mystica theoria dñ recitata.

Vnde irrepserit coronula ista triobularis in apice Clericorũ.

Ex hoc igitur Clericorũ veluti seminario (vt tandem ad institutum recurrat oratio) varia solent ministrorum

Alia Clericorum officia nunc abolita. *Fossores.* *Syngeli.* *Copiatæ.* *Vide Epiph. 7 epitome doctrinæ Catholicæ.*

Ecclesiæ surgere plantaria: quæ etsi nunc temporis in septenos duntaxat differantur Ordines, apud veteres tamen plures obseruauimus, hodieq; propè incognitos: qualis fossorum fuit, Syngelorum & Archisyngelorum, Primiceriorum, Secundiceriorum, atque defensorum. Mortuos enim sepeliendi officium à Clericis olim peragi solitum satis fuerit apud Græcos ex Epipha. indicasse, qui inter alia Clericorum officia, & τῶν κοπιάτων meminit, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, qui corpora eorum, qui obdormierant in Domino, curare solebant. Vitus Amerbachius Operatores vertit, crassiùs Cornarius laboratores.

Clerici olim defunctorum sepultores.

Apud Latinos quoque Diuus Hieronymus mulierem illam septies ictam à Clericis testatur sepultam. Neque id sanè præter decorum cuiquam videri factum debet, cùm ipsos olim Episcopos nihil puduerit, Christianorum corpora suis subiectis humeris ad sepulchrũ deferre sepeliẽda, aut cereos suis manibus prȩferre accensos: quemadmodum & sua ȩtate Diuus Hieronymus Fabiolæ corpusculo vsu venisse testatur, in eius epitaphio. Huius autem rei cura vtrum olim ad Cardinales Diaconos, quibus Martyrum causa fuit commissa, pertinuerit, vt quidam volunt, nec ne, in præsentia non est disputandi locus.

Syngelus & Archisyngelus officiorũ nomina sunt apud Græcos.

Iam de Syngelorum officio illud tantùm dicimus, quia nobis Græcanicæ Ecclesiæ facies est ignota, cauendum esse quorundam nostri temporis hominum sanè minimè imperitorum errorem, qui nomen proprium esse autumant. Hoc enim refellit Archisyngelorum vox, quæ alicubi apud veteres Scriptores occurrit, vti in Concilio Constantinopolitano & in Florentino interfuit Archisyngelus.

Neocorus vel æditunus.

Est & apud Nazianzenum aliud Ecclesiasticum officium, quo Diuum Cyprianum scribit fuisse functum "humiliandi animi causa: Ouis sacra fit caulæ sacræ, inquit oratione in Diuum Cyprianum, & vt ego à quodam audiui, νεωκόρος, Neocorus etiam, siue æadituus, qui res sacras custodit, ornátque, purgat, rogatus, vt in humilitate ob prioris arrogantiæ purgationem philosopharetur.

Quibus ex verbis intelligere eſt iuſtiſſimam illius veteris Canonis ſaluberrimi cauſam, quo vetebatur quis ad ſuperiorem tranſilire ordinem Eccleſiaſticum, ni anteà ſuum per tempus in inferioribus miniſtraſſet. Sic enim viſum eſt Spiritui ſancto, cuius verè ſunt oracula veteres Canones, vti eſt apud Damaſum cap. Violatores, idoneos illos tremendorum myſteriorum miniſtros fieri non poſſe, niſi illorum minorum ordinum miniſteriis ceu veræ pietatis, humilitatis, modeſtiæque omnis tyrociniis anteà fuerint exercitati ac pręparati. Ita enim omnibus naturâ comparatum eſt, vt ſuperbo carnis noſtræ ſenſu inflati, humilia illa Eccleſiaſtica munia obire pudeat: quæ ſtulta animi noſtri arrogantia, vt ad modeſtiā reducatur, prudentiſſimè à Patribus conſtitutum fuit, vt humilibus illis functionibus animus Chriſto humilitatis Domino præpararetur, quò ad ſublimiora illa diuina myſteria paulatim aptatus poſſet aſcendere idoneus. Hanc equidem, ſicuti arbitror, veriſſimam fuiſſe cauſam, cur tot eximiis veréque Apoſtolicis priſcam legimus floruiſſe Eccleſiam Epiſcopis, omníſque ordinis Dei miniſtris: ita è diuerſo huius Canonis non dico negligentiā, ſed contemptum, ſed proculcationem noſtræ iſti calamitati deploratiſſimæ authorem eſſe: quæ ita Catholicam afflixit Eccleſiam, vt plurimas per prouincias vix ſit in toto Cleri grege reperire, qui ſuum non dico faciat munus, ſed facere ſciat, exceptis aliquot fortè Parochis. Si enim illud Cleri cogites ſeminarium, vnde miſello populo eligantur Epiſcopi, Archidiaconi, Archipreſbyteri, Scholaſtici, Præpoſiti, Decani, Vicedecani, vide obſecro, ánnon hodie veriſſimè illud rectè conqueraris: Filij Belial neſcientes officium ſuum, populúmque ſua & impura & imperita auocantes à Dei cultu? Hanc noſtri fundi calamitatem vnde quæſo exiſtimes iſti electæ Dei vineæ inflictam, niſi quòd cathedram conſcendit Epiſcopus vixdum Clericus? niſi quia creatur Archidiaconus, qui Diaconi non nouit officium? niſi quia fit Abbas, qui Monachum nec vidit, nec vixit? Quia igitur iſti ſibi primas in Eccleſia arripiunt cathedras aut obtruſas, aut illegitimè obtentas, hinc iſtæ Chriſti Eccleſiæ lacbrymæ. Ex

Vndènam faſtuoſus iſte Clericorum ſpiritus atq; ferocia.

25. q. 1. violatores.

1. Reg. 2.

Calamitatis Eccleſiaſticæ cauſa à præpoſteris Clericis.

aulicis enim perditissimis, aut quod omni ætate fuit post Christianorum memoriam inauditum, ex militibus deploratissimis, iisque sanguinariis tam publico cum totius orbis scandalo iam, ô cælum, ô terra DEI loco ad Ecclesiæ collocantur, imò repentè intruduntur gubernacula. Quid, quod & puerilis & adolescentulis creduntur hæc tractanda? Quid isti aliud, quàm semilaceram Christi nauiculam tot partibus hæreseon vulneribus hiantem, tanta scandalorum saburra plus æquo grauatam, tanta denique abusuum intolerabilium sentina supra modum onustam ac propè depressam semel euertant, subruant, demergant? nisi sua pro incomparabili in nos pietate nauclerus Christus immeritissimo ei succurreret opitulaturus subsidio. Hunc igitur deprecemur omnes, vt impendens suæ nauiculæ ex vectorum ineptia periculum nos miseratus auertat, eíque idoneos præficere dignetur propitius nauclerôs, qui & monitis & exemplis Christianum populum per istud vitæ miserrimæ salum in tranquillum æternæ salutis portum peruehant.

Tragicum Ecclesiæ Christi malum ab ineptis Clericis hodie piis metuendum.

Hanc non tam meam, quàm piorum omnium, quos audiui plurimos, quorum & verbis studui referre, querelam hîc inserere meus cogebat animus, hoc graui scandalo vehementer afflictus, & quotidiana propè indignatione perturbatus: quam qui mecũ agnoscit veram, communibus mecum suspitiis atque lachrimis Deum exorare pergat, vt somno & sibi & suis seruis præpositis vel tandem, excusso ministros det suo respondentes nomini: quod fiet, si per humilia illa minorum ordinum ministeria ceu tyrocinia præparati, ad diuina illa maiorum ordinum sacra peragenda, non cognationis, ministerij, aut alterius illegitimæ rationis affectu intrudantur, sed iudicio allegantur, atque elapsis ministeriorum illorum ritè exhibitorum temporibus statis ad sublimiora assumantur. Sed nunc ex parergo ad institutum redeat oratio.

Fons reformandæ Ecclesiæ.

Caput LXXVIII.



Isce igitur similibúsque sacrorum officiorum functionibus Clericorũ populus distingüebatur, quæ temporum lapsu aut aliis sunt adiuncta ministeriis hodie perdurantibus, aut consultò abrogata. Quare de iis obiter nunc est dicendum, quæ etiamnùm in Ecclesia suum habet si non vsum saltem nomen, quod disertè illorum loquitur originem atque institutionem, quam aliquando in vsum reuocandam cõfidimus, quum altum istum somnum Deus Opt. nostris peccatis iustissimè iratissimus & sibi & Episcopis excusserit. Porrò quo quisque tempore in Ecclesia receptus sit, hîc non est disputandi aut inquirendi locus, sed libris nostrarum Originum sacrarum id dabitur negotij. Sic an istorum singuli Sacramenta sint, an potiùs ad Sacramenti dona præparatorij, hîc non est opportunum inuestigare, cùm de hoc facilè nobis cum aduersariis conuenturum existimem, si eis ordinationem Presbyterorum queat Sacramenti vim habere ad veritatem persuaderi. De hoc igitur inter Catholicę Ecclesiæ filios discorditer docetur, sed salua fidei pace: Verùm D. Thomæ quàm Caietani atque Durandi opinio ad veritatem est procliuior. Eos qui desiderat, fusiùs consulat, nos institutum persequimur. *Gradus Ecclesiastici explicati.*

Qui nunc igitur in Ecclesia vigent Ordines, aut minores appellantur, aut maiores, à ministeriorum, quibus destinantur, aut humilitate aut dignitate. Ostiariis quid fuerit officij, nomen sonat: quibus hodie in stupenda hac Ecclesiarum negligentia nullus est sui officij vsus, cùm templa non modò prophanorum hominum polluantur ingressu, sed etiã sacratorũ ministeriis, qui aut Symonia nobiles, aut cũcubinatu infames sacra cõtaminãt. *Ordines minores & maiores.* *Ostiarij.*

Lectorum vices explent non Lectores, sicuti & Psalmistarum locum inuadunt isti Musici, non tantùm vt de choro eiiciantur dignissimi, cùm propter vitæ improbitatem, qua passim nimiùm sunt nobiles, tum propter impudicos amorum, aut indignos bellorum modulos sacris Dei laudibus insparsos: sed etiam propter theatricã *Lectores.* *Psalmistæ.* *In nostri seculi musicam templis explodendam.*

magis ſonorum confuſionem, quàm religioſam pietatis ac deuotionis moderationem, quam piorum animis paſſim gignere noſcuntur: non enim nunc ſuo cantu Muſici auditorum animos tam ad pietatis cultum, cæleſtiáque excitant deſideria, quàm auocant, auertunt, alienãt. Scio enim aliquando diuinis me interfuiſſe laudibus, cùm vel attentiſſimus auſcultarem, ecquid fortè pſalleretur? ne vnum quidem potuiſſe intelligere verbum, ita erant omnia ſyllabarum repetitionibus commiſta, vocibus confuſa, clamoribus potiùs horridulis, quàm càntu obſcurata. Quanquàm non me fugiat, quibuſdam Muſicam cum organis & Muſicis rectiùs videri retinenda: quibus equidem perlibenter aſſentiar, ſi vnà pro iſto Muſices genere, quod nunc paſſim Eccleſias occupat, aliud introducatur & grauius, & rebus ipſis conuenientius: & ſi non, vt oportet, pronunciationi quàm cantui vicinius, ſaltem rebus, quæ canuntur aptius atque accommodatius. Quo in genere Gregorianum, quem dicunt, equidem excellere arbitror: quod & nobiles quoſdam Muſicos iſto Gallico garritu non deprauatos non iudicaſſe tantùm liquet, ſed & ſua, quæ dicunt, Moteta illis modulis ceu fundamento ludentem, lambentêmque hederam circumfuderunt, quò canticum varia modulorum ſymphonia blandum rerum verbis ſignificatarum affectui quoque reſponderet: nunc cùm huius rei, quæ principem in Muſica habet locum, ignorantia laborent plerique omnes, quos ſuo vocant nomine, Componiſtæ; quis huius ætatis Muſicam cum illa priſca componat? Nunc enim audire eſt lœtiſſimos diuinę laudis hymnos, triſtiſſimis contaminari muſicorum modulis, contra lugubres Eccleſiæ threnos lœtiſſimo effuſos modulamine. Quid, quòd diuinos hymnos nõ modò theatricis, adeóque bellicis, & ſi dicere fas eſt, Galiardicis contaminant modis, ſed venereis quoque conſpurcant & amatoriis? Vnde illarum magis conſtantiam admiror Eccleſiarum, quæ iſtum præuidentes diuini cultus abuſum, ſemel muſicam illam choro maluerunt excludere, vti Traiecten. & quod audio Lugdunenſis: quàm illarum veneror magnificam, quam ipſi & putant, & iactant adeò, maieſta-

Iſtud teſtantur Miſſæ, varijs motetorũ & canticorum non Eccleſiaſticorum modulis accõmodatæ.

tem, qua Dei chorum omni phonaſcorum ſyntagmate, vocum omnis generis diſcrimine, imò & tubarum clangore, cornutorum ſtridore, alióque ſtrepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba ſemel obſcuret, ſenſúmque ſepeliat, & adobruat, ſibi præclarè gloriantur impleſſe. De quo plùs hodie Cathedrales laborant paſſim Eccleſiæ (quod ſanè non leuiter cordatis omnibus eſt deflendum) quàm vt habeant aut cantores Pſalmorum intelligentes, aut Deum vita ſimul & voce moderata potiùs, quàm incondito garritu laudantes. Verùm hanc labem Eccleſiam inde fortè cõtraxiſſe cuiquam videatur, quòd quæ nunc paſſim cantantur, non tam ad populi intelligentiam erudieudam, quod priſcos vbique ſpectaſſe indubitatum eſt, quàm ad meram Dei Optimi laudem, quocunque modo celebrandã frequentantur: de quo, eiúſque remedio, quid ſapientioribus videatur, audire malo diſciturus, quàm definire, indubiam plurimorum incurſurus reprehenſionem. Sanè ad iſtam (vt liberè dicere liceat, quod citra præiudicium in piorum deliberationem proponimus) non muſicam ſed inconditam nebulonum laſciuiam templis exturbandam nihil queat ſtatui præclarius, aut innouari ſalutarius, quàm à Ioan. 22. pridem ante annos 240. legimus conſtitutum, Docta SS. Patrum decreuit authoritas. Vide Extra Conc. lib. 3. Ti. 1. Quæ conſtitutio, ſicuti & aliæ innumeræ non tantùm prudentiſſimè, ſed & ſanctiſſimè definita, atque præſcripta, nihil præter ſeriam ſui obſeruationem deſiderat: ad quam ſi Eccleſiarum cantus reformetur, non eſt profectò, quòd magnoperè conquerantur aduerſarij hac in parte. Sed hæc parerga æquo fortè diutiùs nos ab inſtituto abducunt.

Renouanda Decretalis contra cantum Eccleſiaſticum.

Illis Pſalmiſtis ſuccedit Exorciſtarum Ordo, quibus malignorum Spirituum exorcizandorum, id eſt, adiurando expellendorum poteſtas eſt tradita. Horum miniſterium magis apud veteres licet agnoſcere, cùm ſua cuique munia conſtarent inuiolata. In hac autem ſacrarum functionum confuſione, vbi Sacerdotes non ſolùm ſibi Diaconorum, & Subdiaconorũ miniſteria vſurpant, ſed ſuæ dignitatis obliti aut veriùs depulſi, Cantorum

Exorciſtæ.

Intolerabilis miniſteriorũ Eccleſiæ conſcinnorum &

ordinatissimorum confusio, & ἀταξία.

etiam & Exorcistarum, Acoluthorum atque lectorum adeò munera sicut indignissimè obeunt: ita latet eorum functio, vt inane putatur esse nomen. Sicuti ergo Christus suos olim discipulos misit hac potestate munitos, vt Diabolum ex hominum siue pectoribus, siue corporibus etiam profligarent: ita certò Clericorum generi ea pòst fuit cura à Maioribus credita, vt homines vel ante Baptismum vel pòst, Dæmone obsessos & occupatos vindicarent, & in libertatem per Christum partam assererent, quemadmodum superiùs in Baptismi Exorcismo, Solis luce clariùs est demonstratum. Solent igitur Exorcistæ apud priscos suis Exorcismis Baptizandum Baptismo præparare, veterique Domino Diabolo eripere, Christóque vindicare, quemadmodum est agnoscere apud Dionysium Areopagitam.

Exorcistarũ admiranda vis in Cacodæmones.

Ad hæc si quis à Diabolo inuasus, fieret energumenus, eius gubernandi atque curandi per orationem & manuum impositionem prouincia penes Exorcistas erat. « Quibus enim hoc muneris Apostolica illa potestate ab Episcopis imponebatur, iis proculdubiò facultas dabatur, infestis iubere pacem, quod est apud Diuum Cyprianum libro secundo, epistola secunda, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos & erraticos Spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad Confessionem minis increpantibus cogere, vt recedant, duris verberibus vrgere conflictantes, eiulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cedere, igne torrere, res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, sed pœna manifesta. Hæc autem vniuersa per Exorcistas olim geri solita alibi apertiùs idem docet Cyprianus. Quod hodie etiam geritur, inquit epistol. 77. libr. 4. vt per Exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur, vt vratur, & torqueatur Diabolus.

Diabolus voce humana flagellatur, vritur, torquetur ab exorcistis.

Quòd autẽ ista Exorcistarum admiranda vis etiam Ethnicis fuerit olim notissima, locupletissimus nobis testis est insignis ille Romani fori causidicus Minutius Felix, qui aduersus idololatriam in suo Octauio (qui hodie falsa inscriptione Arnobium mentitur authorem, eius libris, quos septem tantùm aduersus gentes edidit, teste Diuo Hieronymo,

additus octauus) disputans: Hæc omnia sciunt plerique » vestrum, inquit, ipsos Dæmones de semetipsis confiteri, » quoties à nobis & meritis verborum & orationum in- » cendiis de corporibus exiguntur. Quam Exorcistarum » functionem vt Diabolus semper infesto studio est persecutus, pro eo atq; congruit, verberonem fustes odisse, & crucem fures: ita sua quoque non desinit excitare mancipia, quæ hoc flagellum si non deleant, verbis saltem infament, aut conuitiis lacerent.

Sic exorcizare olim Vlpianus Christianæ religionis hostis vocem scriptitabat esse impostorum, Christianos pro sua carnis prudentia notans. Sed quæ Caluinus hodie in Exorcistarum ordinem debacchatur, adeò sunt furoris Dæmoniaci dicam, án phanatici, plena, vt non vno aut altero Exorcista Christiano, sed septem illis Archipresbyteri Iudæi Sceuæ filiis Exorcistis habeant opus, De ementitis istis, inquit, cap. 19. Institut. Exorcistis quis vnquàm fando audiuit, quòd specimen vnum suæ professionis edideiint? Fingitur illis potestas data imponendi manus super energumenos Catechumenos, & dæmoniacos: sed tali se potestate præditos Dæmonibus persuadere non possunt, non modò quia eorum imperiis non cedunt Dæmones, sed etiam quia ipsis imperant. Vix enim decimum quemque reperias, qui non malo Spiritu agatur. Egregium verò Theologū, qui Exorcistarum nusquam didicit apud Christianos Scriptores ministerium. Ementitos dicit Exorcistas, per quos docet Diuus Cyprianus humana quidem voce, sed potestate diuina flagellari, vri, torqueri Diabolum. Sed specimē vnum suę professionis edidisse vllum vnquàm fando audisse negat. Qui Cypriani fidem habet testimoniis, aut Minutij Felicis in Octauio verbis, aliísque passim probatorum virorum scriptis, de potestate illis tradita ambigere, nisi cum insaniæ suspitione potest. Certè non rarum eius specimen hac etiamnùm ætate per nostram Hollandiam licet videre. Memini equidem me puero die vna tres energumenas, aut quinque potiùs (Nam vnus Spiritus tres simul mulierculas locorum interuallo haud exiguo dissitas possidebat) Exorcistæ opera fuisse li

L.1.ff.de extra.cognit.

Insana Caluini contra Exorcistas verba verè Exorcistis eū habere opus ꝺ loquūtur. ꝺ Act.19.

beratas. An non igitur Dæmonibus ſeſe tali perſuadeant Exorciſtæ præditos poteſtate, quum non modò eorum cedant imperiis, ſed verborum meritis & orationum incendiis cogantur ſuas, quod ait Cyprianus, fraudes confiteri, néc ne, videat nunc Caluinus.

Acoluthi. Sublimiorem in Eccleſia gradum occupāt Acoluthi, quos quidam minùs peritè non prohibitos ſuſpicantur, cùm ἀπὸ τοῦ ἀκολουθεῖν, ab aſſequendo nomen ſortiantur: nam Epiſcopis olim videntur adhibiti pediſſequi, vnde & in templis Epiſcopū præcedunt cereos ferentes. Hinc & Ceroferariorum nomine apud poſteros legūtur: quod verbum vt gentibus ac linguis omnibus fingit Caluinus inauditum: ita, qua eſt diuinandi peritiâ, coniectat eſſe magicum. At tu mihi hîc vide, Chriſtiane Lector, hominem Eccleſiæ Chriſti odio ebriū, in eam euomere, quicquid in buccam venit vel atrociſſimū. Cur Ceroferariorum nomen, quæſo Caluine, magicum fingis vocabulū? quæ nam obſecro Magia eo vtitur vocabulo? Si quæ eſt, quæ iſtud ad populi fraudem ſibi vſurpat nomē, eheu te miſerum, qui te Diaboli feciſti mācipium, dum magiam iſtam didiciſti Diabolicam, cuius ais eſſe vocabulū? Sin nulla eo vtitur, quid te miſerius, qui impotenti adeò es adobrutus Eccleſiæ odio, vt vel atrociſſima quęq; conuitiorum portenta comminiſci non pudeat, neque pigeat, quò ei aut infamiæ notam inuras, aut ignominiæ labem aſpergas? An Ceroferariorum nomen tibi adeò videatur inſulſum, qui ipſe vteris vocibus ad Latinæ linguæ analogiam non minús ineptè cōfictis. Sed hæc puerulis linquentes, ad reliquos conſcendamus gradus ſacros.

Ceroferariorum nomen Calui. fingit eſſe magicū in odium & Eccleſiæ & Chriſti Catholicæ.

Caput LXXIX.



Stis gradibus ad alios aſcenditur, qui ab officij dignitate maiores vulgò appellantur. Inter hos primi ſunt Subdiaconi, quos alij malunt Hypodiaconos dicere, qui Latinarum vocum copiam ſibi inuident, non animaduertentes, Diaconum, Preſbyterum, Epiſcopum, ſimiliáq; iampridem in Latinam tranſiiſſe coloniam. Haud aliter atque Monarcha, Pa-

De maioribus gradibus.

cha, Patriarcha & sexcenta alia. Horum ergo ministerium ex ipsa voce satis perspicitur, quòd Diaconorum imperio, sicut illi Presbyterorum, parere debeant. De quorum functione nunc superest, vt disseramus. Non enim existimandum, Subdiaconorum functionem omnem in apparando calice atque oblatione contineri, sed ad ea vniuersa illos esse obstrictos, quæ nominis sui appellatione sunt comprehensa: hoc est, Diaconis haud secùs atque Dominis ad nutum obedire, iussáque capessere. Sed huc quis eos reuocet? cùm vix vllus reperiatur, qui non ad summum Sacerdotij culmen (quod nunc est quæstuosius) haud aliter festinet, ac si cras aut perendiè vetaretur, ne quis ereetur Sacerdos. Illos tamen excipio, qui Subdiaconali præbenda ditati, fúsque déque ferunt, quid cum Diaconis & Sacerdotibus agatur, suo indulgentes & ventri & otio. *Subdiaconi.*

Diaconorum origo manifestè arguit, eandem fuisse aliorum ordinum instituendorum causam, quæ fuit ipsorum: putà varietate ministeriorum compellente variis varias fuisse functiones impositas. Cùm enim Apostoli ministeriis omnibus procurandæ Ecclesiæ haud quaquàm sufficerent, exortum Hellenistarum, id est, Hebræorum, qui in Græcia nati erant, murmur de ipsorum viduis, neglectiùs atque nimis parcè habitis, illos compulit certos quosdam alimentis dispensandis præficere, quos appellarunt Diaconos. Quod nomen licèt non modò ad prophana pertineat ministeria, vti Paulus ad Rom. 13. Augustum Cæsarem Rom. Dei appellat Diaconum: sed etiam ad sacra generaliter pertinet ministeria: sic Christum circumcisionis Diaconum, & Timotheum facit Paulus Diaconum, ministerium tuum, id est, Diaconiam, inquiens, imple: tamen ex appellatiuo factum est proprium, vti & Episcopus & Presbyter apud Ecclesiasticos: Imperator & Dux apud prophanos. Iam ne quis nouo istorum hominum commento fallatur, qui putant nostræ Ecclesiæ Diaconos nihil cum illis Apostolicis habere simile; studiosè admodũ est animaduertendum, Diaconos quidem in Actis non ad mysteriorũ, sed mensarum esse ministeria creatos; quemadmodum *Diaconi. Act.6. Hellenistarũ occasione creati Diaconi. Rom.13. Diaconus ex prophano Ecclesiasticum, ex appellatiuo proprium factum. Act.6. Diaconis ab Apostolis sacra etiã functio credita,*

non sola mēsarum cura, & administratio.

ex Chrysost. testatur Concil. 6. Constantinop. Can. 16. Verùm sacra eos posteà ipsis ab Apostolis functione fuisse auctos. Nam Diuus Stephanus ille Archidiaconus, qui mense Augusto à Christi ascensione consecuto, vt mihi ex historiis ad veritatem videtur propensius, gloriosissimam emeritus martyrij coronam, à Christo in regni cælestis possessionem fuit auocatus (etsi non sum nescius, D. Euodium in epistol. cui τὸ φῶς, id est, lumen, titulum fecit, septimo demùm anno scribere isthac vita defunctum: sed cùm Pauli conuersio illius mortem sit subsecuta, nondum apparet, quî in longum adeò tempus vixisse potuerit) Hic, inquam, Stephanus, non solùm mensarum cura fuit oneratus, sed D. Iacobo Ecclesiæ Ierosolymitanæ Episcopo datus etiam Diaconus, cuius opera cùm in administranda Ecclesia, tum in erudiendo populo, si ita necessitas ferret, atque mysteriis peragendis vteretur. Testatur enim Diuus Ignatius epistola ad Trallianos, cuius Diuus Hieronymus in Catalogo meminit, & Eusebius Cæsariensis libro tertio capite trigesimoquinto, & Theodoretus 3. Dialogo contra hęreses recitat, Diuum Stephanum beatissimo Iacobo (qui statim à Christi ascensione ab Apostolis Petro, Ioanne, & Iacobo fuit creatus Episcopus, authore Diuo Euodio Petri discipulo, epist. iamiam commemorata, & Eusebio Cæsariensi) fuisse Diaconum, sicuti Paulo Timotheus & Linus: Petro verò, Anacletus & Clemens. Quorum Diaconatus vt sit magis in aperto, paucis illinc est repetendum. Cùm enim Trallianos aduersus Gnosticorum & Simoniacorum hæreses toto passim Oriente grassantes sibi putasset præmuniendos, hortatur etiam ad Episcopi sui Diui Polybij, qui egregium Martyrem cathenis vinctum Romam proficiscentem Smyrnæ gratulandi studio salutauit, atq; Presbyterorum & Diaconorũ obedientiam, Christianis hominibus dignam: Ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν τῷ διάγοντες ἐν αὐτῷ εὑρεθησόμεθα. δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν. οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσὶ διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας θεοῦ ὑπηρέται. *Et paulò pòst:* τί δὲ διάκονοι; ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν

Vide epistol. fragmentum apud Nicepho.

Ex Diui Ignatij epistola.

ἀγγελικῶν δυνάμεων; λειτουργοῦντες αὐτῷ λειτουργίαν καθαρὰν »
καὶ ἄμωμον; ὡς Στέφανος, ὁ ἅγιος Ἰακώβῳ τῷ μακαρίῳ, καὶ Τι- »
μόθεος, καὶ Λίνος, Παύλῳ, καὶ Ἀνέγκλητος, καὶ Κλήμης, Πέτρῳ. ὁ »
τοίνυν τούτων παρακούων ἄθεος πάμπαν εἴη ἄν, καὶ δυσσεβὴς καὶ »
ἀθετῶν Χριστὸν καὶ τὴν αὐτοῦ διάταξιν σμικρύνων. »

Sed & Presbyteris, inquit, subditi estote, vt Aposto- »
lis Iesu Christi, Spei nostræ, in quo perseuerantes in ip- »
so inueniamur. Oportet autem & Diaconis, qui sunt in »
ministerium Iesu Christi, omni modo placere. Nō enim »
cibi & potus seruitores sunt, sed ministri Ecclesiæ Dei. »
Rursum: Quid enim Diaconi nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? Quomodo sanctus Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus, & Clemens, Petro. Qui igitur inobediens fuerit, hic sine Deo omninò erit, & impius & contemnens Christum, & ordinationem ipsius imminuens.

Nos hic non temerè veterem sequuti sumus interpretem, qui aliud legit quàm hodie codex Græc.

Neque verò pluribus nobis opus sit Scriptorum veterum sententiis, si ad D. Lucæ verba animum diligenter intēdamus. Quod igitur D. Stephanum cum Iudæorum doctissimis describit disputantem gloriosa adeò cum victoria, án non manifestè declaret, & Euangelium annunciandi munus illi fuisse creditum? Vnde namq; illam palæstram cum Alexandrinis & Libertinis, siue qui ex Eleutheropoli aduenerant Iudæis, concitasset, nisi eximius fuisset Christi Iesu crucifixi, & à mortuis in vitam reuocati præco? Mihi enim veri fit simile, si Stephanus prophano illo mensarum ministerio contentus, non Euangelij etiam prædicationem addidisset, non infestos adeò Iudæos fuisse experturum. Cæterùm & ipsi D. Stephani Antagonistæ ex doctissimis quibusque Iudęorum synagogis delecti, singularem illum fuisse Euāgelij propugnatorem demonstrant. quàm enim præclara fuerint isti Cyrenaïci & Libertini Iudæi doctrina, haud obscurè ostendit D. Lucas, quòd eos Alexandrinus præposuerit. Iam Alexandrinorū Iudæorum eximia doctrina vno Flauij Iosephi exemplo & altero Philonis fuerit probata. Sed ne quid supersit huius rei scrupuli, facit Philippus

D. Stephanū Archidiaconum eximiū præ cæteris fuisse Christi præconem.

Stephanus propugnator Euāgelij singularis.

Diacon. Philippus Samaritanis Euāgelium prædicat.

Diaconus D. Stephani collega, qui Samaritanis Christũ primus annunciauit. Hinc igitur satis liquet, Diaconorum illorum Apostolicorum officium partim in pauperum cura, partim in Euangelij præconio, partim in Episcopi ministerio fuisse versatum.

Improba Caluini calumnia.

Grauiter accusat Caluinus Catholicos, quòd pro suis istis Diaconis, quos, inquit, fingunt, testimonium ab eorum exemplo petant, quos Apostolica Ecclesia instituit Diaconos, quum in illorum ordinatione ne verbum quidem sit vnum de vero Diaconorum ministerio. An non suo Stephanus astiterit Episcopo Iacobo mysteria peragenti? an non illi ministrauit sacris operationibus defungenti? Quæ nisi fecit Stephanus, mendax adfert, quod absit, D. Ignatius exemplum ad suos Diaconis honores corroborandos: Quid enim Diaconi, inquiens epist. dudum commemorata, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicuti Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? Quomodo S. Stephanus B. Iacobo, & Timotheus, & Linus, Paulo, & Anacletus & Clemens Petro: D. quoque Cyprianus Diaconos ab Apostolis docet constitutos Episcopatus ipsorum, & Ecclesiæ ministros, epistol. 9. lib. 3. Sic & D. Leo D. Laurentium non solùm, ait Sermo. in eundem, ministerio Sacramentorum, sed & dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminuisse. Cætera, quæ Caluinus de Diaconorum ordinatione nugatur, cùm scurram deceāt magis theatricum, quàm Scriptorem Theologum, silentio duximus prętereũda. Non igitur nostri Diaconi ad histrionicos, vt ille blasphemat, instituũtur ludos, neque nugatoria, vt idem ait, Subdiaconis attribuitur functio, sed prima ministerij parte detracta, atq; ad Episcopos & Archidiaconos relegata, quibus omnis pauperum cura est credita, aliæ ministeriorum partes supersunt saluæ, quæ in verbi ministerio, & Scripturarũ lectione, Eucharistiæ cõmunicatione & Episcopi ministratione versantur: tales enim fuisse etiam Diaconorũ & Subdiaconorum functiones, ex vno D. Laurentio Sixti Romani Diacono, & Publio D. Cypriani Diacono, & veteribus Canonibus in procinctu est agnoscere.

Caluinus scurriliter insultat Ecclesiæ propter Diaconorum ordinationem.

Caput LXXX.



Ommemoratos ordines Ecclesiasticos Sacerdotium, veluti pręambulos Dominus, subsequitur, cuius præstantia atque dignitas quò magis illustretur, atque ab aduersariorum iniuriis asseratur, initio, explicatis eius Synonymis, demonstrandum erit præter spirituale Sacerdotium, quod omnium est Christianorum commune, iuxta Christi institutum existere quoddam externum ab illo diuersissimum. Quo deinde ostenso, Sacerdotij officia nobis erũt persequenda: tum inter ipsos deniq; Sacerdotes Ordo ab Apostolis traditus veniet commonstrandus. *De Sacerdotio & Presbyteratu.*

Qui in istum Ecclesiastici honoris locum assumuntur, variis leguntur ornati appellationibus, vt Sacerdotes, siue Liturgi, Presbyteri, siue Seniores, Episcopi atque Papæ. *Synonyma.*

Sacerdotis nomen huius gradus officium propriè sonat, quod sicuti à Paganis nostræ est religioni mutuatũ, vt & Sacrificus: ita easdem esse nostris Sacerdotibus partes sacras, quæ apud illos fuêre, orandi putà & sacrificandi, manifestè docet: quod & in τῷ ἱερεὺς καὶ ἱεροσύνη apparet. Liturgi autem vox initio prophana, vti pleræque aliæ, ad publicũ posteà Græcis trãslata est sacrum ministerium, sicuti & Liturgia, de quibus suprà dictum est copiosiùs lib. 4. cap. 53. vnde, qui desiderat, repetat. *Sacerdos.* *Liturgia.*

Presbyteri appellatio à Græcis in Latinam trãsiit coloniam, vt & Papæ & Episcopi nomen: Presbyter autem ætatis grãdioris vox est, teste Phauorino, ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἐννέα μέχρι τέλους ὀγδοήκοντα, παρὰ τὸ προβεβηκέναι τὴν ἥβην ab anno vnde septuagesimo vsq; ad octuagesimi finem: per flexum tamẽ, honoris etiam habet significationem, vt & Antiquum apud Latinos. Vnde & ante iustum ætatis tempus quibusdam fuit tributum: Hinc & de legatis, quos posterior Græcorum ætas appellat Apocrisarios, non rarò legitur: quin etiam militaris vox est, pro exercitus legato siue Imperatore vicario. Proinde non exi- *Presbyter.*

ſtimandum eſt, Apoſtolos hoc nominis, non niſi ſeptuagenariis tribuiſſe, ſed honoris, qui ex ſuſcepto manabat magiſtratu, habuiſſe rationem, quemadmodũ in Timotheo & Tito adoleſcẽtibus videre eſt. Quanquàm & legitima ætatis ratio minimè fuerit neglecta, de qua in præſens dicendi locus non eſt idoneus.

Presbyter honoris nomen factum vſu temporũ, vti Seniôr apud Gallos & Hiſpanos.

Quod igitur in Senatus voce apud Latinos accidit, quæ ex ſenio nomen traxit, hoc in Preſbyteri nomine apud Græcos eſt conſpicere: quod cùm in voce Senior Latinis loquẽdi vſus non recipiat (quanquàm apud Gallos Siniôer, & planiùs apud Hiſpanos Seniôre, vocali tertia in conſonantem gentili dialecto corrupta eadem reluceat honoris appellatio) vetus Euangeliorum interpres pro Preſbyter & Sympreſbyter, quæ relinquenda erant, aut in alias eiuſdem ſignificationis voces vertenda, reddidit obſcurius. Verùm leuiuſculi ſimiles lapſus fideliſſimo illi interpreti, quem Græcum potiùs, quàm Latinum fuiſſe, certis mihi coniecturis videre videor, nulla cum moroſitate ſunt condonandi. Preſbyteri ergo appellatio omne Sacerdotum genus complectitur ex veterum vſu, licèt poſteriorum ſeculo Preſbyteri ferè ſint appellati, qui non erant Epiſcopi, vt Epiphanij & Hieronymi ætate: quemadmodum & Sacerdotis vox, quæ in vniuerſum patet illius ordinis gregem, Auguſtini ſeculo Epiſcopis ferè tribuebatur. Hinc ille Diuum Ambroſium Sacerdotis Mediolanenſis titulo ferè appellat, vti in Confeſſionibus & alibi.

Olim Epiſcopi vulgò dicebantur Sacerdotes.

Epiſcopus quid.

Noſtra autẽ & ſuperiori ætate tam Sacerdotis quàm Preſbyteri nomen niſi non Epiſcopis datur, quò maior appareat Sacerdotum inter ipſos diſtinctio: ſicuti nunc Epiſcopi nomen in Sacerdotes illis dignitate inferiores, etſi ordine æquales, loquendi vſu non conuenit, de quo latiùs diſſerendi præſens poſtulat occaſio. Epiſcopus ſuo ex etymo accuratæ eſt diligentiæ atque obſeruationis nomen. ἐπὶ enim Græcis in compoſitione epitaſeos ſiue intentionis vim poſſidet, vt in ἐπιγελῶ derideo, ἐπιδίδωμαι ſupererogo, ἐπικρατῶ præpolleo. Ab hoc igitur vigilantiſſimo inſpiciendi, viſitandíq; ſtudio (Quod in τῷ σκόπτειν, Doricè σκόπτιν, & mutatione π in F digamma

Eolicũ Belgæ dicimus **scoubben**, vnde **dycſſcoubben**, aggeres inſpicere, an integri, an rimas agant, & ſimilis viſitationis publicæ conflantur nomina, perſpicuum apparet) Epiſcopus eſt appellatus. Hoc igitur nomen prophanarum rerum curæ initiò cùm eſſet datum, ad Eccleſiaſticum poſteà tractũ eſt officium: qui enim apud Lacones erant Harmoſtæ, gubernandis ipſorum ciuitatibus præpoſiti, Athenienſibus fuerunt Epiſcopi, ſi Phauorino credimus: quemadmodum in Romanorum prouinciis mero cũ imperio præſidebant Prætores. Ad hos igitur delectus, Prouinciarúmque negotia, tanquàm ad conſtitutos ſingulis in Prouinciis rerum arbitros, atque ciuitatum ſingularum Præſides & cuſtodes referebãtur.

Quod Græcis eſt ἐπισκοπεῖν, nobis Dorica dialecto plerunque vtẽtibus eſt **beſcoubben** *ſicuti & τὴν μήνην nos Doricè dicimus lunam de mane, vt alia ſexcenta.*

Quod & Cicero haudquaquàm obſcurè teſtatur: Vult me Pompeius eſſe, ait epiſtol. ad Attic. lib. 7. quem tota Campania & maritima ora habeat Epiſcopum, ad quem delectus & negotij ſumma referatur. Poſterioribus verò ſeculis & viliorum rerum curæ fuit tributum, vt videre eſt in Pandectis de Mune. & Hono. Epiſcopi, qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus. Poſtremũ & ad priuatam pertinet aut rerum familiarium curam, & amicorum, atque ægrotorum viſitationem, vti apud Lucianum.

Epiſcopus olim prophanæ adminiſtrationis vox.

Similem admodum & Scripturarum vſu interdum ad priuatam pertinet ſalutis ſolicitudinem, Hebr. 12. ἐπισκοποῦντες, contemplantes, atque maximo ſerio ſtudẽtes, ne quis deſit gratiæ Dei. Et 1. Petr. 4. Ne quis veſtrũ patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor ἀλλοτριοεπίσκοπος. Interdum verò publicã denotat functionem. 1. Pet. 2. Conuerſi eſtis ad Paſtorẽ & Epiſcopum animarum veſtrarum. Vbi indubiè Chriſtum dicit. Sic & Iudæ Apoſtoli miniſterium à Spiritu ſancto Epiſcopatus eſt prædictum, ipſis Apoſtolis interpretibus: Epiſcopatum eius, inquit Dauid Pſalmo 108. accipiat alter. Ab hac ergo Epiſcopes functione dictus eſt Epiſcopus, quæ vox Scripturarum ſacrarum vſu non niſi publicum ſonat miniſterium: non ſolùm eorum, qui primas in Eccleſiis habent, proprium: ſed inferiorum quoque Sacerdotum commune: quemadmodum

Epiſcopus quid in Scripturis.

rectè docuit Beda ex Philippensibus capite primo, & Acto. 20. Tametsi non sum nescius, Dydimum Alexandrinum initio secũdi de Spiritu sancto scribere Presbyteros de diuersis locis & plurimis Ecclesiis cõgregatos, illic à D. Paulo appellari Episcopos. Verùm ex D. Ambros. comment. & Hierony. lucubrationibus notius est Episcopi nomen Presbyteris inferioribus in Scriptura tribui, quàm vt vllis ampliùs argumentis habeat opus.
" Cùm enim communi olim Presbyterorum consilio gu-
" bernarentur Ecclesiæ, vt ait Hieronymus ad Euagrium,
" rectè Episcopi nomen cæteris quoque datum fuit Pres-
" byteris, quippe quos eadem curandæ, gubernandæ, atq;
" custodiendæ Ecclesiæ premebat solicitudo, non tamen
" idem fuisse Episcopum & Presbyterum, suo inferius loco demonstrandum erit aptiùs. Cæterùm vbi Episcopi sua freti authoritate, Presbyterorum cœpêre non dico consilium contemnere, quod D. Ambrosius sua ætate meritò de seniorum Laicorum consilio cõqueritur, sed negligere, vnà cum Ecclesiarum cura, & Episcopalis solicitudinis nomen sibi vendicarunt: quod tolerabile videri posset, nisi hac re factum videatur, quòd Presbyterorum ordo in extremum propè dignitatis Ecclesiasticæ locum sit proiectus. Sed hæc querela aliò est differẽda, vbi de vindicanda Presbyteris sua authoritate & dignitate tempus ad dicendum dabitur opportunum.

Vide Ambr. in epistol. ad Timoth.

Superest Papæ nomen, quod tametsi hodie apud Latinos vni Romano tribuatur Pontifici, apud priscos tamen vniuerso Presbyterorum Ordini fuisse commune, non leues extant coniecturæ. Nam quod Episcopis omnibus fuerit ascriptum, satis vnus arguit D. Hieronymus, qui Augustino Papæ scribit, & Epiphanium, Athanasium, Theophilum, aliósq; dicit Papas. Hinc & Gratianus vetustam sequutus appellationem, Martinũ Bracar. Episcopum passim Papam vocitat. Siquidem Papa blandam sonat puerilem Patris appellationem. Siracusis enim πᾶς patrem sonat, quod geminatum fit Papas: vt Hebræis geminatum Ab facit Abbas: sic apud Aristophanem, ni memoria fallit, in Nebul. pueruli blandientes, patrem suum appellant Papam. Idem quoque & re-

Episcopi olim Papæ.

uerentiæ nomen fuit, vnde Bithynij & Scythæ Iouem appellabant Papam, vt est apud Cælium Rhodig. & Arrhianum in Bithyniacis. Ea quoque appellatione suos in Christo parentes Presbyteros Christiani sunt initiò dignati, honoris causa Papas appellantes Sacerdotes in vniuersum omnes: quod ex vetustissimis Germanicæ linguæ vestigiis licebit, cui est otiũ, peruestigare. Quòd enim Pastores suos Flãdri **Prochy Papen**, quasi Parochiæ Papas vocitant, & passim **Velt Papen**, quasi castrorũ Papas, & qui militibus sacra operantur, non contumeliæ causa, vt hodie passim omnibus exprobratur, sed honoris gratiâ factum equidem arbitror. Quòd igitur plurimùm initiò habuit venerationis, decrescẽti populi in Clericos reuerentia Presbyteris fuit detractum, & Episcopis solis reuerentiæ causa tributum, vt Hieronymi & Cyrilli temporibus: de quo legitur Papæ priuilegium ei fuisse concessum: posteà verò & ipsis etiam Episcopis loquendi vsu negatum, solíque Romano Põtifici velut sacrosanctum reseruatum. Quod cùm hodie quidam conuitiis odiosè adeò proscindãt, vt Papæ nomen cane peius oderint & angue, quàm verè suum illũ Cham Papæ illudendo patrem æmulentur, agnoscit, cui Papæ nomen atque origo non est incognita. Hîc non foret importunum disserere de horum Ecclesiæ ministrorũ electione, vtrùm ea Cleri sit, an populi, an vtriusque potiùs? Certè vt electio plerumque apud priscos ex Apostolica, ait Cyprianus, traditione plebis suffragio fuit cõprobata, & pòst solo à Clero trãsacta: ita Confirmatio & Ordinatio semper penes Episcopos. Sed hac de re aliàs fusiùs.

Iupiter Papa.

Sacerdotes omnes Papæ.

Velt Pape, *Castrensis Sacerdos.*

Prochy Pape, *Parochiæ Papa.*

Vide locum apud Nicephorum.

Vide Cypr. epist. 4. lib. 1.

Explicatis nunc Sacerdotis atque Presbyteri synonymis, tempus est, demonstremus aliud hoc esse Sacerdotium externũ ab illo spirituali, quod omnium est Christianorum cõmune. Quoddam igitur esse Sacerdotium, quod Presbyteri cum Christianis omninò cæteris habent commune, apertiùs est Scripturis expressum, quàm vt inficias quis ire queat. Vos, estis, inquit D. Petrus, gẽs sancta, regale Sacerdotium, populus acquisitionis. Istud vnicum aduersarij Laicis gratificandi, vt non dicã adu-

Sacerdotium nõ esse omniũ Christianorũ commune.

1. Petr. 2.

Apoc. 5.

landi, studio ita laudibus in cælum euehunt Sacerdotiũ, vt nullum prorsus aliud agnoscant reliquum. Sed istud quàm sit erroris prorsus fanatici pleniſſimũ, nullus ambigere potest, cui in mentem venit D. Paulum per Ecclesias singulas instituisse Sacerdotes atque Presbyteros: imò quod in Creta ipse non potuit, per Titum voluisse effectũ. Si enim generalis illius nominis omnes in vniuersum Christiani sumus Sacerdotes, quorsum fuit op⁹ vt Titus se fatigaret Sacerdotes instituendo Sacerdotes? Rursum, quid D. Paulus Timotheo vnà cum toto Presbyterio manus imponit? quid deniq; Christus ipse Apostolis facere, quod prior fecerat, iussit, & afflato Spiritu sancto aliis peccata imperat, aut remittenda, aut retinẽda? Hęc quia manifestiſſimè arguunt, aliud esse Sacerdotium, quod rectè à D. Hieronymo appellatur Laicum Dialog. contra Luciferianos, quod ex Baptismo omnes sequitur Christianos: aliud quod dicit verum, cui suum est, Sacrificium ex Christi institutione proprium, de cuius officiis nunc datur opportunus diſſerendi locus.

Titum 1.

1. Timoth. 4

Ioan. 20.

Sacerdotium Laicũ apud Hiero. Dialog. contra Lucifer.

Laicum sacerdotium quid habeat officij.

Cùm igitur aliud sit illud generalis nominis Sacerdotium, quod omnibus omninò Christianis ex Baptismatis vi communicatur, aliud quod à Christo acceptum à Baptismo Apostoli nõ omnibus item Christianis credidêre administrandum, fieri non potest, quin ipsorum quoque officia alia sint atque alia. Quæ igitur ad illud, quod dicitur, Laicum pertinent, putà vt Deo seruiant cultu fidei, spei, charitatis, eíque aſſiduè offerant orationum, eleemosynarum, ac piorum reliquorum operum sacrificia cum labiorum Deo confitentium vitulis, in præsentia non est latiùs persequendi otium. Proinde illius veri Sacerdotij officia nunc in medium veniant accuratiùs pertractanda. Ea quatuor ferè commemorari solent, putà corpus Domini conficere, Consecratum offerre, Sacramenta administrare, Ecclesiam denique gubernare. Quæ cùm humanam longiſſimè excedant potestatẽ, nec omnibus in vniuersum Christianis à Christo fuêre communicata, sed solis Apostolis, & in eorum locũ succedentibus, non ea poſſunt vlli mortalium contingere, quàm ad illorum morem ordinato, hoc est, in

Functiones quæ veris Sacerdotibus propriæ.

Hebr. 11.

Consecrare corpus Domini.

huius miniſterij ordinem adſcito, atque in illorum locum diſpoſito atque ſuffecto. Varia enim ſunt corporis Eccleſiaſtici tam membra quàm officia: ſiquidem non omnes Chriſtus dedit Paſtores: Quoſdam verò, inquit Paulus, Apoſtolos, quoſdam verò Paſtores. Commemorata ergo Euangelici Sacerdotij officia, illis ſolis ex Chriſti grege ad hoc muneris vocatis, niſi per Ordinationem non dantur, quod fieri non poſſet, niſi ea veri nominis Sacramenti habeat cùm rationem, tum etiam vim: quod quia paulò ſuperiùs ex Diuo Cypriano, Auguſtino, aliiſque fecimus conteſtatum, hîc ab eius rei fuſiori oſtenſione ſuperſedemus. Quòd igitur corpus Domini cōficere ad ſolos attineat Sacerdotes, ex eo ſatis demonſtratur, quòd Chriſtus faciēdi, quod prior fecerat, poteſtatem non dederit niſi Apoſtolis. Iam quòd nō inane ſui corporis dederit ſymbolum, vt Zvuingliani hallucinantur, ſed verum corpus ex pane factum, antè in Euchariſtia manifeſtiùs eſt euictum, quàm vt hîc ſit repetendum. Sicut igitur tremenda in myſteriis conſecratio verbis Domini perficitur: ita in perſona quoque fit Domini. Iam qui in alterius perſona quippiam peragit, ab eo habeat oportet agendi ius atque authoritatem. Proinde cùm ſolis Sacerdotibus agendi, quod » Chriſtus egit in cœna, ſit poteſtas credita, ij ſoli corpus » Domini conſecrant, atque conficiunt. Diuus Hierony- » mus Preſbyteros à Diaconorum contemptu vindicans: » Quid patitur menſarum & viduarum miniſter, inquit » ad Euagrium, vt ſuper eos ſic tumidus efferat, ad quorū » preces Chriſti corpus ſanguíſque conficitur? Sic & D. » Anterus martyr: Abſit, vt quicquam ſiniſtrū loquar, ait » epiſt. ad Bæticos, de his qui Apoſtolico gradui ſuccedē- » tes, Chriſti corpus ſacro ore cōficiunt. Sed de altero Sacerdotis Chriſtiani officio, conſecratum ſcilicet corpus Domini offerre, pugnaciter magis aduerſarij obſiſtunt Catholicæ per orbē Chriſti Eccleſiæ. Etſi enim qui inter illos habentur ſaniores in veram corporis Dominici præſentiam cum illa conſentiunt, offerendū tamen Catholico ex more prorſus reſpuunt.

Offerre corpus Domini.

Proinde noſtri erit ſtudij, ex ipſis Chriſti Ieſu verbis

Sacrificium Ecclesiæ Christianæ, qua methodo hic tractandum.

atque institutione demonstrare, corpus Dominicum in mysteriis esse à Sacerdotibus offerendum. Deinde clarissimis vetustissimorum Scriptorum testimoniis confirmare, in prisca Catholica Ecclesia idem Domini corpus ab ipso vsque Apostolorum seculo semper fuisse à solis Sacrificis oblatum.

Psal.109.

Sacrificium à Christo institutum durabit perpetuum.

Qui Antiochi illius impij exemplum imitati Christianum conantur delere sacrificium, omnes itidem abrogare volunt Sacerdotes. Verùm sicuti Iudæi nouum Christi nolentes suscipere Sacerdotium, miserè insaniũt: ita qui æternum eiusdem Sacerdotium in temporaneum student conuertere, bis miserè desipiunt. Præterquàm enim quòd Christo suum illud æternum Dei Patris iuramento, cuius nunquàm eum capiet pœnitentia, confirmatum Sacerdotium frustrà moliuntur abolere, illius quoque sunt instituto immorigeri. Non enim Christi Sacerdotium ita duntaxat est accipiendum æternum, perinde quasi se ipse semper Patri offerat, & pro nobis intercedat, sed quòd in sua etiam Ecclesia per ministros sui vicarios Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech inchoatum peragat in sempiternum, atque perficiat. Ad hæc non potest nouum Testamentum persistere incolume, si suum illi eripitur Sacrificium à Christo & inchoatum & institutum. Siquidem & hîc locum habet, quod D. Paulus de Aaronico differens Sacerdotio de veteri conclusit Testamento: Translato, inquiens, Sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio atque abrogatio fiat.

Vide hæc paulò ante in Eucharistiæ Sacrificio ex Oecumenio & aliis libr. 4. cap. 39. & cap. 46.

Hebr. 9.

Proinde cùm tanta Sacerdotij & Testamenti liquidò appareat affinitas, támque arcta coniugatio, vt alterùm sine altero consistere nequeat saluum, omninò fieri non potest, vt legi Euangelicæ sua constet salus, si suum illi abrogatur Sacrificium: quod, vt diximus, non in solo illo cælesti, quod apud Patrem pro nobis agit Christus, continetur Sacerdotio, neque in eo, quod Sacerdotibus duntaxat tribuunt aduersarij, quod piorum vota & Ecclesię offert Deo Patri preces: sed pręter hęc omnia idem offerendi complectitur potestatem, quod Christus secundum ordinem Melchisedech Sacerdos in Cœna Deo

Patri primus obtulit. Illic Christum panem & vinum aquâ permistum, corpus & sanguinem suum obtulisse, superiùs in Eucharistia est vetustissimorum Scriptorum testimoniis liquidò demonstratum. Hoc ipsum igitur offerendi, potestatem dedisse Apostolis, & per eos Sacerdotibus in vniuersum ominbus, in præsentia est commõstrandum.

Diuus Cyprianus Aquarios illos refutaturus, epistola ad Cęcilium data 3. libr. 2. Sacrificij Christiani authorem & doctorem sępenumerò Christum vbi commemorasset, panem quoque ac vinum aquâ permistum iuxta Melchisedech ordinem ab eo fuisse oblatum, hoc est, vt interpretatur, suum corpus & sanguinem, illi Christi verba, Hoc facite in meam commemorationem, apertiùs de sacrificando atq; offerendo interpretatur, quàm vt vllam aduersarij vel impudentissimi patiatur calumniam. Nam simulátque D. Pauli ex Corinth. epistol. locum recitasset, Hoc facite, &c. subiecit: Quod si & à Domino præcipitur, & ab Apostolo eius hoc idem confirmatur & traditur, vt quotiescunque biberimus in commemorationem Domini, hoc faciamus, quod fecit & Dominus: inuenimur non obseruari à nobis, quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus. Et quibusdam interiectis: Nam si Iesus Christus, inquit, Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in commemorationem sui præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.

Sacerdotes idem offerunt sacrificiũ quod Christus obtulit in cœna & in cruce, ex illius mandato.

Hæc fusius & copiosius demonstrantur suprà ca. 46.

Porrò si quis desideret testimonium, omnium quæ adferri possunt, multò locupletissimum, quo solis doceatur Sacerdotibus tradita offerendi corporis Dominici potestas, illam audiat vniuersæ Catholicæ Christi Ecclesiæ Constantini studio Nicææ congregatæ censuram, qua Diaconorum in Presbyteros & Sacerdotes repressit fastum: ὅτι ὁ κανὼν, ὅτι ἡ συνήθεια παρέδωκεν τοὺς μὴ ἔχοντας

ἐξουσίαν προσφέρειν τοῖς προσφέρουσι διδῶναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ: Neque constitutio Ecclesiastica, inquit cap. 14. qui Græcis extat in, neq; consuetudo prodidit, vt ij, qui offerendi potestate non sunt præditi, id est, Diacones, Corpus Domini Sacrificis porrigant. Quòd si quis adeò dementatus, vt trecentis istis & duodeuinginti Episcopis Catholicis fidem habere recuset, equidem insanus habear, si pluribus id testimoniis fuero conatus confirmare. Porrò quásnam ob causas corpus Dominicum rectè offeratur, an illius cruenti tantùm commemorationem, an etiam gratiarum actionem, vti Apolog. Augustana concedit, an pro viuis quoque & mortuis adiuuandis, necne, in præsentia non est prolixiùs repetendum, cùm hisce quæstionibus ex Patrum vetustissimorum sententiis sit copiosè dudum in Eucharistia responsum, quò pium Lectorem remittere malumus, quàm eadem persequi verbosiùs.

Vide sup. ca. 46. 50. & 53.

Sacerdotes veros esse inter Deum & populum mediatores.

Cæterùm Sacerdotibus cùm sit à Christo tradita tremendum illud simul & gratissimum offerendi Deo Patri corporis Dominici Sacrificium potestas, quísnam, cui mens constat sana, ambigat, rectène, an secùs, appellentur mediatores? Haud quaquàm sanè primarij, sed vicarij duntaxat, quales Christus suo loco voluit perpetuùm existere in sua Ecclesia. Sed ne quis in huius rei cōfirmationem nobis ex antiquitate deesse existimet testimonium, vnum aut alterum est depromendum. Gregorius ille Nazianz. qui Theologi cognomen optimo eximiæ eruditionis iure inuenit, vbi in suo Apologetico iustissimas exposuisset causas, cur oblatum refugitasset Sacerdotium (quas ô vtinam Sacerdotes omnes haberēt probè præmeditatas) quis ex luto quodam quasi fingat, inquit, veritatis antistitem, & cum angelis statorem, cúmque Archangelis collaudatorem, & in altare illud superiùs hostias destinantem, καὶ τῷ χριστῷ συνιερουργοῦντα, vnà cum Christo sacrificantem? Subiecit posteà: Priusquàm autem illam materiam ad inferiora detrahentem supprimat, quoad eius fieri potest, ac mens idoneè repurgetur, atque supra alios eximiè Deo vicina reddatur, ἢ ψυχῶν προστασίαν δέξασθαι ἢ μεσιτείαν θεοῦ καὶ ἀνθρώπων (τοῦτο

O Sacerdotum dignitas augustißima.

Sacerdos cū Christo offert seque mediatorē facit.

γὰρ ἴσως ὁ ἱερεὺς) aut animarum præfecturam ſuſcipere, aut inter Deum & homines interceſſionem atque mediationem (Siquidem hoc verum eſt Sacerdotem eſſe) haud quaquàm tutum eſſe cognoſco. Rurſum ad Simpliciam hæreticam epiſt. 8. D. Baſilium præclaris in cælum vſque euehens encomiis, inter alia, τὸν πιστῶν θεράποντα καὶ μέγαν ἀρχιερέα, τὸν τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτην, καὶ τοῦ πνεύματος καταγώγιον appellat, Moyſi & Chriſto cõparans fidelem miniſtrũ, & magnũ Sacerdotũ Principem, Deíq; & hominis mediatorem, Spiritúſque ſancti domicilium.

Quorſum autem Sacerdos ſe inter Deum hominéſq; præbeat mediatorem D. Cyprianus paucis, ſed luculentis, ſed piis omnibus horrendis exponit verbis: Sacerdotibus maior labor incumbit, inquiens epiſt. 3. lib. 1. in aſſerenda, propitiãda & procurãda Dei maieſtate, ne quid videamur in hac parte negligere. Porrò quod reſtat oſtẽdendum, tremendum hoc corporis Dominici ſacrificiũ ab ipſo vſque Apoſtolorum ſeculo ſemper fuiſſe à ſolis Sacerdotibus oblatum, paucis perſtringemus, non hîc repetentes, quod in Euchariſtia dudum demonſtrauimus, ſemper fuiſſe in vſum populi Chriſtiani oblatum. Hoc ex Canone Nicæno dudum recitato 14. clara luce fiat luculentiùs, vbi cùm Patres Diaconis negent hanc offerendi communicatam poteſtatem, quis adeò ſit mentis emotę, vt eam vel Subdiaconis, vel inferioribus Clericis, nedum Laicis, audeat vendicare? Quòd ſi Diacones alicubi offerre legantur (Si quis eò arrogantię illos extumuiſſe credat, id quod Sacerdotum eſt proprium, ſicuti & illorum honores vt inuaſerunt) id ſanè Concilio Arelatẽſi fuit inhibitũ: De Diaconis, inquit Can. 15. quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.

Deus populo propitiandus per Sacerdotes.

Sacerdotum inquit quanta ſit dignitas, hoc ex officio pius æſtimet licet animus Chriſtianus. Cùm enim Sacerdos aut cum Chriſto, quod ait Nazianzenus, aut vice Chriſti, quod ait Cyprianus atque Ambroſius, Deo Patri offerat gratiſſimum illud Dominici corporis Sacrificium, quę obſecro lingua Chriſtiani Sacerdotis prędicare idonea ſit laudes atque encomia? præclara ſunt, quę aureo illo orationis flumine fundit Chryſoſt. ſed rei

Dignitas ſacerdotalis, omnẽ ſuperat eloquẽtiam, ſicuti omnem huius ſeculi vincit maieſtatem & gloriam.

præstantia longè minora, atque excellentia multò inferiora. Equidem vbi mecum rem tacitus considero, mihi agnoscere videor, Sacerdotij Christiani dignitate, toto hoc pulcherrimo mundo nihil esse honore dignius, nihil decore ornatius, nihil maiestate augustius. Quid enim habet, si res non stulto huius seculi iudicio metiamur, sed sua verè dignitate æstimemus, aut regia dignitas, aut imperatoria maiestas maius, dignius, aut augustius, quod non diuino isti plurimis cedat parasangis Sacerdotio Christiano? Sed hunc campum præsens institutum ingredi vetat, quare ad id, quod superest, accedamus pertractandum.

Tertium autem Sacerdotum officium, quod in Sacramentorum versatur administratione, tum quia extra controuersiam est positum, tum quia Eucharistiæ administratio olim fuit Diaconorum, & Absolutio potissimùm Episcoporum, de qua in Pœnitentia dictum est, in præsentia placuit silentio prætermittere.

Ecclesiæ gubernatio ad Sacerdotes pertinet.

Quartum suprà fecimus Sacerdotum officium, quod in Ecclesiarum gubernatione est collocatum: olim enim communi totius Presbyterij, id est, Sacerdotum collegij consilio Ecclesiæ administrabantur, & regebantur, vt ait D. Hieronymus ad Euagrium. Verùm collapsa Canonũ disciplina, & crescente secularis dominationis arrogantia Episcopi solis sibi hasce partes vsurparunt. Sed quàm hîc grauiter lædatur Sacerdotum Ordo, alibi iustior erit conquerendi locus. Ne quis tamen Sacerdotes vniuersos sicuti offerendi potestate, ita honore quoq; & ordinandi authoritate prorsus fuisse pares opinetur, de vero inter ipsos discrimine paucis est agendum.

De Sacerdotum noui testamenti discrimine.

Quia Sacerdotum omnium vnus est Ordo, quo eum in locum consecrati, eandem in Christi corpus tam mysticum quàm Ecclesiasticum accipiũt potestatem: ideò & nomina cùm Episcopi & Sacerdotis, tum Presbyteri & Sacrifici omnibus apud veteres indiscriminatim leguntur attributa, licèt me non fugiat, alicubi apud veteres suum quoque Episcopis assignari ordinem: sed vbi de accedentario isto honore agunt, qui supra Sacerdotium posteà cumulatur. Veterem ergo illum Aërij errorem;

Episcopatus non est ordo, sed sacerdotij excellentia.

qui post

qui poſt Vviclephum & Marſilium Patauinum renouāt, Preſbyteros ab Epiſcopo nulla debere differentia diſcerni, ſuum agnoſcentes authorem, meritò eſt, quod ipſos pudeat, ita vt nulla videantur habere opus refutatione. Hæreſes enim ſuam ad originem reuocaſſe, ait Hieron. eſt refutaſſe. Cogit nos tamen inſtituti ratio, ex doctrina quoque Apoſtolica iſtam hallucinationem cæcutientibus quorundam animis etiam atque etiam illuſtrare. Multus eſt D. Ignatius in prædicanda Preſbyterorum dignitate, ita vt eos plerúmque ſemper Apoſtolis comparet, Epiſcopum verò Chriſto Ieſu, vt epiſtol. ad Trallia. & Magneſianos, & Smyrnenſes denique: cuius beatiſſimi Martyris comparationem ſequi malim, quàm aliorum, qui Preſbyteros ſeptuaginta conferunt diſcipulis. quod illud eis ſuum priſcum aſſerat honorem: hoc verò infrà iuſtum videatur deiicere dignitatis locum: quod & D. Anteri Martyris, & D. Hieronymi, aliorumq; teſtimoniis me Lectori candido probaturum confiderem, ſi res fuſiorem hîc pateretur orationem: de quo vide infrà, cap. 83. Vtvt tamen comparentur Preſbyteri vel Apoſtolis, vel ſeptuaginta diſcipulis, nunquàm ſanè in eundem fuêre honoris gradum collocati, quem Sacerdotum Principes, ſiue Epiſcopi Dei Optimi dignatione ſunt conſecuti. Boni enim ſunt Sacerdotes, ait D. Ignatius epiſt. ad Philippenſes, & ſermonis miniſtri, melior atque dignior eſt Pontifex, cui credita ſunt ſancta ſanctorum, cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta Dei. Quò igitur Sacerdotum diſcrimen omnibus in propatulo magis ſit, primùm Epiſcoporum à Preſbyteris oſtendemus differentiam Apoſtolicam, tum inter ipſos quoq; Epiſcopos eum eſſe ordinem Hierarchicum, vt vnus vice Dei omnibus in vniuerſum Chriſtum ouiculis ſimul & earum Paſtoribus Epiſcopis eſſe præpoſitus ſemper ſit creditus.

Presbyteros meliùs comparari Apoſtolis, quàm ſeptuaginta diſcipulis.

Quod in populo Dei propagando, conſeruando, & in finem vſque mundi perpetuando agit matrimonium, hoc ipſum in Dei miniſtris Clericis eius cultui peculiariter addictis gerit officij Ordo, ſiue Ordinationis Sacramentum. Quemadmodum illic igitur aliud ſunt Pater & Filius: ita hic aliud Epiſcopus, aliud Preſbyter. Hic

Episcopos semper ordinandi potestate à Presbyteris fuisse distinctos.

enim nisi ab illo non creatur, nec suo queat fungi munere, nisi in Apostolorum morem adhibita illius cum presbyterio manuum impositione. Vt ergo Paulus alio diuinitùs erat munere ornatus, atque Timotheus & Titus, quo per manuum impositionem eius atque Presbyterij creabat alios Episcopos: ita pòst Tymotheus & Titus aliud illic sunt consequuti Dei donum, quo Presbyteris à se in Episcopos promouendis non modò distinguebantur, sed & excellenter præ illis ornabantur. Hoc illud est, quod D. Chrysost. in Paulum ad Timot. annotatum reliquit, Episcopum sola ordinatione Presbytero esse maiorem. Quæ verba ne quis calumniosè accipiat, non omnem prorsum Episcopalem complectuntur functionem, sed Chrysostomo illum in locum scribenti suffecit: potissimam indicasse notam, qua Episcopi præstabant Presbyteris. Istud cùm nemo nisi Aërianus quispiam sit infi- ciando, non est, cur luce in meridiana lampades accendamus.

Aerius negabat vlla differentia Episcopos à Presbyteris distingui: vide August. & Epipha.

Aduersarij enim tametsi ordinem hûc Ecclesiæ politicum initiò videbantur cupere sublatum, pòst tamen rei experientia stultorum magistra admoniti, eundem quadam ex parte reuocare sunt adacti: Sed mira sanè ratione, omnibúsque ætatibus post Christianorum inaudita. Cùm enim se ab Ecclesiæ Catholicæ matris sinu adulterina proiecissent germina, Principum aliquot in erroris nassam noui Euangelij (quod Ecclesiæ bona contra leges omnes, contra æquitatem omnem, contra humanæ rationis arbitrium docebat impunè diripenda) esca illectorum nacti patrocinium eis adulari, eis Euangelij defensorem, capitísque suæ Ecclesiæ, aliósque per assentationem tribuere titulos, imò & Christi vicarios, penes quos esset Ecclesiarũ non cura modò, sed ordinatio etiam Episcoporum, bonorúmq; omniũ dispensatio.

O reformatores Euangelicos.

Aduersarij cur Principibus adulantes, eos faciãt Ecclesiæ Dominos & Ordinatores.

Quàm igitur adulanter suis illis, ô infelices, Principibus consuluère isti Euangelici, tam arroganter sibi hæc vsurparunt omnia: non modò illos per manifestissimam, ne insanam dixerim adulationem, tributos titulos, sed multò magis bonorum Ecclesiasticorum possessionem, atq; Episcoporum ordinationem. Isti igitur tales Ecclesiæ, idque secũdũ (si superis placet) Euangeliũ reformatores

non Episcopi creabant Episcopos: O cælũ, ô terra, ô cœcas hominũ mentes, ô pœctora cœca. Quæ vnquàm fuit tam stolida natio, quæ inauditam istam in animum admisit persuasionem, qua labefactabatur pridem Anglia, qua vastatur nunc, & funditùs euertitur Germania?

Cæterùm, vti diximus, cum hanc Episcoporum Christo authore in Ecclesia institutam suæ Babylonicæ Ecclesiæ viderent pernecessariam, ne qua ex parte cum Catholica videatur consentire Ecclesia, suos illos, quibus Ecclesiarum obtruditur cura, Superintendentes appellare malunt, quàm Episcopos. Sed hîc mihi vide Lector Christiane, liquidum diuinæ sapientiç (cui humana stultitia resistere nequit) argumentum: suos illos Ecclesiarũ præfectos, quibus visitandi & inspiciendi, num ritè gerantur omnia, cura est credita, cùm nolunt nostro appellare nomine, cùm res eadem illis videatur commissa: quod dum prudenter agunt, an non imprudenter se ipsi redarguunt Apostasiæ atque manifestæ ab Ecclesiæ Catholicæ castris defectionis? Vocant eos Superintendentes, non Episcopos, quòd hoc nominis in eos quadrare reuerà non possit. Quomodo enim, ait Paulus, prædicabunt, nisi mittantur? Quia ergo legitimè non mittuntur, rectè atque iure optimo sibi à legitimo vocatorum & missorum nomine Episcoporum temperant.

Aduersariorũ antistites meliùs superintẽdẽtes quàm Episcopi.

Caput LXXXI.



Erùm alterũ illud caput plùs habet inuolutę difficultatis, inter Episcopos videlicet semper eũ fuisse ordinem Hierarchicum, vt vnus altero superior, vnus quoq; omnibus vice Christi non modò ouiculis, sed Pastoribus etiam præfuerit Episcopus: de quo nunc est disserendum copiosiùs.

De ordine Hierarchico inter Episcopos quòd vnus omnibus vice Christi sit præpositus.

Cùm Christianæ Ecclesiæ ratio, quæ nunc regno, nũc alteri rei ordinatissimę comparatur, non sinat Christi familiam in miserrimo isthoc exilio suo esse aut patrefamilias, aut eius vicario atque œconomio destitutã, initiò peruestigandũ, quísnam Apostolorum toti Christianæ Ecclesiæ tanquàm vice Christi absentis, & ad nu-

ptias profecti pręfuerit rector, gubernator, atq; præpositus? Deinde quis eius successor? an Episcopus Romanus? & an toti Ecclesiæ? vt Petrus olim, ita & Petri successor Præpositus?

D. Petrum toti Christi familiæ fuisse præfectũ, ac vice Christi pastorẽ creatum totius ouilis.

Si infallibiles Christi Iesu promissiones Simoni Ioannis Apostolo factas accuratè perpendamus, non poterit veritatis studiosos contentionis œstro haud percitos latere, illum ab ipso Christo institutum esse totius Christiani gregis Pastorem, totius etiam familiâs Oeconomum, atq; Ecclesiæ vniuersæ seruum præpositum. Quid enim aliud sibi vult, quod nomine mutato pro Simone vocat Cephas, id est, Petrum siue saxum, super quo Ecclesiam suã colligendã Christus extrueret? Quid, quòd vni Petro tãq̃ totius familiâs Oeconomo claues regni cęlorũ & pollicebatur & tradidit? quódq; vni Petro tãq̃ omnis Christiani gregis Pastori totius ouilis curã imperat?

Simon Ioannis cur Cephas & saxum dictus.

Vt igitur in ædificiis, quò firmiora consurgant & consistant extructa, lapides aliquot grandiores fundamenti loco collocantur: ita & Petrum Christus, ipse quoque & fundamentum, & lapis angularis dictus, atq; domus totius architectus, Simonem Ioannis si non sui loco, at sibi saltem proximo, iecit fundamentum, quòd sua solida fidei firmitudine diuinum ex hominibus Christi ædificium sustineret saluum & incolume: ne aut ventorum vi, aut fluctuum inundatione atque illisione vnquàm labefactatum corrueret, ac semel euerteretur. Proinde Simon verè idcirco Petra dictus, vti ait Diuus Ambrosius Sermo. 47. quòd tanquàm saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémq; contineat sustineátq;. Cuius licèt fundamentum & primarium & solũ est Christus, lapis ille ab ædificantibus Iudæis, Scribis, & Pharisæis, ac reliquo Iudaicæ Reipublicæ magistratu reprobatus: eam tamen prærogatiuam suis quoq; Apostolis communicare est dignatus: vti & lucis appellationem: quanquàm ipse solus lux sit, quæ illùminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cæterùm cùm Simonem Ioannis appellandum statuat Petrũ siue saxum, super quod ædificaturus esset Ecclesiam suã, quis iure inficias iuerit, Petrum totius illius ædificij esse

1. Cor. 3.
Psal. 117.
Math. 7.

Christus Ecclesiæ fundamentũ Apostolos quoq; fecit fundamenta.

Ioan. 1.

Petrus post Christum collocatus princeps Ecclesiæ fundamentũ.

fundamentum, vt Christo quidem angulari lapide illo, & fundamento principe minus: ita aliis Apostolis, etiam fundamenta à Dei Spiritu dictis, nedum Christianis aliis omnibus, qui super hoc Apostolorum fundamento tanquàm lapides viui superstruuntur maius, dignitate præstantius, atque authoritate excellentius?

Apoc. 21. Ephes 4. 1. Petr. 1.

Postquàm verò Christus Petrum tanquàm sui ædificij collocasset fundamentum, altera deinde explicat vel metaphora, vel parabola, qualem eum in sua esse voluerit familia: Tibi, inquiens, dabo claues regni cælorum. Istarum verò clauium officium, facultatem, atque adeò vim subiectis statim expressit verbis: Quodcunque ligaueris super terram, ligatum est in cælis: quodcunque solueris super terram, solutum est in cælis: qua parabola quid obsecro aliud animus rerum vel communium non ignarus accipiat, quàm Christum ea significatum voluisse, Petro sese totius suæ familiæ regni cælorum titulo inscriptę gubernationem omnem, curam, atque administrationem semel & commisisse & commendasse? Haud sanè aliter atque clauium symbolo Consuli vel Castellano claues traditæ vel ciuitatis, vel castri gubernatio, cura, atque omnis administratio ex more in vulgus noto traditur.

Cur Petro Christus claues suæ domus Ecclesiasticæ tradiderit.

Clauium regni cælorum traditione merã in Christianos significari potestatem.

Ac ne quid in tota Christi familia exclusum credas, quod Petri curæ atque gubernationi parere non debeat, vide mihi, quæso, quàm plena cum potestate Christus regnum cælorum à Patre post resurrectionem acceptum Petro sui vice subiiciat: Pasce, inquiens, oues meas, pasce agniculos meos, pascę ouiculas meas. Quibus verbis quid aliud, quàm vti veteres omnes concorditer interpretantur, vniuersum Christiani populi gregem Petri vnius gubernationi, pasturæ atque regimini in omnibus planè rebus, non secùs quàm oues pastori, subiecit atque commisit?

Math. 28. Christus regnum à Patre post resurrectionẽ acceptũ, Petro tradit administrandum.

Prætereà vt D. Petri præ cæteris Apostolis excellentia magis eluceat, huc aliquot prærogatiuarum genera ex veterum patrum commentariis sunt adferenda, quæ luce quauis meridiana clariùs eius singularem nobis demonstrent maiestatem, qua à Christo Domino præ cæ-

Prærogatiuis multis Petrus à Christo affectus & ornatus præ Apo-

ſtolis cæteris. D. Petrus omnium primus & ſolus à Chriſto baptizatus, & ab eo alij omnes Apoſtoli.

teris affectus fuit Apoſtolis. Baptiſmum à Chriſto Domino inſtitutum, Catholicorum, qui Orthodoxis Patribus fidem habet, nemo negat, licèt aduerſarij eum cum Ioannis Baptiſmate planè eundem eſſe affirmare non vereantur, contra tot apertiſſima ſcripti verbi Dei teſtimonia, quorum hallucinatio ſuo ſuperiùs loco maniſeſtiſſimi erroris eſt conuicta & illuſtrata. Verùm cui omnium primo diuinum iſtud cæleſtis regenerationis donum à Chriſto fuerit communicatum, & per quem aliis omnibus, is procul dubio eximia ſanè prærogatiua à Chriſto affectus fuiſſe cenſendus eſt. Hunc porrò Petrum dicimus, huius rei teſtes veterum Patrum commētarios ſecuti. Teſtatur enim D. Euodius primus à D. Petro inſtitutus Antiochiæ Epiſcopus, in epiſt. cui nomen τὸ φῶς fecit, D. Petrum à Chriſto Domino ſolùm fuiſſe baptizatum, & ab eo reliquos omnes. Sed eius verba ad maiorem huius Eccleſiaſticæ antiquitatis aſtruendam fidem aſſcribere viſum eſt: ὁ χρίστος φησὶ ἰδίαις χερσὶν τὸν πέτρον μόνον ἐβάπτιζε. πέτρος δὲ Ἀνδρέαν καὶ τοὺς Ζεβεδαίου υἱούς. Ἀνδρέας δὲ καὶ οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, τοὺς λοιποὺς Ἀποστόλους. τοὺς δὲ ἑβδομήκοντα πέτρος καὶ Ἰωάννης ὁ θεολόγος βαπτίζουσι: Chriſtus ſuis, inquit, manibus Petrum ſolùm baptizauit: Petrus Andream, filióſque Zebedæi: qui reliquos Apoſtolos. Verùm ſeptuaginta diſcipulos Petrus & Ioānes ille Theologus ſacro tinxêre baptiſmate. Cuius teſtimonium nè à quoquam temerario tanquàm ſuppoſititium aut fictitium calumniam patiatur, aduocandus eſt & Euthymius Græcus, Euangeliorum interpres, qui in Io. cap. 3. nobis conteſtatur hac de re hiſce verbis: Reliquum eſt igitur, inquit, vt & Apoſtoli regenerati ſint per aquam ſanè à Ioanne, per Spiritum verò, quia ad eos in ſpecie ignitarum aduenit linguarum. Scribunt autem quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Chriſtus Petrum ac virginem matrem baptizauerit, Petrus verò reliquos omnes Apoſtolos.

Hic liqueat Apocalypſin Ioan. Theol. non eſſe, niſi Ioan. Euangeliſtæ. Theologi enī nomine veteribus fuit celebratus, vti poſtea Nazianzenus.

D. Petrus à Chriſto primus noui teſtamenti

Ad eundem modum, Sacerdotū & Epiſcoporū dignitas in Eccleſia diuinitùs inſtituta non niſi à Petro exordiū ducit: à quo in reliquos non modò poſteros Epiſcopos, Apoſtolorū ſucceſſores: ſed & Apoſtolos adeò ipſos

ea dignitas est deriuata. Magnum & mirabile dilectissimi, ait D. Leo ille Magnus Serm. 3. huic viro (Petro) consortium potentiæ suæ diuina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquàm nisi per ipsum dedit, quicquid aliis nō negauit. Hæc qui probè habuerit perspecta, non mirabitur, Diuum Petrū rectè Apostolorum dici primum ac etiam caput, quod paucis admodùm vetustissimorum testimoniis dabimus cōprobatum. Andreas prior sequutus est Saluatorem, ait Ambrosius 2. Cor. 12. quàm Petrus, & tamen primatum nō accepit Andreas, sed Petrus. Sic & eius discipulus Augustinus: Quis nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Tract. in Euangel. Ioan. 56. Hunc in modum & D. Petrum fuisse Apostolorum caput breuiter admodùm est confirmādum. Proptereà inter duodecim, ait D. Hierony. aduersus Iouinia. vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Ita & Chrysost. Homil. 55. in Matth. cap. 16. Ecclesiæ, quæ tot tantísque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis manet, pastor & caput, piscator homo est.

creatus Sacerdos, & ab eo alij.

D. Petrus Apostolorum omnium primus.

D. Petrus Apostolorum caput.

Caput LXXXII.



HÆc autem eò sumus persecuti fusiùs, vt ostēsa Diui Petri præ cæteris Apostolis omnibus præstātia, & non honoris tantùm, vti Calui. nugatur, prærogatiua, sed authoritatis etiam potestate, ac maiestate, eorum quoq; honor, excellentia, potestas atque authoritas inclarescat manifestior, qui in eius locum perpetua Episcoporum serie successerunt, atque in hunc vsque diem Christo suam ex promisso non destituente Ecclesiam succendunt.

Ro. Pontificem verū esse D. Petri in Cathedra successorem.

Quare in primis demonstrandum est, quísnam in orbe Christiano Episcopus D. Petro Apostolo fuerit succedaneus, atque verus eius Cathedræ, hoc est, Episcopalis & muneris & loci successor. Quod vt ostendatur perspicuè, initio D. Petrum Romæ fuisse, ibíque Episcopali docebimus functum esse munere vero, non vti Caluinus nugatur, fabuloso. Deinde Romanos Pontifices non in Satanæ, vt idem Caluinus blasphemat, sed in Diui Petri

Qua methodo Ro. Pōtificis primatus hic statuendus.

locum, ministerium, authoritatem, atque Apostolicam adeò dignitatem atq; potestatem succedere, ex Apostolorum monstrabitur traditione. Ideóque toti Christianæ Ecclesiæ gregi illos diuino iure esse Pastores, Præfectos, atque omnibus adeò Episcopis, etiam Asiaticis & Africanis præpositos.

D. Petrum Romæ fuisse. Diuum Petrum igitur Romæ fuisse, licèt capitis sui periculo docuerit ipse, omnísque veterum Scriptorum chorus constanter simul & concorditer sonet: tamẽ propter Scriptorum nostræ istius tempestatis quorundam, improbitatem dicam, an temeritatem, res Sole ipso clarior nos testimonia eorum promere cogit. Quare hanc nobis veniam dabis Lector, si non quod instituti ratio, sed aduersariorum efflagitat impudens contradicendi contentio, æquo fortassis fusiùs persequamur.

Diony. Corinthius. Dionysius ille Corinthiorum Episcopus non minus Ecclesiasticarum rerum antiquitate, quàm pietatis zelo inter veteres clarissimus, epistola ad Romanos data, hũc in modum scribit: *Vide hanc apud Euseb. & Nicepho.* "Sed & vos per talem doctrinam & cohortationem Romanæ & Corinthiæ Ecclesiæ plantationem à Petro & Paulo consitam contemperastis. Ambo enim & Corinthi apud nos verbum serentes eadem docuerunt: & isthic in Italia apud vos cùm eadem simul promulgassent, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, eodem tempore martyrio sunt perfuncti."

Caius Presbyter. Caius quoq; Scriptor Ecclesiasticus vetustissimus Ecclesiæ Romanæ excellentiam aduersus Proculum Cataphrigas hæreseos ducem defendens: "Ego verò Apostolorum, inquit, trophæa demonstrare possum. Si enim in Vaticanum aut Ostiensem viam ire velis, Apostolorum, qui Ecclesiam hanc fundarunt, trophæa inuenies."

Egesippus. Clem. Alex. Irenæus. Sic & Egesippus libr. 5. Clemens Alexandr. 6. Hypotyposeon, Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 8. Chrysostomus ad Rom. & Oecumenius, & Theophilactus ibidem, vti & Theodoretus. Porrò Latinos Scriptores quid commemorem, apud quos nihil est decantatius? Tertullianus in Apologetico, & de Præscriptione Arnobius, Lactãtius lib. 4. cap. 21. Prudentius, Ambrosius, Orosius, Philastrius Brixiensis, Hieronymus in Catalogo, & ad

Galatas, Augustinus cōtra literas Petiliani lib. 2. cap. 21.

Hi, inquam, omnes Patres vetustissimi, & Scriptores clarissimi, aliíque plurimi, quos breuitatis causa non recenseo, ita disertè ac clarè D. Petrum Romæ fuisse affirmant, vt qui de eo ampliùs dubitet rectiùs, vtrùm vnus Sol, an duo sint, quærat. Quis igitur hoc vanum esse cum Caluino, aut Veleno, asserere audeat, nisi qui animi superbia plus quàm Satanica omnes veterum Patrum Coryphæos contemnens, suum imperitissimum non dico iudicium, sed suspicionem temerariam pluris, quàm vniuersa tot sanctissimorum simul & vetustissimorum virorum faciat testimonia? Eorum quidem testimoniis Ioannes Funccius in Chronologia conuictus, Petrum Romæ fuisse negare non audebat, sed quantum, non dico licuit, sed voluit, Romanæ Ecclesiæ de Diui Petri præsentia detraxit, in dubio relinquens, án Romæ fuerit, & án Romę passus sit, cùm tamen omnes ferè testentur (vt ipse in Chronologia sua scribit) Petrum sub Claudio Romam venisse. At hoc est, scilicet, authoribus vetustis, quorum testimoniis suam conatur astruere Chronologiam, authoritatis vim sartam tectam relinquere, omnium ferè veterum testimonia falsi arguere.

Contra Funccij Chronologi somnia.

Sed quis eis alia de re, Funcci, vix vsquàm ita consentientes credat? aut tibi quis fidem in historia habere potest, quem tantam insaniæ notam Historicis ad vnum omnibus non puduit inurere?

Iam quæ Molinæus nugatur, silicernij delirio sunt dignissima. Non pudet homunculum Bartholi & Baldi mancipium falcem in alienam mittere messem, impudentissiméque garrire, Eusebium esse corruptum. Scilicet vna nocte omnes & Orientis & Occidentis Bibliothecæ in huius rei confirmationem sunt corruptæ, vt mendacium codicum suffragiis statuatur. Sed cur non potiùs forensis iste censor omnes in vniuersum libros veterum prorsus omnium Scriptorum pronunciauit esse corruptos, qui tanto consensu ac conspiratione tam numerosa nobis contestantur, Petrum Romæ fuisse? Quòd si authores illos dudum nobis commemoratos vt vetustissimos, ita eximiæ cùm primis fidei cùm Græ-

Molinæi deliria.

cos,tum Latinos perlegiſſet accuratiùs, aut expendiſſet penſiculatiùs haud dubium aliter ſibi perſuaſum habuiſſet. Verùm vt imperitia multorum eſt errorum parẽs:ita temeritas multorum deliriorum eſt author.

Cur D. Lucas Petri Romæ agentis non meminerit. Sed D. Lucas hac de re, inquiunt, nihil meminit. Atqui ne in Iudæa quidem,aut Oriente Diuum Petrum manſiſſe affirmat. An ita igitur inſanias, vt nuſquàm eum fuiſſe dicas? Illi verò de Pauli potiùs peregrinatione, cuius erat aſſecla, quàm aliorum Apoſtolorum peregrinationibus ſcribendi cura à Spiritu ſancto fuit mandata. Venerit ergo Romam, ait Funccius: at nulla fide digna hiſtoria reperitur,quòd Petrus Romam,poſtquàm eò venerit, reliquit. Haud dubium & Diuus Petrus,qui tanta diligentia ſuos monuit,vt magiſtratibus etiam aſperis & moroſis parerent, illi edicto Cæſareo Act. 18. morem geſſit cum Aquila & Priſcilla. Similiter & ab Nerone vnà cum Simone Mago, ſi Nicephoro fides habenda eſt,Româ eiicitur.

1. Petr. 2. *Claudius Iudæos omnes Italia prohibuit.* *Act. 18.* *Vide Nicephorum.*

Iã & illud mihi cogites velim,quòd ex Dionyſij Corinthij epiſtola ad Romanos data Euſebius & Nicephorus recitant, Petrum & Paulum vnà Corinthi Chriſtũ annunciaſſe: quòd ſi annos Chriſti diligenter obſerues, factũ eſſe non potuit,niſi annum circiter 52. quo primùm Paulus Corinthum venit:quod an poſt Concilium illud Apoſtolicum Antiochię habitum,vbi Canones aliquot feruntur conſtituiſſe, contigerit nec ne,in præſentiarum non fuerit opportunum exquirere accuratiùs.

D. Petrũ Ro. eccleſ. fundaſſe. Fuerit igitur Petrus Romæ interdum,at eum Romanam fundaſſe Eccleſiam figmentum eſt. Hoc inſigni mendacio (ſi Funccio creditur)totam Europam,& eam, quæ in ea eſt,Eccleſiam dementarunt. Atqui iſtud diſertis verbis Scriptorum vetuſtiſſimi cùm nobis conteſtentur,D.Irenæus,Polycarpi auditor lib.3.cap.3.Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Euſebius & Nicephorus, & Caius Preſbyter antiquiſſimus, Tertullianus & Ambroſius,quis non videat quantum præiudicij ſuæ Chronologiæ faciat Funccius, dum rem certiſſimã iſtorum maximæ fidei Scriptorum teſtimoniis conteſtatam, vt figmentum reiicit,atque mendacij labe aſpergit? Quis non

Teſtimoniũ concors veterum Patrum Funccius blaterat eſſe mẽdacium.

reliqua omnia, quæ vel ex eis recitantur aut leguntur alibi, eódem temeritatis furore reiiciat? Sed hîc oculos perstrictos habent, quibus nihil pensi est, quid dicant, modó aduersus Romanam Ecclesiam suã olim matrem aliquid dicant, quod ipsorum nõ refert, quo modo aliis cum rebus pugnet, modò cum Romanæ Ecclesiæ dogmatibus pugnet. Cuius insaniæ specimen ipse Fũccius paulò pòst verba illa dedit luculentissimum: Quòd si mihi, inquit, historiam Ecclesiásticam & Irenæum perrexerint obiicere, quorum vterq; Romanam Ecclesiam à beato Petro erectam tradit: Respondeo, Supposititiũ esse, & ab adulatore quodam Pontificio subornatum. Quem nõ huius misereat: quin vno verbo omnẽ Eusebianæ historiæ Ecclesiasticæ authoritatem, adeóq; Irenæi illius Scriptoris grauissimi maiestatem sibi imprudens reddit inutilem? quorũ tamen testimoniis in primis nititur ad suæ historiæ veritatem cõfirmãdam. Supposititium, inquit, est & ab adulatore quodam Pontificio subornatum. Nempe vt alia omnia, quæ pro Romanæ Ecclesię authoritate apud veteres omnes leguntur. O temerariam audaciam. Sanè vna nocte omnia Scriptorum veterum scripta ad confirmandam Rom. sedis authoritatem ab adulatoribus corrupta. Quid tibi Tertullianus? Num etiam pontificius adulator, qui sæuus fuit obiurgator? Quid Dionysius Corinthius? Num Romani põtificis adulator, qui castissimus Apostolicæ fuit antiquitatis obseruator?

Funccij fumi vanissimi.

Funcciũ victrix veritas valido trãsuerberat ictu

Petrus itaque Romæ fuit, Romanámq; fundauit Ecclesiam, & Româ sępiùs cùm euocatus, tum expulsus, totum peragrauit orbem, vbique locorum Christianas cõdens Ecclesias, ait Hugo Erethrianus li.3.c.17. eodémq; reuersus, à Nerone tandem cruci affixus ad cælos commigrauit. Verùm agè nunc demonstremus, Petrum Romæ Episcopali functum esse munere, vt eius Episcopatũ non fabulosum, sed verum fuisse constet.

D. Petrum vere functũ esse Romæ Episcopatu.

Paulus Apostolus primariam sui Apostolatus functionem non in Baptizando, sed Euangelizando fuisse testatur. Itaque si Petrum Romæ docuisse Euangelium demonstrauero, probè me istum non fabulosum, vti vocat Caluinus, Petri Episcopatum Romanæ Ecclesiæ cõ- 1.Cor.3.

firmasse crediderim. Petrum ergo Romæ Euãgelisasse, omnes illi veteres concorditer Patres testãtur, qui paulò superiùs plus minus viginti recitati, Petrum Romæ fuisse comprobarunt: inter eos tamen præ cæteris eximiè magis Diuus Egesippus Apostolicorum temporum (ait Hieronymus) vicinus, qui Petrum clarioribus Romæ miraculis emicuisse docet, quàm Paulum. Nam eos Romæ simul & egisse & prædicasse cùm dixisset, ac Simonem Magum Romanos non paucos suis dementasse præstigiis, licet illi etiam miraculis Romæ clarerẽt, adiecit, celeberrimus in his operibus (miraculis) habebatur Petrus. Sic & Papias, atque Clemens Alexandr. qui D. Marcũ ex Petri iussu Romanis audithoribus scripsisse tradunt, quod anteà viua eius voce didicerant. Idem clarissimis docet verbis Dionys. Corinthius, Tertullianus, Chrysostomus, & Theodoretus.

Vide Egesipp. lib. 3. cap. 2.

Iam cùm Petrus Christianæ Ecclesiæ D. Marci Euãgelium Romæ tradiderit legendum, cui dubium esse queat, hoc ex Episcopali factum esse munere? Adhæc cùm Diuus Chrysostomus Homil. 10. 2. Timoth. 4. testetur, quosdam Linum affirmare secundum à D. Petro Romanæ Ecclesiæ præfuisse Episcopum (quod tamen alibi fusiùs erit expendendum, quod ad ordinem atque numerum attinet) quî Linus secundus esse potuit post Petrum, nisi primus Romanæ Ecclesiæ fuerit Episcopus? Quod & Augustinus disertè confirmat, & Diuus Optatus lib. 1. Quid tibi, inquit contra literas Petiliani, libr. 2. cap. 5. fecit Cathedra Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet?

Testatur & Diuus Hieronymus, Petrum Romæ Cathedram Sacerdotalem annos vigintiquinque tenuisse. Simon Petrus, inquit Catalogo, secundo Claudij anno ad expugnãdum Simonem Magum Romam pergit, ibíque 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit.

Cæterùm argumenta, quibus Caluinus Petri Episcopatum Romanum fuisse fabulosum conatur ostendere, tam sunt ridicula, vt qui in historiarum lectione versatus fuerit vel mediocriter, eius inscitiam vt crasissimã, ita pudendam, satis mirari nequeat. Quare ne molesti

ſimus, tribus ea verbis diluamus. Tota argutiarum eius Sophiſtica hac in re vna conſiſtit, quòd Paulus Romanæ Eccleſiæ ſcribens, Petri non meminerit: qui ſi caput Romanæ Eccleſiæ, inquit, fuiſſet, eius non fuiſſet oblitus Paulus, quum alios Eccleſiarum Epiſcopos ſaluere iubeat. nec vinctus Romam perductus Petrum ſalutat, ſed fratres eum ſalutant in conducto.

Caluini nugæ cõtra Petri Epiſcopatũ Romanũ.

Quæ Caluini nugæ perquàm friuolæ & frigidæ, nec quicquam eum moueant, qui ex veterum Patrum diligenti lectione, ac hiſtoriarum ſeria obſeruatione ſtudiosè animaduertit, Diuum Petrum ſub annum Claudij ferè quartum Romam quidem veniſſe, ſed non infrequenter etiam Româ abfuiſſe, partim à Claudio & Nerone vrbe pulſum, vt docuimus: partim aliis iuſtis Euangelij annunciandi ſiue confirmandi cauſis Româ in Syriam, & Iudæam, alióque fuiſſe profectũ. Primùm ergo ſub Claudio, anno ferè Domini quinquageſimo Iudæi omnes Româ pulſi fuêre. Poſteà Ieroſolymam rediit, vt Dionyſius Areopagita teſtatur vnà cum Apoſtolis omnibus ad D. Virginis funus efferendum. Iam eum Ieroſolymis Concilio illi magno Apoſtolico interfuiſſe teſtatur Lucas cap. 15. Deinde Romam reuerſus, per Corinthum vnà cum Paulo, vt mihi teſtis eſt Dionyſius Corinthius in epiſtola ad Roma. A Nerone tandem anno ferè ſexageſimo vnà cum Simone Mago iterum publico edicto eiicitur: ac tum totum terrarum orbem peragrauit, ſi Nicephoro creditur, & Hugoni Erethriano, homini Græco rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimo. Quid mirandum igitur, ſi Paulus non ſaluere iuſſerit Petrum, cùm toties Româ abfuerit? Imò per id tẽporis, quo ad Romanos ſcripſiſſe teſtantur veteres Paulum, Petrus Claudij edicto vnà cum Aquila Pontico & vxore Priſcilla, cæteríſque Iudæis Româ fuerit pulſus?

D. Petrum ſubinde Roma abfuiſſe, imò expulſum ſæpiùs fuiſſe.
Vide Bedam Reginonem, Oroſium, Abb. Vrſp. Nicephor.
Ann. 50. De cæleſti. Hierarch.
Act. 15.
Anno 60.
Act. 18.
Anno 53.

Cæterùm quo magis liqueat, Diuum Petrum peregrinando totum propè terrarum orbem peragraſſe, vt minùs mirum ſit, eum aſſiduè Romana in Cathedra nõ ſediſſe, viſum eſt paucis rememorare, vbínam locorum & gentium Epiſcopos Chriſtianos crearit Eccleſiis. Petrus magnus Chriſti Apoſtolus, ait Diuus Hugo ille

Epiſcoporũ Catalogus,

quos D. Petrus crearit. Erethrianus, libr. 3. cap. 17. de Spiritus sancti processione, ex quodam D. Stephano, vti apparet, Episcopo Græco, in omnibus ferè ciuitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellades, Epyri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, ac extremitatum, vt Ecclesiastica perhibet historia, Episcopos ordinauit. Etenim Iacobus eius fauore Ierosolymorum thronum tenuit. Deinde Euodium Antiochiæ, Tharsi Vrbanum, Epaphroditum Lyciæ, Figellum Ephesi, Smyrnæ Apellem, apud Philippos Olympam, Thessalonicæ Iasonem, Silam Corinthi, Patras Erodiana, Tauromenij Maximum ordinauit. Ampliùs autem Ancyræ, Nicææ, Nicomediæ, in Thraciæ partibus, atque Occidentalium regionum similem operatus est ordinationem: Hæc ille. Quòd autem in Gallia D. Petrum dicit ordinasse Episcopos, id de D. Seruatio & Maternosi quis interpretetur, nos facilè suffragatores habeat.

Deinde vt Petrum Romæ fuisse demus per id temporis, si penitiùs illum salutandorum Pauli nomine catalogum consideres, in procinctu erit agnoscere D. Petrum à Paulo, quasi Romæ non ageret, non fuisse neglectum, quòd illæ Paulinæ salutationes non tam officij causa fuerint adhibitæ, quàm illorum commendandorum gratia, quorum diligēter adeò meminit, vt eos fortè aut fide infirmiores diligentiori obseruātia & obsequio colant, aut neglectos in pretio habeant, & maiori admiratione atque beneficiorū exhibitione prosequantur. Quod cum non fuerit necessarium de Petro Pont. Rom. tam grato, tam exoptato, facere, frustrà eius nomen fuisset cum aliis enumeratum. Cùm enim legamus D. Paulum tanta animorum obseruantia, honore, atque obsequio fuisse plerísque in locis à Christianis exceptū, qua par est credere. D. Petrum Romæ fuisse habitum? Haud dubiùm tantò maiore, quantò Petrus Paulum & miraculorum excellentia Romæ superabat, & Euangelij annunciatione priùs Romanos sibi deuinxerat intimiùs, adeóque quantò Romanus populus reliquas orbis nationes humanitatē atque animorum gratitudine vincebat. Siquidem D. Egesippus grauissimus author & *Vide Egesippum lib. 3. c. 2*

Apostolicis vicinus temporibus, disertè attestatur, Petrum Romæ habitum fuisse celeberrimum ob incredibilia, quæ patrabat, miracula.

Item D. Theodoretus in epistolam ad Roma. nobis testis est. Petrum Romæ docuisse Euangelium, antequàm ad Romanos suam Paulus daret epistolam. Iam quòd Petrus non salutat Paulum ex Syria captiuum Neroni missum Acto. 29. quid aduersariorum causam iuuat magis, quàm si dicas, eum Ierosolymis, aut Antiochiæ non fuisse Petrum, quia de vtroque silet Lucas? Sed sic solent ex silentio validissima contra omnẽ artis dialecticæ rationem cudere argumenta rethorculi. Silentium, inquiunt, Pauli, nobis pro validissimo est argumẽto. Sit eis ergo & Lucæ silentium pro validissimo argumento, Paulum non esse in cælos assumptum post emẽsum huius stadij curriculum. *Ex silentio noui Rethorculi cudũt argutiarũ suarum crepitacula.*

Cæterùm quod de Babylone nugatur Caluinus, cui non risum moueat? vult Petrum in Babylone Assyriorum epistolam scripsisse: quæ cùm longè absit ab Italia, non sinere Petrum Romæ egisse. Quid si Babylonem Ægypti, Caluine, cum aliis similiter, sed tolerabilius errantibus accipiam? Verùm nos veterum Patrum Commentarios secuti, hanc Babylonem aliam planè esse negamus, quàm Romam ipsam, quæ rectè & à D. Ioanne eadem notatione delineata est, ob innumeras flagitiorum miscellaneas, quæ verã Babyloniam efficere queãt. Et Leonis nomine Paulus Neronem accipiendum Timotheo voluit. Sunt huius nostri commentarij grauissimi authores D. Hieronymus in Marco, & ante eũ Papias Hieropolytanus Episcopus, D. Ioãnis, Apostoli auditor Suffragatur & Oecumenius scriptor diligentissimus, ac vetustissimorum Patrum, quorum magna cum Ecclesiæ iniuria intercidêre scripta, lector persedulus. *Babylõ quæ, vnde Petrus epistolã scripsit.* *Vide Hier. Catalog.*

Porrò quod Caluinus omnium impudentissimè obstrepit: Quoniam inualuerat, ait præfat. in epist. D. Petri, persuasio ipsum Antiochia Romam migrasse, & Romæ fuisse mortuum: Hoc solo argumento adducti veteres, Babylonem allegoricè Romam vocari finxerunt. Istud impudentissimum, inquam, hominis nugacis- *Improba Caluini figmenta.*

ſimi figmentũ quis reſponſione dignetur? aut ſi reſpondeamus, quis lectu dignum arbitretur? Audet homo effrons ſolo hoc argumento, quod narrat, veteres adductos perſuaſum habuiſſe, Babylonem hîc accipiendam allegoricam: & quod omnem ſuperat impudentiam, eos finxiſſe ait, finxiſſe inquam, Babylonem allegoricôs eſſe Romam. Scilicet iſtis prudentibus interpretibus difficile fuerit ex quolibet fingere quidlibet, ex veterũ grauiſſimorum Scriptorum Papiæ, Hieronymi, & Oecumenij Commentariis doctiſſimis ac ſolidiſſimis anilia facere figmenta.

Hæc cum ita ſeſe habeant, vetuſtiſſimorum authorum ſententiis cõfirmata, ac probatiſſimorum Scriptorum teſtimoniis demonſtrata, quis adeò in poſterũ inſaniat, vt cum Caluino quaſi fabuloſum ridere audeat Diui Petri Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum? Quare ad illam quæſtionem nihil eſt, quòd reſpondeamus fuſiùs, an Romanæ ſedis Epiſcopi ſint Apoſtoli Petri ſucceſſores? Cùm phreneticæ plus habeat contumeliæ, quàm iuſtæ difficultatis, aut obſcuritatis. Qui enim iſtiuſmodi Paradoxa non modò in vulgus ſpargere nõ veretur, ſed ſcriptis quoque libris legenda orbi proponere, quid obſecro aliud, quàm ſuæ non dico imperitiæ, ſed dementiæ immortalem orbem faciunt teſtem? Proinde paucis ſtabilito ac fixo, Pontificem Romanum verè eſſe D. Petri ſucceſſorem, ideóque Chriſti vicarium, illud excutiendum veniet, an iure diuino totius Chriſtianæ Eccleſiæ ſit paſtor, præpoſitus atque caput.

Caput LXXXIII.

Romanum Pontificem eſſe D. Petri ſucceſſorem.



QVò præſens de Apoſtoli Petri ſucceſſore quæſtio pleniorem ſimul & luculentiorem accipiat diſſolutionem, operæpretium erit, illud initiò admonuiſſe,
" longè aliter Põtificem Romanum Di-
" ui Petri eſſe ſucceſſorem, quàm cæteros
" alios Sacerdotes, ſiue Epiſcopos, quos & apud veteres
" interdum legere eſt D. Petri ſucceſſores & Chriſti vica-
" rios. Sic Diuus Alexander epiſtola ſecunda Sacerdotes Chri-

ChriſtoDomino dicit conſecratos, & in ordine Apoſtolatus conſtitutos. Diuus Hieronymus epiſtola ad Heliodorum, eos Apoſtolico gradui ſuccedentes: & iterum, Non eſt facilè ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Chriſto regnãtium. Et Diuus Anterus martyr: Abſit, vt quicquã ſiniſtrum, ait epiſtola ad Bæticos, de his qui Apoſtolico gradui ſuccedẽtes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt. Quid, quòd Diuus Euſebius ad Thuſciæ ſcribit Epiſcopum: Caput enim Eccleſiæ Chriſtus eſt, Chriſti autem vicarij Sacerdotes ſunt, qui Chriſti vice legatione funguntur in Eccleſia. Sic & Diuus Ambroſius in epiſtolam ad Timotheum, & ante hos Diuus Cyprianus libro ſecũdo, epiſt. 3. Sacerdotes Chriſti vice offerre.

Succedunt ergo & Epiſcopi in primis quodam ſenſu in Petri locum, quòd in partem ſolicitudinis aſſumũtur, atque officio Eccleſiaſtico nõ tam honorifico quàm oneroſo honorantur, quo ad Eccleſiæ ædificationẽ defungantur. Verùm longè aliter nunc de Petri ſucceſſore quæritur, an videlicet Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus potiùs, quã Antiochenus, aut Hieroſolymitanus, aut quiuis alius, eandem omnem habeat & poteſtatẽ & authoritatem, quam D. Petrus Chriſti Vicarius à Domino acceptam in Eccleſia habuit Chriſtiana?

Ergo quòd Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus in D. Petri non locum modò, ſed poteſtatem etiam atque authoritatem accedat ſucceſſor, ex iis, quæ nunc in medium adferemus, in promptu fuerit agnoſcere iis omnibus, qui veritatis luculento veterum Patrum conſenſu conteſtatæ, quàm contentionis & logomachias fuerint ſtudioſiores.

Cùm enim D. Petrus Apoſtolus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Romæ 25. annis, ait Hieronym. in Catalog. Cathedram Sacerdotalem tenuerit, fieri nõ poteſt, quin Epiſcopus illi mortuo ſuccedens in eadem Cathedra Sacerdotali in iis prorſus omnibus ſuccedat priuilegiis atque prærogatiuis; quas dudum ex Scriptorum vetuſtiſſimorum commentariis recitauimus; quòd videlicet Romanus Epiſcopus totius familiæ Chriſti ſit Oe-

conomus,& seruus præpositus, vti appellat Cyprianus, totiúsque ouilis Christi pastor atque caput. Quòd enim Romanæ Ecclesiæ Episcopus verè credatur D. Petri Apostoli successor, hinc liquidò efficitur, quod veteres Orthodoxi Scriptores sanctissimi non modò hoc illum nomine appellant, vti Hieronymus, cum piscatoris successore loquor, epistola ad Damas. & de Anastasio in Petri Cathedra successore, epistola ad Marcum Celed. vti & August. epistol.162. Sed illam quoque indubitatam esse credendam docuêre Christi domum & Ecclesiam, in qua Romanus Pontifex præsideret. Romanæ enim Cathedræ nota, tanquàm cælum Sole, censuerũt veram Christi Ecclesiam in hoc mundo & agnoscendam, & à schismaticorum conuenticulis discernendam. Si enim eos percuncteris suis adhuc in scriptis loquẽtes, vbínam locorum ante annos mille, hoc est, sua ætate fuerit domus Dei à Christo in terris fundata, veráque Christi Ecclesia Catholica? mox audies, vbi Romanæ sedis Episcopus præest pastor. Sic Diuus Ambrosius sua ætate domum Dei totam à Paulo veritatis fundamentum atque columnam dictam, Damasum gubernasse testatur comment. in cap.3. ad Timoth.1. Diuus Hieronymus quoque hunc eundem Damasum profitetur Petri & fidem, & sedem tenere, epistola ad eum data.

Indubitata veteribus Ecclesiæ verè Christianæ nota.

Pontifex Roma. Petri successor.

Damasus Ecclesiam Dei gubernauit.

Rursus idem ad Marcum Celed. Si placet, hęreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petróque condemnent. Anastasium item in Petri Cathedra docet successorẽ Augustinus: In Romana Ecclesia, inquit, epist.162. semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus. Cyprianus similiter D. Cornelium in Petri locum & Cathedræ Sacerdotalis gradum successisse affirmat: Factus est autem Cornelius, inquit libr.4. epistol.2. ad Anthonia. Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis (quæ tunc affuit) suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium

Vacantẽ D. Petri locũ et sedẽ occupat Cornelius Rom. Pont.

noſtrûm conſenſione firmato, quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiæ ordinationem, quia Eccleſiæ non tenet vnitatem. Eundem in modum populo etiam Chriſtiano Catholicam Chriſti Eccleſiam à ſchiſmatica ſolenne fuit Cathedra Romana, tanquàm nota intercernere atque ſeparare. Ita nobiliſſimus ille Satyrus, D. Ambroſij magis fide quàm natiuitate germanus, illo naufragio in Africæ oram eiectus tametſi nondum baptizatus, in vera Chriſti Eccleſia, cùm vellet baptizari, eius loci Epiſcopum ad ſe aduocatum percunctabatur, num eſſet Catholicus, an Luciferi potiùs ſchiſma, (quod illic non paucas Chriſti Eccleſias à corpore auulſerat) ſequeretur? Qua autem re id diſcreuerit, docet Diuus Ambroſius: Aduocabat ad ſe Epiſcopum, inquit oratione funebri, nec vllam veram putauit, niſi veræ fidei gratiam, percunctatúſque ex eo eſt; vtrúmnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conueniret? & fortè ad id locorum in ſchiſmate regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat, & quanquàm proinde exulaſſet, & fidei ſuę reliquiſſet hæredes, non putauit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam nō tenerent, cuius patiebantur, velut quoſdam artus diuidi & membra lacerari.

Epiſcopi Catholici qui cum Roma. Pontifice cōueniunt.

Sic & Africani illi, de quibus Diuus Cyprianus epiſt. 11. lib. 3. dudum Nouati ſchiſma ſecuti, cùm ſuorum delictorum ipſos pœniteret, veram Chriſti Eccleſiam requirentes, non aliam ſeſe inuenire potuiſſe, ſuis ipſi verbis profitebantur, quàm cui Romanus præerat Epiſcopus: Nos Cornelium, inquiebant teſte D. Cypriano loco iam indicato, Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ erectum à Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur, circumuenti ſumus perfidiæ loquacitate & factione amentes.

Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus quis.

Sed priuatorum fortaſſis hominū de certiſſima Catholicę Chriſti Eccleſię nota nō moraris iudiciū. Quare ex clariſſimis Orthodoxæ fidei Scriptorib⁹ demōſtrādū

est, Orthodoxè nos credere, in illo grege veram esse Christi Ecclesiam Catholicam, cui Romanus Episcopus præest pastor. Diuus Irenæus Polycarpi Apostolorum discipuli auditor, veram Christi inter adeò multas suo seculo diaboli synagogas demonstraturus, Ecclesiã nulla re alia ita liquidò se posse commonstrare censuit, atque indubia Episcoporum Romanæ Ecclesiæ in Petri Apostoli locum successione. Cùm itaque veram aduersus varias hæreticorum scholas illa ætate à diabolo perfidiæ omnis magistro apertas ostendere vellet Christi Domini doctrinam & Ecclesiam, silentio prætermissis " aliarum Ecclesiarum Episcopis, solius Romanæ Eccle- " siæ successionem depingit, quam dicit maximam & an- " tiquissimam à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & " Paulo Romæ fundatam & constitutam. Et quibusdam " interiectis, quæ præclaram doctrinam Romanæ Eccle- " siæ continent & authoritatem: Ad hanc, inquit, libr. 3. " cap. 3. Ecclesiam propter potentiorem principalitatem " necesse est omnem cõuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui " sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vn- " dique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. " Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiã, " Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderũt. " Huius Lini Paulus, in his, quæ sunt ad Timotheum epi- " stolis, meminit. Succedit autem ei Anacletus. Post eum " tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemẽs, " qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, & cæt. " Et post quædam: Huic autem Clementi succedit Euari- " stus, & Euaristo Alexander, ac deinceps Sixtus: ab Apo- " stolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui " etiam gloriosissimè martyrium fecit, ac deinceps Hygi- " nius, post Pius, post quem Anicetus. Cùm autem succes- " sisset Aniceto Soter, nũc duodecimo loco Episcopatum " ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & suc- " cessione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & " veritatis præconatio, peruenit vsque ad nos. Et est ple- " nissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fi- " dem esse, quę in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit cõ- " seruata & tradita in veritate.

Successionis series in locũ Petri Apostoli Catholicã verámque arguit Ecclesiam.

Eundem in modum ad certò indubitatéque veram Christi Ecclesiam in mundo isthoc demonstrandam & Diuus Augustinus eadem Episcoporum in Petri Cathedra succedentium serie, atque perpetua vsus est successione, epistola trecentesima sexagesima tertia, contra Donatistarum schisma.

Quantum igitur adferat momenti ad veram Christi Ecclesiam in terra inueniendam, de quo tunc litigabant Donatistæ, ista perpetua Episcoporũ successio hisce clarissimis verbis docet Augustinus: Si ordo sibi Episcoporum succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clemẽti Anacletus, & quæ sequuntur: vbi quod Diuo Irenæo per vitam nõ licuit, ipse post Eleuterium in suum Anastasium deduxit.

Caput LXXXIIII.

Episcopum Ro. eadẽ esse potestate in Ecclesia præditum, qua D. Petrus.



QVando demonstratum est, Romanæ Ecclesiæ Episcopum verum esse Petri Apostoli successorem, & eandem Cathedram Sacerdotalem, quã primus D. Petrus tenuit Romæ, etiamnum tenere, nunc superest, vt Rom. Episcopum iisdem ostẽdamus à Christo Domino exornatum priuilegiis, & authoritatis, principalísque potestatis prærogatiua præditum, quibus ipse olim D. Petrus: hoc est, Pontificẽ Romanum iure diuino Ecclesiæ toti Christianæ præfectum esse Oeconomum, totius Christi ouilis pastorem, corporísque vniuersi Christiani (interim dum Christus Dominus abest peregrè) seruum omnibus præpositum, atque caput. Quæ sanè quæstio maximi cùm primis momenti ad sedandas omnes istius turbulẽtissimæ tempestatis procellas, quò dissoluatur solidiùs iuxtà ac liquidiùs, initiò docebimus, nõ fuisse in Ecclesia Christiana vnquàm Episcoporum paritatem, sicuti nec inter Apostolos. Mox Pontificem Romanum non ordinatione

Quæ methodo Episcopi Romani excellētia atq; primatus demōstrandus.

politica Episcopali, aut humana constitutione imperiali: sed diuino Christi oraculo, iuréque Apostolico omnibus semper Ecclesiarum ad vnum omnium Episcopis non excelluisse modò, sed & præfuisse: Quod non tantùm ex Episcoporum cuiusque nationis ad Episcopum Romanum appellatione, aut improborum excommunicatione simul & eiectione atque electorum cōfirmatione monstrabitur: sed ex Conciliorum etiam vniuersalium, tum approbatione, tum damnatione: Episcoporū quoque vel per concilia damnatorū absolutione, ac eiectorum restitutione: Patriarcharum denique omnium post longa cum illo dissidia reconciliatione.

Quod suo superiùs loco de Diuo Petro exposuimus, eum Apostolis cæteris & potestate fuisse maiorem, & cura pastorali imparem atque ampliorem, hoc de Romano Pontifice eius successore nunc quoque paucis est demonstrandum: tametsi apud homines moderati ingenij ea res fortè videbitur superuacanea, nēpe qui perspiciant ex illo istud sequi continuò, cùm Petri successor nunc sit declaratus. Verùm ne quid desit iis, qui hac de re, aut ambigunt, aut cum Petro illam opinantur extinctam fuisse potestatis pastoralis prærogatiuam, sicuti & Apostolatus, agè nunc mōstrata Episcoporū inter ipsos potestatis imparitate, comprobemus, eundem Petri in Ecclesia Christiana primatum summámque authoritatem, & principalem potestatem testibus Orthodoxorum Patrum sententiis à Christo Domino, hoc est, diuino iure, sicuti & Petro fuisse illi Romano Pōtifici tributum atque collatum.

Non fuisse à Christo institutā Episcoporū paritatem.

Qui Christianæ Ecclesiæ Episcopos olim fuisse potestate pares opinantur, sicuti hodie videmus Presbyteros, eorum sententia nobis probari non potest, quòd Christi Domini in suam Ecclesiam solicitudinē & prouidentiam, nec satis dignè æstimasse, nec satis habere perspectam videantur. Si enim pastorum omnium volunt esse paritatem, nullúmque alteri præfectum, tot sanè condidit Ecclesias, quot creauit Episcopos. Quare & ἀναρχίαν rerum publicarum pestem, suis videbitur inuexisse Ecclesiis. Quod cùm huius seculi prudentes vel in

ἀναρχία rerum publi-

istis regnis sentiant non tam pestiferum, quàm exitiale, id sanè de Christo Domino, qui cælestium thronorum est sapientia, παρέδρος atque assessor, vel suspicari fuerit nefas. Proinde si Respublica consistere nequeat salua, nisi penes vnum quempiam eius administrandæ atque gubernandæ sit potestas, siue ea successione contigerit, siue electione, qua obsecro ratione Catholicæ Christi Ecclesiæ per omnem orbem longè latéque diffusæ sua salus constare potest salua atque perennis inter tot hominum dissidia, ingeniorum discrimina, assiduáq; Dæmonum discordiæ magistrorum machinamenta, si vnus quispiam ei non sit præfectus, quem singuli consulant? quem omnes audiant? cui vniuersi & obsequantur, & obediant? Sicuti vnum igitur est Christi corpus, ouile vnum, Ecclesia vna: ità vnum eius caput in Christi Domini absentis locum, vnus pastor, vnus denique seruus toti familiæ Christi administrandæ atque gubernandæ præpositus, atque vnus denique Episcopus. Verùntamen sicut in Republica Consul patrifamiliâs suam in suos nõ eripit gubernandi atque regendi potestatem: ita nec ille Christi ouilis pastor atque familiâs Oeconomus, & seruus præpositus suis conseruis eripere potest suam cuiusque in Christi gregem sibi creditum potestatem, & pascendi authoritatem. Hoc illud est, quod apud D. Cypria. legimus, Episcopatum vnum esse, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Sic & Diuus Augustinus Bonifacio Rom. Pontifici sua dedicans scripta aduersus duas epistolas Pelag. cùm sit communis (ait præfat.) omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, specula pastoralis, &c. In pascendo igitur Dominico grege suæ cuique fidei credito quædam fortè agnoscatur paritas, quæ in pari solicitudinis illi pascendo impendendæ cura consistit: sed vbi Pastorum inter ipsos fit comparatio, maximam haud dubium reperire est imparitatem, quæ ex iis, quæ mox adferemus, inclarescet magis.

carum pestis longißimè abest à Christi familia.

Episcopis in solidum suus cuique grex creditus.

Proinde hæc Episcoporum in suumcuiusque gregem potestas, etsi quandam paritatis & ęqualis potestatis speciem prę se ferat, adeò vt Romanus Episcopus, quatenus Episcopus, non plus habeat in suos potestatis, quàm aut

Traiectensis noster, aut Augustanus: tamen potestatis, quæ inter Episcopos cernitur, inæquabilitatem non tollit, haud secùs atque par & æqualis patrumfamiliâs in suos legitima potestas Consuli aut Prætori suam tollit authoritatis prærogatiuam. Hæc autem principalis pascendi atque gubernandi gregis Christi potestas à Christo in sua familia & Dei domo relicta, cùm Romano Pótifici à vetustissimis quibúsq; Orthodoxis Patribus non tam fuit tributa, atque agnita, stultissimum fuerit, ne dicam insanum eam illi conari vel verbis eripere. Quare mihi video illustria aliquot veterum Patrum testimonia ex saluberrimis Scriptorum eorum nartheciis depromẽda, quibus phrenesis, quæ nostram ætatem dolendum in modum vexat, depellatur.

Rom. Ecclesiæ principatus atq; præstantia, à vetustißimis quibusque Theologis sẽper agnita.

In Romana Ecclesia, inquit D. Augustinus epistola 162. semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus. Hunc autem ne quis stolidè imaginetur talem esse, qualis vulgò creditur Octauiani Augusti totius orbis principatus, cui vix orbis totius quadrans parebat, audiamus D. Augustinum alibi hunc Romanæ Ecclesiæ principatum, qualémnam voluerit accipiendum, exponentem. Cùm aduersus Iulianum Pelagianum prolixum contexuisset Augustinus Episcoporum Catholicorum catalogum post DD. Irenæum, Ambrosium, Chrysostomum atque Basilium, ipsúmque adeò Cyprianum, tandem D. Innocentium accensuit Roman. Episcopum: cui cum ex ordinis loco nonnullam sibi videretur facere iniuriam, quod postremum eum recensuisset, atque veluti obscurum tyronem in aciem contra Iulianum produxisset, qui meritò in principiis fuerat collocandus, primáque in acie aliis præponendus, audi quæso, quánam eum ratione ab hac iniuriæ, quæ videbatur, suspicione vindicarit, eiúsque honorem multò aliis maiorem asseruerit: Cum his (inquit, Episcopis dudum commemoratis, capit. 2. libr. 1. contra Iulia.) & ipse considet Innocentius Rom. Episcopus, etsi posterior tempore, prior loco. Viden' August. suffragio Episcopum Roma. loco sedere priorem in illo Catholicorum Episcoporum maximorum senatu, aduersus Iulianum Augustini opera con-

Innocentius Rom. Augustino est inter omnes orbis Episcopos loco primus.

gregato? Rurſus idem beato Bonifacio ſua dedicans ſcripta contra duas epiſto. Pelagij: Cùm ſit (inquit inter alia præfat.) communis omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quàmuis ipſe in eo præmineas celſiore faſtigio, ſpecula paſtoralis.

Hæc aliáque præclara adeò veterum Patrum teſtimonia cùm ita perſpicuam habeant hac de re veritatis doctrinam, non poſſunt vel ipſi aduerſariorum ſaniores ire inficias, quin Eccleſiæ Chriſtianę primatus Rom. Pontifici ſit attributus, verùm ad callidiora quàm prudentiora, plauſibiliora, quàm ſolidiora conuerſi conſilia, hunc illi principatum ordinatione datum volunt politica Eccleſiaſtica, aut conſtitutione certè Cæſarea. Quem vtrumque errorem vbi veritatis Sole diſpulerimus, oſtendendum erit iure planè diuino, nec hominis voce, aut Epiſcoporum conſenſu, aut Cæſarum voluntate, ſed Chriſti Domini oraculo, Deíque ordinatione, hunc Eccleſiaſtici regni principatum Rom. Pontifici fuiſſe delatum atque tributum.

Caput LXXXV.

Quòd non ordinatione Canonica, nec conſtitutione Cæſarea Ro. Pōtifex aliis ſit præfectus Epiſcopis.



QVàm igitur hallucinetur grauiter Philippus Melanchthon, qui talem Roman. Pontificis vult eſſe in vicinos Occidentis Epiſcopos poteſtatem, qualis fuit Antiocheni in vicinos Orientales, ordinatione videlicet Eccleſiaſtica, nunc eſt demonſtrandum. A Concilio Nicæno ex politica Eccleſiarum ordinatione Pontifici Romano aſſerit in Eccleſia ſua datum, vt præeſſet Eccleſiis vicinarum nationum, ſicut Alexandrino, vt pręeſſet Eccleſiis Orientis. Cæcum hunc hominis errorem etſi multa veteris hiſtoriæ exempla ſanare debuiſſent, quæ non pauca ſanè diligentibus rerum Eccleſiaſticarum lectoribus ſeſe offerunt, vti Anacleti epiſtola 3. aliorúmque hanc rem liquidò conteſtantium: ipſa certè huius Concilij Nicęni pręfatio iſtam temeritatem redarguiſſet, vbi diſertis verbis legitur, Romanam Eccleſiam nullis Synodicis decretis eſſe prælatã, ſed Euangelica voce Domini Saluatoris noſtri primatũ

obtinuiſſe, vbi dixit beato Petro Apoſtolo, Tu es Petrus. & cætera.

Verùm ipſa Canonis Nicæni verba accuratiùs librata hîc Philippi demonſtrant oſcitantiam: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν αἰγύπτῳ καὶ λιβύῃ καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον, πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιοχίαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα ταῖς ἐκκλησίαις: Priſca porrò teneatur conſuetudo per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin, vt Alexandr. Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Ro. Epiſcopo hoc eſt ſolenne, atq; ita conſueuit. Similiter quoq; & apud Antiochiam, cæteráſque prouincias ſua Eccleſiis obſeruentur priuilegia, atque dignitatis prærogatiua.

Canon Nicænus Ro. Pontifici non nouam tribuit poteſtatem, ſed ex ea petit argumentum, quò aliis Patriarchis ſuam confirmet atque ſtatuat.

Quæ Nicæni Canonis verba nequaquàm Pontifici Ro. nouam tributam ſignificant poteſtatem: ſed priſcá adeò Epiſcopi Alexandrini authoritatem ſacrılega Ægyptiorum & aliorum ſuffraganeorum temeritate violatam, vetuſto Romanæ Eccleſiæ more confirmāt eiuſq; exemplo aliis docent, ſuam Patriarchalem tuendam poteſtatem. Nihil ergo hîc politica ordinatione datum eſt Pontifici Romano, nihil in vicinos Occidentales Epiſcopos tributum eſt authoritatis nouæ, vt gemino cum ſacrilegio comminiſcitur Philippus: ſed ex indubitata tūc temporis Ro. Patriarchæ in ſuos ſuffraganeos authoritate, Patriarchæ itidem Alexandrino ſuam priſcam in ſuffraganeos vindicatam vides poteſtatem. Verùm de hac Patriarcharum, quos initiò quidem tres, pòſt verò 4. habuit antiquitas, poteſtate nihil in preſens agitur. Quare contēti ex Nicæno Canone oſtendiſſe, non fuiſſe Romano Pontifici poteſtatem in Eccleſias ordinatione Eccleſiaſtica tributam, ſupereſt, vt neque ex Cæſarea conſtitutione oſtendamus illi donatam.

Ro. Pontifici non fuiſſe primatum à Cæſare datum, ſed confirmatum.

Quod igitur à Iuſtiniano quidam ſuſpicantur, Romanam Eccleſiam aliis invniuerſum omnibus fuiſſe prelatam, plus habet ſtoliditatis. Quanquàm enim ſua con-

ſtitutione ſancitum voluerit Romanum Epiſcopum omnium eſſe Sacerdotum primum: hanc tamen prærogatiuam non primus ei tribuit, ſed vetuſtiſſimam à nouatoribus quibuſdam temeratam ſtabiliuit: quod ex eius verbis Solis luce clariùs eſt agnoſcere. Sancimus itaque vicem legum obtinere ſanctas regulas (inquit in Autent. de Eccleſ. tit. quæ à ſanctis Conciliis quatuor Synodorum) ſicut ſacras Scripturas accepimus, & regulas, ſicut leges ſeruamus. Itaque ſancimus ſecundum eorum definitiones, ſanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum.

Iuſtinianus ſtabiliuit priſcam Ro. Põtificis authoritatem.

Pari modo friuolum eſt, quod ex Platina opponit Lutherus, Rom. Pontificem humano decreto per Conſtantinum quartum fuiſſe aliis omnibus prælatum. Diſertè enim in Benedicto 2. Platina teſtatur, hanc prærogatiuam non tũ primùm, ſub annum Domini 670. fuiſſe tributam: ſed in gratiam ſanctiſſimi viri abrogatam fuiſſe ſanctionem Cæſaream, quæ ad Rom. Pontificis Chriſti vicarij confirmationem ſolet expectari: Eundem ſtatim, inquit, verum Chriſti vicarium eſſe omnes crederent, nulla autem Conſtantinopolitani Principis, aut Italiæ Hexarchi expectata authoritate, vt anteà fieri conſueuerat.

Conſtãtinus 4. reſtituit Rom. Põt. liberiorẽ vſum adeundæ Cathedræ.

Quòd porrò huc adferunt aduerſarij de Phoca Imperatore, cuius lege Romanus Pontifex primatum in alias obtinuiſſet Eccleſias, mirum ſanè, qua id fronte apud homines hiſtoriarum vel tenuiter eruditos audent in medium proferre. Cùm enim Iuſtinianus, qui Phocam annos plus minus ſeptuaginta præceſſit, diſertis adeò verbis profiteatur, ſe Romano Pontifici primatum non dare, ſed poſſeſſum confirmare: Sancimus, inquiens, ſecundum Canonum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romę Papam primũ eſſe omnium Sacerdotum, perfrictæ ſanè eſt frontis, politicæ poſterioris Imperatoris conſtitutioni primatum Romani Pontificis acceptum referre velle. Si enim hiſtoriæ verba expendere animus eſt, in eandem cum illa Iuſtiniani A. ſententiam recidere deprehendemus, quod de Phocę iactitant priui-

Phocas Ro. Pontifici primatum non donauit, ſed confirmauit.

Cur Phocas innouarit Iustiniani A. sanctionẽ de Ro. Pont. primatu.

" legio. Scribit Paulus Diaconus historiæ Longobardicæ
" lib. 4. cap. 36. Phocam regnante Papa Bonifacio statuisse
" sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse om-
" nium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana
" primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Quibus ex verbis facilè est cognoscere, qúæ nam fuerit illius constitutionis Augustæ causa, nimirùm Constantinopolitani Episcopi arrogantiam, qui se primum omnium iactabat. Hac igitur constitutione Phocas huius nouam repressit insolentiam, & Priscam Romano Pontifici confirmabat dignitatis prærogatiuam iam pridem possessam, & antiquis Canonibus, atque Imperatorum edictis corroboratam: quam quia Constantinopolitanus superbissimè sibi arrogabat, veterem studens perturbare Ecclesiarum ordinem, iustissima sanè de causa Bonifacius possidebat iure Romana Ecclesia.

Sicuti isti Cæsares igitur Rom. Pontifici primatum non dederunt, sed á Christo donatum sanciuerunt, edi-
" ctísque aduersus Ecclesiasticæ tranquillitatis perturba-
" tores munierunt: ita prima illa Concilia eundem sacrosanctis suis decretis confirmarunt potiùs, quàm tribuerunt. Patres enim illi 318, Nicææ toto orbe congregati, omnibus Christiani orbis Episcopis ad Ro. Pontificem appellandum fecêre potestatem: quemadmodum Diuus Athanasius vnà cum Synodo Alexandrina Episcoporum Ægyptiorum plurimorum, qui interfuerant, non obscura pars, testantur: & Iulius Rom. Sacramento iuratus affirmat epistola illis scripta, se hunc Canonem in Romanæ Ecclesiæ scrinio reperisse: de quo paululùm inferiùs differendi locus erit aptior.

CAPVT LXXXVI.

Iure diuino Episcopis Romanæ Eccle. in omnes Episcopos authoritatẽ atque principatũ contigisse.



Posteaquàm ex istis remoris, quas aduersarij nauiculæ Petri vastissimum orbis terrarum pelagus peruolanti, ex humanis cõstitutionibus tam Cæsareis quàm Ecclesiasticis obiicere conantur, emersimus, nunc Rom. Pontifici illius nauclero hunc in omnes eiusdem nauiculæ Christianæ vectores potestatem diuino esse iure donatam commonstre-

mus. Magnus ille Athanaſius clariſſimum diuinæ in Eccleſiam Chriſti Catholicam prouidentiæ ſpeculum, ac ſingulare eiuſdem Eccleſiæ lumen, decus, & ornamentũ, vnà cum Ægypti totius ac Libyæ Synodo hanc in rem conteſtandam vnus meritò ſufficiat abundè: qui ab omni adulationis ſuſpicione alieniſſimus, vbi ad Roman. ſedem tanquàm matrem ſuos prædeceſſores confugere ſolitos dixiſſet, ita ſubtexuit: Non deſpexit Deus, inquiunt Patres Concilij illius Alexandrini ad Felicem Romanum Epiſcopum, preces cum lachrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorum: ſed ob id vos, prædeceſſoréſque veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniúmque Eccleſiarum eis curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis, nóſque tuentes (quibus omne Epiſcoporum iudicium eſt commiſſum) liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis.

Deus, Ro. Pōtificem aliorũ Epiſcoporũ curam habere precepit.

Hunc in modum & in Concilio illo magno Nicæno fuit conſtitutum. Ipſa namque Apoſtolica ſedes Romana, cui ſingulari, ait, priuilegio Euangelicis & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſum eſt inſtitutis generales conuocare Synodos, eiúſque Epiſcopum à minore non poſſe iudicari, omnibus maior & prælata eſt Eccleſiis: quæ non ſolummodò Canonum & ſanctorum Patrum decretis, ſed Domini Saluatoris voce ſingularem obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hãc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.

Can. Nic. Ro. Pontifici agnoſcit collatũ Chriſti voce primatum.

Hæc autem verba eſſe genuini Canonicis Nic. non ſuppoſitia, nõ adulterina, homini ſano perſuadeat, quòd ea recitans D. Iulius Rom. Põtifex ad eos ſcripſerit Epiſcopos Orientales, Antiochiæ in Synodo congregatos, qui vnà cum ipſo illi ſanctiſſimo interfuerant Concilio Nicæno. Vbi ſi hæc non fuiſſent conſtituta, quid quæſo ſanctiſſimo illi viro inueniatur vanius, ſtultius, inſanius? maximè cùm hæc ſcribat ſeuerè eos reprehendens, quòd Athanaſium Epiſcopum contra Nicæ. Canones ſua fuerint auſi eiicere Eccleſia? verum hac de re mox opportuniùs.

Sed hanc rem clariſſimè Diuus Cyprianus Catholicæ Chriſti Eccleſiæ lumen, illa tunc tempeſtatis Noua-

Rom. pontif. eſſe Chriſti

vice toti Ecclesiæ datum iudicem ait Cyprian.

« tianæ nocte diuinitùs affulgens illustret. Cùm Felicissi-
« mus quidam Africanæ Ecclesiæ palea superbiæ vento
« de Domini area in schisma abreptus, Romæ Cornelio
« Episcopo dira horridáque minitaretur nisi ipsum à Cy-
« priano excommunicatum in communionem reciperet,
« scribit ad illum Cyprianus, hortans, ne parricidalia il-
« lius sacrilegi maledicta exhorrescat, sed sui memor lo-
« ci ea fortiter contemnat, qui dudum proscriptus, toties
« ad Leonem in circo, in amphitheatro Christi confessio-
« ne honoratus, clamore popularium ad Leonem denuò
« postulatus, grauissimas hostis infestissimi Diaboli op-
« pugnationes vicisset. Vbi Sacerdotis, siue Præpositi
« Ecclesiæ Christi serui dignitate demonstrata, causam
« ostendens, vnde pullulent hæreses, vnde oriantur schis-
« mata. Episcopi Romani aliis omnibus præfecti maie-
« statem luculenter prædicat: Neque enim aliunde (in-
« quit epistol. 3. libr. 1.) hæreses obortæ sunt, aut nata sunt
« schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtem-
« peratur, nec vnus in Ecclesia tempus Sacerdos, & ad
« tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum
« magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa,
« nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam mo-
« ueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffra-
« gium, post Episcoporum consensum iudicem se non E-
« piscopi, sed Dei, faceret: nemo dissidio vnitatis Christi
« Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seor-
« sim foris nouam hæresim conderet.

Vni Rom. Episcopo vniuersa fraternitas iure diuino parêre debet.

« Cæterùm hæc D. Cyprianus de Rom. Pontifice scri-
« bere, illinc liqueat satis, quòd eum Christi vice iudicem
« appellet, cui secundum diuina magisteria obtemperet
fraternitas vniuersa. Rursus quòd Nouatiani, quorum
non infima portio ille Felicissimus fuit, nouum Romæ
moliebatur creare Episcopum Nouatum, posteaquàm
« annos totos quatuor iam Cornelius totius & suæ Eccle-
« siæ & orbis Catholici consensu tenebat Petri locum: vti
inferiùs est apud Cyprianum. Similiter paulò pòst ex in-
festissima Diaboli oppugnatione demonstrans, ecquæ
tandem vera sit Ecclesia, quis veros Dei Sacerdotes op-
pugnet, liquidò perspicitur, cum de Rom. Pontifice lo-

quutum, eum Ecclesiæ Præpositum appellans: Cùm talis frater (inquit, qualem depinxit Diuum Cornelium ad Leonem popularium voce postulatum, consensu omniũ iam annos quatuor in Episcopatu probatum) à quibusdam desperatis & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet, non scilicet Christus, qui Sacerdotes aut constituit, aut protegit: sed ille qui Christi aduersarius & Ecclesiæ eius inimicus, ob hoc Ecclesiæ præpositum sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.

Præclaris aliorum etiam sanctissimorum Christianæ fidei Martyrum testimoniis præsentis quæstionis caput queat confirmari, puta Diui Anacleti, Xysti epistol. ad Hispanos, Marcelli ad Antiochenos, quos quia nostræ ætatis aduersarij sua quasi in causa testes suspectos nefaria cum iniuria non verentur reiicere, aut eorum scripta tanquàm à Rom. Pontificis adulatoribus adulterata reprobare, nolumus esse iis commemorandis prolixiores, quæ alij collegerunt perstudiosè.

Vt hanc igitur rem indubitato cõcludamus testimonio, agè illos sanctissimos audiamus Patres Nicænos, écquid de Rom. Episcopi præ cęteris ad vnũ omnibus pręstantia, excellentiáq; censuerint, adeóq; constituerint.

Ex Concil. Nic. de Ro. Pontificis foro Ecclesiastico, ad quod omnes Episc. appellent.

Cùm Patres illi Nicæni Catholicam ordinaturi Ecclesiam, varia meditarentur decreta, quibus labefactatam alicubi collapsam instaurarent disciplinam Ecclesiasticam, quæ ordinis atque adeò salutis Ecclesiæ est custos atque conseruatrix, inter alia constituerant, licere episcopis ad vnum omnibus, si Metropolitanum & Episcopos iudices suspectos habeãt, Romanum Episcopum interpellare, cui ab ipso Domino potestas ligandi atque soluendi est speciali priuilegio super alios cõcessa. Istud porrò verè esse Concilij Nicæni decretum, nobis attestantur Athanasius, & alij Episcopi Libyci atque Thebani, qui magna illius magnæ Synodi fuêre pars. Sed ipsorum istud docere malo verbis. Epistola enim ad Fœlicem Romanum data contestantur illic decretum, atque ab omnibus concorditer (inquiunt) corroboratum,

Ex epistol. Synodi Alex. Can. Nicæ. confirmatus.

« non debere absque Romani Pontificis sententia Conci-
« lia celebrari, nec Episcopos damnari. Verùm hac de con-
« stitutione paulò pòst dicendum veniet copiosiùs.

Quare cùm ista potestatis in omnes Christi ouiculas ipsius Christi Domini oraculo prærogatiua fuerit Romano Pōtifici D. Petri successori attributa meritò, non vniuersa modò Laïcorum fraternitas, sed etiam vniuersi Ecclesiarum omnium toto orbe Christiano Episcopi legitimam eidem, iustámque semper exhibuêre obedientiam & venerationem Petri successore, & Christi adeò vicario dignam. Quod quia prolixissimum foret singulas per ætates demonstrare, non patitur præsentis negotij institutum hîc nos esse diffusos; cùm id à clarissimis nostræ ætatis Scriptoribus Catholicis Ioanne Eckio, Albertóque Pighio ex instituto sit copiosissimè iuxtà ac liquidissimè demonstratum. Proinde nos ex omni antiquitatis Ecclesiasticæ historia, ceu horto amœnissimo pauculos quidem, sed odoratissimos delibabimus flosculos, qui benignis lectoribus suauissimum spirent, redoleántque priscæ illius Catholicæ Christi Ecclesiæ de Episcoporum cuiusque nationis erga Romanum Pontificem obedientia & subiectione consensum.

CAPVT LXXXVII.

Ex Episcoporum omnium, in Ro. Pontificem obedientia demonstratur eius primatus.

QVod vt ampliori solidæ cum veritatis luce ac manifestatione fiat, hanc Episcoporum prorsus omnium in Romanum Pontificem obedientiam non à singulis modò fuisse ostendemus agnitam, sed à Conciliis etiam Episcoporum tam Asiaticorum & Africanorum, quàm Orientalium exhibitam. De Occidētalibus enim apud omnes in confesso est. Deinde hanc eandem ex singulorum confirmatione, atque ipsorum adeò Patriarcharum, tum ex eorundem damnatione, excommunicatione, & eiectione, atq; in illorum locum substitutione. Item ex damnatorum ab aliis Episcoporum, vel per Concilia & suis sedibus eiectorum ad Romanum Pōtificem appellatione, absolutione, & restitutione: vbi de Rom. Pontificis in Concilia vel confirmanda, vel abroganda atque damnanda differendum erit potestate. Mox vbi Patriar-

Patriarchas ferè omnes, & Africanum etiam orbem per schisma, vel hæresin à Romano Pontifice dissidentes; atque dissentientes, demõstrauerimus resipiscentes fuisse ab eodem reconciliatos, ac Catholicæ Christi Ecclesiæ restitutos, catalogum nominum à priscis Patribus illi attributorum, quòd vniuersalis est Episcopus, quòd Christi vicarius beatissimus, sanctissimúsq;, & similium Coronidis loco attexemus.

Quanquàm hæc Episcoporum ad vnum omniũ erga Roman. Pontificem obedientia locupletissimis sanctissimorum Christi Martyrum testimoniis & epistolis ad eos datis valeat statui, quibus non tyrannicè imperant, aut humano superbóq; sibi iubendi potestatem arrogãt supercilio, sed modestia Christi Martyribus digna omnes & vniuersos orbis Episcopos rogãt, monent, & cum omni, quod Paulus præcepit, arguunt imperio: tamen quia eos aduersarij quasi propria in causa testes, etsi omni suspicione meritò maiores volunt hoc iudicio excludendos, ab iis in præsens perlibenter abstinebimus, plus rati ad improbam istam audaciam retundendam allatura præsidij ipsorum totius orbis Christiani Episcoporũ suffragia, quibus se ipsi nequaquàm obscurè profitentur illo inferiores, & tanquàm capiti mẽbra, aut Pastori potiùs ouiculas, subiectos atque submissos.

D. Augustinus igitur adulationis omnis extra controuersiam nihil minùs quàm suspectus, qualem se ipse aduersus Romanum Pontificem & agnouerit, & exhibuerit, clarissimis hisce scripsit literis: Non enim dedignaris, ait præfatione in libros contra 2. epist. Pelagian. Bonifacio beatissimo Papæ Romano dedicatos, qui non alta sapis, quamuis altiùs præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Et paulò inferiùs: Cùm verò non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues aditus vndecunque rimari, communísque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quàmuis ipse in eo præmineas celsiore fastigio specula pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, & quæ sequuntur. Qui Bonifacium Romanum Episcopum præ-

D. Augustinus se Romano Pontifice agnoscit minorem, eúmque prædicat omnium Episcoporum excellentissimũ & primũ.

dicat sese altiùs præsidere, & in Episcopatus officio celsiore præminere fastigio asserit, án non deuotissimam verbis vt clarissimis, ita humillimis offert obedientiam? án nō vltroneam profiteatur disertissimè subiectionem, locúmque dignitatis inferiorem? Sed luculentiùs idem de aliarum quoque Ecclesiarum non postremarum sanè Episcopis ex eodem ostendemus Augustino, qui cùm Orthodoxorum & præclarissimorum Patrum Christianæ quasi Senatum coëgisset Ecclesiæ: dicit libr. 2. ad Iulia. in illo Episcoporum Irenæi Lugdunensis, Cypriani Carthaginensis, Reticij Augustodunensis, Olympij, Hilarij Pictauiensis, Ambrosij Mediolanensis, Gregorij Nysseni, Ioannis Constantinopolitani, Basilij Cæsariensis consessu, Innocentium Episcopū Romanum tempore quidem posteriorem, sed loco priorem considere. An quis hîc sui modò animi compos ambigat, quó nam inter cæteros Christiani orbis Episcopos loco Episcopus Romanus sit collocandus, qui Augustino censore adeò ab aduersariis nostris prędicato, audit Innocentium Romanum omnibus illis & Carthaginensi, Constantinopolitano Patriarchæ, Cæsariensi Archiepiscopo, honoratione considere loco?

Ro. Pontifex Augustino est aliis Episcopis omnibus loco prior.

D. Cyrill. Alexādrinus prædicat Ro. Pōtificis primatum.

Iam si oculos ad Orientales conuertamus, perspiciemus idem eos de seipsis sensisse. Diuus Cyrillus ille Alexandrinus Patriarcha quātam Romano Episcopo à suis deberi censuerit obedientiam, paucis eius verbis huc recitatis faciemus luce meridiana clariùs: δεῖ ἡμᾶς, ὡς μέλη ἐμμονεῖν τῇ κεφαλῇ ἡμῶν τῷ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεῖ, καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ, ἀφ᾽ οὗ ἡμέτερόν ἐστι ζητῆσαι τί πιστεύειν, καὶ τί δοξάζειν μέλλομεν, καὶ κρατεῖν: ὅτι αὐτοῦ μόνου ἐστὶν ἐλέγχειν, ἐπιδιορθοῦν, ἐπιτιμᾶν, ἐπικυροῦν, διατιθέναι, λύειν καὶ δέσμειν.

Debemus nos, inquit, quod ex Thesauris vertit Franc. Torrensis, vt qui membra sumus, capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ sedi adhærere, ad nos pertinet, ab eo, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere: quoniam solius Pontificis huius sit arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, soluere, & ligare. Diuus item Basilius clarissimum Orientis lumen, hanc Romani Pontificis præ

Basil. egregie prædicat

aliis omnibus Ecclesiæ totius Episcopis excellentiam illustrauit, vt vix alius magis.

Ro. Pōtificij in Orientis Ecclesias potestatem.

Cùm infœlicissima illa ex Arrhianæ pestis lue nata calamitas omnem depasceretur Orientem, vide mihi obsecro, quónam ceu ad tutissimum Ecclesiarum afflictissimarum asylum censuerit confugiendum. Itaque, vt paucis dicam, scribit epistola 57. ad Meletium Antiochenum, *ἐπὶ τὴν Ῥώμην διαβαίνειν*, Romam proficisci nostrum Dorotheum fratrem visum est, vt aliquos ab Italia excitet, *πρὸς τὴν ἐπίσκεψιν ἡμῶν*. ad nostri visitationem, & quæ sequuntur.

Rursus epistola quinquagesima secunda ad Athanasium clariùs: *ἐφάνη δὲ ἡμῖν ἀκολουθὸν ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦτα, καὶ δοῦναι γνώμην· ἵνα ἐπειδὴ ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος ἀποσταλῆναι δύσκολον τῶν ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα ἐκλεξαμένους ἄνδρας, &c.*

Porrò nobis visum est consentaneum Episcopo Rom. scribere, vt res hasce nostras visitet, atque consideret, ac statuat, vt posteaquàm difficile est communi ac Synodico decreto quosdam illinc mitti, ipse authoritatem suam hoc in negotio exerceat, electis viris, qui & itineris labori ferendo sint, & peruersis nostrorum moribus mansuetudine & integritate corripiendis idonei, quíque aptè & cum gubernandi peritia verbo ac doctrina vtantur, omniáque secum habeant, quæ Arimini gesta fuêre, ad dissoluenda ea omnia, quæ illic *κατ᾽ ἀνάγκην*, per vim ac necessitatem contigêre. Vides hîc disertè à Diuo Basilio illo Magno Pontifici Romano tribui peculiarem Ecclesiarum Orientis ac potestatis summæ plenam visitationem. Rursus vt ipse, cùm per Concilium definiri non daretur, rem definiat, ac sua vtatur potestate, quæ per legatos in Orientalibus erant Ecclesiis exequenda.

D. Theodoretus Ro. Ecclesiam testatur toto orbi præsidere.

Hunc in modum cùm & Diuus Theodoretus ille D. Leoni causas redderet, cur Episcopatu suo post annos 26. eiectus, ad ipsum ceu ancoram, quod dicitur, sacram confugeret, ac addidisset, *διὰ πάντα ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει*: quia per omnia tibi conuenit, vt primas teneas.

Rursus post laudatam Romanæ Ecclesiæ Cathedram, πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι: multi enim tua Cathedra ac thronus ornatur prærogatiuis, Ecclesiam Romanã appellat, τῆς οἰκουμένης προκαθημένην, orbi terrarum præsidentem.

Orientales oēs Episcopi vna voce idque in Synodo Arrhiana Pontificem Ro. fatentur sese superiorem.

Sed quid sim diffusior in singulis Orthodoxis Patribus recensendis? nunc vnam quasi Orientis totius vocem audiamus.

Cùm Arrhiani incendij flamma illa prima paululùm sub Iulio Romano esset remissa, Orthodoxi omnes Episcopi per Orientales Episcopos plerosque Arrhianismo imbutos, suis dudum pulsi sedibus, domum reuertebantur, Iulij Romani Pontificis literis ad illos datis muniti. Illi verò Iulij Romani obiurgationem, suam rati contumeliam, Antiochiæ congregati, de communi omnium sententia epistolam scribunt, vt ironiis & aculeatis dictis refertam, ita minarum quoque nequaquàm expertem: sed quæ rem nostram, de qua hîc agitur, mirificè corroboret. Scripserunt enim, ait Nicephorus lib. 9. cap. 8. " Romanæ quidem vrbi ab omnibus obseruantiam exhiberi & honorem, quippe quæ antiquitùs Apostolorum domicilium, & schola, veréque pietatis, ita dixerim, metropolis, & primaria vrbs fuerit: quàmuis ex Oriente præcones eius deuenerint, se tamen non ideo secundas debere ferre, quòd Ecclesiæ magnitudine superiores non essent, quum virtute & aliis rebus priores se esse existimarent.

Ro. Ecclesiæ exhibẽt omnes aliæ honorẽ propterea quòd Apostolorũ domiciliũ & religionis metropolis.

Idem ex consultationibus in fidei quæstionibus ac dubiis variè emergentibus amplificari possit, si quis vellet videri copiosior: vti quòd Dionysius Alexandrinus contra Sabellianos à Xysto Romano petit consilium, eiúsque requirens sententiam, ait Eusebius lib. 7. cap. 6. Benignus Episcopus cum coëpiscopis Felicem primum consulit, quod prisco ex more à tempore vsque Apostolorum solenne docet Felix epistola 3. Cui & Innocentius suffragatur, vt alios omittam: & omnes quoq; Africani Episcopi epist. 26. Rursus quòd vniuersi Germaniæ & Burgundiæ Episcopi Anastasium, Macedonij verò Episcopi Innocentium, quasi Ecclesiarum caput grauissi-

Totius orbis Episcopi Ro. Pontificem vt suũ caput de fidei quæstionib. sẽper consuluerũt. Alexandri. Africani. Germani.

mis de causis consulunt epistola 22. omnes denique toto terrarum orbe semper Ecclesiæ facere consueuerunt, ait idem epistol. 26. Africanos omnes Episcopos huiusce in rei appellans testimonium. Hæc, inquam, qui persequi vellet veterum Episcoporum toto ex Christianorũ orbe Rom. Pontificem consulentium testimonia, mirè copiosè hanc, de qua nunc agimus, rem pertractaret, vt nullus superesset apud æquos arbitros scrupulus, quin omnes totius mundi Episcopi Rom. Pontifici ceu excellentiori dignitatéque præstantiori honorem obedientiámque & habuerint, & exhibuerint. Hunc igitur de obedientia Rom. Pontifici ab omnibus orbis Christiani Episcopis non modò agnita, sed præstita etiam, locum concludemus, vnum illud ex Synodi Alexandrinæ ad Felicem epistola si commemorauerimus, quod præclaris adeò verbis legitur: Vestrum est enim, aiunt Diuus A- »
thanasius & vniuersi Ægyptiorum Thobaïdis & Lybia »
rum Episcopi, in sancta Alexandrina Synodo congrega- »
ti, ad Felicem Romanũ, nobis manum porrigere, quia »
vobis commissi sumus. Vestrum est nos defendere, atque »
liberare: nostrúmque est à vobis auxilium petere, ve- »
stris parere iussionibus. Et mox: Scimus enim (vt semper vestræ sedis Præsules, primò Apostoli, deinde successores eorum fecerunt) vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum, qui oculi propter contemplationem & speculationem vocantur, Domini curam gerere, & de releuatione cogitare, &c. Quòd autem omnium Episcoporum, & in primis Orientalium curam gesserit semper Pontifex Rom. vnum illud præter sexcenta alia locupletissimo fuerit argumento, quòd hic suas vices Episcopo Constantinopolitano commiserit, vti patet epistola Simplicij ad Achatium Constantinopol. & Alexandrino, vt epistola Bonifacij 2. ad Eulalium: Et Thessalonicensi denique, vti ex Leonis Magni liquet epistola 82. ad Anastasium Thessalonicensem.

Burgundi. Macedonij.

Rom. Pontifex semper vicarium habuit per Orientem, Alexandrinum, Constãtinopolitanum, aut Thessalonicensem.

Quas qui suis locis reuoluere non grauabitur (nobis enim hîc eas non licuit per huius operis institutum, ne sua fortè prolixitatis mole fastidiosum reddatur) videbit opinor meridiana luce clariùs, totum illum Orientis

tractum, qui Antiochenæ & Alexandrinæ Ecclesiæ parebat: Totam etiam Græciam, cui Constantinopolitanus, & aliquando Thessalonicensis præsidebat Romani Pontificis legatus, humilem non modò agnouisse, sed semper etiam præstitisse obedientiam.

Caput LXXXVIII.

Ex Episcoporũ omniũ confirmatione docetur Rom. Põtificis primatus.



Vm omnis Christiana Respublica in tres Patriarchas ceu triumuiros, Romanum scilicet, Alexandrinum, & Antiochenum olim ad tempora vsque Concilij Nicæni, & amplius, fuerit distributa, si hos duos ab illo demonstrauerimus solenni ex more fuisse confirmatos, de vniuerso Episcoporum populo idem equidem arbitror demonstratum. Qui enim fontis scaturiginem repurgat, ipsis quoque riuulis vtvt plurimis, author est vt puriorem suis riualibus fundant aquam. De singulis igitur vniuersæ Christi Ecclesiæ Præsulibus istud ostendisse fuerit superuacaneum, putà de Pelusiaco, aut Adrumetano, de Cæsariensi Palæstino, aut Ascalonitano: sicuti & de Ierosolymitano, qui ætate Diui Hieronymi epist. ad Pamma. parebat Antiocheno: & de Constantinopolitano, qui in Concilio demùm Chalcedonensi hunc extorsit dignitatis gradum. Similiter de Ambrosio aut Augustino. Irenæo, aut Vigilio Tridentino frustrà quæritur, án à Romano Pontifice fuerint confirmati, vbi eorum Metropolitanos Carthaginensem, Arelatensem, & Saltzburgẽsem, ostensum fuerit ab illo confirmari olim solenni ex more solitos. Agè igitur, primùm de Alexandrino & Antiocheno primis illis Catholicæ Christi Ecclesię columinibus doceatur, pòst in promptu erit idem cognoscere de Carthaginensi, Arelatensi, aliisque omnibus.

Alexãdrinus à Rom. Pontifice cõfirmatus.

Alexãdrinum igitur, cui Ægyptus parebat tota, Thebaïdes, Lybia, atque Asia, ex more à Romano Pontifice confirmari solitum, vel vnus Diuus Athanasius clarissimum illud Ecclesiæ lumẽ nobis locupletissimo fuerit testimonio: cuius verba hîc recitabimus nõ illius tantùm, sed totiùs adeò Synodi Alexand. suffragio corroborata,

ne quis momus, quorum hodie ingens est natio, illi sanctissimo iuxtà ac clarissimo viro adulationis dicam scribere audeat. Ideo Pater beatissime, inquit epistola ad Felicem Romanum ex Synodi assensu data, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus iuxta Canonum decreta sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes & dogmata atque subleuationes ceperunt.

Orientales Episcopi nonaginta Arrhiani postulant à Rom. Pontifice cõfirmari Alexãdrinũ à se in Con. Antiocheno electum.

Trip. histo. lib. 5. cap. 28.

Iam ne hac de re, quæ aliis quoque exemplis copiosissimè illustrari queat, vllus supersit scrupulus, vnicum hoc penitiùs intueamur exemplum, quod vel ab ipsis Arrhianis modò depromimus. Eiecerant Athanasium sua Alexandrina sede Arrhiani Episcopi conciliabulo Antiocheno conflati: cuius in locum sufficiebant Georgium. Verùm quàm eius creationem citra Romani Põtificis consensum atque cõfirmationem crediderint infirmam, adeóque irritam, non ex illorum modò verbis, sed Constantij quoque Augusti conatu liquebit. Episcopi igitur illi Arrhiani, qui nonaginta cum Eusebio illo Nicomediensi Antiochiæ conuenerant, à Iulio Romano petunt, vt Synoduli sui acta rata haberet, & loco Episcoporum damnatorũ Athanasij, Pauli, Marcelli & aliorum, quos ipsi elegissent, confirmare dignaretur. Si nostris placitis, inquiũt epist. ad Iulium data, magis quàm illorum machinationibus assentiri, & ordinatos Episcopos in damnatorum locum firmare eligitis, pacem vobiscum & communionem habere volumus. Hanc insuper Episcopi Romani confirmationem Alexandrino Episcopo fuisse necessariam, vel post Synodi istius Antiochenæ ordinationem, ex Constantij quoque facto liquidum est perspicere. De Cõstantio enim scribit Amb. marcellinus libro decimoquinto, quòd Athanasij eiectionem ardenti desiderio firmari nitebatur per Liberium vrbis Romæ Episcopum, credens minus ratum, quod sciebat impletum per Synodum, nisi authoritate, qua potiuntur æternæ vrbis Episcopi, firmaretur.

Constantius Augustus idẽ à Liberio potit, atque cõtendit.

Istud cõfirmandi atque ordinandi Alexandrini Epi-

-ſcopi ius, ni Rom. Põtifici vetuſtiſſimo ex more fuiſſet, haud ſanè D. Theodoſius A. apud Leonem Romanum pro Anatolij, aut Martianus A. pro D. Proterij, vtriuſq; Alexandrini, confirmatione adeò fuiſſent ſoliciti, vti ex eorum ad Leonem literis liquet.

Epiſtol. ad Pamma.

Iam de Antiocheno Patriarcha, cui tota Palæſtina, imò totus Oriens ait D. Hieronym. ſubiectus erat, quòd & ipſe à Roma. Epiſcopo confirmationem petere ſolet, ſatis ſupérque vnum illud Flauiani in D. Meletij locum ab Epiſcopis electi exemplum demonſtrat: quod eò plus habet rei, de qua in præſens agitur, firmamenti, quòd non ab vno, aut altero Epiſcopò illa ſint poſtulata, ſed ab omni Epiſcoporum Synodo, qui Cõſtantinopoli per id tempus, cùm ibi moreretur Meletius Antiochenus, conuenerant. Eorum igitur Canonicam audiamus à Rom. Pontifice Flauiani confirmationem. Poſteaquàm oſtendiſſent ſe iuxta Nicæni Canonis præſcriptum elegiſſe Flauianum Antiochiæ, ſicuti & Nectarium Conſtantinopoli, & Cyrillum Ieroſolymæ, ita ſubiiciunt: " Quæ quum legitimè & Canonicè apud nos acta obti- " neant, inquiunt Patres illi Concil. Conſtant. epiſtola ad " Damaſum Romanum, qui cum Ambroſio aliiſque Sy- " nodo, ad quam illos Orientales euocarat, intererat, vt in " eis pietas etiam veſtra læta & gratulabunda acquieſcat, " hortamur, &c.

Antiochenũ Patriarchã confirmat Romanus Pontifex.

Quam Flauiani in Antiochena ſede cõfirmationem etſi tot tantíque Epiſcopi petiuerint, non tamen impetrarunt: qua verò id de cauſa, non eſt hîc dicendi locus. In præſentiarum nobis eſt ſatis, ex tot Epiſcoporũ ſuffragio Antiochenum à Romano Epiſcopo confirmari ſolitum demonſtraſſe. Idem ex Flauiano Romam diſſidij à Theodoſio componendi cauſa miſſo, ſemel atque iterum: Similiter ex legatione eiuſdem Flauiani ad Romanum Pontificem queat oſtendi, ſi in re manifeſta copioſos eſſe liberet.

Dignitatem Epiſcopalẽ omnes Oriẽtales à Ro. Pontifice acceperunt.

Hinc porrò liquet multò eſſe veriſſimũ, quod Orientalibus illis Epiſcopis Antiochiæ cõgregatis ſcripſit Iulius Romanus, eorum electionem ac ordinationem in locum Athanaſij & aliorum confirmare conſtanter re-

cuſans: Nullus debet præſumere, inquiens, quæ ſibi non videntur conceſſa: quam culpam potuiſſetis nullo malo incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & B. Petri Apoſtoli ſedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.

Quia modò Patriarchas illos duos, Alexandrinum & Antiochenum omni luce clariùs oſtẽdimus à Romano Pontifice confirmari ſolitos, non eſt, quòd de cæteris Epiſcopis totius orbis Chriſtiani ambigamus, qui aut illis per Orientem totum, & Meridiem, aut Romano Epiſcopo per Occidentem fuère antiquo iure ſubiecti. Quare non eſt nobis, vt equidem arbitror, laborandum de illis duobus aliis Patriarchis, Conſtantinopolitano & Ieroſolymitano: qui ex illis duobus Alexandrino & Antiocheno ceu radicibus germina pullularunt. Quis enim adeò ſit vecors, vt ſtolonibus plus reputet ineſſe dignitatis, atque ipſis radicibus? Quod igitur de Alexandrino eſt demonſtratum, id de Conſtantinopolitana quoque Eccleſia oſtenſum habeatur. Verùm ne quis exempla deſideret, quorum adeò ingens eſt copia, ſuffecerit in memoriam reuocaſſe, Anatolium D. Leonem noluiſſe ordinare atque cõfirmare, ni anteà ſe credere & tenere profiteretur, quæ ſua ad Flauianum epiſtola continebantur, ſcriptóque teſtaretur, ſe D. Cyrillo, aliiſque Catholicis conſentire cõtra Neſtorium. Sic poſt Achatium Flauianus Preſbyter non ſuſtinuit, ait Liberatus Archidiaconus Carthag. ſine Rom. Epiſcopo inthronizari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Rom. Felici. Illam porrò hiſtoriam de Achatio, quam Simplicio Roma. & Hormiſdæ faceſſebat, breuitatis ſtudio perlibenter præterimus, quòd hæc ex Conciliorum & antiquitatis cognitione petenda ſit fuſiùs. Cæterùm hac de re ambigere ſanus nemo queat, qui ſibi in mẽtem illam reuocare volet tragœdiam, qua Conſtantinopolitanus primus Patriarcha in gratiam Martiani Auguſti, ſuffragante Concilio Chalcedonenſi, creatus eſt.

Vide epiſtol. 21.

Vide epiſtol. 31.

Porrò de Ieroſolymitano non eſt quòd quis anxiè laboret, an & ipſe à Roma. ſoleat confirmari Pontifice.

Is enim olim Antiocheno ſubiectus, teſte Hieronymo ad Pammach. ab eo confirmabatur: cui dum à Roma. fuerit confirmatus, etiam haud dubium Ieroſolymitanus, in quem ſuam transfundebat authoritatem. De Ieroſolymitano autem in Patriarcham poſteà euecto, non eſt hîc dicendi locus.

Africani Epiſcopi poſtulant ſuæ Synodi Mileuitanæ à Rom. Pont. confirmationem.

Porrò de Africanis Epiſcopis, quàm ſeſe Rom. Pontifici tanquàm ſuperiori agnouerint, atque præſtiterint adeò morigeros, eiúſque dicto obedientes, vnus D. Auguſt. ſi fortè cuipiã ſuis & verbis & factis ſuperiùs mox recitatis non perſuaſerit, certè vna illa Synodus Mileuitana plus ſatis demonſtret, quæ ſui confirmationem à Rom. poſtulabat Pontifice.

Arelatenſem & Gallicanos Rom. Põtifici paruiſſe.

Iam de Gallicanis quis poteſt eſſe ſcrupulus? cùm videamus vel Cypriani ætate Martianum Arelatenſem, quòd Nouatianum hæreticum ſuam in communionem recepiſſet, Cypriano Stephanum Roma. Pontificem admonente atque inſtigante, ſua debuiſſe exturbari ſede, quemadmodũ videre eſt apud Cyprianũ lib. 3. epiſt. 13.

Quibus ex vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis & Conciliorum Eccleſiaſticorum actis agnoſcere eſt perſpicuè, omnes ſemel Eccleſiarum omnium, quę ſuis cum gregibus vnam illam faciunt Chriſti familiam, ſiue, vt Cypriani dixerim verbo, vniuerſam fraternitatem, Epiſcopos à Roma. Pontifice tanquàm Eccleſiæ Chriſti capite, eiúſque vicario accepiſſe olim non cõſecrationem modò, ſed & confirmationem: quemadmodum & Diuus Marcellus martyr epiſt. ad Antioch. data nobis conteſtatur: « Si veſtra Antiochena, inquit, quæ olim erat pri« ma, Romanæ ceſſit ſedi (quòd Diui Petri ſedes primùm « apud eos, pòſt iubente, ait paulò ſuperiùs, Domino Romam tranſlata eſt) nulla eſt, quæ eius nõ ſubiecta ſit ditioni, ad quam omnes, quaſi ad caput iuxta Apoſtolorum, eorúmque ſucceſſorum ſanctiones, Epiſcopi qui « voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, ſuffugere, eámque « appellare debent, vt inde accipiant tuitionem & libera« tionem, vnde acceperunt informationem, atque conſe« crationem.

Fortè emendatius confirmationẽ.

Hinc liquet, quàm ſint futilia, quæ cõtra Rom. Põ-

tificis authoritatem quidam effutiunt, inde nugantes illo superiorem Arelatensem, quòd Ceciliani causa post Roma. Pontificis iudicium fuerit cognitioni Episcopi Arelatensis delata. Quasi verò causæ obscuritas, & indefessa damnatorum querimonia non interdum efflagitet rem à supremo Cæsaris concilio iudicatam, ad aliorum reuocari arbitrium, qui citra omne illius authoritatis, aut excellentiæ præiudicium, certiùs & diligentiùs simul & exquisitiùs possint decernere.

Ad stabiliendum autem Romani Episcopi in alios omnes Ecclesiarum semel omnium Episcopos principatum, iure quidem diuino, vti docuimus, illi ex Petri successione donatum, non leue sanè adferant argumẽtum, quæ ex historiis fide dignis huc recitari queant, nisi Lectoris fastidio duceremus breuitati consulendũ, de aliorum Episcoporũ per omnem Christianum orbem damnatione & excommunicatione, vti Nestorium Cõstantinop. Celestinus, Timotheum Alexandrinum cum suo Diacono Petro Simplius: vt hic Theophilum Alexandrinum vnà cum Arsatio iam mortuo, & Arcadio cum Eudoxia A. non dicam ab Innocentio Roma. excommunicatos propter nefarias iniurias Ioann. Chrysost. illatas.


Ro. Põtifex excõmunicauit Cõstãtinopolitanũ Alexandrinum, Antiochenum.

Rursus ex eiectione adeò atq; depositione, vti Dioscorum Alexãdr. à toto licet Ephesino secundo tutatum Concilio. Sic & Petrum Antiochenũ illum hymni Cherubini corruptorem Felix Romanus non solùm Antiochena exuit sede, sed omni etiam honore Sacerdotali.

Verùm quia in longum excrescerent, & ex iis, quæ paululum posteà venient fusiùs explanãda, erunt cognitu facilia, nolumus prolixitate immodica cuiquam esse molesti. Quare ad aliud transuolabimus caput, quod omni luce clariùs rem, de qua in præsens agitur, ostẽdat.

Caput LXXXIX.

Appellatio Episcoporũ omnium ad Rom. Pont. eius arguit primatum.



Vò hîc Romani Pontificis præ aliis Ecclesiarũ Christi Episcopis principatus eluceat manifestiùs ex ipsa Episcoporum omnium ad illum appellatione, atque aliorum vel in

Synodis præiudicio grauatorum, damnatorum, suísque à sedibus adeò expulsorum refugio, haud abs re futurum equidem crediderim, si anteà idem Concilij Niceni corroboretur Canone, quàm exemplis meridiana luce clarioribus illustretur. Quanquàm autem sanctissimorum Christi Martyrum, & eorundem Romanorum Pontificum testimoniis comprobari queat, Episcopis semper ad Romanæ Ecclesiæ iudicium toto ex orbe appellare atq; prouocare licuisse, vti ait D. Fabianus ad Hilarium, & Sixtus ad Gratum, & Victor epistola. 2. qui hoc ipsum ad Apostolorum Can. referre nihil dubitauit, vti & Marcellus epist. ad Antiochenos: tamen in tanta hominum nostræ istius ætatis morositate, vt omnibus fiamus omnia, ne quid hîc calumnientur quasi in suæ Cathedræ gratiã plus vero aliquid dixerint, aliis aliorum Dei hominum nobis vtendum duximus sententiis huius rei testibus.

Ex Ca. Nicæ. licere omnibus Episcopis ad Rom. Pont. appellare.

Non licet Episcopos dãnare sine Ro. Pontificis consensu.

Diuus ille Athanasius vt clarissimum diuinæ prouidentiæ speculum, ita singulare Christi Ecclesiæ decus, vnà cum vniuersis Ægypti & Libyæ Pontificibus Alexandrina Synodo congregatis ab illis magni Concilij « Nicæni Patribus doctrinæ Euangelicæ, si quis vnquàm « alius eximiè peritis affirmant decretum, atque ab omni« bus concorditer, inquiunt epistola ad Felicem Roma« num, corroboratum, non debere absque Romani Ponti« ficis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. Quod si verum est, vti est verissimum (quod hinc liqueat, quòd ipse Athanasius & Episcopi illi Ægyptij huius epistolæ authores plerique Nicææ gestorum pars magna fuit) quis adeò absurdus est, vt non videat, quídnam Episcopo vel in Conciliis citra Romani Pontificis aut conscientiam aut consensum damnato liceat? idque Nicæni illius Concilij Canone & decreto. Si enim non licet Episcopos damnare, nedum eiicere, absque Romani Antistitis approbatione, an non damnatis & eiectis Nicæni Patres viam, quasi indice intento, ostendunt, qua pristinum dignitatis suę gradum ascendant? qua honorẽ amissum quasi postliminio recuperent? Isto Nicęnæ Synodi prçiudicio aduersus Arrhianorum Episcoporum vim plus quàm tyrannicam, ne dicam Scythicam,

ſeſe tuebatur D. Athanaſius & alij Ægyptij, ac Libij Epiſcopi, propter illud Nicænũ homouſion & conſubſtantiale ſuis ſedibus eiecti ac profligati, Canonicum atque legitimum à Romano Pontifice implorantes & iudiciũ & auxilium. Hinc Romam currebatur vndique ab Epiſcopis, Arrhianorum rabie templis, & ſua quibuſq; Cathedra & Eccleſia exactis, Athanaſius ex Ægypto, Paulus Conſtantinopoli, alij aliundè Romam confluebant, à præpoſtero iuxtà ac iniquiſſimo illorum Conciliabuli Antiocheni Epiſcoporum præiudicio ad legitimum Romani Epiſcopi tribunal prouocantes. Sed non fuerit inutile hunc Nicæni Concilij Canonem ſuis, vti etiamnùm extat verbis hîc commemoraſſe, tum propter maiorem huius rei fidem, tum ad illorum retundendam audaciam, aut potiùs imperitiam, qui futili ac friuolo neſcio quo argumentulo ducti, tantùm viginti ſuſpicãtes à Nicenis Patribus fuiſſe conditos Canones, continuò abiiciunt, proteruéque reſpuunt, ſi quid illis hodie peruulgatis Canonibus non videatur expreſſum aut contentum.

Cùm igitur Nicęni Concilij Canones plures viginti fuerint, id eſt, ſeptuagintà, vti diſertis verbis nobis atteſtatur non modò Athanaſius, qui illius Concilij pars, vti diximus, magna fuit, & reliqui Ægyptij Epiſcopi Thebani ac Libyci epiſtola ad Felicem data: ſed & ipſe etiam Iulius Romanus Pontifex ſanctiſſimus ſacroſanctè iurans, ſe illos autographos, manúque Epiſcoporum illic præſentium ſubſignatos in ſacro Eccleſiæ Rom. ſcrinio inueniſſe affirmat Canones, quos vſque ad *66*. recenſet epiſtola ad Euſebium, Teognum, & alios item Arrhianos Orientales ſcripta. Cùm Nicæni Conc. Canones, inquam, fuerint 70. hũc vulgatum de Nicænorum Ca. numero errorem, fuiſſe videlicet viginti tantùm, erit alibi aptior confutandi locus, vbi eos ſemel omnes ex variis Scriptoribus, D. Epiphanio, Carolo Magno, Burchardo, aliíſque tanquàm nauiculæ naufragæ tabulas variè diſperſas, in vnum collectos corpus Deo benè propitio in lucem dabimus.

Cano. Nicænos fuiſſe non 20. ſed 70. editos.

Extat hæc epiſt. Iulij in Act. Conc.

Agè nunc igitur illum Nicæni Concilij promamus

Canonem, qui Episcopis ad vnum omnibus ad Romani Pontificis iudicium prouocationem & appellationem facit liberam, atque adeò constituit. Is igitur ordine, si codicum fides non fallit, inter Nicæna capitula fuit decimusoctauus, qui hunc in modum habet.

Canon Con. Nicæni quo ad Rom. sedē comprobatur omnium Episcoporum appellatio.

Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur: Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas & Episcoporum iudicia antiqua Apostolorum, eorúmque successorum atque Canonum authoritas reseruauit. Quæ verba qui animi cum iudicio audit, atque percipit, mirum, ni Solis luce clariùs perspiciat demonstratum quod agitur? Sed hîc sibi rimam, quâ elabatur, quæret pertinacior quispiam, non habendam videlicet fidem sua in causa Romano Pontifici. Vt igitur huic demus, quod vir sanctissimus Iulius egregia in Deum atque Ecclesiam pietate diuinitatem omnia intuentem iurans asserit, se hunc cū aliis Canonem in sacro Ecclesiæ Romanæ tabulario inuenisse, quod vel lenoni turpissimo in foro crederetur, à vero abesse: Vtque itidē nunc dissimulem, non potuisse illi Eusebio Nicomedię, & aliis Arrhianis, quibus istud affirmat Iulius, qui ipsi Concilio Nicæno interfuerant, citra extremam impudentiam & sacrilegam audaciam obtrudi: agè hunc Canonem à Iulio recitatum demonstremus omni luce manifestiùs verè fuisse à Patribus Nicæni Concilij decretum & constitutum.

Demonstratur hic de appellatione Canon vere esse Concil. illius Nicæni magni.

Ex Synodo Alexādrina sub Athanasio.

Diuus ille Athanasius vnà cum Episcopis aliis Catholicis vniuersis per Ægyptum, Thebaides, & Lybiam, qui haud dubiùm plerique omnes illi interfuerant Concilio, hisce verbis, hoc quod agimus, nobis attestantur: Similiter etiam supradictis Patribus Nicænis, inquiunt epistola ad Felicem Romanum de infestationibus Arrhianorum querula, est definitum consonāter, vt si quispiam Episcoporum aut Metropolitanum, aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domino

poteſtas ligandi ac ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa.

Ex hiſce igitur non vnius modò Athanaſij, ſed omnium Ægyptiorum, Lybicorum & Thebaicorum Epiſcoporum, eorúmque in Synodo congregatorum verbis liquere opinor apud omnes, qui peruicacia nō ſunt præfracti, aut præiudicio excæcati, à Concilio illo Nicæno liberam poteſtatem omnibus Epiſcopis aliorum iudicio aut grauatis, aut oppreſſis, ad Roma. Epiſcopum prouocandum non tam fuiſſe de nouo factam, quàm aſſertam ac vindicatam. Siquidem ita ab Apoſtolorum vſq; temporibus fuerat factitatum anteà, vti nuper ex certiſſimis D. Sixti Martyris, denique Marcelli ad Gratum, deniq; Marcelli ad Antiochenos docuimus teſtimoniis. Vtvt autem iſtud ſeſe habuerit, nolumus in præſens anxiè perquirere, illud demonſtraſſe contenti, hanc appellandi ad Romanam ſedem poteſtatem à Nicænis illlis patribus fuiſſe cortoboratam, atque conſonanter, teſte Synodo Alexandrina, definitam.

Apiarij Africani Epiſcopi ad Rom. Pontificem appellantis cauſa.

Quo capite probè conſtabilito, non fuerit arduum illos quæſtionum diſſoluere nodos, quos nunc temporis ſanè perplexos & intricatos Romanæ Eccleſiæ aduerſarij ſtringunt: de Afris, inquam, Epiſcopis, de Apiarij illius hac vna re non ignobilis cauſa: quæ ſi à nobis fuerit luculenter perſtricta, permagnum ſperarim me lectoribus veritatis ſimul & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis operæpretium facturum.

Hic igitur Apiarius Epiſcopus Concilij Africani decreto Eccleſiâ ſuâ Siccenſi deiiciebatur. Appellat ad Epiſcopum Romanæ ſedis, cui tunc temporis inſidebat D. Zoyimus: qui eius cauſa accuratiùs perpenſa, & abſoluendum & reſtituendum iudicauit. Ille ſimul atque in Africam rediiſſet Africanis Epiſcopis factū Romani Pontificis admirantibus, quod Canone Nicæno videbant prę munitum, priſtinam in ſedem ita è veſtigio reſtitutus non fuit, aliis obnitentibus, aliis de illo Nicæno decreto diligentiùs inquirendum exiſtimantibus. Quare de com muni omnium ſententia viſum fuit, ad alias Patriarcharum ſedes deſtinare nuncios, qui Canonum Nicęnorum

exemplar ex illorũ armariis in Africam adferrent. Quibus ad votum redeuntibus attulêre quidem Alexandriâ, Constantinopoli & Antiochiâ Nicæni Concilij decreta: sed quibus non erat ille Canon de appellando ad Romanum Pontificem comprehensus. Isthoc sanè exemplarium discrimine grauiter, pro eo atque par erat, Africani fuêre commoti: sed non in eam exarserunt maledictorum insaniam, quibus hodie aduersarij Romanum criminãtur rabidè adeò Pontificem. Qua in re flagitiosa ipsius Rom. Pontificis, ait Caluinus institut. ca. 8. impudentia apparuit. Nam quum fraude Sardicensem Synodum pro Nicæno supposuisset, turpiter in manifesta falsitate deprehensus fuit.

Zozimum nõ recitasse Ca. Sardicensem pro Nicæno, sed germanè Nicænum.

Quem istius miselli non misereſcat, qui præ Romani Pontificis odio plus quàm Vatiniano sui impos animi sanctissimum Zozimum impudentiæ non modò flagitiosæ, sed manifestæ adeò fraudis audet suggillare? Non inficior equidem, illum de appellando ad Romanum Pontificem inter Sardicensis Synodi Canones accenseri: sed quid vetat, eundem Nicææ dudum ab Orientalibus definitum, Sardicæ ab Occidentalibus Episcopis fuisse renouatum? cùm id de aliis fuisse factum & hîc & alibi frequentissimè sit omnibus indubitatum.

Sozimum nõ fuisse falsarium sed verè Canones recitasse.

Sanè licebat D. Sozymo & illi de Episcoporum appellatione Canoni, sicuti & de minorum Clericorum, Sardicen. Synodi nomen accommodare, cùm Africani & huius Conc. Canones pari planè suscipiebant veneratione & fide indubia, qua Nicænos, vti ex Diui Augustini verbis 7. Synodo Africana descriptis liquet: sed vir ille sanctissimus non flagitiosa impudentia inductus, vti calumniatur ille Sycophanta, sed liquida veritate: non fraude, sed bona causæ huius fidè adductus, illum Canonem Nicæno tribuit Concilio. Atqui illa de Oriente missa exemplaria, inquias, hunc non commemorant. Vnde liquet fuisse tam fictitium, quàm supposititium.

Plures Canones Nicænos fuisse quàm viginti.

Haberet isthæc coiectura plurimùm profectò veri similitudinis, nisi luce omni manifestiùs constaret, plures hisce 20. Canonibus fuisse Nicææ conditos. Id autem non solùm ex verbis D. Iulij Pontificis, & D. Marci iuramento

ramento sacrosancto firmatis liquidum est perspicere: sed D. Athanasij etiam, ac totius adeò Synodi Alexandrinæ vniuersis ex Ægypti Episcopis congregatę literis, ad D. Marcum pro horum Canonum exemplari impetrando datis. Vt nunc omittamus plurima, quæ sparsim apud veteres Scriptores leguntur fragmenta Nicænorum Canonum, quæ ad istos peruulgatos viginti nequaquàm reuocari queant, vti aliàs ostendemus. Cùm igitur epistola mox memorata D. Athanasius & cæteri Episcopi plurimi, sese præsentibus narrent ab illis 318. Patribus Nicænis conditos Canones non tantùm 20. sed 70. eósque ex 80. ad 70. discipulorum ministerium repræsentandum in septuagenarium fuisse coactos: & hos eosdem D. Marcus & D. Iulius posteà iuratus asserat, à se non modò in Romanæ sedis scrinio ipsa illorum Patrum Nicænorum subscriptione prototypa & autographa consignatos fuisse repertos: sed legatis Athanasij & Concilij Alexandrini eorum causa missis etiam ostensos, & ad uerbum partim descriptos, dubitare non potest qui modò sanus est ac sobrius, quin plurima nobis hodie desint Nicæni Concilij capitula.

Multa fragmenta Canonũ Nicænorũ existunt, quæ ad illos viginti referri nequeant.

Intercidisse plurima Nicæ. Concilij capitula.

Quòd autem nec Augustini ætate apud Afros ea fuerint vniuersa & integra, ex eo non sanè leuicula ducitur demonstratio, quòd Canon ille de Appellatione ad Romanum Pontificem non fuerit in D. Alipij Græcis codicibus, ad quos contulerat, nec aliorum codicibus Latinis, atque hac de causa ad Patriarcharum Bibliothecas nuncios destinandos censuit Synodus: qui reuersi Canones Nicænos adferebant, sed quibus iste non esset comprehensus.

Vide Concil. Africanum 6. capit. 4.

At eos, inquias, ecquis dicat fuisse mutilos aut corruptos, quos Atticus Constantinopolitanus per Marcellum Subdiaconum Africanum se transmittere scribit, sicut statuti sunt in Nicæa, & integros dirigere? quósque Diuus Cyrillus Alexandrinus per Innocentium Presbyterum Africanum testatur se Concilio Africano fidelissimo exemplari descriptos destinare?

Scrupuli submotio de Canonũ Nicænorũ adulterio.

Ista profectò coniectura multum inueniat momenti ap ud eos, qui historiam illius Arrhianæ tempestatis mi-

nùs habent cognitam & perſcrutatam. Qui igitur ſibi in mentem reuocare non grauabitur, quídnam Arrhiani incendij illi incentores atque inſtauratores Epiſcopi in vnum tentarint Athanaſium, illius Concilij Nicæni vnũ ferè propugnatorem perſtrenuum, ei ſanè non videbitur abſurdum, ex illis potuiſſe bibliothecis exemplaria mutila tranſmitti, vbi certo certiùs eſt, Arrhianos præſediſſe Epiſcopos. Proinde cùm tanta furoris rabie in ſanctiſſimum Athanaſium homines Arrhianæ perfidiæ œſtro perciti, imò inflammati, vt eum homouſij Nicæni propugnatorem non minùs ſtrenuum quàm inuictum, non ſolùm ſua exturbarint Eccleſia: ſed Cano. Nicænos per ipſum pridem Nicæa allatos vnà cũ omnibus eius libris incendio perdiderint, vti ſuis ipſe verbis epiſtola ad Felicem nobis eſt teſtis: quid cogitandum pio lectori de illis Canonibus, quos ipſi ſuis in Eccleſiis, quibus præſidebant, reliquerint? quónam pacto illos fixerint atq; refixerint? quónam modò eos induxerint, & loco abolitorum alios ſuppoſuerint? quod & D. Marcus epiſtola ſua liquidò proteſtatur. Sanè Arrhianos hac in homouſij tragœdia deſignare conatos, quod aliis in dogmatibus peruertendis alios feciſſe liquet hæreticos, à vero equidem abhorrere crediderim minimè; vti de Iconoclaſtis in 2. Nicen. Conc. & aliis alibi.

Ca. Nicænos ab Arrhianis incendio perditos & adulteratos.

Quibus iſtud hæreſeos ingenium, quod integra mutilare, ſana corrumpere, recta deprauare ſingulariter gaudent, eſt vel mediocriter cognitum, iis ſanè vehementer ad veritatem propenſum videbitur, illorum bibliothecarum codices fuiſſe corruptos, vitiatos, adeóque mutilatos, vbi conſtat interea Epiſcopos pręfuiſſe Arrhianos: quod de Alexandrina, Antiochena, & Conſtantinopolitana Eccleſiis eſt indubitatiſſ. & ex ſuperioribus libro ſecundo, cap. 16. omni Solis luce liqueat manifeſtius.

Si Athanaſio igitur viuo per vim libros & Canones hoſce Nicænos extorſerunt, eóſque Vulcano conſecrarunt, quid te cogitare par eſt, Lector candide, iſtos Arrhianos poſt eius proſcriptionem, inſanámque illorum exturbationem molitos? qua modeſtia in ſacros codices & Canones à Nicęnis Patribus ſancitos fuiſſe graſſatos?

Hanc porrò mutilatorum Canonum Nicænorum iacturam ipſemet Auguſtinus re ipſa expertus tandem agnouit. Cùm enim Eccleſiæ Hipponenſis electus atque aſſumptus adeò eſſet Epiſcopus, ſuperſtite adhuc eiuſdē Eccleſiæ Epiſcopo Valerio, quòd ſacris Patrum Nicænorum Canonibus pugnabat, non eum puduit huius Canonis Nicæni excuſare ignorantiam: quod non ita accipiendum equidem arbitror, quaſi exiſtētem non legiſſet: aut ignoraſſet: ſed quòd inter illos 20. qui Nicænorum Can. titulo circumferebantur, non eſſet aſcriptus, quem poſteà deprehendit eſſe germanum, atque à Patribus Nicææ conditum: vnde & eius ignorantiam ſuo facto non Canonico prætexuit meritiſſimè.

Cùm igitur Arrhiani Epiſcopi haſce occuparint, Eccleſias, vnde Africani intemerata petebant Nicæni Con. decreta, nihil eſt, quòd miremur Cyrillum Alexandr. Atticum Conſtantinopolitanum & Epiſcopum Antiochenum miſiſſe Canones, quos ipſi ſua quidem opinione habebant integros & incorruptos. Quare nihil iſtorum trium Patriarcharum ſcripta & Canones pro Nicænis ad Afros tranſmiſſi præiudicant illi Canoni Nicæno à D. Sozymo Africanis in cauſa Apiarij adducto: quum conſtet, plures viginti fuiſſe illic conditos, & inter eos fuiſſe, qui hanc ad Romanum Pontificem appellationem confirmaret, teſtibus nōmodo Iulio & Marco Pontificibus Romanis ſacramēto rē hanc affirmātibus: ſed Athanaſio etiam Alexandrino, adeóque vniuerſis Epiſcopis Ægypti, Lybiarum & Thebaidos Alexandrina in Sinodo congregatis.

August. ætate mutilati Can. Nicæn. Vide epi. 110

Oſtenſo igitur, illum de appellando ad Romanum Pontificem Canone Nicæno nequidquàm fuiſſe ſuppoſititium, ſed legitimum, atque à Patribus Nicææ conditum: ſicuti nec D. Sozymum pro Sardicenſi Nicænum allegaſſe, ideóque nec flagitioſæ impudentiæ, nec fraudis, nec legis Corneliæ fuiſſe reum, exinde liquere poteſt, Afros Epiſcopos fuiſſe Romano Pontifici ſubiectos: cùm ab eorum ſententia ad illum reſtaret prouocatio, Canone non tantū Nicæno, vti nos dicimus, ſed Sardicenſi etiā, vti & aduerſarij fatentur: quòd ſanè ad hanc

Afros Epiſcopos omnes Rom. Pontifici paruiſſe.

rem demonſtrandam vel ſolùm ſuffeciſſet, cùm hîc & Africani interfuerint Epiſcopi, eúmq; inter alios agnouerint ſuſcipiendum atque religioſè obſeruandum. Verùm ad maiorem veritati nunc aduerſariorum calumniis obſcuratæ lucem adfundendam, paucis demonſtremus Afrorum omnium erga Romanum Epiſcopum obedientiam atque ſubiectionem, ſed in Domino, atque in fidei ædificationem. Hanc in rem ſemel definiendam & decidendam, ſi Diuum Auguſtinum aduerſarij iudicem recipiunt, quem alioqui ſe vnum ex tota antiquitate teſtem fideliſſimum agnoſcere profitentur, non eſt, quòd valdè laboremus. Audiant igitur de Afrorum Epiſcoporum cauſa, an Romano ſint, fuerintque Pontifici ſubiecti, nec ne, Auguſtinum Afrum pronunciantem.

Innocentius Ro. fuit Cy. poſterior tẽpore, ſed loco prior.

Cùm aduerſus Iulianum varios, & eos maximi cùm primis nominis produceret Epiſcopos Catholicos, atq; inter eos D. Cyprianum Africanorum caput, & primum omnium Afrorum Archiepiſcopum, tandem & Innocentium adduxit Romanum Epiſcopum, quem ne vlla videatur affeciſſe iniuria, quòd poſtremum recitaſſet, qui primum merebatur locum, hoc elogio ab omni iniuriæ vindicauit ſuſpicione: Cum his etiam Innocentius conſidet, inquit, etſi poſterior tẽpore, prior loco. Anne huic Rom. Pontifici primatum atque præſtantiam perlibenter cedat Cyprianus, nedum Aurelius, aut aliquis alius Carthaginenſis? quantò magis quiuis Africanus, cùm vel Cypriano Africæ Metropolitano ſedeat prior Romanus Innocentius.

Quòd ſi vnius Auguſtini arbitrio ſibi minimè rentur ſtandum aduerſarij, agè pluribus id Afrorum doceatur teſtimoniis. Cùm toti Africæ Stephanus præſideret Archiepiſcopus, Damaſo Romanam ſedem tenente, quidam Epiſcoporum alios eiiciebãt Epiſcopos: de quorum iniuria ille Stephanus vnà cum Concilio Mauritaniæ Africano Damaſum cenſuit in auxilium priſco ex more & Patrum decretis implorandum. Maximè verò iuſtè debent (inquit Synodus Africana ſub Stephano ad Damaſum) ab ipſo Prẹſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſolicitudo eſt tam mala damnare, quàm

Africani Epiſcopi in Sinod. Mauritaniæ ſeſe Romano Pontifici, vt filios

releuare laudanda. » *patri agno*

Antiquis enim regulis censitum est, vt quidquid horum, quàmuis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt eius authoritate iuxta quod fuisset pronũciatum, firmaretur, & reliqua multoties talia, & his similia, quæ super his constituta sunt: quibus si illicitè factum est, vt semper vestræ sedi consuetudo fuit, festinãter occurrite, & his viriliter, vt pater pro filiis certantes state. Quę Synodi Africanę verba fusiùs huc duximus recitanda, quòd præsentem de antiqua Africanorũ obedientia quæstionem dilucidè definiunt, quum Damasum appellant Episcoporum verticem Apostolicum, dum præter alia se illius filios ingenuè ac liberè profitentur, atque in ipso epistolæ titulo, quod in primis commemoratum oportuit, eum summũ scribũt omnium Præsulũ Pontificem.

» *scunt subiectos, eius implorantes auxiliũ*

Veterũ Afrorum eximia in Rom. Pontificem obedientia.

Hanc igitur ante Augustini Episcopatum, sub quo illa Apiarij causa, atque de Nicæno Canone incidit quęstio, Africani Episcopi vltrò agnoscebant sub Damaso & obedientiã & subiectionem: quam si & ex D. Cypriani ætate inuestigauerimus, non deerunt profectò coniecturæ grauis sanè momenti, quæ eandem eius seculo testentur fuisse indubitatissimam. Cùm Africana Synodus Diuo Cypriano Africanæ Ecclesiæ Archiepiscopo atque Primate, Fortunatum quendam Pseudoepiscopum cum Nouatianis aliquot sua ob flagitia & hæresim Ecclesiastica abstinuisset communione, ille sublimiorem Cypriano sciens Romanum Pontificem, Felicissimum legatum misit, literásque porrigit, quibus de Cypriani, totiusque adeò Synodi Africanæ constitutione conquerebatur, quòd in Episoporum numerum atque honorem non susciperetur: quod tametsi impetrarit minimè, liquet tamen satis hoc exemplo fuisse tunc ętatis morem, vt vel Synodo grauatis liceret Romanum appellare Pontificem. Sed D. Cypriani verba video hanc in rem contestandam nobis recitanda, quæ luce vel meridiana demonstrent clariùs Fortunatum à se suáque Synodo Africana damnatum, ad Romanum confugisse Episcopum

Fortunatus Episcopus à Cyp. & Synodi Africanæ sententia appellat ad Romanum Pontificem.

auxilij implorandi gratia. Post ista adhuc insuper (ait epistο.7.libr.1. Pseudoepiscopo sibi ab hęreticis constituto nauigare audent & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre, &c. Rursum paulò inferiùs: De istis verò quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo nauigarunt legati, à Fortunato Pseudoepiscopo missi, tam falsas ad te literas afferentes, quàm est ipse (cui literas ferunt) falsus.

Ro. Eccle-siaCyp. prĩcipalis Ecclesia dicta.

Cùm igitur adeò liquidò ante Zozimi ætatem Africani Episcopi suam erga Roman. Pontificem agnouerint obedientiam, & Augustinus non se tantùm & Cyprianum, sed omnes totius adeò Christiani orbis Episcopos profiteatur Rom. sedis Episcopo subiectos, quale rogo fuerit, vt centum posteà & ampliùs annis cogitassent de neganda Romano Pontifici obedientia? Dum igitur in sua maiorum fide perstitêre Catholici, atque Donatistarum factione pòst exorta indiuulsi, eam nunquàm excutere in animum induxerunt. Quod ex eo vel maximè liqueat, quòd in hac ipsa Apiarij causa non agebatur de præstanda Romano Pontifici obedientia, sed tantùm, an Africano Episcopo à Concilio Africano damnato ad Romanum Episcopum appellare liceret? Hanc ergo excellentiæ portiũculam, quæ in appellatione quasi ad superiorem sita est, Augustini ætate quidam Romano detrahere conabantur Pontifici: sed de toto ipso genere obedientiæ, seu de Romani Pontificis super Africanos præstantia & excellentia nihil omninò agebatur. Cæterùm quòd illa ipsa tempestate, qua illa de Nicæno Canone quæstio turbabat Africam, Episcopi Africani Romano Pontifici non agnouerint tantùm, sed exhibuerint etiam obedientiam, ex hac ipsa Apiarij adeò causa luce clariùs meridiana demonstrari queat.

Vide epi. ad Zozim. & 2 contra Iulianum.

Status causæ Apiarij nobis suffragatur.

Zozimus Apiarium post appellationem & causæ cognitionem iudicarat restituendum, ideóq; Africani Episcopi, ceu illius dicto obtemperantes, eum ab excommunicatione absoluunt, & absolutum Ecclesiæ reconciliant, eumque pristinæ reddidissent Cathedræ suæ Siccensi, ni scandalum creati in eius locũ Vrbani eos in alia

Afrorum obediẽtia demõstratur ex Apiarij quõdam à se

coëgisset consilia: quemadmodum ipsa Synodus Africana literis ad Bonifacium Zozimi successorem datis nobis manifestè attestatur.

damnati & excommunicati, absolutione & recôciliatione, ídque iussu Zozimi Ro.

Tanta igitur Afrorum fuit Episcoporum in Roman. Pôtificem obedientia, donec apud eos pristina fidei obtineret integritas. Verùm rebus semper in deterius retrò labentibus, occasione, quantùm videre mihi videor, ex illo Nicæno Can. accepta, Aurelius Carthaginensis Archiepiscopus ad defectionem alios videtur, si non impulisse, saltem inuitasse. Certè cùm paulò posteà omnes Afrorum Ecclesiæ ab Arrhianis, qui totam Alarico duce occuparant Africam, possiderentur, quæ aut in Donati desciuerant schisma ad 400. iam ipso Augustino adhuc superstite, aut profectò à recto declinarant, non mirum est, totam Africam per omnem illam Vvandalorum captiuitatem fuisse schismaticam, atque à toto Christi corpore Ecclesia diuulsam. Quare cùm Deus Opt. Africanæ tandem post annos circiter 100. benignus misereri deletis dudum per Bellisarium Vvandalis constituisset, ei Eulalium donauit Archiepiscopum, qui membri istius adeò nobilis vniuerso reliquo Christi coniungeret corpori. Is ergo Pœnitentiæ libellum Ecclesiæ Rom. Episcopo Bonifacio II. solenni ex more conscriptum cùm obtulisset, recôciliatus fuit. Hunc porrò ipsum libellum siue supplicem dixeris, siue pœnitentiæ, etiamnùm hodie videre est literis Bonifacij II. ad Eulalium Thessalonicensem datis insertum, quibus eum vt vicinas Ecclesias admonet, exhortetur ad gratias Deo Opt. agendas, de Africanæ Ecclesię tum Catholico Christi corpore redintegratione atque reconciliatione.

Afri post schisma centum annorũ reconciliãtur cum Rom. et Catholica Ecclesia.

Cæterùm hanc Bonifacij II. epistolam esse genuinam & minimè supposititiam, satis supérq; arguit, quòd ante annos 500. talis indubitatò credebatur. Ex ea enim Gratianus capitulum recitat non exiguum. Antonius quoque Florentinus veterum rerum studiosus peruestigator, nobis attestatur rem hanc longè verissimam: Sub » hoc Pontifice, (inquit, Bonifacio II.) venit Romam re- » latio ab Africanis Episcopis, qui de vnanimi volunta- » te atque consilio deliberauerunt atque constituerunt, »

" vt Carthaginensis Episcopus omnia constitueret, atque " faceret de consilio Romanæ & Apostolicæ sedis. Cuius ex Africanæ constitutionis vi Eulalium Carthaginensem videre est compulsum, vt Romanæ Ecclesiæ ceu capiti reconciliaretur, à quo per annos circiter centum sacrilega illa sub Aurelio Carthaginensi defectione sese Afri subduxerant.

Quare qui hanc Africanæ Ecclesię reconciliationem hac Bonifacij epistola, & Eulalij Carthaginensis supplicatione, Antoninique historia contestatam ceu fictitiam ridet, quid quæso nobis, imò sibi, relinquent saluum ex omni Ecclesiasticæ antiquitatis historia, quo res pridem in Ecclesiæ negotiis gestas nostri seculi Academicis probent, atque corroborent?

Caput XC.

Ro. Pōtificis primatus docetur ex Episcoporum in Synodis dānatorum absolutione & restitutione.



Stenso, ad Romani Pontificis pręrogatiuam pertinere, quòd omnes totius Ecclesiæ Episcopi ad eum ceu caput prouocant, atque appellant, eadem nobis prærogatiua pauculis aliquot exemplis venit illustranda, quòd non fuerit inanis aut irrita ad eum prouocatio: sed quòd Episcopos ad se prouocantes ab aliorum iudicio licèt in Synodis damnati fuerint, suísque submoti Ecclesiis, absoluerit, sedibúsque restituerit.

Athanasij & cæterorum item Catholicorum Episcoporum exemplum ab Arrhianis Cōciliabulo Antiocheno damnatorum, & sedibus adeò expulsorum, istud luce meridiana clariùs demonstrat. Posteaquàm enim Iulius ille Romanus Eusebium Nicomediensem Athanasianæ tragœdiæ Choragum, aliósque item aliquot antesignanos Romam ad reddendam istius damnationis rationem euocasset, illis non comparentibus, Athanasio literas dat, quibus eum Alexandrinis testatur iniuriâ & damnatum & sede extrusum. Paulus quoque Canstantinopolitanus ab Arrhianis eiectus, cùm ad Iuliū Romanum appellasset, restitutus ab eodem fuit.

Restituti suis sedibus à Roma. Pontifice, Athanasius, Paulus Constantinopolit.

Ioan. Chrys.

Pari modo & Innocentius D. Ioannem Constanti-

nopolitanum, posteà dictum Chrysostomum, post mortem ab iniqua illa Cõciliabuli cuiusdam Chalcedonensis absoluit sententia, eiúsque nomen passim de sacris Dyptichis, quod est tabulis Ecclesiasticis, quæ piorum in Christo mortuorum obtinebant catalogum, deletum iussit inscribi.

Sic & Diuum Flauianum item Constantinopolit. à Dioscori illius Alexãdrini damnatione D. Leo absoluit, & hunc pro iniuria illi sceleratissimè illata, cœtu Christianorum submouit: quam quidem sententiam etsi D. Leo initiò rebus ipsis nequiuerit complere, obnitentibus aduersariorum patronis, fuit tamen Concilio Chalcedonensi probata, atque in effectum adeò deducta. *Flauianus Constantinopolita.*

Ignatius item Constantinopolit. contra Photium Romam prouocans, à Nicolao Roman. sedi suæ restituebatur, Michaële Imperatore licèt obnitente. Alexand. etiam Ioannem cùm ad Gelasium prouocasset, contra vim Achatij & Petri restituit, priorique dignitatis pristinæ loco reddidit. *Ignatius Cõstãtinopolit. Ioãnes Alexandrinus.*

Ex iis, quæ modò sunt de Rom. Pontificis supra alios Episcopos prærogatiua ostensa, nos rerum ordo vocat, vt de illius in Synodos potestate disseramus. Ea enim de causa voluimns singulorum anteà Episcoporum in Roman. Antistitem demonstrare ex confirmatione, ac etiam excommunicatione, & electione, tum appellatione, & damnatorum absolutione, ac restitutione obedientiam, vt minori cum negotio, atque simul etiam illustriùs patefieret, quanta fuerit eius in Synodos aut cõfirmandas aut damnandas authoritas, veréque principalis potestas. Initiò igitur, quò res fiat manifestior, demonstrandum, veteres Synodos nullius fuisse roboris, nec authoritatis, nisi per Roman. Pontificis consensum ab illis vltrò expetitum fuissent comprobatæ atque corroboratæ: Pòst de Synodis per eundem abrogatis & damnatis dicendi erit locus. *Quanta Roma. Pontificis olim in Synodos authoritas.*

Inter alias confirmandæ alicuius rei rationes illa facilè princeps est, atque omnium firmissima, quæ ab aduersariorum ducitur aut exemplo aut confesso. Proinde cùm Arrhiani multis suis quidem Synodulis Catholicos *Arrhiani cupiunt sua Synodi Antiochena*

acta à Iulio Rom. confirmari.

Episcopos suis & sedibus eiicere, atque gregibus depellere satagerent, aliis in eorum locum suffectis, sua ipsorum conscientia, quæ mille testes non minùs scitè quàm verè est dicta, eò adacti sunt, vt suæ Synodi Antiochenæ acta non persuaderent sibi rata & firma, ni Rom. Pontificis accessisset sententia atque consensus, quasi actorum omnium colophon. Simulatque igitur illi Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & Asclepam Gazæum cum aliis item Catholicis exturbassent, aliósque de Arrhij grege suffecissent, Iulio Roman. scribunt, vt Antiochenæ Synodi acta velit habere pro ratis, suóque assensu rem constabilire. Sed satiùs fuerit ipsorum istud verbis demonstrasse: Si nostris placitis, inquiebant epistola ad Iulium Rom. data, etiamnùm salua, in 1. Tomo Conc. magis quàm illorum machinationibus, assentiri, & ordinatos Episcopos in damnatorum locum firmare eligitis, pacem vobiscũ & communionem habere volumus.


Idem Constantij Augusti, item Arrhiani præiudicium liquidò firmat: qui licèt Athanasium, cui semper, ait Ammianus Marcellinus lib. 15. fuit infestus, iam sciret sua sede Alexand. illo Conciliabulo Antiocheno exturbatum: tamen authoritate, qua potiuntur æternæ vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quod haud dubiè Constantius Augustus nunquàm tanto fuisset molitus conamine apud Liberium Romanum, nisi Conciliorum decreta citra Romani Pontificis assensum ratus fuisset irrita atque nulla.

Iam Synodos, quas ob Episcoporum raritatem Prouinciales dicimus, nullius esse roboris, vna illa, quæ plurimarum æquis arbitris est instar, Mileuitana Diuo Augustino Africanorum lumine clara, plùs satis demonstrat, quæ ab Innocentio Romano suorum decretorum petiit confirmationem, vti apud Diuum Augustinum videre est. De aliis quoque prouincialibus Synodis in confesso est, eas à Romano Pontifice sui confirmationem postulasse.

Quare aliis, ne molestum sit fastidium, omissis, ad illa transeamus concilia, quæ ab vniuersi orbis Episco-

porum cœtu & cõuentu appellamus aut vniuersalia, aut generalia, ex quibus suo ordine declaratis, res præsens luce meridiana fiat manifestior.

Caput XCI.


I priscorum Conciliorum legitimorum acta de Romani Pontificis hanc in rem authoritate contestanda in cõsilium adhibere non grauabimur, in procinctu est perspicere, vndé nam suam illa hauserint vim atque robur. Ea igitur ordine percurramus, quò res fiat dilucidior.

Cõcilia vniuersalia fuisse à Rom. Pontifice cõfirmata.

Primum illud Ecclesiæ Christianæ Concilium, non quidem tempore, sed authoritate Nicææ Patribus 318. tanquám totidem Abrahæ illius fidei parentis clientulis, ad profligãdos Arioth Ponti Regem, Thadal Regem gentium, fidem Christi in D. Loth fidei hærede captiuantes & abigentes instructum, post acerrimas illas cum Arrhianis & illis Philosophis Arrhianorum pretio conductis dissertationes, póstque concordem illam Episcoporum tot ad vnum omnium, sex tantùm in exilium sua cum perfidia migrantibus, suffragationẽ, non visum fuit satis habiturum roboris, nec authoritatis, nisi Apostolicæ Ecclesiæ Romani Præsidis accessisset consensus, atq; astipulatio authoritatis augustissimæ multò plenissima. Quàm autem sanctissimi illi Patres, & iidem tanto numero congregati hunc Romani Episcopi consensum atque actorum cõfirmationem sibi suísque censuerint necessariam, aliunde nec meliùs nec certiùs discatur, atque huius Synodi vniuersalis & Oecumenicæ verbis.

Synodus Nicæn. petit à Syluestro Rom. confirmationem.

Hosius igitur ille Cordubensis vnà cũ Macario Constantinopolitano, & Victore, Vincentióque Presbyteris „ huius Synodi Præsides Syluestro Romano scripserunt, „ rogantes: Quicquid, inquiunt, inter alia cõstituimus, in „ Concilio Nicæno precamur, vestri oris consortio cõfir- „ metur: Data 8. Kal. Iulias. Paulino & Iuliano CC. „

Quòd si quis Academicorum hîc sibi de huius epistolij fide ambigendum permittat, is sibi in mentem reuocet, non ipsam modò epistolæ phrasim illud priscum

redolere seculum: sed vetustissima etiam exemplaria, quorum vnum est Coloniense, hanc continent actis Nicænis insertam. Qui eam igitur sibi reiiciendam putet, eodem is furore & alia eiusdem fidei ex codicibus vetustissimis astruendæ repudiare audeat. Verùm vt & aliud " huic rei adferamus firmamentum, testatur D. Isiodorus, " vir priscarum & Ecclesiasticarum rerum in primis peri-" tus, Synodum Nicænam regulas edidisse: quas, inquit " præfat. Concilij Nicæni, Romana suscipiens confirma-" uit Ecclesia.

Concil. Constan. à Damaso actorũ confirmationem petit.

Eundem in modum & secunda illa Synodus Oecumenica Cõstantinopolitana Nectarij ætate habita, Romanum rogabat Pontificem Damasum, vt illius creationem, & aliorum item cæterorũ, Flauiani Antiochiæ, Cyrilli Ierosolymis ordinatorum, velit ratã habere, at-" que confirmare. Quæ cùm legitimè, inquiunt, epistola " ad Damasum, Ambrosium, &c. data, qua se excusant, cur " euocati tanquàm ad caput membra Romam non con-" currant, & Canonicè apud nos acta obtineant, vt in eis " pietas etiam vestra læta & gratulabunda acquiescat, " hortamur.

Con. Ephesinum à Cælestino Romano corroboratum.

Iam de tertio vniuersali Ephesino, vndénam habuerit suum authoritatis robur, ignorare nullus queat, quẽ modò non pigeat cognoscere, quísnam ei præfuerit Synodo. Hunc verò D. Prosper, & post eum Liberatus Archidiaconus Carthaginen. testantur ipsis Concilij actis concorditer, fuisse D. Cyrillum, sed Cælestini Romani vice atque loco. Liquet autem, vnde Concilio Ephesino sua fuit authoritas, si eius præses Cyrillus Alexandrinus à Romano Pontifice Cælestino eum acceperit vicaria-" tum. Vide illius ad Cyrillum epistolam, cuius exordiũ, " Tristitiæ nostræ. Huius enim Cælestini iussu, quod est " apud Mart. Polonum, & vt ait Liberatus ille in Breuia-" rio, Theodosij A. instãtia & opera, quum deinceps ean-" dem ob causam congregaretur Sacerdotale Concilium " apud Ephesum, idem Cælestinus misit increpationis " epist. ad Nestorium cum exhortatione & vituperatione, " quoniam aberrare non debuerat à sua & Apostolicæ se-" dis ordinatione. Attestatur quoque Aymarus lib. de Sy-

nodis, quod in eo Legati Apoſtolicæ ſedis beatiſſim. Cyrillus, & Arcadius Epiſcopus ex Italia, vice Cæleſtini Papæ præfuerint, & ipſum Apoſtolica authoritate roborarint.

Liquet prætereà ex Cõcilij huius actis, Theodoſium iuniorem ad perfectionem diuinitùs ſtatutorum petiiſſe Apoſtolicæ Cathedræ apponi confirmationem.

Theodoſ. petit Concil. vniuerſalis cõfirmationẽ à Romano Pontifice.

Pari modo & Calchedonenſis Synodus ſui confirmationem expetiit à D. Leone Romanæ ſedis Præſide. Ea igitur quæ definiuimus, inquiunt epiſtola ad illum data, Repletum eſt gaudio os noſtrum, & cæt. atque 44. Epiſcoporum ſubſcriptionibus conſignata, ad remotionem totius erroris, ad robur veræ Eccleſiaſticæ ordinationis propitia, & amabilia, & ad decorem congrua ſtatuimus, ſtabilire digneris ſanctiſſime ac beatiſſime Pater. & iterum, Vobis geſtorũ omnium veram notitiam facimus, vt à vobis, quæ geſta ſunt, ſtatuantur, roborentur, & concedantur. Porrò quum D. Leo illa Conſtantinopolitani Epiſcopi ambitione offenſus, quòd ſecundã ſedem poſt Roma. Epiſcopum affectaret, haud leui ſanè cum iniuria ſedis Apoſtolicæ Antiochenæ, cunctaretur illius Synodi acta corroborare, AA. Martianus & Valentinianus alias ad Leonem dedêre literas, quibus eiuſdem confirmationem expoſtulabant. Quapropter veſtra reuerentia ſuas, aiunt, literas mittere dignetur, per quas » omnibus Eccleſiis & populis notum ſit, vniuerſa, quæ » in ſancta Synodo geſta ſunt, à tua beatitudine eſſe con- » firmata. Et poſteà: Propter quod & tua venerabilitas » ſuas proprias & ſpeciales literas velociſſimè mittere di- » gnetur, per quas confirmare vos ipſam, quæ in Calche- » done eſt Synodum, manifeſtiſſimè oſtendatis: vt illi, quî » eam deſiderant ignominioſam, nõ poſſint habere ſuſpi- » cionem de iudicio ſanctitatis tuæ. Vides citra Leonis » Rom. conſenſum & confirmationem non modò Chriſtianum populum acta Concilij vniuerſalis pro irritis & nullis habuiſſe: ſed ipſos etiam AA. Martianũ & Valentinianum, ipſóſque adeò Patres Epiſcopos, ad 530. in Synodo congregatos.

Calchedonenſe Cõcil. à Leone cõfirmatum.

Imperatores petunt cõfirmari 4. Cõcil. vniuerſale à Leone Romano.

Cùm ex hiſce quatuor igitur Conciliis vniuerſali-

bus, quæ aduersarij nobiscum concorditer summa, vti verbis quidem aiunt, suscipiunt veneratione, sit liquidò iam demonstratum, ea nisi Rom. Pontificis consensu & confirmatione corroborata non fuisse rata, aut iustæ alioqui authoritatis, non est, vti equidem opinor, necessarium, aliis similiter Conciliis exinde cõsequutis idem ostendere fusiùs.

Quare ad aliud transeamus caput, vnde hunc Rom. Pontificis in Christiana Ecclesia primatum atque præstantiam prorsus principalem liceat constabilire. Id autem ex decretorum quorũdam in Conciliis sancitorum damnatione, & Episcoporũ illic damnatorum per Rom. Pontifi. absolutione docebitur. Hanc in rem comprobandam vnum illud Ariminense conciliabulum Episcopis Arrhianis plurimis eò confluentibus abundè suffecerit, quòd hinc nullum potuit vnquàm obtinere authoritatis robur, quòd Roma. Pont. Damasus suo noluerit calculo confirmare.

Quod si non suffecerit, huic alterum adde item Arrhianorum: Antiochenum illud dico, quod Athanasium, & alios de omnium consensu sua exturbauit sede, nec Episcopali tantùm fuit munitum authoritate: sed ardẽti etiam, vti ex Ammia. Marcellino docuimus, Constantij desiderio: quod Liberij Romani suffragium nec precibus demereri, nec minis extorquere potuerit. Non enim tam fuit Ecclesiasticarum rerum rudis Constantius, vt sibi persuadere potuerit, Conciliabulum hoc Arrhianorum citra Romani Pontificis cõscientiam & indictum & actum rati quicquam posse constituere atque efficere. Hinc enim post tot Episcoporum Orientalium in Athanasii exturbationem conspirantium decretum ardenti (inquit Marcellinus lib. 15.) desiderio firmari nitebatur per Liberium vrbis Romæ Episcopum, credens minus ratum, quod sciebat impletum per Synodum, nisi authoritate, qua potiuntur æternæ vrbis Episcopi, firmaretur.

Augustus Constantius credidit minus ratum, quod in Cõcilio definitũ non esset à Ro. Pontifice cõprobatum.

Proinde cùm Romanus Pontifex solenni atque prisco ex more omnia illa 4. Concilia prima & vniuersalia suo confirmarit rogatus calculo, idémque vt faceret, pe-

tiuerint Episcopi etiam hæretici, ipséque adeò Augustus Constantius Arrhianus, credens minus ratum, quod sciebat impletum per Synodum Antiochenam, nisi authoritate Rom. Pontificis firmaretur, liquet eum nō in omnes modò Episcopos habere præstantem dignitatis excellentiam: sed in Conciliis quoque, aut firmādis, aut abrogandis principem authoritatem. Vnde verissimum esse consequitur, ab illius sententia appellari non posse: quemadmodum rectè Symmachus apud Gratianum definit, cap. Aliorum 9. quæst. 3.

Caput XCII.



Ro. Pōtificis primatus ex Patriarcharum omniū cum ipso reconciliatione demōstratur.

Æterùm ne quid ad declarandam hanc Romani Pontificis præ aliis omninò omnibus Ecclesiarum vniuersarum præstantiam & principem in Ecclesia locum desideretur, paucis idem ex primarum illarum Ecclesiarum cum Romano Pōtifice ceu totius Christianæ familiâs œconomo, & seruo præposito reconciliatione, posteaquàm ab eius cura & gubernatione se ipsi, aut per hæresim abripuissent, aut per schisma ab eius obedientia subduxissent, veniat demonstrandum.

Antiochenus Patriarcha supplex per legatos impetrat reconciliationem.

Cùm illud orbis lumen Chrysostomus Eudoxiæ A. odio, & Episcoporum plurimorum Orientalium conspiratione in exilium fuisset deportatus, D. Innocentius illam iniquissimam Synoduli infringens sententiam, omnes eius authores communione præcidit, atque anathematis ob immane facinus reos declarauit, ac damnauit. Erat inter hos & Antiochenus Episcopus Alexander totius Orientis primas: qui sanioribus redditus consiliis, hanc cum Romano Episcopo supplex ambiuit recōciliationem, missis ad illum legatis, qui illius & pœnitentiæ formam exponerent, & pacis conditiones acciperent. Quo humilitatis veræ Christianæ obsequio permotus Diuus Innocentius, è vestigio supplicibus annuit, atque illum reconciliationis sinu recepit, quemadmodum videre est epist. ad Maximinianum legatum sedis Apostolicæ per Orientem, & epist. ad Bonifacium,

quæ hanc rem diffusè narrat.

Cōstantinopolitana Ecclesia plus quàm duodecies Rom. Pont. reconciliata.

Iam de Constantinopolitana idem demonstrare nō videtur magni operæpretii, quòd ea res Lectoribus vel mediocriter rerum Ecclesiasticarum peritis magnū moueat fastidium. Tam enim frequens fuit illa Constantinopolitanorum Episcoporum cum Roma. Episcopo reconciliatio, vt à diligentioribus historicis obseruatum sit, eas minimùm duodecies & defecisse & reconciliatos fuisse. Sed huic rei abundè fidem faciat vnum Anthemii exemplum, quòd eum Iustinianus Cæsar Agapito Romano Episcopo cùm studeret nō blandis modò verbis, sed violentis quoque minis reconciliare, ínque sedem, vnde ab illo fuit deturbatus, restituere, audierit voce Romani Pontificis dignitate dignissima: Ego ad Iustinianum, inquiebat Agapitus, Christianissimum Imperatorem me venire putaui, sed Diocletianum inuenio. Quòd si quis alterum hanc in rem confirmandam desideret exemplum, is historiam tragœdiæ, quam Acatius Romano excitarat Pontifici, consulat, quo vnà cum suis Imperatoribus Zenone & Anastasio damnato, eius successor Ioannes & Iustinus Augustus supplices à Romano Pontifice Hormisda suam & totius Constantinopolitanæ Ecclesiæ expetebant reconciliationem. Vide 2. Concilium Constantinopolitanum, & epistolam Hormisdæ ad Ioannē Constantinop. & ad Episcopos Hispa. Eadem historia cùm & Ierosolymitani Patriarchæ habeat cum Romano Pontifice reconciliationem, intercessione Iustini Imperatoris impetratam, nolumus hac in re videri copiosi: Vide epistolam Hormisdæ ad Epipha. Constant.

Liberrima Agapiti vox.

Ierosolymitanus Rom. Pontifici reconciliatus.

Alexādrina Ecclesia cū tota Aegypto Ro. Pontifici se cōfitetur subiectam.

Porrò quod ad Alexandrinam attinet Ecclesiam, suffecerit ex superioribus in memoriam reuocasse, D. Athanasium illum orbis Christiani verissimum columen, vnà cum Ægyptiorum, Thebaidorum, & aliorum Episcoporum Synodo agnouisse, se vnius Rom. Episcopi, ceu Ecclesiæ totius capitis authoritate & protectione indigere ad violentas hæreticorum impressiones propulsandas & frangendas: quod quia ex epistola ipsorum ad Felicem Roma. Episcopum sæpiùs commemorata serio Lectori

ctori sufficiat, nolumus in demonstranda huius Patriarchæ cum Romano Episcopo reconciliatione esse fusiores. Quî enim filia matris ferat diuortium? Similiter & de Africana Ecclesia pridem post illud Aurelij Carthaginensis à Romana Ecclesia schisma recõciliatione hîc nihil dicimus copiosiùs, quòd ex capite superiore 89. id satis supérque liqueat, eam post annos circiter 100. sub Bonifacio 2. ad mentem reuersam, cum illa fuisse recõciliatam per Eulalium Carthaginensem.

Afric. Ecclesia Ro. Pont. reconciliata.

Proinde cùm iam sit demonstratum, Patriarchas, Antiochenum, Cõstant. Ierosolymitanum, item Africanos omnes post diutinam à Rom. Episcopo secessionem atque à Catholicæ Ecclesiæ corpore defectionem semper fuisse corpori illi vero Christi per Rom. Pontificem ceu Christi vicarium reconciliatos, atque in cõmunionem cum Ecclesia receptos, dubitare non potest, qui modò apud se est, solidissimum hoc esse primatus atque præstantiæ Roma Ecclesiæ præ cæteris argumentum, quòd ex aliarum omnium cum ea reconciliatione petitur ad constituendam Roma. Episcopi supra omnes excellentiam. Hanc rem Dei Opt. prouidentia liquido rerũ euẽtu nobis declarare videtur, quòd Ecclesiarum à Roma. Pontificis obedientia defectionem plerumque semper & imperij defectio sit consequuta.

Defectionẽ Ecclesiarũ à Romano Põtifice tristis semper sequuta tragædia.

Orientem enim nutantem & hæresibus discerptũ variis, etsi 150. Cathedralibus Ecclesiis vnus præsideret Antiochenus, facilè occupauit Mahumetus.

Africam Donatistarũ factione fatigatam, & post D. August. mortem Aurelij arrogantia à Ro. Pontifice dissentientem, facilè rapuit Alaricus, & tenuit Gensericus.

Ægyptum cum florentissimis Asiæ, Syriæ, & Arabiæ Ecclesiis Turcarum nunc premit tyrannis: quæ & Constantinopolitanam Romanæ dignitatis æmulã vna cum Hungaria in seruitutem redegit.

An aliud Germaniæ nostræ (ô pectora cæca) impendere putandum est omen? Sed hæc ad eius scribentes sanitatem, Deum Opt. supplices rogemus, vt inauspicatũ auertat suæ iræ furorem.

CAPVT XCIII.

De nominibus Ro. Episcopi pprii.


QVando Ecclesiæ Roma. Episcopi in vniuersa Christi Domini familia dignitatem, ac cæteris omninò omnibus præstantiam atque primatum luculẽter satis demonstrauimus ex ipsa Episcoporũ agnitione vltronea, ex Patriarcharũ omnium confirmatione, ideóque omnium ordinatione: ex aliorum excommunicatione atque deiectione, & eiectorum vel per Concilia cùm absolutione, tum restitutione: ex Cõciliorum denique illorum 4. primorũ confirmatione, & plurimorum damnatione, atque Patriarcharum cum ipso reconciliatione: quãdo, inquam, hisce ex capitibus Pont. Roma. demonstrauimus primatum, nunc ea perstringẽda nobis veniant nomina, quibus aut honoris, aut excellentiæ causa vulgò appellatur. Illa ergo protrita, sanctissimus, beatissimus, Papa, & similis notæ in præsens omittenda duximus, quòd ea satis sint sui vetustate ab hostium calumniis tuta.

Verùm quia de Christi vicarij, & summi Episcopi nomine, & vniuersalis siue Oecumenici vocula nobis litem mouent aduersarij, agedùm ea paucis ostendamus iure optimo fuisse à Maioribus Romano Pontifici tributa: quanquàm puerile sit de voculis contendere, quum de re adeò liquidò ostensa, immeritò sit controuersia, quam illæ, vt corpus vmbra, sequuntur.

Vicarius Christi.

Quod Romanus igitur Episcopus iure ac meritò Christi appelletur vicarius, nemo sanè, qui superiora nõ modò legerit, sed animi etiam iudicio perpenderit, inficiabitur. Idque nõ illo, quo & cæteri omnes Sacerdotes aut sublimiori etiam, quo Episcopi, modo, quod suprà docuimus: sed quòd singulariter istud honoris ac prærogatiuæ elogium in illum vnum competat. Illi namque vni omnis ouium Christi grex est creditus, cùm Petro Christus dixit: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου: pasce, atque rege, cura, atque omnem opilionis solicitudinem & operam meis impende ouiculis. Hunc autem vicariatũ, ac Christi loco curam cùm Roma. Pontifici ex eo quòd Petro Christi successit vicario, demõstrauimus obtigisse, satis

ſupérq; hanc nomenclaturam opinamur cómunitam.

Iam quod de ſummi Sacerdotis titulo quidam rixã-tur, magis eſt inane, quàm vt prolixa ſit oratione confutandum. Cùm enim aliquem non modò eſſe oportere in Chriſti familia ſummum, ſed creatum etiam eſſe, atque à Chriſto præfectum, ſit oſtenſum, an ſobrius habendus ſit, qui hac ſuper re cõtentioſiùs digladietur, animóque athletico toroſa tendat brachia ad hunc Romano Pontifici eripiendũ titulum? Sed ſublimiore ſedet loco ſummus Pontifex, quàm vt hominũ vllius manibus hæc aurea capiti eius excutiatur corona. Cæterùm profuerit ex vetuſtate aliquid promere teſtimonij, quò res cõtrouerſa decidatur pleniùs. Synodus itaque Africana ſub Stephano Carthaginenſi collecta, hiſce verbis Damaſum Romanæ vrbis Epiſcopum ſalutare nequaquàm dubitauit: Sancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Concilij Mauritanienſis, & vniuerſi Epiſcopi de tribus Conciliis Prouinciæ Africanæ.

Sũmus Pontifex.

Hoc Africanorum vniuerſorum Epiſcoporũ teſtimonio ceu antidoto præmuniti, nõ eſt quòd metuamus venenum, quod de poſterioris Concilij item Africani Canone ſugũt aduerſarij. Vt primæ ſedis Epiſcopus, inquit Canon 26. non appelletur Princeps Sacerdotũ, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primę ſedis Epiſcopus. Hic enim Canon cùm ſit Synodi Prouincialis, ad alios certè extra prouinciam Africanam cõſtitutos nihil pertinet: ſed tántùm ad Africanarũ Eccleſiarũ Epiſcopos, vt hîc taceam, eos in alios nihil potuiſſe, ne dum in Roma. ſedis Epiſcopum, cui ſua Conciliorum decreta obtulerunt toties confirmanda: vt Cyprianus Stephano, Stephanus Carthag. Damaſo, Auguſtinus cum Aurelio Carthaginenſi, ac tota 6. Synodo, Innocentio.

Sed vt hæc fortaſſis, qui ingenio ſunt minùs contentioſo, concedant, ita de illa vniuerſalis Epiſcopi appellatione indubiam ſe ipſi reportare non dubitant victoriã: quòd eam D. Gregorius hac de cauſa eis valdè prædicatus, apertam Antichriſti facere videatur notam.

Vniuerſalis Epiſcopus.

Magna & propemodùm incredibilis eſt opinionis anticipatæ vis, quæ nõ dimidium modò animi atque mentis eripit: ſed meridiana etiam in luce hominem cæcutire facit. Id porrò an inde fiat, quòd cæcis noſtris perlibenter adblãdimus philauti omnes erroribus, néc ne, in præſens nihil attinet diſquirere. Qui enim hunc locum apud D. Gregorium animi cum iudicio legerit, mirum, quî illud incogitanter prætercurrerit, quòd Calchedonenſem ſcribit Synodũ D. Leonem Patriarcham appellaſſe Oecumenicum. Quis hîc adeò ſui ſit oblitus nominis, vt Cõcilium hoc vniuerſale, ſi quod vllum aliâs vnquàm 530. Patribus congregatum, Antichriſti bacchetur fuiſſe conciliabulum? Proinde cùm hîc nulli adulationis ſuſpicioni ſit reliquus locus, ſicuti nec erroris, meritò quis ſibi inquirẽdum putet, quî nam factum ſit, vt iſtud nominis tam Gregorius, quàm D. Pelagius abhorruerint, atque execrati ſint adeò?

Patriarchã vniuerſalem Synodus Calchedonenſis vniuerſalis Leoni Rom. acclamauit.

Nemini ignota eſt illa, quam Ioannes Conſtantinopolitanus ſuæ ſedis excellentia tumidus excitauit, tragœdia, ſibi in omnes Orientales Epiſcopos ad ſui Imperatoris modum ambitioſiſſimè captans dominationem, vnde ſe ſcriptitabat Oecumenicum, atque vniuerſalem Epiſcopum. Hîc verò erat locus, vt honorem ſibi Chriſti prærogatiua tributum defenderent Pontifices Romani, atque fratrum Epiſcoporum Alexandrini & Antiocheni iura priuilegiáque tuerentur inuiolata: quæ ille ſacrilego auſu tentabat temerare. Ille igitur ſe vniuerſalem iactitabat Epiſcopum: quo titulo longè ſanè aliud venabatur, atque ſtudioſorum vulgus ſuſpicatur. Non enim idem eſt Epiſcopus Oecumenicus ſiue vniuerſalis, & Eccleſiæ vniuerſalis Epiſcopus. Illud enim DD. Gregorius & Pelagius nec Ioanni Conſtantinopolitano ſibi id per ambitionem vendicanti cõcedendum, nec ſibi adeò ipſis indulgendum cenſuêre: Hoc verò nõ tantùm priſci illi Romani Epiſcopi, ſancti Martyres, Xyſtus, Victor, Pontianus, atque Stephanus ſuis epiſtolis præfixerũt: ſed ipſe adeò Athanaſius vnà cum Synodo etiam Alexandrina D. Marco Romano attribuerũt. Quare dubium eſſe nequit, aliud Ioannem illum Con-

Aliud Epiſcopus vniuerſalis, aliud Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis. Vide horum epiſt. in Cõcil. To. 1.

ſtantinopolitanũ hoc nominis quaſi prærogatiua quæſiuiſſe: quod intolerabilis atq; ſacrilegæ ſancti illi Patres Gregorius & Pelagius indicarint arrogãtię, ambitionis, & ſuperbiæ prorſus Luciferianæ vereq; Antichriſtianæ.

Quòd igitur Conſtantinopolitanus ſe iactabat Oecumenicum, atque vniuerſalem Epiſcopum, non id ęa fecit animi modeſtia, qua illi ſancti Martyres ſeſe ſcribebant Romæ, vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopos: ſed Cæſaream quandã ex Cæſaris aula ſibi ſubdita atque domeſtica imaginatus prærogatiuam atq; præ aliis in Eccleſia præſtantiam, talem ſibi in Epiſcopos alios vẽdicabat ac vſurpabat poteſtatem, qualem Cæſar in Reges habebat ſibi ſubditos. Horũ autem Regum Cæſari ſubditorũ etſi quædam ſit poteſtas, non tamen regia eſt poteſtas, quæ merum in ſuos habet atque liberrimum imperium. Iſtum in modum Cõſtantinopolitanus ille ſibi quoque arrogabat parem in Epiſcopos dominationem, vt non propriè eſſent Epiſcopi: Sicuti nec Reges Cæſari ſubditi, qui vicarij ſunt veriùs, quàm Domini. Hãc autem in ſententiam illud Oecumenici ſeu vniuerſalis Epiſcopi elogiũ fuiſſe tã à Conſtantinopolitano ambitioſè expetitum, quàm à Romanis, Gregorio & Pelagio abominatum, liquet ex manifeſtis eorum verbis.

Quid Epiſcopus Conſtãtinopolitan⁹ ambierit titulo œcumenici.

Nullus Patriarcharum, ait Pelagius 2. epiſtola ad omnes Epiſcopos, vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur: quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharũ nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc à fidelibus, hoc ſibi velle quemquam arripere, vnde honorem fratrũ ſuorum imminuere ex quantulacunq; parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquàm, etiam ſuis in epiſtolis vniuerſalem nominet: ne ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem infert indebitum.

Hunc igitur honoris titulum cùm Eulalius Alexandrinus D. Gregorio Romano tribuiſſet, grauem ab eo retulit non modò indignationem, ſed obiurgationem etiam. Ecce in præfatione epiſtolæ (inquit ſtomachabũdus lib. 7. epiſtola 30.) quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem Papam me dicens imprimere curaſtis: quod peto mihi

« dulcissima sanctitas vestra vltrà non faciat, quia vobis « subtrahitur, quòd alteri plùs quàm ratio exigit, præbe- « tur. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec « honorem esse deputo, in quo fratres meos honorē suum « perdere cognosco. Et quibusdā interiectis: Si enim vni- « uersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quòd me fatetur vniuersum. Sed absit hoc, recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.

Quo sensu verè dicatur Roma. Pōtifex Oecumenicus.


In quem igitur sensum Pelagius atque Gregorius illum Oecumenici ac vniuersalis Episcopi titulum respuerint, Sole clariùs hinc liqueat. Verùm cùm eadem vox sensum pariat & verum, & ab omni ambitionis, ne dum superbiæ suspicione alienum, vt idem notet, quod Ecclesiæ Oecumenicæ siue vniuersalis Episcopus, prudentium atque moderati ingenij hominum nullus hoc offendi potest nomine, si quis eo vtatur. Nam illi 530. Patres sanctissimi in Calchedonensi Synodo congregati, hanc vocem probè habuêre cognitam & perspectā, dum eo titulo Leonem Romanum Magnum ornare non dubitarent, ei acclamātes, Patriarcha Oecumenicus. Prisci enim Romani Pōtifices sanctissimi Christi IESV Martyres sese citra omnem arrogantiæ, aut ambitionis vel suspicionem vniuersalis Ecclesiæ vel scribebant Episcopos, quod in DD. Sixti, Victoris, Pontiani, & aliorum agnoscere est literis.

Proinde cùm hæc nomina Romano Pontifici antiquitùs tributa singularem loquantur in Ecclesiæ Christi non destructionem, sed ædificationem, eius authoritatem atque potestatem principalē, quæ aliis in vniuersum omnibus Christi nō modò ouiculis, sed seruis præpositis Episcopis præstet, atq; præcellat ipse seruus quoque præpositus, non ei nobis, aut stultè sunt inuidenda, aut temerè neganda, aut sacrilegè denique detrahenda. Cùm enim sit demonstratum, eum esse verum D. Petri in Apostolica illa Cathedra successorem, necessum quoque est, eūdem esse & Christi vicarium, qualem Petrum fuisse nemo Christianus sui memor nominis, inficiare queat: quòd omnis illa prisca Orthodoxorum Episco-

porum Ecclesia ad illum vndique appellando, suarum Synodorum, etiam vniuersalium, vt decreta firmaret rogando, atque ab illo suas in sedes Patriarchales vt restitueret, ac reconciliaret, supplicando contestatur. Ea propter cuique videndum accuratè, quali eum dignetur honore, cultu, reuerentia, quem nobis Deus Optimus voluit sui loco esse & patrem sanctissimum, & pastorem animarum nostrarum sedulum atque vigilantissimum. Quòd si nos verè ipsi filios præstare satageremus, eius videlicet monitis atque præceptis ceu à Christiani vicario profectis obtemperando, daret nobis haud dubium, daret, inquam, Deus Optimus optimos quoque Romanos Pontifices, qui suo & responderent nomini, & officio facerent satis. Verùm hac de re alibi opportuniùs, nos instituti ratio vrget, vt ad reliqua duo Ecclesiæ Catholicæ Christi Sacramenta explicanda transeamus.

Qui fiat, vt optimos habeamus atque sanctissimos Rom. Pontifices.

Caput XCIIII.



QVando quod ad illud pertinet Sacramentum quo Ecclesiæ Christi creantur, & propagantur ministri, sumus executi, ipsa rerum exposcit series, vt illud aggrediamur pertractandum, quo materiam veluti præbente illa Dei domus electa fabricatur, instauratur, sarta tecta conseruatur, adeóque in finem vsque mundi huius in suum interitum ruẽtis perpetuatur.

De Sacramẽto Matrimonij.

Laudatissimum igitur hoc, vt generis humani, ita Ecclesię etiam Christianę seminarium, etsi complures fanatico errore perciti arrodere, improbare, atque damnare non sint veriti: in præsentiarum tamen non vniuersa illorum dogmata persequi est animus, sed ea duntaxat, quæ iampridem Ecclesiæ iudicio suppressa, ista hæreticorum tempestate ex fœtidis priscorum Hæresiarcharũ cloacis Euangelici nostri reuocata, in Dei populũ Euangelij titulo venditare non erubescunt. Omissis igitur Tatianorum, siue Encratitarũ, Manichæorúmq; furoribus, qui Martionis dogma sectantes, nuptias, iuxta Pauli ad Timo. Prophetiam, prohibebant, & velut immundas

Qua methodo Sacramẽtum Matrimonij pertractandum.

atq; ex Diabolo natas dãnabant. Nos eas inter Christianos conciliatas ad veram Sacramenti rationem habere demonstrabimus, prorsusque deinde esse indissolubiles, qualiscunque tandem alter fiat coniugum altero superstite. Hisce namque duobus capitibus vniuersam propè nobis videmur complexos controuersiam, quæ Catholicæ Christi Ecclesiæ fabula plus quàm motoria ab aduersariis agitatur hodie.

Matrimoniũ Christianorũ esse veri nominis Sacramentum.

Legitima viri cum fœmina copulatio, siue ea coniugium appelletur, siue nuptiæ, siue vt vulgatiùs, matrimonium, non hîc nobis consideranda venit, vt vel in Paradiso est instituta, vel apud veterem Dei populum obseruata: sed vt à Christo à Mosaico repudij libello vindicata ab hominibus Christianis contrahitur, atque vsurpatur: quæ cùm sit luculentissimum Christi sua cum spõsa Ecclesia copulati symbolum, fieri nequit, quin continuò & ipsa conficiatur esse Sacramentum: efficit enim ista sacrosancta coniugatio in Christianorum coniugum pectoribus eam ritè atque conuenienter obeuntibus indiuiduam animorum societatem, indiuulsúmque flagrantissimi in mutuum amorem studij nexum: qualia in Christo Domino erga Ecclesiam suam sponsam fuisse ex sacris literis discimus. Proinde Christianorum inter ipsos coniugatio, non tantùm politicam illam habet considerationem, quæ ex Aristotelis œconomico intelligi potest, aut ex ciuili iure, aut denique Mosaicis etiam legibus: sed longè sublimiorem, & prorsus Euangelicam, cælestem, diuinam: qua maritus non iam vxorem habet duntaxat, aut cohabitat sobolis suauissimæ causa, aut conuictus etiam amœnioris gratia, sed vt suæ vxori, quemadmodum Christus Ecclesiæ, illa fiat semel omnia, quæ maritus exemplum Christi imitatus coniugi debet Christianæ: Hoc est, vt eam ad Christi exemplum amet singulariter ac indiuulsè, illiúsque vitam suo vel sanguine, si poscat occasio, tueri non dubitet. Rursum, vt vxor easdem sibi in maritum putet esse partes, quas Ecclesia sponso suo Christo debet atque agnoscit, putà se marito suo ceu capiti totam esse subiectam, haud sanè minus atque Christo Ecclesia: & quemadmodum

Christiani Coniugij encomia vnde petenda.

Partes mariti Christiani quæ.

Vxoris christianæ in maritum partes.

hæc vni Christo singulariter coiuncta, vni suo sponso & concipit, & parit, & educat, quicquid in vitam edendum cõcipit: ita quoq; ipsa suo marito velut domino Christi Dei typo suos fœtus cõcipiat, pariat, ac educare studeat. Hæc cùm matrimonij Christani sint peculiariter propria officia, à D. Paulo accuratè non minus quàm luculenter descripta, nullus ita est suæ infirmitatis, quam caro isthæc Spiritum humi deprimens, omnibus aduehit, oblatus vt illa citra diuinam opem se præstare posse existimet. Quod etsi aduersarij ipsa rei veritate compulsi, nequeant inficiari, Deum enim coniugibus maiorem, quàm aliis contendunt in Reformatione Bonnensi, dare dilectionem & fidelitatem erga homines ad seruiendum, & eis succurrendum secundum verbum Dei: negãt tamen coniugium rectè inter Sacramenta connumerari. Verùm quia commemorata dudũ Christianorum cõiugum officia, vt a Christianis ritè coniungandis præ oculis debent proponi, atque in omni vita velut scopus intendi: ita ab eis nisi gratia diuina non adiutis possunt præstari. Quare diuina gratia ad rem longè quidem pulcherrimam, sed multò etiam difficillimam, coniugibus esse opus, nemo ita est absurdus, qui non videat.

Vt suum coniuges præstẽt quisque officium, opus est cælesti præsidio.

Procis & cõiugatis quid omni in vita spectandum.

Itaq; Deus Optimus cùm suis non possit pius deesse filiis, mirum, quàm debilibus vberrimo suo Christianorum coniugum pectora, imbuit auxilio, vt in officio esse semper queant. Proinde illum in mutuam corporum copulationem consensum, qui & Matrimonium efficit, & est Sacramentum, ita semel diuino constringit animorũ nexu, vt se mutuùm quasi suam quisq; carnem amet, vt alter superstite altero, coniugem alium non desideret quod sanè non naturali, sed cælesti tãtùm efficitur amore. Neuter denique in vniuersis Matrimonij siue actibus siue officiis spectet aliud, quàm Christum Dominum suæ copulatum Ecclesiæ, vtque duo sint ipsi quoque in carne vna, sicuti Christus cum sua sponsa corpus facit vnum. Istud certè magnum est, illud siue mysterium siue Sacramentum (nam vocem Paulinam non arbitramur esse vrgendam, sed comparationem illic Ephesiorum 5. institutam) quod Diuus Paulus ex Adami Prophetia se

Deus quid operetur in coniugum pectoribus per Sacramentũ Matrimonij.

dicere atque interpretari profitetur de Christo & Ecclesia. Quemadmodum enim ille suæ vxori adhæsit indiuisus, sic vt non essent iam duo, sed vna caro: ita Christum significabat suæ copulãdum Ecclesię. Hanc porrò significat, atque illic adumbratam exprimit casta Christianorum coniugum copulatio, quæ tam corporum, quàm animorum coniunctione mutua non modò arctissimam simulque indiuiduam Christi cum Ecclesia piorum oculis spectandam exhibet copulationem: verùmetiam salutarem Sacramenti deriuat originem. Quando enim conceptis illis mutui consensus verbis, quasi Sacramenti formula vterque alteri dicit, Accipio te in meam coniugem. Non hîc, vti apud Iudæos & Paganos naturale significatur Matrimonij officium: sed Euangelicum, sed Christianum, adeò vt maritus non iam, vti apud illos, maritalia spectet iura & imperia, sed ad vnum Christi typum, quem gerit: se idem nimirum suæ vxorculæ futurum, quod Christus est suę sponsæ ardentem zelatorem, strenuum incolumitatis propugnatorem, sedulum adeò vitæ saluatorem. Rursum illa dum respondet, Accipio te in meum, non tam casti intuetur complexum thalami, quàm deditissimam sub marito, sicuti Christi Ecclesia, obediẽtiam, vt hac verborum formula profiteatur, haud aliter se marito in posterum fore subditam, atque Christo capiti sua sponsa, vt in concipiendo, fœtu nutriendo, & educando, haud ita spectet communem ipsorum voluptatem & gratiam, atque Christi Domini, cui vni omnia vtriusque officia ad Ecclesiæ Christi sponsæ typum nunc ancillantur, voluntatem & gloriam. Hunc esse germanum matrimonij inter Christianos conciliati vsum, ex Paulina doctrina est manifestius, quàm vt addubitare quispiam possit: Viri, diligite vxores vestras, inquit Ephe. 5. sicuti & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret. Et paulò pòst: Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Rursum: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Saluator corporis. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris in omnibus. Quia igitur

Casta sanctáque Christianorum copulatio tam corporum quàm animorum.

Quis sensus formulæ coniugalis, Accipio te ĩ meũ.

Christiani coniuges in propaganda sua sobole sponsam Christi Ecclesiam ad commemorata debent intueri officia, vt longè pulcherrima, ita multò maxima, efficitur, Matrimonium inter Christianos contractum proprij nominis esse Sacramentum, quod cælestem adferat gratiam, cuius præsidio subnixi, præscripta queant præstare officia. Enimuerò superant eavt humanam prudentiam, ita naturalem quoque potentiam. Castum verò illorum complexum, thorúmque immaculatum, quem Paulus ad Hebr. pręscribit, sanctúmque vasis sui vsum & incontaminatum, quem Petrus requirit, quónam obsecro pacto præstent in illa membrorum libidine rebelli, & rebellione libidinosa?

Quorsum cõiugatis cælesti opus sit auxilio per Sacramentum impartiẽdũ.

Heb.13.
1.Petr.3.

Huiusmodi rationibus persuasa Christi Ecclesia, Matrimonium inter proprij nominis Sacramenta semper accensuit: quod priùs vetustissimorum Scriptorum quàm doceatur testimoniis, illa aduersariorum, qua velut Achillis Peleade nituntur, confringenda est hasta, quòd Dionysius Areopagita Sacramentorum describens catalogum, inter reliqua huius non meminerit. At quid nos illius vrgent authoritate, quem ipsi contemnunt, atque respuunt? Si eius doctrinam admitterent, esset tolerabile, quòd hac parte nos conarentur vincere, qui tot aliis dogmatum capitibus à nobis ex illo confirmatis superantur. Præclaram sapientiam, quæ in alios callidè molitur torquere, quod impiè ipsa reiicit. Verùm ne quid ex eius silentio sibi blandiantur, meminerint, Dionysium Ecclesiasticam describere Hierarchiam, id est, sacrum Ecclesiasticorum regnum: aut si malint, Ecclesiasticam Clericorum rem publicam, in qua couiugati nec locum habent, nec ordinem: sed plebis nomine comprehensi extra Hierarchiam erant collocati. Vnde necessarium minimè fuit, eius meminisse Sacramenti, quod citra Sacerdotum operam plerúnque semper & conciliatur & transigitur. Siquidem benedictio Sacerdotalis, quæ coniugibus quibusdam adhibetur, contrà quibusdam iusta ex causa non adhibetur, ad Sacramentum attinet nihil, de qua fusiùs disserendi non hîc locus est opportunus.

Cur Dion. Areopag. huius non meminerit Sacramenti.

Cæterùm illam Christianorum coniugationem, quâ sibi mutuùm coniugali copulantur affectu, verbis eum exprimentibus, veri esse nominis Sacramentum, quod ad cōmemorata illa Christiani matrimonij officia præstanda diuinam adfert gratiam, quis moderati ingenij homo aliam porrò desideret confirmationem aut robustiorem, aut etiam manifestiorem, quàm quæ ex liquidissima Conciliorum Florentini, Tridentini, atque Constantiēsis definitione petatur? Quorum authoritate qui non mouetur, écqua tandem moueatur ratione ad veritatem liquidò agnoscendam in Ecclesia, quæ Paulo teste, columna est atque firmamentum veritatis, non video. Iam argumentis, quibus aduersarij hanc labefactare conantur doctrinam, vt Iudaïcam Christianos doceant perfidiam, abundè responsum arbitror à Catholicis nostræ ætatis Scriptoribus.

Matrimoniū esse Sacramentum ex Conciliorum vniuersaliū definitione.

1. Timot. 3.

Caput XCV.



CVm itaque castissima illa Christianorū coniugum inter ipsos coniugatio semper in Ecclesia Sacramentum sit habita, eam rectè apud Catholicos omninò indiuulsam, & indissolubilem prædicari tempus est vt demonstremus. Duobus verò ex fontibus præsentis nodi dissolutio hauriri solet, cùm ex matrimonij in paradiso institutione, tum ex Sacramentali eius significatione: nos priorem illum iustis de causis in præsentia prætergressi, alterum petamus, vt inde haustam Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ veritatem Christiano lectori propinemus. Nō enim nunc de matrimonij natura in vniuersum disputatio est suscepta, sed de eo duntaxat, quod inter Christianos contractum est, atque vt scholæ loquuntur, consummatum. Non enim cæterarum personarum coniunctio, siue in Paganismo, siue in Iudaïsmo eam habet mysticam Christi cum sua Ecclesia indiuulsè copulati significationem, quam Christianorum inter ipsos coniugatio spectandam oculis exhibet Christianis. Etenim coniugium Christianum ipsa coniugum inter se copulatione indiuulsam Christi cum sua sponsa Ecclesia coniunctio-

Coniugium apud Christianos omninò indiuiduum atque indissolubile.

Vide Augustin. de bono coniug. capi. 7. & seq.

nem exprimit:ita nimirum esse illum suæ Ecclesiæ arctissimo dilectionis ardentiss. nodo astrictum, vt eam nunquàm nulla ex causa possit dimittere atque deserere. Quod D. Paulus verbis ad Ephesios docet clarioribus, quàm vt explicatu vllo habeat opus: Viri, diligite vxores vestras, ait Eph. 5. sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eā sanctificaret. Rursum verbis Adæ Prophetæ ostendens quantum dilectionis singularis vxori suæ debeat Christianus maritus, suam adiecit interpretationem: Ego, ait, dico in Christo & Ecclesia. Quare hanc indiuiduam Christi cum Ecclesia cōiugationem cùm matrimonium inter Christianos conciliatum clarissimè repræsentet, non potest non esse indiuiduum, prorsúsque indiuulsum, qualiscumque tādem ipsorum alter efficiatur, siue adulter, leprosus, aut aleator, siue hæreticus, Zodomita, cinædus, aut ganeator. Etsi enim istis similibúsue de causis quoddam diuortij genus, quod thori duntaxat atque cohabitationis habet separationem, interdum contingat, nunquàm tamen Iudaïcum illud diuortium, quod priore coniuge veluti à iugo absoluto alteri alteram ducendi adfert facultatem, in Christiana Ecclesia fuit aut passim vsitatum, aut vulgo approbatum, nedum licitum atque legitimum. Sicuti enim prius illud diuortij genus Diuus Paulus aliquando demonstrat legitimè adhibendum: ita alterum nulla vnquàm ex causa. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, inquit 1. Corinth. 7. præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non recedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Quæ Pauli verba præterquàm quòd clarissimā habeant præsentis nodi, qui in quæstione de matrimonij indissolubilitate hodie ab aduersariis quæritur, dissolutionem, indubitatam quoq; verborum Christi, quibus Matthæus illum huius coniugij indissolubilitatem Pharisæis ex Dei institutione demonstrasse capite decimonono testatur, continent definitionem: coniugatis, inquiens, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Rursum: Vir vxorem non dimittat. Quibus verbis qui aliquid desiderat aut manifestius, aut

Diuortium quale Christianis legitimū atque licitum.

Matth. 19.

clarius, luce etiam meridiana per me licet aliquid sibi quærat manifestius. Proinde quas ex Matthæi loco aduersarij ad veritatis lucem obfuscãdam conantur offundere quæstionum quasi nebulas, quis non videat, eos clarissima in luce meridiana palpitare?

Matth.19. Obiectioni Euangelicorũ ante ann. 1200. respõsum ab Aug. Marc.10. Luca 10.

Quod igitur de illo apud Matthæum, Excepta fornicationis causa, pugnacissimè contendunt, mirũ est ipsos sui consilij pœnitentia nõ capi, cùm istum errorem iam pridem ante annos mille ampliùs ducentos videant non tantùm à Diuo Augustino lib. prim. de adult. coniugis capite nono ad Pollentium hac de quæstione scripti, esse solidissimis rationibus liquidissimè refutatũ, quod maius adulterij genus hîc voluerit damnare, non generaliter omne, vti apud Marcum & Lucam disertissimè sed etiam grauissimè damnatum in vniuersali Africano Concilio Mileuitano, ab Apostolica sede confirmato.

Nulla de causa licere aut licuisse adeò, alteram ducere, priore etiã adultera superstite.

Placuit, ait Canon decimusseptimus, vt secundum Euangelium & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniugatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiã redigantur. Similiter in Concilio vniuersali Florentino definitum legimus: Quamuis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonium legitimè cõtractum perpetuum sit.

Cap.69. Caue Eras. Annotat. Caietani & Catharini. Originem damnare Episcopos, qui Iudaicum Christianis permittebant diuortiũ. Rom.7.

Porrò hæc tantorum Conciliorum decreta ex publicis Ecclesiarum priscarum moribus fuisse, non ex vnius Augustini doctrina (quod quidam suspicantur imperitissimè) orta, vnus satis declarat Origenes, qui hanc in Christi sententiam scribens (tametsi nonnulli aliò detorquere imperitè admodùm conentur) testatur Homil. 7. in Matthæum, quosdam Episcopos coniugatis contra scripturas noua permisisse matrimonia, vt acerbiora mala permissu tollerent leuiorum: Scio, inquit, quosdam qui præsunt Ecclesiæ extra Scripturam permisisse aliquam nubere viuente viro, & contra Scripturam quidem fecerant, Mulier ligata est, quanto tempore viuit vir eius. Item, Viuente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Qua enim ratione adultera est

mulier, quàmuis legitimè nubere videatur viro viuente, » eadem ratione & vir, quàmuis legitimè accipere videatur dimiſſam ab aliquo viro, non accipit legitimè ſecundum ſententiam Chriſti: ſed magis mœchatur, quaſi alienam accipiens. In eandem ſententiam & Diuus Hieronymus ſcribit, Fabiolam matronam Roman. nobiliſſimam legitimè quidem, vti apparebat, ſecundum Cæſarum & Papiniani leges maritum adulterum dimiſiſſe, & alteri nupſiſſe: ſed ignorantem, inquit, Euangelij vigorem contra Chriſti & Pauli Apoſtoli leges feciſſe, cùm facinoris errorem publica Romæ deleuerit pœnitentia. Vide Epitaphium Fabiolæ, vnde mox hæc verba recitabimus fuſiùs.

Ad Oceanũ in Epitaphio Fabiolæ.

D. quoque Ambroſius ſcriptis ſuis elaboratioribus in eandem deſcendit ſententiam, in illud Lucæ, Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam & alteram duxerit, mœchatur: Audi, inquit, legem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt. Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet: non ſolùm hîc cæleſte præceptum, ſed quoddam etiam opus Dei ſoluitur: Pateris ne, oro, liberos tuos viuente te eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre eſſe ſub nouerca? Pone, ſi nubat, neceſſitas illius tuum crimen eſt, & coniugium tuũ, quod putas, adulterium eſt. Dimittis ergo vxorem quaſi iure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? ſed prohibet diuina. Similiter Pauli locum ad Rom. explanans. Hæc lex, inquit, de Euangelio eſt, non ex Moyſe, neque ex iuſtitia terrena. Rurſus lib. 1. de Abraham cap. 4. Nemo ſibi blãdiatur, inquit, de legibus hominum: Omne ſtuprum, adulterium: nec viro licet, quod vxori non licet. Cæterùm quod huic in ſpeciem cõtrarium habet Comment. ad Corinth. de ciuili lege commodiſſimè intelligatur, quæ viris priuilegij aliquid videtur indulſiſſe. Nam hîc erraſſe Ambroſium non mihi perſuaſerim, qui hunc errorem loco paululùm ſuperiore ad Roman. diſerte damnauit. Quod alij corruptelæ ſuſpicionem iniiciunt, non magni eſt ponderis.

Lucæ 16.

Rom. 7.

Ius idem vxori in adulterum, quod marito in adulteram.

Cùm igitur Chriſtianorum Matrimonium omninò ſit indiuiduum & indiuulſum, nõ poteſt vlli mortalium

Quòd ob adulterium

vxoris non licet marito innocenti alteram ducere.

esse ignotum, quàm sit cæcus ille aut Anabaptistarum, aut Dauidianorum error, coniugem discedere debere, alteríque nubere, si cõiunx ab ipsorum abhorreat secta. Iam quid de Lutheranis dicam, qui coniugi innocenti, adulteriis non contaminato, aut fama alioqui integra, nubendi alteri faciunt potestatem? quòd videlicet in hoc diuortio, quod adulterij causa sit, non teneatur matrimonij vinculo ligatus. Atqui mulier alligata est, inquit

Rom. 7.

Paulus, viro, quàmdiu vir eius viuit: vbi autem mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Quod si verum est, quónam pacto persona innocens in diuortio ob adulterium adhibito soluta est à lege coniugis superstitis? Rursum si innocens persona matrimonij vinculo est absoluta, ipse quoque adulter alteram ducẽdi habet potestatem, quippe à matrimonij etiam vinculo liberatus, quod alter cõiunx, vti asserunt, non sit illi vlteriùs vllo coniugij vinculo annexus. Quod tametsi contra omne sanæ mentis iudicium improbè negent, cùm ex causæ æqualitate necessariò conficiatur, improbissimum certè est, quod duobus illis de Fabiola Roma. apud D. Hieronymum, & de illa Christiana apud Eusebium ex D. Iustino exemplis freti, Origenísque authoritate abusi, aduersus Catholicam hanc niti non vereantur doctrinam: quæ vbi perspicua verborum luce ex suis fontibus, vnde adferuntur, nonnihil fuerint illustrata, vt aduersariorum indubiam demonstrabunt vanitatem, & illiberale imperitos fallendi studium: ita doctrinam apud Catholicos de matrimonij indissolubilitate obtinẽtem declarabunt pleniùs simul & manifestiùs.

Philippus igitur in locis suis communibus anno 52. æditis, cupiens diuortium à Canonibus pręscriptũ euertere, quia voce solùm, ait, non re ipsa sit diuortium, quòd scilicet non permittant, vt persona innocens aliud coniugium contrahat, & aliud inducere planè Iudaïcum, omnibúsque omninò Christianis semper ignotum, hanc fuisse in Ecclesia veteri consuetudinem, ait, annotatũ est in Matth. ab Origene. Hîc verè sese prodit Melãchthonis spiritus, quòd de terra terrenus terrena quoque, & mendacij puluere aspersa loquatur. Demirari enim satis

Origenes Philippum mendacij cõ-

nequeo,

nequeo, vtrum hic tantus sophus maioríne imperitia, an mentiendi, fallendíque libidine peccet plurimum. Sed hanc rem æquo rerum arbitro ex ipsis clariss. Origenis verbis diiudicandam relinquo. Locum illum Matth. 18. de libello repudij Iudaïco pertractans, cùm dixisset, in nouo quoque Testamento quædam esse non secundum veram iustitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta, quod exemplo coniugij, & imprimis digamiæ cùm demonstrasset subtexuit: Scio enim quosdam, inquit, qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore viuente: & contra scripturam quidem fecerunt, dicentem. Mulier ligata est quantò tempore viuit vir eius. Item: Viuente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omninò sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, peiorum comparatione, quæ mala sunt permiserunt, aduersus ea quæ ab initio fuerãt scripta: Dico autem vobis quoniam quicunque dimiserit vxorem suã nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Videat hîc, Lector cãdidus, quàm candidè Melanchthon rem agat Euangelicam. Item ad Eusebio ait Philippus Melanchthon eodem loco, qui recitat historiam ex Iustino Martyre, qui scribit, mulierem piã fecisse diuortium cum marito polluto flagitiosis libidinibus, & publicè accepisse libellum repudij, vt vocabant, id est, tabulas testificantes de diuortio. Mirari equidem satis nequeo, in ipso controuersiæ statu constituendo ita sui esse oblitum, vt exemplum quod οὐδὲν πρὸς ἔπος faciat, nihílque huc pertineat, adferre non dubitarit. Ad hæc vt demus ad rem præsentem pertinere, minimè profectò efficit quod ille conatur. Isthæc grandia igitur duo peccata Philippum in vno illo exemplo ex Eusebio recitato nũc ostendamus oportet. In controuersia positũ est, án Christianorum coniugia tale admittant diuortium, quo alterutri fas sit coniuge superstite alteram ducere? Philippus quæstionis huius affirmationem exemplo dudum allato ait statutam atque corroboratam. Atqui Philippe; istud non fuit inter Christianos matrimonium. Disertè

Vincit assentiens Episcopos cõtra scripturam fecisse qui adulteris noua permisere matrimonia.

Vno in exemplo recitando bis grauissimè peccat Philip. Melanch.

Maritus iste suã accusarat vxorem capitis de Christianismo.

namque Diuus Iustinus Apologia 2. & ex eo Eusebius, narrat, hanc Christianam à suo dudum Marito apud Vrbitium Romanum præfectum fuisse capitis accusatam de Christi religione. Imò fuisse illum ab vxore ad Christum cõuersa admonitum sæpenumerò, vt suo prouocatus exemplo, à nephariis flagitiosisque libidinibus sibi temperaret: pœnam proponens, quæ in æterno igne maneret eos, qui non pudicè, nec ex ratione recta degerent. Quibus ille contemptis Alexandriam profectus, grauiora & indigniora scelera admittere renunciatur: itaque illa ne flagitiorum fieret socia, si in coniugio maneret, victúque communi vteretur, & in eodem lecto cubaret, dato repudij libello, qui apud nos dicitur, inquit, Iustinus, separata fuit. Viden' Philippe, quàm prorsus isthæc quæ adfers ὐδὲν πρὸς διόνυσον? quæstio in medium proposita de indiuiduo Christianorum inter ipsos coniugio agit: Tu alium fingens controuersiæ statum, adfers exemplum quod hac cum quæstione nihil prorsus habet commune. Non enim ille nomen Christo dederat. Quid igitur eius factum ad præsentem attinet quæstionem constituendam? Num quid exemplo altiùs petito fuerat confirmandum, quod Diuus Paulus apertis adeò verbis constituerat: Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: quòd si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi. Sed agè, demus Philippo, impurissimum illum Christianæ huius matronæ maritum fuisse quoque Christianum, iam quidem in exemplo proposito diuortium agnosco Canonicum, quod à conuictu atque mutuo separat coniuges complexu: sed vbínam obsecro istud nouum elucet diuortium, quod re, non tantùm nomine, appellas diuortium? De iterato enim vel mariti illius, vel vxoris coniugio ne gry quidem apud Eusebium, aut D. Iustinũ. Hoc, hoc Philippe tibi fuerat demonstrandum, vt fictitium istud diuortium non tantùm nomine, vt dicis, sed etiam re, ac iterandi coniugium libertate constans imperitis Lectoribus dares confirmatum, atque exemplo veritate nixo contestatum. Sed nunc ad tertiũ veniamus

1. Cor. 7.

Exemplũ à Phil. Melãc. allatum non conuincit quod conatur ostẽdere: imò nihil ad rem.

exemplum, quod ex D.Hieronymo petitum, ad constituendam istam nouam Iudaïci repudij speciem vehementer facere suspicabaris. Et Hieronymus, ais, recitat Fabiolæ nobilis Matronæ Romanæ historiam, quæ propter mariti scelera fecit diuortium, & nupsit alteri. Næ tu alios fraudulenter vis fallere, aut ipse miserabiliter falleris. Quàm autem illud homine disciplinis liberalibus erudito, nedum Euangelico, aut hoc tanto Theologiæ magistro tot iam annos Euangelium profitente sit dignum, censura esto penes Lectorem candidum, qui vel Hieronymi locum primoribus, quod dicitur, labris degustarit. Eum igitur nos bona cum fide adferemus, quem Philippus aut per imperitiam, aut si illud tanto videatur Euangelij professore indignum, per fraudem Euangelico viro longè indigniorem, modis adeò indignis protulit mutilatum.

Responsio ad 3. exemplum Fabiolæ Ro. Philip. Mel. hic suã prodit turpiss. aut fraudẽ, aut imperitiam.

Fabiolam Christiano nuptam propter nepharia eius flagitia vitæque impuritatem alteri nupsisse priore marito superstite, apud omnes in confesso est. Sed an istud » Ecclesiarum fecerit consuetudine, aut Euangelij lege, » publica eius pœnitentia huius facti nomine in Laterano » suscepta, statim pronunciabit. Igitur & Fabiola, inquit Hieronymus in eius Epitaphio, quia persuaserat sibi & putabat à se virum iure dimissum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa causatio viuentibus viris, fœminis amputatur: dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in oblitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cu- » ius pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, vt » post mortem secundi viri in semet reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso, agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus: sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus, sordida » colla submitteret? Audin' Philippe Fabiolã diuortiũ sibi

Vera Fabiolæ Ro. histor. Philip. Mel. mendaciĩ cõuincit impudentiss.

Quàm seuera pœnitẽtia olim punitũ adulterium, quod hodie Pseudoapost. docent Euãgelicum.


licitum iure Cæsarum, & lege Papiniani existimasse, sed Euangelij vigorem ignorasse? Diuortium quidem non solo nomine, sed etiam re, quod & vos prædicatis fecisse: sed publicam huius culpæ, ac erroris pœnitentiam egisse: sed commissum in Christi legem flagitium lachrymis purgasse? sed sacco asperioris Pœnitentiæ symbolo extersisse ac ieiunio deleuisse?

Hoc igitur Fabiolæ exemplum D. Hieronymi verbis rememoratum adeò non facit pro stabilienda aduersariorum doctrina, vt eam prorsus labefactet, ac funditùs euertat. Eat nunc igitur Philippus & sibi egregium noui huius diuortij non Catholicis vnquàm, sed Iudæis tantùm probati, sibi suísque Ecclesiis gratuletur. Hęc exempla, inquit, meminisse vtile est ad cõfirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesiis. Quod quàm sit dictum vanissimè, atque à veritate absit longissimè, nemo ita est absurdus, qui non videat, nisi cui oculi blando adulteriorum glaucomate suffusi, ad clarissimum Euangelicæ veritatis solem aut lippiunt, aut conniuent. Cùm igitur tria hæc diuortiorũ exempla Catholicam de indissolubili Christianorum matrimonio corroborent doctrinam, nunquàm scilicet licuisse coniungi, altero superstite, ducere aliam, certè profuerit assiduè illa meminisse ad subuertendum atque profligandum in aduersariorum Ecclesiis morem, eósque, qui Euangelicorum fraudibus decepti, cum Fabiola Euangelij vigorem ignorantes, per impura volutantur adulteria, vt ad publicam cum Fabiola inuitentur pœnitentiam, qua in Ecclesia Catholica peracta, Deum sibi concilient, errorísque ac culpæ lachrymis, sacco, & ieiuniis veniam studeant, dum per Dei Optim. licet misericordiam consequi, veniam atque condonationem impetrare.

Exempla 3. allata demõstrant quàm impiè contra Euangelium seducant plebeculã Euangelici, cùm ex vero adulterio legitimum fingãt coniugium.

Caput XCVI.

De Sacramento extrema Vnctionis.


Ostremum Sacramentorum, quod ab extrema Vnctione sibi nomen apud Catholicos inuenit, meritò locum item supremum sibi postulat: quod quàm fieri potest admodum paucis perstringemus, initiò demonstrantes, rectè in

Sacramentorum catalogo annumerari, tum oleo eam in rem consecrato ritè administrari. Posteà quàm Diuus Iacobus Apostolus huius infirmorum Vnctionis non minus perspicuè, quàm disertè meminerit: Infirmatur quis in vobis, inquiens, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum in nomine Domini. Hanc in sententiam antiquissimis scriptoribus, tam Latinis, quàm Græcis, Augustino, Innocentio primo, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis, quos posteà recitabimus, concorditer de Sacramento clarissimè illud Apostoli capitulum interpretantibus, miretur meritò Lector prudens, aduersarios hac de re nouam Catholicis mouere contentionem. Sed quia tenues quasdam sibi videntur eruisse suspiciunculas, suæ credentes præsumptioni, nouam malunt pro nouo noui sui Euangelij Spiritu inuehere in hominum animis doctrinam, quam veteri in Catholica Ecclesia obtinenti subscribere. Verùm quò omnis cauillandi eripiatur occasio, agè ostendamus, hunc Diui Iacobi locum ante annos mille ducentos concorditer, tam per Orientem, quàm per Occidentem fuisse acceptum de sacrosancto hoc extremæ Vnctionis Sacramento.

Extremam Vnctionem veri nominis » esse sacra- » mentũ ex » D. Iac. te- » stimonio. Iacob. 5.

Locum D. Iacobi concorditer semper fuisse de Sacramento intellectum.

Aureum illud orationis flumen fundens D. Chrysostomus, sacerdotis Christiani prærogatiuas recensens, hunc Diui Iacobi Apostoli locum ad illud Extremæ vnctionis Sacramentum pertinere interpretatur. Beneficia enim commemorans, quæ populus Christianus à Sacerdotibus maiora, quàm suis à parentibus Dei munere cõsequitur, inter alia ita disserit.

Chrysost.

Parentes nos in præsentem, inquit, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare: οὗτοι δὲ κάμνουσαν καὶ ἀπόλλυσθαι μέλλουσαν τὴν ψυχὴν πολλάκις ἔσωσαν, τοῖς μὲν πρᾳοτέραν τὴν κόλασιν ἐργασάμενοι, τοὺς δὲ οὐδὲ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἀφέντες ἐμπεσεῖν, οὐ τῷ διδάσκειν μόνον καὶ νουθετεῖν; ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν. οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον: ἀλλὰ καὶ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσι ἐξουσίαν ἁμαρτήματα. ἀσθενεῖ γάρ τις φησιν, ἐν ὑμῖν προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας.

quod est. Hi verò laborantem, atque interituram animam sæpenumero saluti restituerint, dum aliis quidem benigniora indulgent supplicia, alios verò à percepto penitùs beneficio dum excidere non sinunt, ídque non docendo atque monendo tantùm, sed & suo precationum præsidio. Neque verò dum nos Deo regenerant solùm, sed & posteà condonandorum peccatorum habent potestatem. Infirmatur quis in vobis, ait ille, aduocet Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, erigétque eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei.

D. August. " D. Augustinus moribundos consolaturus, dum hortatur non prætermittendum illud D. Iacobi pręceptum: Infirmatur quis in vobis, & quæ seq. Hîc ergo roges de te inquit, & per te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, & per Apostolum suum Dominus. Hinc liquet, & D. Augustin. in eandem illud Iacobi intellexisse sententiam, *D. Innocentius primus.* quam D. Innocentius clariùs expressit. Hoc enim Iacobi capitulum de extremo illo sacræ Vnctionis Sacraméto esse accipiendum, disertè respondit Decentio Eugub. hac de re illum consulenti: Non dubium est, inquit, sententiam hanc Iacobi de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere. Rursus quibusdam interpositis: Pœnitentibus istud Chrisma fundi non potest, quia genus est Sacramenti: quod de publicè pœnitentibus accipias, qui Sacramentorum ferè omni communione abstinebantur ex illius ætatis disciplina Ecclesiastica. Hanc in sententiam hoc D. Iacobi Apostoli capitulum in Diui Bernardi vsq; tempora fuisse apud Catholicos acceptū, disertè lib. de vita D. Malachiæ attestatur.

Quorum testimoniis Solis luce clarioribus si quis ad veritatem non persuadeatur, nescio an remedium aliud cæco eius errori sanādo adhibeatur præsentius, quàm liquidissima vniuersæ semel Ecclesiæ consensio atq; definitio, à Græcis pariter & Latinis in vniuersali, si quod aliud, *Ex Concil. Florētino.* Cōcilio Florentino ante an. 140. editum. Quintum Sacramentū est extrema vnctio, quod nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari nō debet: cuius effectus est mētis

ſanatio, & quãtum expedit, etiã corporis. De hoc Sacramento inquit B. Iacobus: Infirmatur quis in vobis, &c.

Diui Iacobi verba ſignificant hũc ritũ ſua ætate vſitatũ, nec ab ipſo inſtitutum.

Proinde cùm illum Diui Iacobi locum dudum commemoratum mecum reputo, multò antiquiorem huius Sacramenti vſum mihi videre videor, ac quidam huius ætatis, & ſuperiorum etiam ſcriptores annotarunt, Dominum videlicet hoc Sacramentum per Apoſtolum Iacobum reuelare, commonſtrare atque promulgare fuiſſe dignatum: ſiquidem eius verba etiam atque etiam cõtento animi iudicio librata atque expenſa, vſitatum potiùs quendam Vnctionis ſonant modum, quàm nouam Sacramenti reuelationem, aut promulgationem. Iſtud enim ſi voluiſſet Apoſtolus, pluribus haud dubium verbis, quæ & Sacramenti formam, & adminiſtrandi modum explicarent, fuiſſet vſus. Ad hæc conſiderata temporis, quo hanc ſcripſit epiſtolam, ratio minimè friuolam ſuppeditare videtur cauſam, cur quis meritò ſuſpicetur, iam pridem anteà Sacramenti huius vſum Chriſtianis fuiſſe cognitum. Epiſtolæ namque huius qualitate non eſt obſcurum animaduertere, vix eam intra annum vigeſimum à Chriſti morte ſcriptam fuiſſe. Siquidem non Iudæis in vniuerſum omnibus, ſed iis modò ſcripſit cõſolandi, imò confirmandi cauſa, qui in diſperſione agebant: hoc eſt, qui extra Iudæam inter Ethnicos toto orbe diſperſos, vt patet Ioannis 11. & 1. Petr. 1. vitam traducebant. Ab his igitur Paganis, ſicuti & Iudæis, quia fidei Chriſtianæ nomine grauiter ſimul & immaniter vexabantur, eos ſibi putabat ſanctus Apoſtolus hac exhortatoria conſolandos atque etiam muniendos. Quare & epiſtolam Pauli ad Hebræos cùm ab hoc argumento non abludat, vt iiſdem ſcriptam eſſe inter omnes conſtat: ita ſimili & cauſa & temporum occaſione cum illa fuiſſe ſcriptã ſi quis aſſerat, noſtra profectò opinione haud longè à vero aberraſſe videatur. Denique cùm nemo adeò ſit abſurdus, qui hiſce Apoſtoli verbis fretus, aut mœſtis orandi ſolatium eſſe præſcriptum, aut lætioribus, quibus fortuna blandis arridet ocellis, pſallendi atque gratias agendi pharmacum contendat eſſe primò monſtratũ, minus certè conuenienter

Diui Iacobi epiſt. quando & qua occaſione ſcripta.

eodẽ ex loco extremæ vnctionis huius eruatur exordiũ.

Proinde Iudæorum potiùs castigare videtur Iacobus ignauiam, eósque ad saluberrimum notissimarum rerũ vsum reuocare, quàm noui quippiam pręscribere, aut in Ecclesię vsum inuehere. Quod ad veritatem videbit esse propensius, quisquis Iudæorum Christum in propria venientem suscipientem mores, in Paulina ad Hebræos epistola graphicè depictos studuerit cognoscere.

Vide supr. li. 4. cap. 29. Verùm cui ea, quæ superiùs de sacro Chrismate ex probatissimis simul & antiquissimis Scriptoribus dudũ adduximus, fuerint cãdido cum iudicio lecta atque perpensa, non poterit de sacro vnctionis oleo cõtentiosiùs opinor Catholicis obsistere. Piget nos sanè nugarum Caluini, quibus eum non pudet perspicuè adeò veritati obstrepere: at quibus quæso permotus conclusiunculis? quàm friuolis captiunculis? Eiusdem rationis est, inquit, ista vnctio, cuius manuum impositionem suprà demonstrauimus: nempe histrionica hypocrisis, qua citra rationem, & sine fructu Apostolos referre volunt. Sanè eiusdem rationis ista est vnctio, cuius illa in Confirmatione cum Chrismatis illitione manuum impositio: quam suo superiùs loco tuis, quas dicis, demonstrationibus liquidò euersis, ex certissimis cùm Scripturarum locis, tum Augustini, Cypriani, Ambrosij, Michaëlis Singeli, aliorúmque testimoniis approbauimus, veram habere Sacramenti rationẽ etiamnùm, quando illam visibilis non comitatur Spiritus sancti illapsus, sicuti nec Augustini tempore. Sic etenim & de hac infirmorum vnctione statuendum, esse & ipsam propriè ac verè Sacramentum, quod ex Augustino, Chrysostomo, aliísque probatissimis iuxtè ac vetustissimis approbauimus Scriptoribus, etiamsi illam corporis sanitatem semper nõ haberet sociam. Quòd igitur histrionicam appellas hypocrisim, vt te dignum est, facis, qui præclaris illis doctrinæ Christianæ testibus, Augustino suprà abs te singulariter à testimonij fide commendato, aliísque dudum commemoratis fidem derogans, tibi censendi arrogas authoritatẽ.

Non nescimus quibusdam cæremoniis à Christo atque Apostolis certa ex œconomia vsurpatis altius non

ſubeſſe myſterium, quod fundamenti loco ad imperitorum fraudem iacere conaris: ſed nullis ſubfuiſſe haud quaquàm cõcedimus. Hoc quia de manuum impoſitione Baptizatis adhibita, dudum eſt Solis luce clariùs manifeſtatum, hîc non duximus eſſe ad tui confutationem repetendum. Siue igitur illa apud Diuum Marcum infirmorum vnctio ad hoc pertinet Sacramentum, vt magni aliquot Scriptores exiſtimauêre, ſiue non attinet, quod equidem à veritate non abhorrere arbitror, cùm ex temporis circumſtantia, quòd ad conciliandam nouæ Chriſti doctrinæ apud populum gratiam illic videatur adhibita: tum quòd Diuus Iacobus orationis fidei ſalutaris meminit, cuius apud Marcum nulla eſt ſignificatio, ſed vnctionis meræ: ſiue, inquam, eò pertineat, quæ apud Marcum eſt vnctio, ſiue non, nihil valet ad hanc infirmorum vnctionem, quæ apud D. Iacobum eſt ex veterum interpretum ſententiis ſtabilita, euertendam. Cuius locum quàm inualido ariete à vera Sacramenti ſtatione conaris deturbare, atque ad vnam illam ſanitatum virtutem detorquere, operæpretium eſt, vt demonſtretur. Iacobus omnes infirmos vult inungi: Iſti nõ infirmos, ſed ſemimortua cadauera ſua pinguedine inficiunt, cum iamiam anima in primoribus labris laborat, vel vt ipſi loquuntur, in extremis. Iſtud tibi Caluine ex vna Iacobi vocula, Infirmatur, probanti nõ crediderim, nedum affirmanti, quod confirmatum oportuit. Non enim Diui Iacobi verba patiuntur, vt omnibus infirmis, quibus vel caput æſtu dolet, vel ſtomachus inappetentia lãguet, vel corpus cruciatu aliquo, vel colico, vel hypochondrico torquetur, adducantur Eccleſiæ Preſbyteri: cùm ipſi alioqui infirmi plurimi illos accedere ſanitatis recuperãdę cauſa poſſent: ſed de iis, qui graui morbo afflicti domi decumbentes, non ſibi ſperabant ad Eccleſiam acceſſum. De huiuſmodi enim ęgrotantium genere Diuum Iacobum fuiſſe locutum, ipſæ voces clariùs pronunciant, quàm vt fuſiorem deſiderent explanationem. Oratio fidei ſaluabit infirmum, *τὸν κάμνοντα*, morbo laborantem, vt nõ dicam Græcis eam vocem ad moribundorum labores pertinere: vnde & *τὸ καμνόντεσ* eis

Marc. 6.

Locus Iacobi à Caluini oppugnatione defenſus.

mortuos ſonat, vti apud Homerum Odyſſ. λ.

βροτῶν εἴδωλα καμόντων, quod eſt, mortuorũ ſpectra. Iam illud, Alleuiabit eum Dominus, ſiue ἐγερεῖ αὐτὸν, Infirmum illum Dominus eriget, atque morbo proſtratũ excitabit, eodem facit. Quòd autẽ ſemimortua cadauera iſta ſua pinguedine ais inficere, verbis iſta perfidia dignis extuliſti, vt nõ dicam, euomuiſti. Iam quis neſciat, quàm ſit vanum, non niſi ſemimortua cadauera, quæ dicis iſto oleo inungi? Quaſi verò nõ vniuerſi rectè inſtituti tempeſtiuè hoc remedij ſalutaris accerſant? Quòd ſi interdum adhibetur, quàm par foret, ſeriùs, aut ægrotãtium incuria, aut ſubito morborũ paroxiſmo, quis obſecro hîc Eccleſiæ miniſtros meritò culpet? niſi momus quiſpiam moroſiſſimus, iuxtà ac impudentiſſimus.

Illud porrò quod affingis, Quòd nunquàm in tempore medentur, vtrùm improbæ plus habet calumniæ, an vanitatis potiùs, quis non videat? Preſbyteros dein Eccleſiæ non ſacerdotes, ſed ſeniores vis accipiendos, ſed argumento quàm prorſus nullo? Quaſi verò Eccleſiæ eo tempore, inquis, Sacrificorum examinibus abundarint, vt in longa pompa procedere potuerint, ad ferẽdum ſacri olei ferculum. At ſtultiſſimum eſt Caluine, numeroſa hîc requirere Sacerdotum examina, vbi duo aut ſummum tres ſufficiant. Imò vnus abundè ſit ſatis, ſi locus ita poſtulat. Nulli enim hæc ſcripturarum Enallage eſt incognita. Non igitur hîc Eccleſiæ ſeniores, quos ſomnias, vult Iacobus aduocandos: cur enim potiùs ſeniores, quàm iuniores, cùm illi his non ſint magis illa ſanandi virtute præditi? ſed Eccleſiaſticos Preſbyteros, id eſt, Sacerdotes, quibus ex officio pro afflictis, & omni denique Chriſtiano grege incumbit orandi neceſſitas. Hos igitur Catholici Auguſtinum, Chryſoſtomum, alióſque ſecuti magiſtros, intelligimus Preſbyteros. Tu verò nihil pro tua ſuſpicione adfers argumenti, niſi illud Pytagoricum αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit. Sed quod ex voce Iacobi fortaſſe conaberis ſtatuere, quis non videt, quàm ſit futile, quum Preſbyteri nomen multò frequentiùs in Apoſtolorum ſcriptis honoris ſit, quàm ætatis?

Iam quæ in oleum sacrosanctum maledictionis spiritu adobrutus, nedum ebrius, petulanter euomis, quid aliud de te pronunciat, quàm de illorum te esse grege, quos Spiritus sanctus depingit: Quorum os, inquit, maledictione plenum est, & amaritudine, sub lingua eorum labor & dolor. Cùm enim magno cum supercilio Iacobum tibi non aliam dixisses, quàm vulgaris olei vnctionem significare (sanè tibi aliud non, sed tuo Augustino, Chrysostomo, aliísque Patribus aliud) subdis admodùm religiosè scilicet: Isti oleum non dignantur, inquiens, nisi ab Episcopo consecratum, hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatū, & nouies flexo genu salutatum. Rursus, dum sacram Vnctionem interpretaris abominabilem. O cælum, ô terra, quanta miserum istum dementauit fanatica insania, quâ Deus Opt. te Caluine vel tandē propitius liberet. Nullus Turcicas istas in doctrinam Christianam vetustissimis sanctissimorum Scriptorum testimoniis subnixam contumelias possit euomere, nisi illo Rapsacis coquorum magistri Spiritu maledicentiæ potus, quæ nobis silētio magis arbitramur prætereunda, & lachrymis cum Ezechia deploranda, quàm verbis diluenda. Quod ne quisquam nos veritate destitutos facere insimulet, ex Apostolica sacri Chrismatis consecratione superiùs suo in loco aduersus friuolas eiusdē obtrectationes ex Cypriano, Augustino, atque Fabiano vindicata, abundè habeat, quo aculeata istius opprobria retundat.

Psal. 14.
O Turcicas Caluini blasphemias.
Lib. 4. c. 29.

Postremùm quasi victoria potitus exclamat ouans: Ne diutiùs sit nobis, inquit, in probatione laborandum, hac difficultate nos eorum quoque annales liberant. Referunt enim Innocentium Papam, qui Augustini ætate Romanæ Ecclesiæ præfuit, instituisse, vt non Presbyteri modò, sed omnes etiam Christiani oleo vterentur, in suam suorúmque necessitatem vngendo: Author Sigebertus in Chronicis. Istud ad explicandam de huius Sacramenti ministro difficultatem, aliquid fortassis adferat momenti: verùm cùm de ea non sit modò instituta disputatio, non nisi ad imperitorum fraudem huc abs te est recitatū: quâ vt stropha magis quidē inge-

Falsum Caluinus ascribit Innocentio.

niosa, sed minimè ingenua, strueres callidus, Innocentium ais instituisse, quod ille nequaquàm instituit: sed à Decentio Eugubino consultus, ritè ab Episcopo etiam administrandum respondit. Iam cur oleum istud cum Sigeberto mutilè adducto non recitas ab Episcopo consecratum, nescio: nisi fortè tibi in mentem venit, ex olei consecratione ante annos mille ducentos publicè frequentata, ex historiographo fide digno abs te commemorata, prudenti Lectori posse illius antiquitatem subolescere, atque rei veritatem, quam dissimulando obscuras, innotescere? Inde est, quòd illa Sigeberti de Innocentio verba, hic decreuit pacis osculum ad Missas dari, Sabbatho ieiunium celebrari, oleo ad vsus infirmorum ab Episcopo consecrato licere vti, non solùm Presbyteris, sed omnibus etiam Christianis, significantiùs ad istarum rerum originem detorseris, quàm rerum veritas, imò ipsa etiam Sigeberti verba patiantur: quod enim Innocentium ille ait decreuisse, tu illum instituisse affirmas. Sanè plurima à Romano Pontifice atque Conciliis leguntur decreta, haud tamen continuò concedantur instituta: quæ vel non vbique erant recepta: vel si recepta, temporum volumine aut abolita, aut negligentiùs habita. Quod ne alienis cogamur probare exemplis, hîc sufficiat Sabbathi ieiuniũ in memoriam reuocare, quod diu antè sub Damaso & Syricio haud dubium Romæ obseruabatur, vti ex Diui Ambrosi ab Augustino hac super re matris causa consulti responso est longè certissimum, quòd extat epistola Augustini. Innocentium igitur non huius Sacramenti oleum instituisse, sed de illius vsu respondisse, ex eius verbis suprà commemoratis constat liquidiùs, quàm vt fusiorem desideret orationem.

Sigeberti verba Caluinus deprauat atque mutilat.

Multa decretis renouantur, quæ non instituuntur.

Sed nunc tandem pertractatis nostra pro mediocritate sacrosanctis illis septem Sacramentis, ad alia, quæ supersint, persequenda proficiscatur oratio.

Caput XCVII.



Osteaquàm illud rituum genus, quod Sacramentis adhæret, satis pro huius instituti ratione sumus persequuti, nunc ad alterum illud proficiscamur oportet, quod circa res alias, aut in Dei cultum, aut in hominis vsum consecrandas versatur. Id verò cùm latissimè per omne actionis ac vitæ Christianæ corpus sit fusum, non est consilium, hîc totum genus pertractare: sed ea modò, quæ ab aduersariis irrisa ita contemnuntur & respuuntur impiè, vti à Catholicis vsurpata piè iuxtà ac salutariter obtinētur, atq; prisco de more obseruātur. Quę igitur ad cęremonias Ecclesiasticas pertinēt aut rariores, aut infrequentiores, atque illiusmodi Christianas consuetudines, opere illis destinato explicandis & pertractandis, quod de originibus rerum Christianarum meditamur, alium in locum repositis: nunc ea tantùm persequemur, quæ maioris momenti pertinent aut ad Dei cultum, aut Christiani populi vsum singularem. Sicuti autem illius sunt generis Consecratio altarium, virginum, monachorum: ita huius consecratio aquæ, panis, olei, palmarum, & similium.

Transitio ad alterum rituum genus quod circa res alias cōsecrandas versatur.

Cæterùm quia istæ consecrationis, atque vt cum antiqua loquamur Ecclesia, benedictionis species, nisi adhibito Christi Domini crucis signo, ritè non peraguntur, magnum me operæ facturum existimo pretium, si salutarem eius vim antè paucis exposuero, quàm illa rituum & cæremoniarum Christianarum genera aggrediar explanare, salutarémque planè illarum vsum demōstrare atque confirmare.

Hæc igitur crucis Christi cæremonia atque benedictio, crucis Dominicæ signo adornata atque insignita, quàm non magicè, vti hodie quidam titulo quidem tenus Christiani, sed re sanè ipsa, vt vita Epicuræi, ita religione Turcæ, imò Iudæi, calumniantur, nec superstitiosè vt alij, qui sibi illis videntur magis pij: sed verè Christianè, adeóque Apostolicè adhibeatur, rebus certum in

Crucis Dominicæ cōsignatio quid sibi velit, quídq; efficiat.

vſum conſecrandis ritéque peragendis initiò demonſtrabimus: mox quídnam adferat ea cæremonia aut virtutis cæleſtis aut ſanctimoniæ purioris, rebus hunc in ritum conſecratis. Deinceps ad ipſa variarum cæremoniarum Chriſtianarum genera reſtrictè admodùm explananda deſcendemus.

Cùm ſedulos illorum priſcorum Theologorum Lectores minimè lateat, venerabile illud crucis Dominicæ ſignaculum variis olim vſibus fuiſſe adhibitum in omni Chriſtianorum Eccleſia, mirari ſubit, imò lugere potiùs illorum inſaniam, qui ſacras Eccleſiæ benedictiones atque conſecrationes hoc crucis Chriſti ſigno peractas, horribili iuxtà ac nepharia Magiæ blaſphemia non verentur infamare. Proinde vt horum, ſi fieri queat, vecordia ſanetur, atque mentis hallucinatio illuſtretur, dabimus operam, vt crucis ſignaculum demonſtremus, ab ipſis quoque Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis Apoſtolorũ ætate fuiſſe vſurpatum, certíſq; rebus conſecrandis iam ab exordio vſque adhibitum.

Crucis ſignaculo vti ex Apoſtolorum doctrina fluxit.

Crucis igitur ſignaculo conſignari Chriſtianos ex Apoſtolorum hauſiſſe Traditione non ſcripta, luculentiùs D. Baſilius ille Magnus nobis atteſtatur, quàm vt homo ſui compos queat ambigere: τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἠλπικότας κατασημαίνεσθαι τίς ὁ διὰ γράμματος διδάξας; Quòd crucis ſigno, inquit cap. 27. de Spiritu ſancto, qui in Domini noſtri Ieſu Chriſti nomen ſperauêre, conſignantur: quis obſecro nos ſcripto docuit? vbi accenſitis longo Catalogo ſacris ritibus Eccleſiæ, niſi viua voce atq; vſu perpetuo nõ traditis adtexuit: ſic etiam hi, qui ab initio ſacros Eccleſiarum ritus condidêre Apoſtoli, & Patres, occultatione & ſilentio ſuam myſteriis cuſtodiendam voluerunt venerationem atque authoritatem. Poſſet hæc Baſilij doctrina plurimis argumẽtis ſtatui, ſi copioſis liberet eſſe, puta ex ritu Sacramenti Confirmationis, quod ſuperiùs ab Apoſtolis demonſtrauimus olei ſacri illitione crucis in modum fuiſſe adhibitum, vnde ſignaculum Chriſti & ſignum Domini iſtud appellabatur Sacramentum: ſic Euchariſtiam quoque non niſi crucis benedictione con-

ſecrari ſolitam, ex D. Auguſtino ſerm. 181. doceri poſſet. Verùm ad alia properantibus hæc in alium locum ſunt reponenda. Quare nunc de Dominicæ crucis vſu vario apud priſcos eſt paucis agendum.

Quàm varium in vſum olim crucis Dominicæ ſignũ fuerit ritè adhibitum, ignorare non poteſt, niſi qui veterum Patrum ſcripta nec viderit, nec deguſtarit. Verùm vnus Diui Auguſtini locus ſexcentorum vice nobis fuerit: Mors Chriſti, inquit ſerm. 181. ſignum eſt noſtræ ſalutis, hoc enim ſigno crucis conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons Baptiſmi, initiâtur etiam Preſbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici, & omnia quæcunq; ſanctificantur hoc ſigno Dominicæ crucis, cum inuocatione Chriſti nominis conſecrantur. Quibus in verbis duplicem in primis, vt ipſa rerum genera notemus, agnoſcere eſt ſigni crucis Dominicæ vſum, videlicet Sacramentalem, & alterum non Sacramentalem. De illo hîc non eſt, quòd diſſeramus fuſiùs, quòd ſuis ſuprà locis illos ritus ſuo quoſque in Sacramento ſumus perſequuti. Alterum verò crucis Chriſti vſum, quem diximus non Sacramentalem, quòd Sacramentalis, vt ille alter, non adhæreat, in prę́ſentia tractabimus. Is autem cùm latiſſimè per omne non modò Eccleſiaſticæ, ſed etiam Chriſtianæ actionis ac vitæ corpus fuſus quaſi luxurietur, vt quacunque aſpicias, vbique crucis Dominicæ ſigna ceu trophæa, aut, ſi fas eſt ſacra prophanis componi, tãquàm gladium quendam Delphicum fulgere videas, non eſt præſentis inſtituti, eum ad viuum reſecare, vniuerſáſque conſignationis per crucem Dominicam ſpecies hîc com memorare, ſed vti diximus, eas modò, quę priſco ex more aut Dei cultũ, aut ſingularem populi Chriſtiani vſum adhibentur.

Varius crucis ſignaculi vſus Christianis priſcis.

Crux Chriſti in Chriſtianorum vita & moribus ceu trophæũ vbiq; emicat

Quæ autem ad Dei cultum referemus, non ita quiſque interpretetur, quaſi illa, quę ad Chriſtianorum vſum reiicimus, non illò ſpectent, cùm hîc non accuratiſſimè, ſed rudi tantùm Minerua rem percurrere ſit animus, nec ſine Fide in Deum adhibentur, quod & Dei cultum loquitur: ſed eas dicimus in Dei cultum crucis conſignationes fieri, quando Fidei conteſtandę aut prodendę

Frontis conſignatio poſt Symbolum & poſt Euãgelium.

Vide Apolo. Ruffi.

causa adhibentur, vti post Symboli recitationem fieri solet, teste Ruffino in Ecclesia Aquilæensi, & hodie etiã-nùm Catholicè ad sacram Euangelij lectionem. Neque id verò in templis tantùm nostri fecêre maiores, sed domi quoque, atque publicè in plateis adeò ad omnem inuocandi Dei occasionem, vti ad horæ sonitum, ad terrorem aliquem incussum, aliísque modis variis. Sed hæc nunc veterum Scriptorum confirmemus testimoniis, ne dum priscorum Christianorum ab omni superstitionis suspicione alienissimorum sequimur probi filij consuetudinem, omnem quoque superstitionis notam nobis hodie non minùs impiè quàm imperitè inustam deleamus.

Ante ann. 1400. crucis signaculo Christiani quàm variè vsi.

Quid igitur populus Christianus illo Martyrum seculo ante annos 1400. assiduè in vsu habuerit, vnus Tertullianus abundè fecerit contestatum: Ad omnem progressum, ait libro de Coro. milit. atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Rursus lib. 2. ad vxorem: Margarita vestra sunt quotidianę cõuersationis insignia. Quantò curaueris ea occultare, tantò suspectiora feceris, & magis cauenda gentili curiositati. Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas? cùm aliquid immundum expuis flatu? cùm etiam per noctem exurgis oratum? & non Magiæ aliquid videberis operari? Quid igitur mirum, si quod & hodie Christianorum religiosiores obseruant sedulò, ad eandem pertinuisse quis dixerit ætatem priscam, ad horæ sonitum crucis signo pectus consignare, orationculámq; ceu telum eiaculari, quo Deum roges, vt horam rectè viuendi, beatéque moriendi benignus largiatur? quale nos quidem mea mater puellos balbutire docuit, cui de hac & alia fidei verè Catholicæ institutione reliqua non modò æternam precor, opto atq; exopto requiem, sed Deo etiam Opt. Max. immortales indefessus gratias ago, quòd me hac matre Christiana istud in exilium inducere non est dedignatus. Quòd autem & ad horæ sonum prisci Christiani se crucis signo soleant

Frons signata, lectus, corpus.

Ad horæ sonitum crux pingẽda pectori.

ſoleant aut munire, aut armare, nobis teſtantur vetuſtiſſimæ SS. Martyrũ hiſtoriæ, ad quas cuilibet, cognoſcendas pium Lectorem mittimus.

Demonſtrato, tam frequentem ac propè aſſiduum Chriſtianis illis ab omni ſuperſtitione remotiſſimis fuiſſe crucis Chriſti vſum, nunc de eius effectis dicemus, ſimulátque perpaucis de vera crucis Chriſti figura nonnihil fuerimus commentati. De crucis Dominicæ figura non ea eſt obſcuritas, quæ de Chriſti Domini vna noſtri cauſa crucifixi modo atque forma, num tribus fuerit clauis fixus, vti hodie vulgò habent imagines: an 4. potiùs, quod equidem crediderim veriùs non ex vetuſtiſſimis tantùm Louanij, Pariſiis, & per Germaniam imaginibus, ſed tabellis etiam antiquiſſimis in Græcia pridem fabrefactis, quod inſcriptiones Dominici tituli & θεοτόκου & ιωαν. θεολόγου, aliáque arguebat, vti noſtrum Muſæum iſtiuſmodi nonnullis emblematibus inſtructũ demonſtret. Huc quoque faciat & ille in Pſalmos Commentarius, qui D. Hieronymi nomine circumfertur. Cùm igitur variæ ſint crucis ſpecies, eſt enim que litera Tau effigiatur: eſt, quæ ſtipite caput attolit, Chriſti quaſi titulum complexa: eſt, quæ decuſſata crucem exprimit, quam vulgò Burgundicam, ſiue D. Andrææ appellant: quæ litera, quæ Græcis χ vel ἴχ vocatur, exprimitur. Eſt prætereà quæ Hieroſolymitana, eſt quæ Hiſpanica dicitur. Verùm inter tam varias, niſi vna verè eſt Chriſti crux, atque vna tantùm eſt Chriſti Domini inſigne atque trophæum, de qua in præſens quæritur. Sunt qui eam putarint, quæ literæ χ forma reſpondet, quod ex ſigno illo cæleſti, quod Conſtantino Euſebius eius relatu ſcribit apparuiſſe, confirmari autumant. Si enim illud χ in latus inuerteret, minùs à vero abhorreret. Verùm nec eos veritatem, licèt propiùs accedant, attingere arbitror, qui rectum palum tranſuerſo traducunt nonnihil, vt eius vmbilicum excedat: quanquàm hi non vetuſtis modò imaginibus ſeſe tueri, ac recepta paſſim apud omnes opinione videantur: ſed antiquiſſimi etiam ſcriptores D. Iuſtini Martyris teſtimonio: qui Dialogo aduerſus Tryphonem hanc in formam Meſſiam oſtendit illi

Vera Dominicæ crucis figura.

Vide Fauorinum.

Varia crucis genera.

NN

Veru in crucis figuram effigiato agnus Paschalis assabatur ex Moysis instituto.

Iudæorum archysynagogo crucifigendum, qua ex Moysis instituto in illum vsque diem (quem nunc Iudæos mutasse coniectura est) agnum illum Paschalem indubium Messiæ typum assabant. Sed typo illi Mosaico satis erat, si cruci affixus Messias, illo igne charitatis conflagraret, quem in terram mittere venit, ecquid vult, aiebat, nisi vt ardeat? Vtinam & frigida nostra corda semel sui calore inflammaret.

Quare in agno illo Paschali assando vera erat crucis figura, sed quæ instrumento culinario minùs commodè potuit exprimi. Ea ergo vera elemento alphabeti Hebraici exprimebatur: quòd etiamnùm apud Samaritanos agnoscitur, licet ij, qui se hodie miseri gloriantur Iudæi, aliud eius loco siue ab Esdra, siue ab alio quopiam Rabino receperint elementum. Illud autem Samaritanum elementum crucis Christi Domini typus, eadem fuit & forma nomenclatura, qua hodie Græci suum appellant Taf: vnde liquet, Græcos, sicuti origine sunt Hebræi siue Palæstini, vti & verba plurima, phrases, & alia indicant plurima, suæ quoque linguæ mutuatos elementa. Vtcunque enim dissimulent, & homines quidam docti hodie Alpha somnient à capite bouis nescio quo dictum, & effigiatum: tamen prudenter rem expendentibus haud aliud videbitur Alpha, quàm Aleph, quasi alepha expolitum, sicuti & Beth aliud nihil quàm βῆτα Cappa aliud nihil quàm Caph, & sic de aliis. Græcum igitur elementum Taf veram, vti diximus, habet Christi Domini crucis figuram, quod nobis D. Hierony. antiquitatis non Christianæ modò, sed prophanæ etiam doctissimus, suffragatur. Eius verba ascribemus, quò res fiat indubitata:

Taf litera Græca verè exprimit Dominicæ crucis imaginem.

Græci origine & lingua Hebræi atq; Syri.

" Pro signo, inquit in Ezechielem cap. 9. quod 70. Aquila
" & Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbum
" Hebraicum posuit Tau, quæ extrema est apud Hebræos
" viginti & duarum literarum, vt perfectam in gementi-
" bus & dolentibus scientiam demonstraret, siue vt He-
" bræi autumant, quia lex apud eos appellatur תורה quæ
" hac in principio nominis sui litera scribitur: illi hoc ac-
" cepêre signaculum, qui legis precepta compleuerant. Et
vt ad nostra veniamus, antiquis Hæbræorum literis,

quibus vſque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet ſimilitudinem, quę in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. Hæc eo loco D. Hiero. vnde liquere arbitror, illam eſſe vetam crucis Dominicæ figuram, quæ palo recto trãſuerſum non infigit, ſed ſuperfigit ſtipitem: quod Græcum Taf ad viuũ, ſicut & Samaritanum, antiquúmq; Hebraicum T exprimit.

Obſeruã Chriſtiano.

Verùm hiſce ex diuerticulo expoſitis, quanquàm hoc laboris opinor magis frugiferum, quàm ſexcenta prophanæ antiquitatis etuiſſe monumenta, quibus hodie ſe Chriſtiani non infimi nominis torquent, nunc ad ſaluberrima huius Dominicæ crucis effecta demonſtranda proficiſcamur.

Effecta crucis Dominicæ in vſu quotidiano.

Cùm in vita illorum Chriſtianorum, qui ab omni ſuperſtitionis labe aberant longiſſimè, nihil ſuſpicari fas ſit fuiſſe otioſum, nedum ſuperſtitioſum, fieri ſanè non poteſt, quin ille aſſiduus tam de noctu, quàm de die conſignationis per crucem Chriſti vſus minimè fuerit fruſtraneus, aut ſuperuacaneus. Si quis ergo Cacodæmonis incurrebat terror, frontem crucis ſigno armabant. Si quid apparuiſſet aut monſtri, aut triſtioris ſpectaculi, aut nuncij minùs lęti, crux Domini ceu amuletum fronti conſpicuo hominis loco appendebatur. Hunc in modum Magnus ille Antonius iam nonagenario maior, Diuum Paulum Heremitarum primum Dei iuſſione inuiſens, vbi viam ſibi ignotam eſſet ingreſſus, hominem equo mixtum conſpicit cui Poëtarum opinio Hyppocentauro vocabulum indidit: quo viſo, ait Hieronymus, ſalutaris impreſſione ſigni armat fontem. Iam ad omnem Diaboli metum ſolenni ex more frontem cruce armaſſe Chriſtianos, vnus Aurelius Prudentius Poëta Chriſtianiſſimus nobis teſtimonio fuerit locupletiſſimo: qui frontem cubituris cruce pingendam vbi monuiſſet, quàm illud Chriſti trophæum horreant Dæmones, canit:

Animus cruci ſignaculo ceu Panoplia armatur.

Frõs crucis ſigno picta ad terrores pellendos.

Fac cùm vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locúmque cordis

Crucis figura signet:
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Et paulò pòst.

Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce,
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam cateruam.

Iulianus magicis deditus, Diabolum crucis signo fugat. Vide histor. Theo. & ora. Naz in Iul. Apostatam

Porrò quàm istud Dominicæ crucis signaculum frõti vel pectori inscriptum, solidum sit aduersus Cacodæmonis aut infestationes aut illusiones amuletum, Solis luce clariùs vnus Iulianus, etsi Apostata, nobis declarabit. Cùm ille Apostata præclaram sibi infœlix Dæmonis oraculo polliceretur de Persis victoriam, sacrificulum quendam consulit, qui tetro in antro auspicatum præsagiat belli successum. Dum autem hic sua canit carmina, aduentat ille Cacodæmon, inuocanti oracula daturus, sed specie adeò horribili, adeò immani, vt vel impius ille Christo Domino inimicissimus, ipsique Diabolo cultor iuratissimus, aspectum, nedum præsentiam sustineret. Itaque periturus metu horrido impius, aliud sibi credebat non superesse salutis extremum in periculum adductæ præsidium, quàm Christi Domini sui pristini, etsi deserti, etsi abiurati, signum illud ceu sacram, quod dicitur, ancoram, obiicere. Quod vbi quasi in trophæum erexisset, seséque Iulianus cruce Dominica non tam signasset, quàm armasset, repentè ille sese in fugam dat, & immani illo defungitur Apostata metu.

Quo ex Iuliani Apostatæ exemplo præter efficacem Diaboli ad crucis signum fugam, licèt ille ad sacrilega prosiliisset sacrificia, etiam vsum illum crucis Dominicæ assiduum licet discere, quem vel post abiectum fidei Christo datæ Sacramentum Apostata vsurpare, idque non frustra, sed efficaciter, non dubitauit. Quid igitur sentiendum, vbi frons hoc Christi trophæo vera firmáque ex fide armatur?

Porrò quàm istud Christi regium insigne Diabolus, eo semel victus, metuat horribiliter, paucis huc ex D. Hieronym. appingemus: Illius crux, inquit Sermon. de Natiuitat. nostra victoria est: illius patibulum, noster triumphus. Gaudentes hoc signum leuemus in humeris nostris: victoriarum vexilla & immortale lauacrum (malim labarum) portemus in frontibus. Cùm hoc signum Diabolus conspexerit in frõtibus nostris, contremiscit: Qui aurata capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt sceptra regalia, & purpuras Cæsarum & dapes, Christianorum sordes & ieiunia pertimescunt. Hunc quidem in modum crux Christi frontibus aut pectoribus inscripta Christianis, aduersus Diaboli aut incursus, aut terriculamenta nos munit. Vnde tam assiduo priscis illis Maioribus nostris in vsu fuit, vt citra omnem omninò superstitionem, ad omnem progressum, ad omnem exitum siue militarem, vti Theodosius, siue viatorium, vt Antonius, fronti pingeretur, & quæcunque tandem eos conuersatio exerceret, atq; actio, frontem crucis signaculo tererent.

Quantoperè Diabolus regium crucis tropheũ metuat, horreátque.

Milites & viatores in procinctu sese crucis insigni armant.

Caput XCVIII.



Est quoque alius sacræ per crucem consignationis vsus, ad Dei cultum non mediocriter faciens, quâ res quędam sanctificantur, non illa quidem sanctimonia, qualis Sacramentorum est propria: sed alia longè inferiori quę tamen verè apud veteres Scriptores dicitur, atque habetur sanctitas: quo de genere Diuus Augustinus dudum commemoratus vim Dominicę crucis edisserens, omnia quæcunque sanctificantur, inquiebat, hoc signo Dominicæ crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur. Eius generis est ille panis, de quo idem Augustinus alicubi meminit, sicuti & salis consecrati Concil. 3. Africanum, qui Cathecumenis distribui olim prisco de more assolet: quò aliquod esset communionis cum Christianis, siue fidelibus symbolum: Placuit, vt per solennissimos Paschales dies, inquit Cano. 5. Sacramentum Cathecumenis non detur,

Aliud rerum per crucem Dominicam sanctificatarum genus à Sacramentis diuersum.

Panis Cathechumenorum sanctus, sed aliter quàm panis ille mysticus sacrosanctus.

nisi solitum sal.

Hoc igitur sanctificationis genus, cùm ad quandam attineat dedicationem atque consecrationem, varias in species funditur: de quibus nobis tamen in præsentia non est singulatim disserendum, sed de potioribus duntaxat capitibus, qualia sunt virginũ & monachorũ consecratio, altarium, templorũ, atq; rerum id genus similiũ.

Varia olim Virginũ & Monachorũ genera.

Vide Dion. Areo. cap. 6. Et Hieroni.

Varia fuisse illis Christianæ Ecclesiæ incunabulis virginum ac Therapeutarum Christo Domino consecratorum genera, ignorat nemo, qui vel primoribus labris Apostolicos gustarit Scriptores, de quibus in præsens non idoneus est dicendi locus: satis est hîc admonuisse, illos omnes, nisi legitima quadam consecratione ex Laicorum ordine fuisse submotos, non tamen in Clericorum aut locum aut honorem subuectos. Nam extra chorum in Ecclesia consistebãt à Clero & Laicis discreti, ac quasi limitanei. Vnde & monachi priscis, nec August. ætate, inter Clericos non computabantur, sed inter Laicos potiùs accensebantur. Qui igitur aut monachorum aut virginuum feruentiore Deo Optimo sanctiùs seruiendi flagrabant amore, hi se totos Christo Domino deuouendos, atque consecrandos offerebant: quòd seruiendi accuratiùs Domino desiderium vbi voto atq; promisso tota Ecclesia teste obfirmassent, ab Episcopo legitimè Christo consecrabantur, atque dedicabantur deuoti. Hoc illud est, quod ætas posterior votum solenne dicit.

Monachi olĩ omnes Laici.

Votum solenne quàm sit antiquum.

Castitatem voto fuisse firmatam Apostolorũ ætate.

Quod nunc de Virginibus diximus, de toto muliercularum genere acceptum volumus, siue viduæ fuerint siue virgines: siue iuuenculæ, siue aniculæ. Quòd igitur istud hominum genus se voto irremissibili, cuiusque violatio damnationem pareret, vel Apostolorum ætate sese alligarit, ex vno D. Pauli ad Tim. loco est omni luce manifestius, si modò sua veteribus Scriptoribus de re lõgè antiquissima contestantibus salua est authoritas, suáq; Paulinis verbis vera datur sententia. Quòd igitur Paulus dicat illas viduas damnandas, quòd primam fidem, hoc est, promissionem continentiæ voto firmatam violassent, non autem quòd fidem Christianam abiecissent,

Quid Paulo primam fidẽ irritã facere.

demonſtrat Synodus Africana 4. Sicut bonum eſt, ait Cano.104. caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia,& præceptione cuſtodiendũ eſt: vt ſi quæ viduæ, quãtumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ,& matura ætate, à viro relictæ ſe deuouerunt Domino, & veſte Laïcali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſteà verò ad nuptias ſeculares tranſierunt, ſecundum Apoſtolum damnationem habebunt, quoniã fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in cõuiuio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſunt viris ſuis obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem, quam Deo ſpontè, non coactæ obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fecerint? Quæ etſi violentia irruente ab aliquo præreptæ fuerint, ac poſteà delectatione carnis atque libidinis permanere in coniugio, raptori vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperiùs comprehenſæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apoſtolus: Quum luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Huic interpretationi paſſim apud Orthodoxos obuiæ ſubſcripſit Diuus Auguſtinus ſenex: vnde mihi præter alia non minimi ſanè momenti argumentum eſt, librum, qui eius nomine de bono viduæ inſcribitur, non eſſe Auguſtinianum, de quo aliàs.

Viduæ poſt votũ caſtitatis adulteræ, ſi nubant.

Iſtud mirabitur minus, qui meminerit, vel Apoſtolos ipſos ſeſe voto paupertatis Deo Optimo obligaſſe, quemadmodum D. Auguſt. nobis teſtis irrefutabilis atteſtatur. Loquens enim de Diuo Paulo, qui terrena lucra duxerat propter Chriſtum eſſe detrimenta, imò & ſtercora, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes Iſraël: ſubtexuit: Dixerant enim potentes illi (Apoſtoli) Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te, hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo, de quo continuò dictum eſt: Dans votum vouenti?

Voto paupertatis Apoſtolos ſe Deo obligaſſe teſte Auguſt.

Quàm temerarij, qui vota monastica improbant, quæ vel Apostoli probauêre.

Iam quid noui habet virginitatis votum Deo Optimo oblatum, cùm vel paupertatis votum Apostolos audias vouisse? An alicuius igitur teneantur temeritatis, qui Apostolorum inducti exemplo, sese aut paupertatis, aut castitatis voto alligant? quid enim non prudentiæ, rationis, adeóque veræ pietatis plenissimum, quod authores habet Christi Apostolos? Sanè illorum igitur temeraria est damnanda sententia, qui isthæc vota audacibus, imò sacrilegis non verentur vocibus insectari: quòd rem non antiquorum modò exemplis illustratam, sed Apostolorum adeò iudiciis probatam, audet improbé, ne impiè dixerim, improbare.

Quid, quòd D. Augustinus eximiũ Catholicæ Christi Ecclesiæ columen, istiusmodi originem ante Apostolorum ætatem fuisse piis vsitatam affirmat? Illud enim D. Virginis Mariæ: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, suis verbis explanaturus: Quod profectò, inquit lib. de sancta virginitate cap. 4, non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset.

D. Virgo Maria se Deo virginẽ vouit teste August.

Huic suffragatur, quòd frequens adeò voti castitatis apud priscos illos Orthodoxos mentio fiat obuiam, vti apud Clem. Alexandrinum 3. Strom. Dicit Dominus, inquit, qui vxorem duxit, ne expellat: & qui non duxit, ne ducat. Qui ex proposito castitatis professus est vxorem non ducere, maneat cælebs. D. Cyrillus in illud Leuit. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, multa præfatus, subtexuit: Sed & si nos ipsos consecramus, inquit in Leui. lib. 11. aut offerimus Deo, aut etiamsi aliud vouemus, obseruemus hunc laqueum, ne fortè posteà quàm nos Deo vouimus, iterum humanis vsibus, vel actibus subiugemur. Similes de votis sententiæ plurimæ priscos apud Patres occurrunt studiosis obuiæ, quas hîc commemorare non libet copiosiùs.

Professio castitatis ex voto.

Post votũ non licet, quod antè licuit.

Extat apud D. Epiphanium Apostolici Canonis fragmentum, quo eos tradidisse testatur, non posse citra culpam post votum contrahi à quoquam nuptias: παρέδωκαν τοίνυν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἀπόστολοι τῇ ἁγίᾳ θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἁμάρτημα εἶναι τὸ μετὰ τὸ ὁρίσαι παρθενίαν, εἰς γάμον τρέπεσθαι: Proinde diuini Apostoli, ait contra Apostolicos hæreticos, sanctę

Vide Epiph. lib. 2. Tom. 1.

Dei tradidêre Ecclesiæ, post definitam atque cõstitutam virginitatem sceleratum esse nuptias contrahere.

Verùm pluribus commemorandis libens supersedeo, quòd quibus locupletia isthæc clarissimorũ Patrum testimonia non faciant satis, nulla prorsus, etsi sexcenta, sufficiant ad ingenij peruicaciam excutiendam.

Virginitatē Deo esse matrimonio gratiorem, ideo & meliorem maiorísque meriti.

Cùm Apostolica igitur Ecclesia virginitatem atque castitatem ex more Christo suo sponso dedicare, ac veluti munus longè gratissimum, cuius odoris suauitate mirificè capiatur, consecrare soleat, satis liquere existimo ex illius Apostolicæ ætatis cùm iudicio, tum facto, virginitatem Deo Optim. Max. esse matrimonio gratiorem, cùm ea sit à virgine Maria, aliísque ad Apostolorum exempla voto firmata. Iam si gratior, haud dubium & melior: quod hodie quidam cum illo Iouiniano pridem hac de causa damnatissimo inficias ire non verentur: sed quàm coniugati isti illum cœlibem quidem vita, sed verbis coniugatum, impietate sacrilegà exuperent, mox liquescet pleniùs, vbi anteà virginitatem Deo gratiorem demonstrauerimus, atque matrimonium. Diuus Paulus hanc controuersiam apertiori dirimit sententia, quàm vt cauillos admittat vllos. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit, 1. Corint. 7. Si melius facit, „
qui non iungit matrimonio virginem, perspicuum est, „
melius esse matrimonio non vti, quàm vti. Quod ex eo „
quoque ipsa luce fiat manifestiùs, quòd Paulus eo loco ad virginitatem ceu bonum simpliciter hortetur, matrimonium verò disertis verbis se indulgere profiteatur. Quod autem indulgetur, minus est bonum eo, quod absolutè consulitur ceu melius.

Vide Ambr epistol. 80. libr. 10.

Porrò hæc doctrina prisco illo seculo adeò fuit indubitata, vt Iouinianum, qui paris meriti prædicabat matrimonium cum virginitate, damnarint hæreseos, quòd contra doctrinam Apostolicam, inquit D. Siritius, vnà cum Synodo, epist. ad Ambros. & Mediolanen. Ecclesiam, huiusmodi errorẽ in populum Dei spargeret: Nos sanè nuptias, inquit, non aspernanter accipimus, quibus „
velamine intersumus: sed virginum nuptias Deo deuo- „

" tas maiore honorificentia veneramur. Facto ergo Pres-
" bytero constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi
" esse contraria. Vnde Apostoli sequuti præceptum, quia
" aliter, quàm quod accepimus, annunciabant, omniū no-
" strùm vnà suscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxen-
" tius, &c. qui authores nouæ hæresis & blasphemiæ in-
" uenti sunt, diuina sententia, & nostro iudicio perpetuò
" damnati, extra Ecclesiam remanerent.

Euangelici Iouinianum suum auum impietate vincunt.

Quo igitur nomine censendi sunt, qui hodie non æquiparant modò virginitatem matrimonio in meriti apud Deum paritate, sed Iouinianum etiam bis impietate superant? cùm vtrumq; alicuius negant meriti, & virginitatem asserunt matrimonio nec excellentiorem, nec sanctiorem. Sic enim Confessio Vvirtembergensis habet: Manifestum etiam est, inquit cap. de votis monast. quod etsi cœlibum status sit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica ministeria Ecclesiæ his, qui non vtuntur, aptior & accommodatior: tamen non est sentiendum, quòd hoc genus vitæ per se sit coram tribunali Dei excellentius & sanctius, quàm coniugium. Multa peccat istud Confessionis capitulum. In periculis publicis vult cœlibum statum esse trāquilliorem. Quasi verò D. Paulus non plurima vitæ priuatæ doceat commoda, quòd cœlebs non curat, quæ mūdi sunt, quomodo coniugi placeat, quódq; facultatem præbeat Dominum aut indistractiùs obsecrandi, aut indiuulsè, vt vera est lectio, obseruandi. Quid hæc cœlibatus commoda ad pericula publica tranquillanda, nisi quatenùs ex illo, quem cœlibatus priuatis præbet, vsu in omnem posteà vitam ceu fonte purissimo plurimum fluat tranquillitatis, si publica irrueret calamitas?

Sic & illud emblema vulpinas tegit fraudes, His qui non vtuntur: Primùm, án quis sit ministrorum Ecclesiæ, qui ignitos illos blandæ in speciem libidinis aculeos nō experiatur? Vnū proferat, vicerit me iudice. Nullū enim equidem existimo laqueum, quo miseris nobis mortalibus Diabolus insidiatur, ad illiciendum blandiùs, ad fallendum suauiùs, ad pertrahēdum efficaciùs, quàm isthoc maleblando voluptatis perniciosæ oblectamento.

Quare quum vniuersi Ecclesiæ ministri hoc potissimùm orbis climate, vbi tam largiter vini haud sanè mali, nec vt alibi, cari, vsu perfundantur, ac assiduè non madescunt modò, sed propè macerantur, illos blandos corpori Veneris titillos patiantur, ac proinde vrantur ad Confessionis sentẽtiam, improbè ad fucum imperitis faciendum illa exceptio, His qui non vrantur, inserta est: quasi quibusdam Ecclesiæ ministris cœlibatus sit aptior & accommodatior, & non vniuerso Clericorum generi. Cùm enim ipsum vitæ cœlibis genus illa adferat commoda, vt Deo studeant placere, non vxori, non mundo, non ventri: rursus quum facultatem præbeat sine impedimento Deum obseruandi, & indiuulsiùs obsecrandi, indubiè aptior est, quàm coniugalis vita, quæ nos ad vxoris blanditias, ad mundi curam auellit, animum mille implicat curis, tum rei familiaris, tum rerum aliarum, quas nuptiæ dare solent. Proinde liquet esse vanissimũ, quod attexuit, non esse sentiendum, hoc vitæ genus non esse per se coram tribunali Dei excellentius & sanctius, quàm coniugium. Ipsum enim cœlibis vitæ genus per se illa, quæ diximus, coniugij incommoda, per se à Dei studio & cultu assiduo atque obseruantia non impedit modò, sed auellit etiam sui pondere atque onere, adeò vt animum non humi tantùm deprimat, sed etiam affigat, cælestiúmque rerum adferat si non nauseam, at fastidium tamen, atque certissimam ad tempus quoddam obliuionem. Nota est illa Aristotelis sententia, humanæ mentis rationem ita illis blandæ corporibus voluptatis quasi vndis adobrui, atque semel absorberi, vt sui, dum illud peragitur, non sit compos. Plura hanc in rem qui desideret, aureum illud fragmentum libelli verè aurei Theophrasti videat, quod apud Diuum Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, nuptiarum contra cœlibatus delicias patronum: vbi inter cætera, quibus Philosopho non esse demonstrat ducendam vxorem, attexuit suæ sententiæ causas: impediri enim studia Philosophiæ, nec posse quenquam pariter libris & vxori inseruire. Multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmę, sumptus,

Philosopho si non ducenda vxor, multò minus Christiano.

ancillæ, ſuppellex varia, lecticæ, eſſenda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: Illa procedit ornatior in publicum, hæc honoratur ab omnibus: Ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? quid de foro veniens attuliſti? Hæc & id genus alia coniugij incõmoda ex aureolo illo Theophraſti de nuptiis libro apud Hieronymum qui volet, legat.

Refutatio Confeſſionis Vuirtẽbergenſis contra cœlibatum.

Porrò quod in renouatæ iſtius Iouinianæ doctrinæ, aut veriùs deprauatę confirmationem adfert Confeſſio, nihil efficit iſtiuſmodi. Sicut in Chriſto non eſt Iudæus neque Græcus, non ſeruus neque liber: ita in Chriſto nec eſt cœlebs neque maritus. Et ſicut in Chriſto circumciſio nihil, præputium nihil, ſed obſeruatio mandatorum Dei, & noua creatura: ita & cœlibatus nihil eſt, coniugium nihil eſt, ſed in Chriſto renatum eſſe & vocationi obedire. Hîc ſanè manifeſtiſſimè videre eſt, vt ille mendaciorum pater ſua mendacia veritatis verbis, ceu melle prælita, incautis porrigat haurienda. Quod enim Paulus de hominis qualitate, aut naturali, aut gentili, ſed corporali, & plerumque ſemper inuoluntaria pronunciat, iſti fraudulenter ad animi tranſponunt affectionem voluntariam. De vitæ namque inſtituto agitur, quod ſibi quiſque animi ſumit iudicio: nã de illa naturali corporis affectione idem prorſus eſt cenſendũ, quod de pręputio. In Chriſto enim nihil, ſiue quis naturâ ſit eunuch⁹, ſiue ad coniugium aptus, neutrum eum à regno Chriſti impedit: ſed permagni ſanè intereſſe ſalutis noſtræ ſentiẽdum eſt, an quis propter regnum cælorum ſe ipſe caſtret, nec ne, quemadmodum Chriſtus docét, & apertiùs exponit Paulus, eum meliùs facere, qui virginem ſuam non tradit nuptui, quàm qui tradit. Quo igitur ore dicas cœlibatum nihil eſſe? cùm Paulus diſertè adeò pronunciet, meliùs eſſe virginem non elocare matrimonio, quàm elocare? Quòd ſi nihil eſt cœlibatus, nihil quoque virginitas. Quid igitur ſibi illud vult: Hi ſequũtur agnũ, quocunque ierit, virgines enim ſunt? Rurſus: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati? Huc facit, quod Auguſt. ſcribit: Illi qui virginitatem Deo vouent,

Matth. 19.
1. Cor. 7.
Apoc. 14.

inquiens Tract. 9. in Euangel. Ioan. quanquàm amplio- »
rem honoris & sanctitatis gradum in Ecclesia teneant, »
non tamen sine nuptiis sunt. Verùm hac in disputatione »
caue quisquã existimes, nos illud vniuersum genus, aut cœlibum, aut virginum etiam suscepisse laudandum. Vt enim stultas cum illis Euangelicis nouimus virgines: ita stultos quoque virgines, & stultiores multò cœlibes. Illis enim virginitatem crediderim equidem frustrà esse, quotquot eam illis D. Pauli exercitiis dudum ex Corin. epistola memoratis non excolunt. Quanquàm enim Christus virgo virgines amat, ac deamat, nõ tamen operum bonorum ceu illius ornamentorum steriles ac vacuas, sed fœcundas, sed piorum operum virgine Christiana dignorum ornamento ceu mundo excultas & adornatas.

Quenã virginitas Christo virgini grata.

Stultæ virgines, & stulti cœlibes.

Sicuti ergo bonum est ieiunium, non iam illud Philosophicum temperantiæ causa, aut medicum sanitatis gratia, sed Christianum placendi Deo, atque placandi adeò fine adhibitum, sed quod piæ irrigant lachrymæ, alioqui aridulum, orationes fouent, alioqui frigidum, piæ denique exornant eleemosynæ: Ita virginitas Christo sponso castissimo pergrata est, quam assiduum illud obseruandi studium assiduè quasi despondet, & indefessa oratio in Christi sponsi assiduè irrumpens thalamum connubio iungit stabili, iugibúsque dedicat amplexibus. Sed huius rei cõtemplationi alius fortè dabitur locus aptior.

Virginitatẽ plus laudabat Iouinianus, quàm Euangelici isti.

Cæterùm ne quid prætermittam, quod virginitatis cum matrimonij laudibus prætenuibus, ac Iouinianis illis exilioribus comparationem, aut potiùs æquiparationẽ efficere videatur, nunc ad illos respondeamus Canones, quos ex Concil. Gangr. recitat Confessio, maiorine impudentia nescio, an imperitia.

Si quis ex his, inquit Cano. 9. qui virginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Vide mihi Lector, quàm isti homines Andabatarum more pugnent. Cùm enim hunc Canonis quasi ictum in nos destinarint, se ipsi sauciant miseri, imò iugulant incautiùs. Quod enim hinc probatum vo-

Canon ab Euangelicis citatus ipsos iugulat.

ſunt, virginitatem coniugio non eſſe ſanctiorem, adeò hinc non efficiunt, vt contrarium potiùs aſtruãt, Canonis enim verba, Qui virginitatem propter Dominũ ſeruant, primùm illud Cõfeſſionis manifeſtæ arguunt falſitatis, Cœlibatum nihil eſſe, ſicuti circuncisionẽ & præputium. Nam Domini cauſa illum rectè ſeruari docent, cùm arrogantiam & ſanctimoniæ opinionem hinc natam oſtendunt retundendam, non autem ipſam virginitatem propter Dominum non ſeruandam: tum ne quis exiſtimet, Patres illos Synodo Gangrenſi congregatos, cum iſta Vvirtembergenſi Confeſſione ſenſiſſe, non eſſe ſanctius viuendi genus in virginitate, quàm in coniugio, animaduertendum eſt ſedulò, Canonem illum aduerſus Encratitarum, & Manichæorum deliria fuiſſe conditum, qui nuptias, ceu immundas, & illicitas aſpernabantur. Vnde & coniugatos, ceu pollutos reſpuebant: quod ex Synodi præfatione liquet. Cùm propter Euſtachianos ſeſe conueniſſe narraſſent, καὶ γὰρ καταμέμφεσθαι αὐτοὺς τὸν γάμον, καὶ ὑποτίθεσθαι, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων ἐλπίδα ἔχει, πολλαὶ γυναῖκες ὕπανδροι ἀπατηθεῖσαι. quòd enim coniugium, inquiunt, culpaſſent, nullíque coniugatorum apud Deum ſpem eſſe docerent, plurimæ coniugatarum deceptæ à ſuis diſceſſere maritis, & cæt. Idem quoque peruerſum de coniugio iudicium huius Cano. verbum κατεπαίροιτο, haud obſcurè ſanè reſipit. Eſt enim ἐπαίρεσθαι ſuperbè efferri, quaſi dicat, Si quis virginitatẽ colentium Dei cauſa aduerſus coniugatos ſuperbè ſeſe efferat, anathema ſit.

Sed apertiùs alter Canon à Confeſſione ad virginitatis propter Deum ſeruatæ reprehenſionem recitatus, illorum loquitur à Patribus damnatam ſuperſtitionem, ſanctimoniæque opinionem, quam ex certi generis habitu ſtultiſſimè captabãt, Si quis virorum, inquit Canon 12. propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc ſe habere iuſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia byrris & aliis communibus & ſolitis vtuntur, anathema ſit: At quídnam iſte Canon, viri boni, ad rem præſentem, niſi vt vos Andabatis cæciores orbi oſtendatis? Hìc enim nulla eſt virginitatis

cum matrimonio, nec virginum cum maritis comparatio: ſed ſtulta dũtaxat cucullatorum cum pileatis, & cappatorum cum non cappatis notata de ſanctimonia contentio. Illorũ igitur ſupercilium reprimit Synodus prudentiſſimè, qui ſibi hinc videbantur ſanctuli, quòd non byrris, ſiue pileis, ſed amictu pallij, ſiue potiùs τῷ περιβολαίῳ, quod hic opinor ex antitheſi eſſe capitis tegumentum ſiue inuolucrum, vterentur. Rectè igitur iſti virginitatis, ſiue continentiæ cultores, imò veriùs totum illud Monachorum & Aſcetarum genus (ſic enim 53. Canon, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, qui propter putatitium cultum monaſticum) à Synodo huius damnantur ſuperſtitionis, qui putarent ex illo, ſiue cucullo, ſiue peribolæo, vti Canon vocat, iuſtitiam atque ſanctimoniam ſe animo affricare: vnde in tantam ſanctimoniæ hypocriticæ turgebant opinionem, vt ſe iis præferre non dubitarent, qui byrris pileíſque de more vterentur. Cùm enim & cucullorum genera, & tam variegatarum capparum oſtenta, quæ huius ſeculi hominibus videntur, niſi de plebeio vſu priſco non ſint mutuata, & humilitatis cauſa à Monachis, quorum erat (vtinam & nunc eſſet) priſtinam lugere vitam, aliorúmque cum flere peccata aſſumpta nihil ſanè per ſe vtentibus adferre potuêre, aut ſanctimoniæ, aut iuſtitiæ.

Sãctimoniæ ex habitu opinio à Synodo notatur, nõ ex virginitatis propoſito.

Iſtorum igitur ſtultam ſanctimoniæ opinionem (quæ vtinam & noſtro ſeculo non floruiſſet, & alibi more ex gentilitio magis ſimplicitate, quàm iudicio recepta, & ex hac vel illa perſona in totum ordinis genus ſparſa nõ vigeret) cùm Patres Gangrenſes meritò ſuperſtitionis vaníque cultus damnarint, quid hoc quæſo ad coniugij laudem pertinet, aut virginitatis vituperationem? cùm iſto vitio laboraſſe magis coniugati, quàm virgines demonſtrentur. Plurimas enim maritatas diximus ex Synodi præfatione iſto Euſtachij cuiuſdam delirio fuiſſe deceptas, & diſertis verbis addit Synodus γυναῖκας παρὰ τὸ σύνηθες ἀντὶ ἀμφιασμάτων γυναικείων ἄνδρικα ἀμφιάσματα ἀναλαμβάνουσι, Mulieres præter conſuetudinem loco veſtium muliebrium viriles ſumpſiſſe.

Liquet igitur, hos duos Concil. Gangrenſis Canones

mox post Nicænum Concil. æditos, nihil Vvirtembergen. suffragari ad Iouiniani dogma innouatum confirmandum, quasi in Christo nihil sit, nihilve intersit, coniugatus quis Christo Domino seruiat, cogitãs quæ mũdi sunt, & quomodo vxorculæ morosæ & cupidissimæ seruiat: an virgo potiùs cogitans quæ Dei sunt, & quomodo illi cælesti Domino eidémque sponso castissimo seruiat? Verùm quò huius rei veritas & nostræ interpretationis in illos Canones magis eluceat probitas, simúlque aduersariorum, qui hosce canones ad sua mendacia statuenda adferũt, imò per vim distractos huc pertrahunt, improba demonstretur fallendi, non se, qui verum sensum ignorare non possunt, cùm tanto cum delectu ex hac Synodo eos infarcierint suę farragini, sed imperitos, impietas, sacrilegiumque nepharium ostendatur mundo clariùs, age illa Synodi Gangrensis promamus verba, quibus suam apertissimè declarauit de Virginitatum & coniugatorum discrimine sententiam.

Canonum enim editorum causam reddituri, vnde
« illorum sensus æstimandus est, ita decreuerunt: ταῦτα δὲ
« γράφομεν οὐκ ἐκκόπτοντες τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὰς
« γραφὰς ἀσκῆσθαι βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς λαμβάνοντας τὴν ὑπό-
« θεσιν τῆς ἀσκήσεως εἰς ὑπερηφανίαν κατὰ τῶν ἀφελεστέρον βιούν-
« των, ἐπαιρομένους τε, καὶ παρὰ τὰς γραφὰς, καὶ τοὺς ἐκκλησιαστι-
« κοὺς κανόνας καινισμοὺς εἰσάγοντας; & quæ sequuntur. Hæc
« scribimus, inquiunt, non illos exscindentes & abolen-
« tes, qui in DEI Ecclesia secundum scripturas vitam co-
« lere volunt monasticã, sed qui piè huius exercitationis
« prætextu in fastum abutuntur aduersus eos, qui simpli-
« cius viuendi genus amplexantur, quíque cristas suas eri-
« gunt, & præter scripturas Canonésq; Ecclesiasticos no-
ua inuehere student. Nos igitur & Virginitatem humilitati coniunctam θαυμάζομεν admiramur, ac suspicientes prædicamus. Continentiam quoque cum pudicitia & pietate copulatam suscipimus. Rerum etiam secularium abrenunciationem atque ab eis secessionem, si cum humilitate coniuncta fuerit, similiter suscipimus: nuptia-
« rum denique castum congressum honore afficimus, &
« quæ sequuntur. Possétne his sanctissimis sanctiss. Patrũ verbis

Virginitas matrimonio laudabilior, et monachatus vita seculari.

verbis concipi quid, nedum dici aut statui sanctius, quibus tam distinctè suus cuique vitæ Christianæ generi distribuitur honos, dignitas laudatur, ac gradus certus collocatur? Hęc verba si huius Confess. Vvirtembergensis cōsarcinatoribus vnà cum Canone illis recitare fuisset collibitum, quàm omnis fuisset semel consopita discordia, quam non hâc tantùm de re nobis concitant, sed illa etiam acerbior, quam maxima cum animarū iacturа videmus post Iouinianum recrudescere, de Sanctimonialium ac Monachorum istorum connubiis: vt & hoc nomine cum illis modò prætexere culpam liceat. Quid igitur causæ, cur hæc Patrum verba dissimularint? sanè alia, quàm quòd hæc genuinam iuxtà ac manifestā Canonum illorū tanto cum iudicio hac ex Synodo exquisitorum, studioséque collectorum, videbant loqui adeò apertè, adeò dilucidè sententiam, vt qui hæc cum illis cōtulerit, nihil supersit scrupuli, cur ambigat, quorsúmnam spectarint Patres, nulláque suspicio oboriri queat, quę animum ad virginitatis cum coniugio comparationem inuitare valeat, nedum eò adigere, quod aduersarij hinc efficere conabantur. Virginitas itaque cùm facultatem præbeat, Dominum sine impedimento siue ἀπερισπάστως, indiuulsè cùm obsecrandi, tum obseruandi, eáque curare faciat, quæ Domini sunt, quomodo ei placeat: contrà verò coniugium non ista modò impediat variè, sed præpediat etiam, cælestiúmque meditationem si non eripiat, at suspendat tamen, Deo est gratior, ideóque & coniugio excellentior.

Cur aduersarij dissimularint superiora Synodi verba.

Sed obstrepit Confessio: Augustinus non audet virginitatem Baptistæ præferre coniugio Abrahæ: O rhetores argutos. Causam ad hypothesim transferunt, qua se cadere in thesi vident: aliud sanè est de virginitate, eiúsque præ matrimonio excellentia disserere: aliud de huius aut illius virginitate: aliud de Ioannis Baptistæ virginitate commentari in se considerata: aliud de eadem cum Abrahæ matrimonio collata: multa enim inter se collata magnis distant interuallis, si per se vtraque concipiantur, quæ aliorum abiectione eandem non habent, aut dignitatis excellentiam, aut gloriæ præstantiā,

Istud exemplis vatiis demonstretur liquidiùs, sed ne de lectorum iudicio tardiore incurramus suspicionem, ad ea, quæ supersunt, festinet oratio.

Cùm virginitatis igitur votum non sit ad Traditiones hominum, sed ad Spiritus sancti consilia, donáque referendum, nedum impietatis damnandum, rectè ab Apostolorum iam inde temporibus in hanc vsque nostram ætatem obseruatum, ac per manus traditum obtinet Catholica Christi Ecclesia. Proinde quò redeat oratio ex diuerticulo, in quod nos huius ætatis homines in Iouinianum ceu in Ephorbum Pythagoras, renati, ne quid illo Iouiniano sapiant magis impium, abduxerãt, nunc apertiùs docendum est, rectè etiam virgines Deo Optimo Maximo consecrari, solenníque benedictione ritè Christo IESV sponso illi sanguinum, aut si mauis, roseo dedicari. Diuus Ambrosius præclarum Latinæ Ecclesiæ lumen, Apostolicæque antiquitatis eximiè callẽs, illum Diui Pauli ad Corinth. locum, Melius est nubere quàm vri, quo tunc, sicuti & hodie, quidam suis vitiis honestum quærebant prætextum, interpretans virgini lapsæ: Hoc Apostoli dictum, inquit, ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm, quæ se spopõdit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Si hoc Apostolus igitur de non velatis dixit, & non pollicitis, sanè illo Pauli seculo velatas fuisse Christi virgines, atque spõsas ei pollicitas atque dedicatas oportet. Quo autem ritu velari soleant, haud ita magni refert, modò Apostolorum ætate cõstet velatas fuisse. Cui suffragari etiam potest, quod vniuersa per orbem de D. Matthæo legit Ecclesia, eum Iphigeniam Æthiopum Regis filiam virginitate voto Deo Optimo deuota, illo sanctimonialium velo sacro obnupsisse atque velasse.

Virgines Christo spõso per votũ cõsecrari.

Vide Ambr. ad virgi. lapsam cap. 5.

Virgines Apostolorum ætate velatas & voto dedicatas Christo.

Vide Abd.

Quod autem de virginũ voto diximus, idem de Monachorum quoque proposito est accipiendum: quòd videlicet se ipsi voto astrinxerint castitatis, ac tum benedictione Sacerdotali fuerint Christo Domino in perpetuum consecrati ministerium. Huius rei testis locupletissimus nobis fuerit D. Dionysius Areopagita, qui cap. 6

Ecclesiast. Hierarch. in hunc modum nobis priscam illã Therapeutarum, siue Monachorum depingit consecrationem. Presbyter legitimas illas futuro Monacho astãti orationes imprecabatur, quibus expletis eum rogabat, num abrenunciet omnibus diuisibilibus atque secularibus tam vitę quàm cogitationum generibus? tum exposita illi vitæ multò in posterum sanctioris futuræ, quàm adhuc formula, atque vbi ταῦτα πάντα τοῦ τελουμένου προσεχῶς ὁμολογήσαντος τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει: Hæc omnia ille in Monachum consecrãdus attento animo & animaduertenter vbi promiserit, eum crucis forma cõsignatum Presbyter tondet, Deum Opt. Max. sacrosancta Trinitate vnum inuocans, vestésque commutans, ad sacræ Eucharistiæ adducit communionem. Cæterùm an ad Apostolorum ætatem monachismus tribus insignitus votis referri possit, nec ne, ad Originum libros putamus referendũ, vbi de illo Philonis de cultoribus loco differetur aptiùs, num ad Monachos pertineat Christianos, an ad Essęos potiùs Iudæos.

Monachi olim per crucis signũ cõsecrabantur.

Tonsura monastica.

Quòd si vnius Dionysij authoritate quis minùs fortè, quàm par sit, moueatur, audiat, quænam per omnem Syriam, vnde nostra prodiit religio, & Ægyptum, olim obtinuerit cõsuetudo. Moris est, ait D. Hieronymus epistola ad Sabinianum illum Diaco. Roma. in Ægypti & Syriæ monasteriis, vt tam virgo quã vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renunciantes, omnes delitias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandam, capite posteà ligato & velato. Quod autem velum istud siue flammeolum, non nisi à Sacerdote accipere soleant, ibidem indicat, Post Apostoli Petri Basilicam, in qua Christi flammeo consecrata. Quæ Hiero. verba, & alia sexcenta, si Eras. Roterod. nostras expendisset accuratiùs, haud quaquam nobis illũ pseudomonachum falsis illis deformasset notis. Mirari equidem haud infrequẽter subit, quo pacto diligens adeò, scilicet D. Hiero. castigator in Hieronymi vita Monachũ ausus fuerit aggredi depingere, quem ipse Hiero. tot locis reprehendit, atque refutat. Nõ legisse illum hæc loca quis credat, cùm se talem profiteatur Aristarchum?

Virgines & viduæ post votũ tondentur Hieron. ætate.

Erasmus pseudomonachũ depinxit in Hier. vita.

Monachos olim vouisse castitatem.

Verùm quia præsentis non est consilij, de vniuersis priscorum monachorum institutis agere, quod operi de Originibus reponetur, non est, quòd illas Pseudomonachi Erasmiani notas hîc refellamus, aut quàm multa hîc peccet audax, demonstremus: sicuti nec Polydori Virg. notas, quibus suum insigniuit imperitiss. Pseudomonachum (cuius hominis scripto, quod de rerum inuentoribus finxit, nescio, an quid extet nostra ætate in lucem editũ, pluribus quod scatet nugis, aut futilibus perfluat coniecturis, vti aliquando libris sacrarum Originũ Deo adiuuante orbi demonstrabimus Christiano) satis fuerit illam vanitatis redarguisse, quæ habet, votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cuiusque purè Christiani. Si votorum nulla vincula, quid est, quòd loco iam commemorato per omnem Syriam & Ægyptum item, virgines se Deo deuouebant? an alia fuerit Monachorum, alia virginum ratio? Sed ne quid hęreas, eundem Hieronymum audias in Hieremiæ Threnos huius rei testem: Iugum portant boni Heremitæ & Monachi, ait in cap. 3. ꝟ. qui voto monasticę disciplinę obligati sunt. Huc facit, quod dudum diximus de paupertatis voto ab Apostolis, teste Augustino, vsurpato, virginitatísque eorundem ætate. Verùm his & aliis de Monachorum cùm institutis, tum generibus alium in locum repositis, nos, quod præsens efflagitat negotium, persequamur.

Erasmi & Polydori errores fœdissimi.

Heremitæ & Monachi voto obligati ætate Hieronymi.

Posteaquàm igitur Monachi suum & castitatis & paupertatis Deo Opt. Max. obtulissent votum, solenni benedictionis formula dedicabantur, atque consecrabãtur. Quàm autem isthæc benedictio crucis in modum effigiata, teste Dionysio Areopagita, fuerit minimè inanis & superuacanea, sed efficax atque nonnullius gratiæ conciliatrix, satis vel ex eo liqueat, quòd tanto pridem studio pij Christiani Episcoporũ ambibant, atque eblãdiebãtur benedictionem: quod quàm piè, quàm eximio cum pietatis fructu fecerint, vnus D. August. nobis testetur, qui se, vbi ex Italia atque Insubria à D. Ambro. baptizatus, atque moribus verè Christianis in Africam rediisset imbutus, ab Episcopo narrat non discedere voluisse, nisi Episcopali impetrata benedictione.

De ciuitate Dei.

Hîc ſi Auguſt. adhuc adoleſcẽtis facto, qui vulgi magis exemplo, quàm ſuo fuerit inductus iudicio, quis moueatur minùs, illam Africanorum, in Synodo congregatorum querimoniam audiat de hac Epiſcopali benedictione in vulgus olim ſparſa apud Innocentium Roma. grauiter contra Pelagianos conquerentium: Si ergo voluerimus benedicendo, inquiunt epiſtola apud Auguſt. 90. ſuper populum dicere, Da illis Domine virtutẽ corroborari per Spiritum tuum, iſtorum nobis diſputatio contradicit, & quæ ſeq.

Benedictio Eccleſiaſtica diuini eſt auxilij gratiæque imprecatio.

Certè ſi olim Reges illi prophani, & ſecundum ordinem Melchiſedech à Chriſto non vncti, nec à Chriſto Ieſu Sacerdotes conſecrati, non modò citra omnem impietatem, ſed magno etiam cum pietatis atque religionis fructu populo Iudaico benedicebant, vti de Dauide legimus atque Salomone, quis ab omni religione tam ſit infœliciter ſubmotus, vt nũc Sacerdotalem eius, quæ illud tremendum agni immaculati cõtractat ſacrificium, manus benedictionem non ſpernat modò, ſed conuitiis etiam laceſſere audeat?

Pari modo ſi quis priſcarum rerum memor ſibi in mentem reuocet, quíd nam ille noſter Patriarcha Iacob in extruendo ac dedicando altari fecerit, videbit à pietatis veræ ratione, nec à diuino cultu abhorrere, quòd Chriſtiani Deo Opt. Max. altaria & templa orationis ac religionis omnis officinas dedicamus, cõſecramúſque. Si enim ille citra idololatriam omnẽ altare erexit, ídque oleo delibutum, quid ni ad Chriſti nominis inuocationem & altaria & templa illum in ritum conſecrata Deo liceat dedicare?

Altarium conſecratio. Gene. 28.

Olei effuſio in altaria.

Quòd porrò altarium conſecratio ætatis ſit Apoſtolicæ, vnus D. Martialis ex 70. diſcipulis non poſtremus, nobis locupletiſsimo ſit teſtimonio. Is epiſtola ad Burdegalenſes teſtatur, inter omnes Ethnicorum idololatrarum aras ſuo iuſſu euerſas, ſolam eam fuiſſe ad conſecrationem ſuo iuſſu reſeruatam, quæ apud ipſos ignoti Dei titulo fuerat pridem inſcripta: eámque in nomine Domini Dei Iſrael, & ipſius teſtis, ſiue Martyris Stephani, non in hominis, ſed Dei cultum fuiſſe conſecratam.

Vide epiſtol. ad Burdegal. cap. 3.

Caput XCIX.

Ecclesiarum dedicatio atque cõsecratio.



IAm Ecclesiarum dedicationem equidẽ Syluestro crediderim antiquiorem, cui quidam hũc ritum acceptum ferendum putarunt. Sed in antiquitatis Ecclesiasticæ historia versatis ignotum esse nequit, plurima Pontificibus quibusdam Romanis posterioribus tanquàm authoribus tribui ab imperitis, quorum fuêre non tam authores, quàm instauratores, aut renouatores, sicuti de ieiunio Quadragesimæ, Sabbathi, & quaternorum item temporũ, aliísque, ex superioribus liquêre potest.

Certè de consecrandis Ecclesiis vetustissimorum extat fragmentum ex decretorum D. illius Hygini Martyris Roma. Pontificis naufragio, quod nobis Panormia Iuonis Carnotensis saluum conseruauit, vnde in suam rapsodiam nõ pari, qua illius Panormia, dexteritate aut arte recepit Gratianus: Si motum fuerit altare, ait Diuus Hyginus cap. 4. denuò cõsecretur Ecclesia: quod decretum, vt eiusdem Hygini cætera sub anno Domini 140. fuit Ecclesiis præscriptum.

Verùm quò magis eluceat, hanc Sacerdotalem benedictionem rebus, vel inanimatis non frustrà, aut inefficaciter adhiberi solitam, agè ad alterum Ecclesiasticorum rituum transeamus genus: quod non tam ad Dei Opt. Max. spectat cultum, quàm ad populi Christiani vsum, qualem diximus panis, olei, & similium id genus rerum consecrationem.

Panis benedicti vis inaudita ex D. Hierony.

Panis benedictionem aduersus omnes impiorũ sannas vnus Diuus Hieronymus nobis satis supérque tueatur, qui incredibilem eius vim, vtvt non credant impij paucis verbis suo in Hilarione depinxit: Mirentur alij
" signa quæ fecit, mirentur incredibilem, inquit abstinen-
" tiam, scientiam, humilitatem: Ego nihil ita stupeo,
" quàm gloriam, illum & honorem calcare potuisse. Con-
" currebant Episcopi, Presbyteri, Clericorũ & Monacho-
" rum greges, matronæ quæque Christianorum, grandis
" tentatio, & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus igno-

bile, sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent. Quis autem huius rei fuerit vsus, paulò pôst aperit Hieronymus. Ecce autem sitiens, inquit, & arenosa regio, postquàm irrorata est pluuiis : tantam serpentum & venenatorum animalium ex improuiso ebulliuit multitudinem, vt percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolæ atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant. Ad hæc quàm diuina prorsus fuerit diuinitùs indita per consecrationem Christianæ orationis oleo per D. Hilarionẽ benedicto, illud loquitur, quod sub finem attexuit Hierony. Sed & Constantia quædam sancta fœmina, cuius generum & filiam de morte liberauerat vnctione olei, quos omnes adiurauit, vt ne pũcto quidẽ horæ post mortẽ reseruaretur, sed statim ĩ eodẽ hortulo terra operirẽt, sicut vestit᷑ erat, tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico.

Oleo sacro sanantur serpẽtum morsus.

Oleum sacrũ à morte liberat.

Plura eiusdem farinæ libens equidem in præsentiarum silentio prætermitto, quæ ex Theodoreti Viris & aliunde huc repeti queant, si in re Solis luce manifestiore liberet esse copioso. Quòd si tanta vis fuit panis, oleíque consecrati, vt non morbos modò, atque venenatorum morsus, teste Hieronymo, certa curarit salute, sed de morte adeò liberarit, quid obsecro æstimandũ erit ei, qui hîc fidei analogiã religiosè intueri dignabitur, de illis rebus, quę peculiariter inuocato Dei Max. nomine aduersus Diaboli infestationes & vexationes consecrãtur?

Talis est sal ille prisco ex more Catechumenis impartiri solitus, quemadmodum ex Concil. 3. Africano patet, vbi Cano. 5. statuitur, Placuit vt per solennissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal.

Sal Catechumenorum olim consecratus.

Porrò sal iste consecratus quam sapiat antiquitatem ex superioribus est coniicere, vbi eum baptizandis ex vetustissima ostendimus traditione prægustãdum dari solenni ex more consuetum.

Ad hæc seculo Hygini Pontificis anno Domini 140. solet ad altariũ quoq; consecrationẽ solenniter adhiberi quẹadmodũ olfacere quis potest ex odoratissimis decre-

torum eius fragmentis, quæ à naufragio nobis ille salutaris portus Yuonis Carnotensis Panormia, vnde Gratianus sua pleráq; omnia si non suppilauit, certè minori dexteritate retexuit. Si motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia. Si parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur.

Aqua sacra originem sapit Apostolicam.

Sed nunc ad aquam illam sacram accedamus ab impiorum illusionibus ac sacrilegiis vindicandam. Cùm sacri fontis aquam demonstrauerimus suo superiùs loco ex Apostolorum ritu consecrandam, quemadmodum D. Basilius Magnus nobis attestatur cap. 27. de Spiritu sancto illorum profectò insaniam non tam admirari subit, quàm toto lachrymarum fonte deplorare, quòd eo vesaniæ sint prolapsi, vt nos hac de re idololatriæ audeant incusare. Verùm hæc lamentatio secretum aptiùs postulet suspiriorum atque piorum pro eis votorum locum.

Vide suprà lib. 4. ca. 14.

Cùm igitur idem Dei Opt. Max. nomen in aquæ huius consecrationem inuocetur, quídni sacra est appellanda? an fides hîc sit plus quàm illic effæta? an illic Dei nomen inuocatũ magis, quàm hîc sit efficax? Sanè quod D. Augustinus de Baptismi aqua citra vsum Sacramenti pronunciat, equidem de sacra hac nostra lustrali affirmarim: Non est aquà prophana, inquit li. 3. de Baptis. ca. 10 & adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiamsi à prophanis & adulteris inuocetur, quia nec ipsa creatura adultera est, nec ipsum nomen adulterum est.

Non est " aqua pro- " phana su- " p qua Dei " nomen in- " uocatur.

Porrò quàm sit longè vetustissima Ecclesiarum consuetudo aquam sale conspersam populo benedicere, quàmque ad fidei nostræ analogiã aptum atq; religioni illi puriori consentaneum, nobis illa Synodus Romę sub Alexandro primo ãno circiter 110. quẽ à D. Petro quintum testatur Conc. Florent. congregata locupletissimum perhibebit testimonium: Hunc enim in modum ad Orthodoxos omnes scribit illa Synodus, cui variis de locis collectæ, & in vrbe Roma, inquit, cùm omnibus capitis huius membris congregatæ D. Alexander præsidebat.

Consecrata aqua anno Domini 110 & diu antè.

Aquam sale conspersam populis benedicimus (inquiunt, non Alexander solus, sed omnes Domini Sacerdotes, qui nobiscum, ait Synodica, in hanc sacram con-

uenerunt vrbem) vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Sed huius ritus rationem accipe, quam ita ſubtexunt: Nam ſi cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat atque mundabat: multò magis aqua ſale aſperſa, diuiniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat atque mundat. Audi Lector Chriſtiane, diuiniſque precibus, ait, ſacrata. Viden' ad illud Paulinæ doctrinæ capitulum Patres ſanctiſſimos illos ætatis Apoſtolicæ alludere, Sanctificatur enim omnis creatura Dei bona per verbum Dei & orationem? 1. Tim. 4.

Sed pergunt aliud ex diuina Scriptura adferre in rei huius confirmationem: Et ſi ſale, inquiunt aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt: quantò magis diuinis precibus ſacratus ſterilitatem rerum auffert humanarum? & coinquinatos ſanctificat atq; mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat & inſidias Diaboli auertit? & à phantaſmatis, verſutiis homines defendit? Quibus in verbis quintuplicem diuinæ conſecrationis vim videre licet, eandem propè, quam ex Diuo Hieronymo nuper panis à Diuo Hilarione conſecrati demonſtrauimus. Hos effectus fidei & orationis ex fide profectæ efficaciam ſi populus Chriſtianus haberet probè cognitos, multò maiori & diligentia & fiducia, adeóque fructu copioſiore vterentur: vnde equidem vehementer expedire crediderim, iſta Synodi Romanę ante 1440 ann. celebratæ verba omnibus in templis columnæ aut valuis aſcribenda, æneiſq; inſculpta laminis lingua populari appingenda. Verùm poſtremam audiamus illorũ Apoſtolicorum Patrum rationem, qua huius aquæ vt ſacræ, ita multò ſaluberrimæ vſum & efficaciam nobis obmunitam reddiderint & corroboratam. Nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Saluatoris ſaluatos infirmos eſſe non dubitamus, quantò magis virtute ſacrorum eius verborum diuinitùs ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? Quibus ex Synodi antiquiſſimæ verbis in procinctu eſt, vniuerſas aduerſariorum delere calumnias, vt frigidas ita friuolas etiam, quibus rem antiquiſſimam adeò non Iudaicè,

Effecta aquæ ſacræ.

sed Turcicè audent exagitare: quod nos ne prudentes piósque Lectores tarditatis suggillare videantur, in præsens libenter silentio præterimus.

Caput C.

Farrago variarum Traditionũ, vbi & earum discriminatio, quo quæque authoritatis loco habenda.



Æterùm quò tandem hoc alterum verbi Dei genus, quod τὸ ἄγραφον diximus, latè admodùm diffusum concludamus, haud abs re futurum crediderim, si restrictè iuxtà ac luculenter de vniuerso Ecclesiasticarum Traditionum corpore agamus, ostendentes cuius vnaquæque sit authoritatis, & quo etiam loco piis omnibus habenda.

Traditionum igitur Ecclesiasticarum quædam fidem concernunt, quædam vitam informant Christianam: de illo genere non est quòd hîc differamus fusiùs, quod omni isto opere sumus persequuti, ac eius membra suo quæque loco, pro eo vt instituti postulabat ratio, explanare pro virili studuimus: qualia sunt, Omnes nos peccato illo originali nasci coinquinatos, nec nisi Baptismo expiari: Eucharistiam merum habere Christi Iesu corpus, non merum esse Symbolum: nec cum corpore item esse panem, & id genus alia, quæ ex operis indice atque capitum catalogo est colligere: de hoc genere ita statuédum est, vniuersa ea esse vna illa fide Catholica credenda, & indubitanter, eadémque fidei certitudine persuasissima obtinenda, qua alia vniuersa & omnia, quæ mater Ecclesia Catholica proponit credenda. Cùm enim fidei Symbolo profiteamur, Credo Ecclesiam Catholicam, ea semel omnia & vniuersa nos credere profitemur, quæ illa docet credenda, vndecunq; tandem ea hauserit, siue ex Scriptura, siue Spiritus sancti magisterio, siue Apostolorum doctrina: cùm in his omnibus promissum sibi à Christo sponso magistrum sequatur Spiritum sanctum.

Historicum genus Traditionum.

Huic Traditionum generi affine illud est, quod circa Euangelij versatur historias, vnde & historicum rectè dixeris. Cuiusmodi plura circumferuntur de Christi infantia, & apud Epiphanium extant fragmenta quædam,

ſicuti & apud D. Iuſtinũ. Quæ vt crediderint à vero non aliena, ita ſunt alia prorſus fabuloſa, & non niſi ex Apocryphorum ſomniis hauſta, vti de obſtetrice Anaſtaſia: de palma ſeſe virgini matri ad infantuli iuſſum inclinãnte: de auiculis figulina fabrefactis, & id genus nugæ. Alia verò medij quaſi generis ſunt, quale eſt, Tres illos Magos itinere dierũ tredecim Ieroſolymã perueniſſe: Diuã virginẽ matrem Mariam à Zacharia in virginum ſtatione fuiſſe collocatam. Item de eodem Zacharia accipiendum, quod Chriſtus in Euangelio Iudæis exprobrat, Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ab Abel vſque ad Zachariam. De his enim dicendum videtur, quod pridem reſpondit Hieronymus, Eadem hæc contemni facilitate, qua dicuntur. Porrò quod de Magis illis vulgò creditur, vnum eorum fuiſſe Ætiopen, eodèm referendum putarim equidem, quod Colonienſis Eccleſia candidos pingat. Verùm eos fuiſſe Reges, haud eiuſdem opinor generis: teſtantur enim vetuſtiſſimi Scriptores, fuiſſe Reges. Chryſoſtomus Reges Perſicos appellat. Nazianzenus quoque carmine, quod de virginitate cecinit, eos dicit ἀθλοφόρυς βασιλῆας, Reges donorum portitores. Ad iſtud hiſtoricorum Traditionum genus & illas referendas ſi quis arbitretur, quæ nobis Scripturarum, vnde fides, ait Auguſtinus, concepa eſt, oſtendunt authores, nos fauẽtes habebit ſuffragatores: qualia ſunt, Euangelia primum à D. Mathæo, quartum à D. Ioanne Apoſtolis eſſe ſcriptum: Epiſtolam ad Hebræos à D. Paulo, Apocalypſim à Ioanne Euangeliſta Theologo.

Eodèm pertinere arbitror illas Eccleſiæ Traditiones, quæ nobis extra Scripturam de rebus quibuſdam fidem faciunt indubitatam, vti Petrum fuiſſe Romæ, ibíque Epiſcopatu defunctum, à Nerone cruci affixum: Paulum ibidem eodem & anno & die non ſecuri, ſed gladio trucidatũ, vti & veteres conteſtantur, Prudentius, Euodius Diaconus, Irenæus.

Ab iſto genere minimùm abſunt & illæ Traditiones, quę de temporum priſcorum aut venturorum etiam certitudine aliquid edocent, quale eſt, Chriſtum Dominum paſſum non anno ætatis 36. ſed 33. hoc eſt, natũ an.

33. menses 3. Similiter baptizatũ die Epiphaniæ, vti Latina nunc canit Ecclesia, Diuum Ambrosium & Petrum Chrysologum imitata: quod hîc tanquàm indubitatum habuit Sermone de Epiphan. vti & ille. Verùm si quis temporis seriem cogitet, quo Ioannes Baptista venerit pœnitentiam mundo peccatis perdito intonans, Christíque ieiunium consideret, veri sanè videbitur, ni fallor grauiter, similius Christi Baptismum cum Græcis, teste Epiphanio, & Latinis quibusdã Ambrosij ætate, in mensem circiter Octobrem reponere.

Vide Petr. Chrysolo. Ser. de Epiphania.

Non omnes Traditiones Ecclesiasticæ sunt paris authoritatis.

Hæc atque similia Traditionum Ecclesiasticarũ genera hîc obiter delibata, si quis vniuersa eodem prorsus authoritatis pondere putarit æstimanda, vt non grauiter modò hallucinetur: ita insignis sit temeritatis, ne dicam vesaniæ, condemnandus. Prudens igitur rerum arbiter has atque similes Traditionum Ecclesiasticarum species, quas ad primum illud genus, Quod fidem informat, referendas diximus, in trifarium rediget ordinem. Primũ, quod indubitatam meretur fidem, qualem & Scripturæ: vti Ioannem Apostolum scripsisse & Apocalypsim, & Euangelium Paulum scripsisse ad Hebræos, & ad Romanos. Siquidem hîc locum habet, quod verissimum suprà demonstrauimus, illud Origenicum: " Hæreticus nobis habendus est omnis ille, qui Christo se credere profitetur: & aliud de veritate fidei Christianæ credit, quàm habet definitio Traditionis Ecclesiasticæ. Secundum, quod nullius est fidei, vti de Zacharia illo, de Anastasia obstetrice, de ridiculis illis Christi pueri miraculis, ne ludis dicam fabulosis.

Traditionũ omnium tripartita diuisio.

Tertium verò, quod inter hæc sit medioxumũ, quod reprobari quidem non potest, ceu falsum: tamen illam non meretur fidem, quâ Scripturæ authoritas nobis est commendata: qualia sunt, Christum baptizatum die Epiphaniæ, mortuum anno 34. & id genus similia. Quanquàm huius generis Traditiones in varias item possint deriuari species, si cui accuratiùs eas allubescat expendere. Quasdam enim inter has mihi videre videor tantæ fidei, vt etsi nondũ sint fidei definitæ ac declaratæ, posse tamen eas Ecclesiæ definitione in fidei articulos redigi:

Quædam nõ definita posset Ecclesia definire.

qualia ſunt, meo quidem iudicio, citra vllius, nedum orthodoxius ſententiam præiudicium, Petrum fuiſſe Romæ, Antichriſtum nondum veniſſe, Antichriſtum non venturum illo tempore, quem intra annum ſomniãt aut 1589. aut 1643. aut alium quempiam certò definitum, quẽ hodie temerarij aliquot deliriis aliquot plùs quàm anilibus freti, audent nobis non tam diuinaculi, quàm audaculi prædicere ridiculis ſuis poëmatiis finem mundi illo aut altero anno comminantes. Sed eos laudo diuinaculos, qui certum mundi interitũ adeò diu pòſt prænunciant futurum, quum certò ſe ipſi ſciant non ſuperfuturos, ne mendacij arguantur à ſuperſtitibus.

Mammera. Bruſchius.

Alterum Traditionũ genus quod vitam informat Chriſtianam.

Sed nunc ad alterum Eccleſiaſticarum Traditionum trãſeamus genus, quod vitam diximus informare Chriſtianam. Id autẽ omne bipartitò mihi videtur diuiſum. Aut enim ad ſacras attinet ferias, aut certam viuendi habet rationem. Quod ad ſacras ferias obſeruandas dicimus attinere, id variè admodùm patet: nam eſt feſtorũ, eſt ieiuniorum, & vigiliarum diuerſitas. Aliud enim diarium ſuis feſtis colendis ſequuntur Græci, quod apud Cyrum Prodromum, & alibi ſingulis menſibus diſtinctum extat: aliud Syri, aliud Latini, quanquàm & hi non per omnia cõcorditer omnes ſacras coluêre ferias non modò Sanctorum, quos aut patronos peculiares, aut tutelares cuiuſque regionis dicimus Martyres: ſed Apoſtolorum etiam. Nam inter illas Eccleſiæ Anglicanæ ruinas, quas huius tempeſtatis procella paucis antè annis in Belgicum eiecerat tam ſacrarum imaginũ, quàm librorum, videre datum eſt apud doctiſſimum virum linguæ tam Græcæ quàm Latinæ decus ſingulare, atque Louanij, imo Hollandiæ noſtræ ornamentum, D. Petrum Nannium, fragmentum libri Eccleſiaſtici, quod vetuſtũ admodùm continebat anni Eccleſiaſtici Diariũ, vbi Calend, Maias occupabat quidem Philippus ſolus: D. verò Iacobus decimum Cal. Iulias, aliáſque inſignes aliquot dierum feſtorum haud ignobilium varietates.

Ieiuniorum atque vigiliarum diſcrimen non modò per Orientem, ſed Occidentem etiam noſtrum non ſolùm aſſidua veterum Synodorum ſuppeditat lectio: ſed

per Belgicum, aut Insubrium peregrinatio quoque arguat: vti Sabbathis per virginei puerperij dies, quibus Cameracen. Diocœsis vtuntur carnibus, haud secùs toto anno diebus Dominicis.

Verum hæc atque istiusmodi varietas festorum atque ieiuniorum fidei vnitatem nihil offendit, sicuti nec Paschæ celebrandæ illa olim variata per regiones diuersitas nihil eidem fidei officiebat. Quanquàm & nunc vti olim, de Paschate in certum diem cōstituendo Patribus sæpè grauissima fuit cura, vti de anno Christiano restituendo esset cogitandum, ne Pascha vel natalem Domini tam lōgè à suo anniuersario die ageret populus Christianus. Cui enim ignotum est, nos iam dies plus quàm quatuordecim amisisse, nimis altùm stertit. Non desunt rationes anni restituendi per doctissimos viros, Diuum Petrum Middelburgensem Episcopum, & D. Ioannem Sepeluendam, aliósque pridem iudicatæ, sed frustrà, cùm earum nullus sit vsus: at erit aliquando spero, vbi Ecclesiæ curatores sui vel tandem officij memores, sarta tecta Ecclesiæ heu nimiùm, eheu nimiùm diuulsa, ac propè ruinam comminantia præ rimis, quas ducunt, resarcire studebunt, instauraréque satagent.

Porrò illud Traditionum genus, quod certam viuendi rationem præscribit, non minus est varium. Aliud enim institutum sequuntur per anni circulum in victus ratione Græci, aliud Latini. Nam alios dies suis sanctificant ieiuniis illi, alios hi: vt de victus quoque ratione hîc taceam, ieiuniorum die: de quo vide Epiphanium, quòd vino & piscibus abstinebant: de quo discrimine alibi erit differendi locus aptior.

Vide Epiph. in fidei epit.

Inter Latinos quoque non eadem est ieiuniorum ratio. Aliter enim Episcopatus Traiectensis, aliter Leodiensis, aliter Cameracensis, sua statuta obseruat ieiunia. Nam Apostolorum festa illi ieiunant ferè omnia: hi verò nec Bartholomæi, nec Matthæi. Sic aliter Mediolanenses primam Quadragesimæ transigunt hebdomadam, aliter reliquæ omnes, quod equidem sciam, Occidentales Ecclesiæ (nisi fortè Narbonensibus exceptis.) Ad hæc est aliud ieiuniorum genus, quod omnibus Ca-

Vide Theophilū Alexandrinum lib. Pasch.

tholicis par est atque idem, quale est, Quadragesimæ, Quaternorum temporum, pridie Assumptionis, Omnium Sãctorum, & Natalis Domini. Item Rogationum diebus ad prandium vsque.

In tanta igitur Traditionum huius generis varietate prudentis erit viri, qui suæ salutis non est temerè prodigus, diligenter discernere, qúænam obseruanda liberè, qúænam verò necessariò ac cum animi noxa, si violentur, aut à consuetudine eorum, quibus cum viuimus, diuersum faciamus.

Liberæ autem obseruationis equidem crediderim nunc temporis, per Aduentum ieiunare, festa quædam Episcoporum authoritate pridem suo ordine submota obseruare: rursus sextæ feriæ ieiunium, vti & eodem die ouorum vsus per Belgicum quidem, Rheticum, & tota ferè Germania vtraque: non tamen per Carinthiam. Rursus per Frisiam butyri, lactis atque casei vsus per Quadragesimam: vbi non, sicuti per cultiores regiones Episcopi expectatur permissus, sed super carnium ollas sedere soliti, ægrè suo, quo victitant, lacte ebutyrato patiuntur auelli.

Verùm longè secùs est æstimandum de ieiuniis aut Quadragesimæ, aut Quaternorum temporum, quæ suo dudũ loco ab Apostolis tradita Solis luce clariùs demonstrauimus. Eiusdem est necessitatis ieiuniũ Assumptionis D. Virginis, Laurentij, Omnium Sanctorum, ac Natalis Dominici. Similiter Apostolorum vigiliis, vbi talis consuetudo viget. Vbi verò aut non fuit olim recepta, aut recepta exoleuit, vti per Diocœsim Cameracen. Bartholomæi & Matthæi, & si quæ aliorum. Rursus Mediolani illis quatuor diebus ante Quadragesimam, nullum obligat eo in loco versantem, aut transeuntem, etiã si domi esset ieiunandum: Sicuti contrà illis non licet suo, quod videtur, vti priuilegio domestico, aut Diocœsano, si alibi versentur, vbi ea non obtinet consuetudo. Hîc enim planè idem cum D. Ambrosio est dicendum & faciendum, quod sanctissimæ D. Monicæ consulebat, & Augustino Catechumeno eius nomine illũ consulenti respondebat: Ego quando Mediolani sum, non ieiu-

Vide epistol. Aug. 86. sub finem.

" no, inquit, Sabbatho, quando Romæ sum, ieiuno Sabbatho, & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, eius morem seruate, si pati scandalum non vultis, aut facere. Ex quo D. Augustinus hæc attexuit: Hoc responsum retuli, ait, ad matrem, eique suffecit, nec dubitauit esse obediendũ. Hoc etiam nos sequuti sumus. Sed quoniam contingit, maximè in Africa, vt vna Ecclesia, vel vnius regionis Ecclesiæ, alios habeat sabbatho prandentes, alios ieiunantes, mos eorũ mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est.

Istud & per Belgium diligenter obseruandum.

Hic enim locum habet, quod hoc in negotio D. August. scribit: Si quid diuinæ Scripturæ præscribit authoritas, inquit epist. 118. non est dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus. Similiter etiam, si per orbem frequentet Ecclesia. Nam hîc, quin ita faciendum est, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Et idem ad Casulanũ epistol. In his rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicuti præuaricatores diuinarum legum: ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Huc facit & illud D. Hieronymi dudum commemoratum: Ego te breuiter, ait ad Lucinium de Sabbathi ieiunio, admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, vt à Maioribus traditæ sunt.

Duo rerũ genera indubitanter oĩbus obseruanda.

Mores populi Dei & instituta Maiorũ pro lege tenenda.

Quæ aurea D. Hieronymi verba si ea qua probos, miniméque degeneres Ecclesiæ Christianæ decet filios, fide atque reuerentia suscipiant Germani, aliíque nunc, prô dolor, ab vna illa Christi Ecclesia variis opinionibus dissecti, án non multo maxima controuersiarum istius tempestatis plurimarũ pars sit definita? Sanè apud filios valeat necesse est Patrum authoritas, apud discipulos vigeat oportet doctorum fides, atque pium in illos studium, obsequiúmque. Quanquàm enim plurima nũc temporis fortè videantur non immeritò minus idonea, aut congrua: rursus quædam nostris à moribus si non abhorrentia, saltem aliena, aut minùs apta: feramus tamen at-

Seruandam omnibus vnitatem Spiritus invincu-li pacis, nec

men,atq; ſuſtineamus forti & æquo animo oportet, vti ingenuam Chriſtianæ Eccleſiæ ſobolē decet, quod ſancta illa ſanctiſſimorum prudentiſſimorúmq; Patrū ſanciuit authoritas tot iam ſeculis corroborata: ne noſtra temeritate priuati audeamus immutare,quod niſi publico Eccleſię Concilio ritè nec innouetur,nec immutetur. Prudentiſſimè enim à Platone dictū eſt,Reipublicæ iam ſenio delirantis mores ferēdos potiùs,quàm temerè immutandos. Et Origenes ille Adamantius non minus verè,quàm piè admonet,plurima piis Eccleſiæ filiis portāda religionis myſteria, donec ab Aarone quopiam reuelentur,& aperiantur. Sed & in Eccleſiaſticis,inquit in illud Num. Sancta ſanctorū operta in humeris portanda, obſeruationibus ſunt nōnulla hujuſmodi,quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt,nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd(verbi gratia)genua flectimus orātes,& quòd ex omnibus cæli plagis ad ſolā Orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facilè puto cuiquam ratione compertum. Sed & Euchariſtiæ ſiue percipiendæ,ſiue eo ritu quo geritur,explicādæ,vel eorum, quæ geruntur in Baptiſmo, verborum, geſtorúmque & ordinum,atque interrogationum ac reſponſionum,quis facilè explicet rationem?Et tamen omnia hæc operta & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea & exequimur, vt à magno Pontifice atq; eius filiis tradita & commēdata ſuſcepimus. Cuncta hæc ergo & horum ſimilia cùm gerimus, nec tamen eorū aſſequimur rationē,leuamus humeris noſtris,& portamus adoperta & obtecta diuina myſteria: niſi quis ſit inter nos Aaron,quibus iſta conceditur nuda,& reuelata perſpicere. Ita tamen conceditur,vt ſciant ſibi velanda hæc & operiēda,vbi cæteris dari ea,& in opus proferri ratio popoſcerit. Hac ſanè de cauſa quotquot Chriſtiano cenſeri gaudemus nomine,optimo ſanè merito cōſtantem in fidei morúmq; Eccleſiaſticorum vnitate colamus concordiam, ne à Patrum doctrina, vitáq; verè Chriſtiana degeneremus vnquàm vel in minimo:quòd nos incōſultæ arguat temeritatis. Sunt quædam,ingnuè agnoſco,dolēterq; ingemiſco, ſunt quæ medicam iam pridem deſide-

quicquā priuatim eſt innouandum.

Ferēdos Eccleſiæ mores, non temerè mutandos.

Ritus Eccleſiæ ſeruandos, etiam non intellectos.

Ferenda pijs aliorum mēbrorum infirmitas & degeneratio, donec publico ſanētur et inſtaurentur remedio.

rãt manum, tam in Ecclesiæ ritibus, quàm populi totius, imò in primis Cleri moribus: Sed secandi vlceris maturitas expectanda, non præcipiti temeritate exacerbanda. Quòd si Deus Opt. nos tandem aliquando respiciat propitius, suos haud dubium excitabit aut Hieronymos, aut Damasos, Ambrosios aut Augustinos (quod die noctúq; supplicare non desino) qui deploratam hanc Ecclesiæ faciem ad priscos illos purioris Ecclesiæ mores studeãt reuocare. Sed intereà quisque viderit, vt inuiolatam seruemus vnitatem Spiritus, doctrinæq; Catholicæ concordiam in vinculo pacis. Hunc enim scopum nos aspicientes, ea in medium candidè in piorum omninò omnium gratiam deprompsimus, quæ nostra pro diligẽtis obseruationis mediocritate habuimus hisce de rebus nũc cõtrouersis animaduersa. Non inficiabor nos potuisse hos de Sacramentis, & sacrorum ritibus commentarios fusiùs pertexere: sed modum facere suasit fœcũda Scriptorum tam veterum editio, quàm recentiorum copia, vnde hæc omnia hauriantur & vberiùs, & fortè salutariùs. Sanè plurima in Originum sacrarum libros reposuimus, aliàs persequenda aptiùs: quòd hisce in scriptis res nobis est non cum germanis Catholicæ Christi Ecclesiæ filiis, qui in fidei Orthodoxæ capitibus concordes discorditer quibusdam in quęstiunculis dissentientes, illam Spiritus animorúmque vnitatem seruant inuiolatam in vinculo pacis, suo quisque in sensu abundantes: sed cum illis degeneribus Abrahæ ex Cethura spuriis, qui etsi nominis Catholici, aut Christiani captant hæreditatem, sua tamẽ debent esse dote concubinaria contenti, vt solo nomine hæredes, illa vera Catholicæ Christi Ecclesiæ filiorum propria destituantur hæreditate cælesti, nisi tẽpore hoc ad pœnitentiam & resipiscentiam à Deo Optimo indulto suis ab erroribus sanati, ad veriorem redeant de fidei Catholicæ dogmatibus opinionem: quã nos pia nostra pro virili hoc scripto eis adferre conabimur. Faxit Deus Opt. vt aliquem horum propè sexennij totiùs laborum immensorum ipsi percipiant fructum: quibus ne quid ad veritatem Catholica in Ecclesia florentem & antiquitùs obtinentem perspiciendam desit, nunc illas Pseudoapo-

Totius Panopliæ huius Euangelicæ scopus, vt in vnitate fidei cõcordes seruemus vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Parasceue ad librum quintum,

ſtolorum captiunculas aggrediemur diſcutere, quò liqueat, nihil eis ſupereſſe præſidij, cur non vnà nobiſcum concorditer recipiant omnia & vniuerſa, quæ tam ex nõ ſcripto Dei verbo, ſed ab Apoſtolis tradito, quã ſcripto, docet vna illa electa Chriſti ſponſa Catholica Eccleſia.

FINIS LIBRI IIII.

LIBRI QVINTI EVANGElicæ Panopliæ ſiue de verbo Dei Euangelico, Argumentum atque Methodus.

EXtremus huius operis liber, qui totus eſt Analyticus, atque refutatorius eorum, quæ aduerſus verbum Dei Euangelicum non ſcriptum Aduerſarij opponunt, principiò illas Brentij calumnias depellit, quibus præfatione in Apologiam Confeſſ. Vvirtembergenſis Catholicos conatur efficere Cabaliſticos, quòd Traditiones nõ ſcriptas recipiũt, quum quaſdam ipſe profiteatur neceſſario ſe recipere Traditiones non ſcriptas. Mox eiuſdem cauſationes demonſtrãtur tum ineptæ, tum futiles, quas aduerſus illas comminiſcitur, nullo ſubnixus Scriptoris veteris teſtimonio. Tum ſcripturarum loca iſthuc ab eodem detorta germano vindicãtur ſenſui. Ad hęc Caluini figmenta aduerſus verbum Dei Euangelicum non ſcriptũ, putà Apoſtolos nihil à Spiritu ſancto didiciſſe, quod quidem antè ignoraſſent. Quódq; Eccleſia Scripturis alligata, non perpetuo Spiritus ſancti magiſterio. Iam ad mutila Scriptorum veterum fragmenta reſpõdetur, quæ Confeſſio Vvirtembergenſis iſtò adfert: vbi Traditionũ non ſcriptarum varietas vnde queat ritè prudentérque intercerni, oſtenditur. Illud etiam Eſaiæ, Verbum Domini manet in æternum, Luthero detractum, Catholicæ vindicatur Eccleſiæ Romanæ, Diuo Petro interprete.

INDEX CAPITVM libri quinti.

Domini manet in æternum, fraudulenter à Luthero demonſtratur pro Symbolo noui iſtius pſeudoeuangelij vſurpatum, Catholicíſque vindicatum, germano redditur ſenſui, quem Diuus Petrus Apoſtolus diſertiſſimis expreſſit verbis.

Perſtricto deinde totius operis ſcopo, demonſtratur, quàm cuique neceſſarium ſit, qui modò certam ſibi in vna illa Chriſti fide conſtare vult ſalutis rationem, illam vnitatem Spiritus Catholicæ doctrinæ nexu colligatam ſeruare in vinculo pacis, vt omnes in vnitate fidei veræ Euangelicæ concordes, Chriſto ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia.

Epilogus denique opus claudit.



EVANGELICAE PANOPLIÆ, SIVE DE VERBO DEI EVANGELICO, LIBER QVINTVS.

Qui aduersariorum Argumentis contra superiùs demonstrata oppositis luculenta breuitate respondet.

CAPVT I.



VANDO quod ad verbi Dei Euangelici naturam ac indolem explicandam, puta Euangelium esse nō modò quòd scriptum est, sed quicquid vltrà etiam docet ac docuit Christi Spiritus: partésque eius, scriptum & agraphon, declarandas videbatur pertinere, sumus, quantùm huius instituti postulabat ratio, persequuti: nunc ad friuolas Aduersariorum ratiunculas superest vt respondeamus, captionésque sophisticas refellamus, &, vti Paulus appellat, falsi nominis scientiæ oppositiones retundamus, ne quis imperitior eis falsus, à vero seducatur infœliciter, aut in errore detineatur infœliciùs. Dabimus igitur pro virili operam, vt id & Scripturis conuenienter, & Orthodoxis Patribus consentaneè efficiatur: plus in præsenti contemplantes, vt multa luce & facilitate, fructúque plurimo nostra sit perfusa oratio, quàm spinosa ac importuna subtilitate arguta, aut lenocinio vllo Sophistico expolita.

Proinde illa Scripturarum initiò pertractabimus capitula, quæ ex scripto Dei verbo detorta, aut natiuo suo à sensu diuulsa, contra verbum Dei non scriptum solent passim obiicere: tum si quid ex veterum Patrum sententiis videbitur obsistere, de via remouebitur. Vbi explicata Traditionum varietate, mox breui epilogo totum opus erit concludendum.

Qua methodo aduersariis respondendum.

Christo Iesu igitur fidei nostræ Euangelicæ authore auspice, pro eius verbo Euangelico nunc aduersariis respondere aggrediamur, eum supplices deprecati, vt nostram imperitiam & imbecillitatẽ miseratus, nos lucerna illa verbi Dei Euãgelici fulgidissima illustrare, opéq; cælesti adiuuare pergat, ipséque, qui veritas est Euãgelica, pro sua causa, suo sensu, meo ore, respondere non dedignetur.

Priùs verò quàm Scripturarũ illa persequamur testimonia quibus nixi aduersarij affirmare audent, Nihil credendũ, quod nõ est scriptũ, antè paucis illa sunt pertractanda, quæ Ioannes Brentius præfatione in Apologiam Confessionis Vvirtembergensis, de Traditionibus nõ scriptis nuper cõmentabatur, quòd hac ratione ipsissima verbi Dei Euãgelici lux liquidiùs iuxtà ac illustriùs Lectori puri veríq; Euangelij studioso affulgere queat.

Brentij impietas Turcica, qua diuinas Apostolorũ Traditiones cõparat cabalisticis Rabbinorũ nugis.

Capite igitur, quod de Traditionibus inscripsit, multa de Cabala Rabbinorum præfatus nugatur, Traditiones Apostolicas illis Iudaicis & Cabalisticis esse comparandas. Hanc Iudaicam seruitutem, inquiens, & tyrannidem suscipiunt hisce temporibus in Ecclesiã filij Dei inducendam hi, quos à Traditionibus dicere posses Traditionarios, aut si breuiori vocabulo delectarís, Traditores, quorum turbam antecedit nunc Asotus. O fortem libertatis Euangelicæ assertorem. Seruitutem appellat Iudaicam, imò tyrannidem, si quid Ecclesia filij Dei citra scriptum recipere cogatur. Quid? an Apostoli tyrannidis huius accusationem effugiant? an ipse Christus Dei filius? an ipse adeò Pater Deus Optimus Maximus? An non initiò vniuersa Euangelij doctrina meris Traditionibus non scriptis fuerit & comprehensa, & adeò conclusa?

Ecclesiam Christi traditionibus non scriptis non tyrãnicè opprimi, sed salutariter ab exordio instrui.

Hunc in modum annos totos minimùm octo Ecclesia filij Dei solis viuę vocis Traditionibus plantata fuit, irrigata fuit, toto adeò terrarum orbe propagata fuit. Nec verò Apostoli soli Traditionibus non scriptis doctrinam Euangelicam Ecclesiæ filij Dei assignarunt, & crediderunt posteris prodendam: sed totus Apostolicæ successionis chorus, totus Patrum vetustissimorum, qui illis successere, senatus, quemadmodum libr. 2. est ostensum. Mera est igitur calumnia, quosdam nunc temporis Traditionibus non scriptis, ceu Cabalisticis tyrannicè moliri Ecclesiam filij Dei seruiliter opprimere, cùm eius origo ipsos Apostolos, ipsúmque adeò Christum, imò Deum ipsum Opt. Max. habeat authorem. Bellum ergo illud scõma: Quos à Traditionibus, inquit, dicere posses Traditionarios, aut si breuiori delectaris voce, Traditores, videat Brẽtius, in quósnam euomuerit. Sed mox ipsum non modò Traditionarium, sed verum, quia breuiori vocabulo delectatur, Traditorem conuincemus. Adiecit enim: Hi non contenti, ait, Scriptura diuinitùs cõmendata & confirmata, iactant Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ nõ minorem habeant authoritatem, quàm quæ scripto sunt mandata. Non hi modò, quos Brenti dicis hisce temporibus Ecclesiam filij Dei Iudaicis Traditionibus opprimere, non sunt cõtenti Scriptura diuinitùs commendata & cõfirmata: sed ipsi quoque Apostolorum discipuli, siue ipsi adeò Apostoli. "Tenete Traditiones, inquit ille, quas didicistis siue "per epistolam, siue per sermonem: quod & de Apostolorum discipulis, totóque veteris Ecclesiæ consensu, libro secundo effecimus meridiana luce manifestius.

2. Thess. 2.

Non igitur nunc temporis quidam iactant, Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorem habeant authoritatem, quàm quæ scripto sunt mãdata: sed hunc in modum omnis semper docuit Christi Ecclesia, sed ipsi Apostolorum discipuli suis in Christo filiis ita tradidêre, sed ipsi adeò Apostoli suis posteris plurima eiusdem prorsus authoritatis vnà cum Scriptura viua voce commẽdauère, quemadmodũ ex lib. 3. & 4. de Sacramentis & Sacramentorum ritibus nunc pio cã-

didóque Lectori arbitramur manifestius, quàm vt fusiori hîc persequenda sint oratione. Quod igitur attexuit Brentius, quàm sit cæcum, nullo nunc videre est negotio: Colligit igitur, inquiens, Asotus, quòd Traditiones sint certissimum fidei fundamentum. Quàm id firmiter colligat clarissimus vir Petrus de Soto, Cæs. Maiest. à sacris Confessionibus, quẽ tu pro tua Euangelica scilicet modestia conuitiaris Asotum, alibi Iebusitam, obscurũ esse non potest Lectori erudito ac candido. Scripturam enim esse, aut Apostolicam, aut apocryphã, nónne Apostolicæ est Traditionis? Vnde cognoscas enim quatuor esse Euangelia? An illorum primũ sit Matthæi Apostoli? an quartum Ioannis Apostoli? An Pauli epistola ad Hebræos sit Pauli, an alterius? an Apocalypsis sit Ioannis Theologi non Apostoli, aut Cerinthi, an Ioannis Theologi Apostoli? Hîc si Traditionem indubiè Apostolicam subtraxeris, an non Scripturarum ædificium subtracto quasi fundamento labefactetur, euertatur, concidat, corruat? Proinde si scripturarum fundamentum sunt Traditiones, an non & fidei fundamentum? Ea enim ex Scripturis est concepta, vti ait August. de Ciuit. Dei.

Euangelici maledici cõuitiis magis, quã seriis rationibus pugnant.

Quare donec de Scripturarum certitudine an Canonicæ sint, an apocryphæ, ambigitur, fides eis certa & indubia non adhibetur. Fides ergo sicuti Scripturis tanquàm fundamẽto nititur: ita & Traditionibus tanquàm sui fundamenti base, quæ & Scripturam fidei regulam definiant certam, omnéque fidei ædificium sustineant, & ne corruat, aut labefactetur facilè, corroborent, statuant, confirment. Quod multò esse verissimum, & ipse tandem perspicua rei veritate adactus confitetur Brentius: Non loquimur, inquiens, de ea Traditione, qua nobis sacra Scriptura, & quæ in ea continentur, à Maioribus in manus sunt tradita. Nam hanc Traditionem affirmamus esse certam, & firmam, & indubitatã. Et quibusdam interiectis: Quæ Prophetarum & Apostolorum scripta Maiores nostri magna fide & diligentia conseruarunt, & nobis inuiolata tradiderunt, hęc Traditio nobis necessaria est, & omnibus modis amplectẽda. Si igitur Brenti hæc Scripturarũ Traditio certa est, firma est,

Fidei fundamentũ Scriptura: sedearum basis ac firmamentũ est Traditio nõ scripta, quæ ea subtracta, totũ Scripturarũ ædificiũ corruat.

indubitata est: cur non & ipsa Traditio certum & indubitatum est fidei fundamentum? an nō illa Traditione ceu fundamento nitatur Scripturarum fides? de quo qui ambigit, cogitet mihi obsecro Scripturam sine authoritate Canonica, quæ illi ex hac accedit non scripta Traditione, an non videat, ipsam euanescere Scripturarum authoritatem, haud secùs ac Euangelij, quod Nicodemi habetur, aut Bartholomæi, ipsámque fidem, quæ ex Scripturis concepta est, pessum ire, adeóque perire? Nititur ergo Traditione non scripta ceu fundamento ipsa fides. Vnde efficitur, Traditionem certissimum esse fidei fundamentum ac proinde hanc Traditionem, quæ nobis Scripturas tradit, & vti nobiscum Brētius Orthodoxè affirmat certam, firmam, & indubitatam, imò necessariam, atque omnibus modis amplectandam docet, esse fidei fundamētum pro qua, vti ipse ait, tanquàm pro aris & focis pugnandum, nō aduersus, vti appellat, Traditores aut Traditionarios, sed sacrilegos Traditionum nō scriptarum fures & impios illarum violatores. Cùm igitur adeò sit perspicuum, adeò manifestum, atque vel aduersarij cōfessione indubitatū, Traditiones non scriptas certissimum esse fidei fundamentum, quid ab istis Traditionibus non scriptis conuiciatur Brentius appellandos Traditionarios, aut Traditores? an ipse alicui aduersario Anabaptistæ quatuor Euangelia, aut epistolarū Paulinarū authoritatem confirmatam requirenti, aliud, quàm Traditionem nō scriptam queat cum ratione opponere? Si igitur & ipse necessariò ad Traditionem cōfugere cogitur, án non ipse verissimè conuincatur non solùm, vti appellat, Traditionarius, sed etiam, si vocabulo delectetur breuiori, Traditor?

Euangelium Matthæi potius quam Thomæ, aut Bartholomæi aut Nicodemi, facit fide dignū sola nō scripta Traditio.

Quòd Brentius cogatur vti traditionibus nō scriptis ad statuendā fidē Christianā.

Pergit tamen reluctari, ac quasi non ipse Traditionibus non scriptis cogatur vti ad suam, quam iactat, fidem cōstituendam: Hæc Asotica sententia, inquit, de Traditionibus omninò refutanda est. Quid Asoticam facis Brenti, quæ non ex Asoto illa idolis dedita est profecta, aut homine Asoto, qui aut impietate, aut impuritate sit Asotus, orta: sed ex Ierusalem Dei veri cultrice? sed ex illa Sion vnà cum Euāgelio prognata? sed quam ipse tuo

Euangelio defendendo compellaris necessariò pretexere, si illud aduersus Anabaptistarum tela cupias saluum persistere atque incolume? quemadmodum copiosiùs libro primo est demonstratum.

Caput II.



Roinde iis nũc omissis, ratiunculas expendamus, quibus Brentium hasce non scriptas Traditiones oppugnare aggredi non puduit. Quid enim miserius, inquiebat, quid ærumnosius esset Ecclesia filij Dei, quid incertius salute Ecclesiæ, si fundamentum fidei eius penderet ab Asoticis Traditionibus? Quid ita obsecro? An non ipse disertis verbis profiteris sacram Scripturam à Traditione non scripta pendere? Hãc Traditionẽ, inquiens, Scripturarum (quę haud dubium est, vel te tibi teste, nõ scripta) esse certam, firmam, indubitatam, imò necessariam, ac omnibus modis amplectendam? Si non pugnat cum fidei certitudine, Scripturam ipsam Euangelicam à non scripta pendere Traditione, vti ipse hîc nõ tam ingenuè quàm disertè agnoscis, an cum fidei certitudine pugnet, quædam alia momenti longè minoris citra Scripturam tradita esse fidei eiusdem fundamẽta? Sed quid miserius, ais, quid ærumnosius Ecclesia, quid incertius salute Ecclesiæ, si fidei eius fundamentũ pẽderet ab Asoticis Traditionibus? Nõ ab Asoticis, ô bone, sed Apostolicis. Vnus Petrus de Soto isthoc Asotico elogio abs te eximiè exornatus, atq; immortalitati gloriosiùs cõsecratus, Ecclesiæ filij Dei non præscribit fidei regulam: sed quam ipse pius cùm primis Ecclesię Catholicæ filius, ac membrum haud sanè infimum, (vtvt sese, qua est animi pietate verè Euangelica, ac humilitate planè Apostolica, prorsùsque singulari inter tam varios, & eosdẽ multò gloriosissimos honorum titulos, à Cæs. Maiest. oblatos, imò obtrusos, suo se metiens pede viuus viuos fallit) à maioribus Apostolorum discipulis copiosè hausit suis in Christo fratribus, ad profligandas istorum errorũ tenebras, pio studio annititur pietatis cum vsura cõmunicare. Nõ in eũ

Refutantur ratiunculæ Brentij cõtra non scriptas Traditiones.

Petri de Soto encomiorũ seminarium.

Traditiones Apostolicas non scriptas verè esse fidei fundamentũ ex Basil.

Vide Basil. de Spir. S. 8. cap 7.

Vide epi. 73. et alias eiusdem.

igitur Brenti inuehendum fuit contumeliosiùs, non insurgendum hostiliùs, non ab eo erant Ecclesiasticæ Traditiones per conuitiũ appellandæ asoticæ: sed quò istius animi virulentiam pium in virum conceptam euomeres fusiores, istam immortalem, si posses, illi aspergere voluisti contumeliam. Sed quid illi hanc pepererit tragœdiam, in propatulo est: vox illa, Traditiones Ecclesiæ non scriptas esse fidei fundamentum: quam tametsi verissimam esse lib. 1. cap. 4. vel tuis ipsius velis nolis, verbis effecerimus, hîc quoque nũc & D. Basilij testimonio venit confirmanda. Olim cùm Eunomiani alio in belli genere Catholicam oppugnarent doctrinam, sese non fidem illam Catholicam, sed doctrinam aiebãt oppugnare Basilij Monachi sicuti nunc Brentius, & alij sese Monasticam, Asoticam, Papisticam exagitare iactitant. Verùm hunc prætextum Diabolicum facilè fuit, vti & hodie, piis omnibus animaduertere, in homines quidem bellum instrui, sed Dei fidem hac ratione oppugnari. Cúmque Eunomiani Spiritus sancti diuinitatem oppugnantes, dictitarent, se secundum Scripturas loqui, nihil se contra Scriptores docere, tametsi quasdam voculas, Cum quo, in quo, & similes ab vsu piorum (inquiebant) alienas negligerent, ac repudiarent, audi obsecro, ecquid illis D. Basilius Magnus responderit: *μὴ λανθανέτωσαν δὲ, ὅτι πρόσχημα μὲν ἡμᾶς ὁ πόλεμος ἔχει, ἡ δὲ ἀλήθεια τῶν γινομένων πρὸς τὸ ὕψος βλέπει, ὡς ἐφ' ἡμᾶς μὲν δῆθεν τὰς μηχανὰς, καὶ τὰς ἐνέδρας διασκευάζονται, καὶ ἀλλήλοις ἐγκελεύονται ἐπιβοηθεῖν, ὡς ἕκαστος ἔχει ἐμπειρίας, ἢ ῥώμης. πίστις δὲ ἐστι τὸ πολεμούμενον, καὶ κοινὸς σκοπὸς ἅπασι τὸ στερέωμα τῆς εἰς χριστὸν πίστεως καταστείσαι, ἐκ τοῦ τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν ἐδαφισθεῖσαν ἀφανισθῆναι. διὰ τοῦτο, ὡς τῶν χρεωφειλετῶν οἱ δῆθεν εὐγνώμονες τὰς ἐκ τῶν ἐγγράφων ἀποδείξεις ἐπιβοῶνται, τὴν ἄγραφον τῶν πατέρων μαρτυρίαν ὡς οὐδενὸς ἀξίαν ἀποπεμπόμενοι.*

Heretici prætextu doctrinæ humanæ fidem Dei oppugnant.

Quod Latinè sonat: Ipsos verò ne lateat, inquit cap. 9. de Spiritu sancto, nostri quidem prætextu bellum geri, id tamen quod re vera agitur, contra Deum agitur: quasi contra nos quidem & machinas & insidias struunt, seséque mutuò ad mutuum hortantur auxilium, quatenùs quisque aut experientia valet, aut robore: verùm fides

est, quæ oppugnantur, communíſque omnibus ſcopus fidei firmamentum ſiue fulcimentum quaſſare atq; peſſundare, Traditionem Apoſtolicam humi deiectam obliterando atque abrogando. Proinde ſicuti debitores iſti improbi, probationes expetunt ſcriptas, illam non ſcriptam Patrum teſtificationem quaſi nullius momenti aſpernantes. Viden' Brenti, eiſdem cuniculis Eunomianos fidei fundamentum euertere conatos, quibus vos hodie? nimirùm, Traditiones Apoſtolicas non ſcriptas ſolo ęquatas abolendo? Rectè igitur D. Baſilius ceu fidei firmamentum atque fulcimentum nititur propugnando conſeruare, ne iis ſubtractis totum ſemel corruat doctrinæ Chriſtianæ ædificium, etiam illud, quod vel liquidis Scripturarum capitulis in ſpeciem videatur obuallatum, quemadmodum Baſilius inferiùs demonſtrat cap. 28. Quod ergo verè rectéque ait Baſilius Magnus pro ſtatuenda Spiritus ſancti diuinitate, de illis non ſcriptis Apoſtolorum Traditionibus, eas eſſe fidei στερέωμα fundamentum, rectè quoque ſimul & verè Petrus de Soto, de omnibus in vniuerſum pronunciauit Traditionibus Eccleſiæ ab Apoſtolis ſine ſcripto, ſed viua tantùm voce relictis.

Qui omniū fidei dogmatū probationes ex ſcriptis exigunt, ſimiles ſunt debitoribus improbis.

Verùm quàm ſit iniqua atque ridicula Brentij tergiuerſatio, imò veriùs maligna cauſatio, videas licet Lector candide, ſi ea repetere animo non grauaberis, quæ huius in veſtibulo operis delibauimus, de ſacrarum Euãgelicarum literarum exordio, quando ſcripta Euangelia, quo conſilio, quo denique ſcopo, quàm multos vſque annos Eccleſia Chriſtiana ſine omni ſcripto Euangelio ſeſe tranſegerit, atque ab hæreticis ſeipſa per ſe ipſa ſolis viuæ vocis Traditionibus ſaluam ſit tutata, oppugnata ſe defenderit, oppreſſa propè hoſtium telis vna hac non ſcripta Apoſtolorum Traditione, veriſſimo ſuæ quodam fidei ſcuto, in priſtinam ſe doctrinę purę libertatem vindicarit. Non igitur incerta eſſet Eccleſiæ Chriſtianæ ſalus, ſi à viuæ vocis penderet Traditionibus. Quid autem, inquiebat hac in cauſa pugnans D. Irenæus libr. 3. cap. 4. Si neque Apoſtoli quidem Scripturam vllam reliquiſſent nobis, nónne oportebat ordinem ſequi Tradi-

Vide libr. 2. cap. 4. & ſequent.

Quidnam Chriſtiani anno Domini 150. nullas habebāt ſcripturas teſte Irenæo.

Ecclesiam sine Scripturis Apostolicis potuisse persistere, sine Traditionibus verò non potuisse, ait Irenaeus.

tionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Vbi affirmat, esse sua ætate quosdam lingua barbaros quidem, sermone verò sapientissimos, qui fidem Catholicam sine literis vllis crediderint ac susceperint, ádeóque in illam vsque ætatem sine vlla Scriptura conseruarint. Cæterùm quod illis subtexuit Brentius, iustiorem fortè videatur quiritationis continere causam: An non hac via, inquit, coniiceretur Ecclesia in extre-
ơ mam seruitutem ambitiosissimorum Prælatorum, & su-
ơ perstitiosissimorum hypocritarum, qui prætextu Apo-
ơ stolicarum Traditionum obtruderent Ecclesiæ non so-
ơ lùm vanissimas quasi nugas & ineptias, verùmetiam horribiles errores amplectendos? Vt istiusmodi Prælatos, quos tibi tuus pius fingit animus, tibi in filij Dei Ecclesia esse concedamus (quos nec tua Confessio Vvirtembergensis ab Ecclesia separat: quàm id verò cũ aliis Euangelicis consentaneè, viderit ipsa) an istius rei periculum sit magnoperè metuendum? Sanè si Ecclesia Catholica spiritu regeretur humano, non Christi potiùs, aut diuino, verendum foret, ne accideret ea, quam cogitatione tibi fingis, seruitus. Verùm dum istud Catholicæ Christi Ecclesiæ metuis, non parùm in Christi Spiritum Ec-

Inanis Brentij solicitudo pro Ecclesia in errorem seducenda, quòd eam ex humana metitur prudentia.

Matth. vlti.

« clesiæ Christianæ promissum Doctorem omnis verita-
« tis indubium, ac ductorem indefessum deprehenderis
« iniurius, ne dicam blasphemus. Ego vobiscum sum, inquiebat, veritas omnis falsi expers, ac fallere nescia, vsq; ad consummationem seculi. Rursus, Cùm venerit Spiritus veritatis, ille vos in omnem inducet veritatem. Sint ergo Prælati ambitiosi, sint superstitiosi, haud sanè in vniuersum tales erũt vnquàm Christiani gregis nec pastores, nec ouiculæ: illis certè non patietur pastor ille suarum ouicularum studiosissimus, ac verè zelotypus venenata loco salutarium obtrudi pabula, nedum horribiles, quos fingis errores. Sint igitur, qui istiusmodi prætextu Apostolicarum Traditionum horrenda inuehere studeant dogmata, an ea suo de cerebro fabricabunt? quo modo igitur Traditiones erunt Apostolicæ? Sin testimoniis Scriptorum veterum dabunt confirmatas, iam superest, vt ad illorum scripta expendantur, atque cum

Ioan. 16.

Ecclesiarum consensu componantur: quemadmodum in dogmatibus quibusdam de gemmato Christi regno in Ierusalem per annos mille futuro, de mundi item fine, & similibus olim vsu venisse legitur. Verùm quia filij Dei Ecclesia eius gubernatur Spiritu ductore, ac docetur eodem doctore, non est, cur istud mi Brenti metuas anxius, te equidem iubeo esse huius securum, ne Apostolicarum Traditionũ prętextu in Ecclesiam Christi Catholicam horrores inuehantur horribiles. Nam si tale quippiam per quosdam Prælatos suo indignos & loco & nomine, moliatur aliquando Diabolus, vti per Antiochenos aliquot & Constantinopolitanos, adeóque Ierosolymitanos, ad alias est confugiendum Ecclesias, quibus Apostoli præfuerunt ipsi, aut eorum discipuli. Nam & in hoc prodest cognitio ordinariæ successionis, vt habeamus ordinaria testimonia, quibus sciamus, non solam hanc esse Scripturam, in qua contineatur vera Prophetarum & Apostolorum doctrina, quod fatetur Brentius verbis posteà paululùm subiectis: sed eorum prætereà, quæ Traditionibus non scriptis, sed viuæ vocis quoque oraculo posteris tradidêre: qualis est illa in primis, hanc Scripturam modò per orbem receptam esse verè Euangelicam: has illásue epistolas Pauli esse, non alterius: quatuor tãtùm esse Euangelia, non plura aut pauciora: quas Traditiones quum Brentius disertis verbis pronunciet esse necessarias, & omnibus, ait, modis amplectendas: & pòst: Tantùm abest, vt hanc Traditionem abiiciamus, vt pro ea tanquàm pro aris & focis aduersus Traditores pugnemus: maiorem equidem in modum demiror, cur sibi aduersus Traditores (ita enim & Traditionarios appellat eos, qui Traditiones non scriptas retinere student) pugnandum putet? an non ipse luculenter secum pugnat, quum Traditiones non scriptas de Euangeliorũ numero & authoribus, amplectendas, imò necessarias prędicat tamen eos appellare nõ veretur Traditionarios, aut si breuiori, ait, vocabulo delectaris, Traditores? Sanè si illi istis sunt nominibus digni, ipse profectò Brẽti eis es dignissimus, qui Traditiones illas verũ fidei fundamentum, sine vllo

Brentius secum ipse pugnans, se iugulat miser.

Scripturæ testimonio censebas túi oblitus omnibus modis amplectendas, necessarias, ac pro eis, tanquàm pro aris & focis aduersus Traditores pugnandum. Tecum igitur pugnes ipse per nos liceat:sed quo tandem cunq; modo tecum ipse pugnaueris, fieri non poterit, quin & Traditionarium, aut si breuiori delectaris vocabulo, Traditorem te ipse conuiceris, ac tuis adeò verbis clarissimis te Traditiones non scriptas, sed mero viuæ vocis oraculo proditas, necessarias, omnibúsque modis profitearis iterum, vti illic, amplectendas.

Responsio ad Scripturas à Brent. detortas aduersus Traditiones.

Isthoc igitur fundamento, quod tam futiliter iacere moliebatur Brentius, subuerso atque profligato, nunc ad Scripturarum testimonia, quibus hanc ad rem extruendam abutebatur, est veniendum. Enumeratis igitur aliquot, quas commentatur citra vllum vel Scripturæ vel Scriptorum veterum testimonium, causis, cur scriptũ sit Dei verbum: Voluit igitur, inquit, capite de Scriptura, Spiritus sanctus Scripturam initiò quidem per Moysen, deinde per Prophetas & Apostolos literis mandatam extare, vt vera Ecclesia Domini haberet certissimam regulam, ad quam omnia Philosophica, Cabalistica, & Asotica deliria exigeret ac sciret, nullam aliam vocem, ne Angelicam quidem, quę Scripturę maximis omnium miraculis confirmatæ non esset consentanea, pro cælesti voce agnoscendam. Quid tuipse igitur posteà Brenti, capite de Traditionibus, quasi verborum istorum longiùs fortè præcedentium oblitus, illas voces, quæ hanc esse docent sacram Scripturam, hæc quatuor esse Euangelia, has veras esse Diui Pauli epistolas, pro indubitato Dei verbo suscipis credendas? imò necessarias, adeóque omnibus modis prædicas certò ac firmiter amplectendas? Cui obsecro Scripturæ hæc vox est consentanea? an fortę dicas, Ezechielis visioni? demus illas quatuor rotas quatuor adumbrasse Christianæ doctrinæ Euangelia: sed cui dicas Scripturæ consentaneum Matthæi potiùs Euangelium, quàm Matthiæ esse suscipiendum? Cur Lucæ & Marci discipulorum potiùs Euangelia, quàm illa, quæ duodecim Apostolorum, ac Petri adeò & Pauli, Iacobi, & Bartholomæi nomine circumferebantur inscripta?

ſcripta? An verò hæc Euangeliorum volumina, Lector Christiane, ad illam Scripturarum, quam dicit Brentius, certiſſimam Eccleſiæ regulam credas fuiſſe exacta & expenſa? Iſthic ſanè mihi ſumere ſibi videntur aduerſarij ſuo quaſi iure rem nullo modo probabilem. Quis tam cęcus in eruenda ac contemplanda verbi Dei Euangelici indole, origine, ac propagatione vnquàm fuit, vt non videat, quàm ſit iſtud à vero longiſſimè alienum? Quod piis omnibus æquiſque Lectoribus perſpectum iri confidimus, qui eorum, quæ lib. 1. demonſtrauimus, tenuiter meminerit. Totos annos, minimùm octo, citra vllam Scripturam Christiana degebat Eccleſia, cœpit Mathæus ſcribere: ſed ad quā Scripturam eius fuit expenſum Euangelium? D. Ioan. Euangelium anno Christi 66. ſcriptum eius Theologiam propugnans, ad quam obſecro Euangelicam exigebatur ſcripturā? Verùm iſtud ſomnium illud vnum D. Serapionis Antiocheni exemplum clariſſimè confutet, qui Euangelium Petri nomine Eccleſiis & obtruſum & iam diu lectum, ſola Traditionis regula, quòd non ita eſſet traditum, atque illic legebatur, à Canonicis remouit libris, atque inter apocrypha reiiciendum notauit. Longè ergo aliam fidei regulam Christus Ieſus ſuæ Eccleſiæ præſcripſit Apoſtolis ſuis, dicens: Euntes prædicate Euangelium, docentes eos ſeruare quæcunq; pręcepi vobis. Hæc eſt regula doctrinę Euangelicæ, quicquid nimirum Apoſtoli à Christo didicêre, quicquid eos Christi docuit Spiritus. Iſtud eſt verum ac plenum Euangelium, non quòd literis tantùm eſt comprehenſum: quamquàm & hoc verum, ſed non plenum. Iſtud eſt verum illud Dei verbum, quod manet in æternum, quod Apoſtoli Eccleſias docuerunt: non quod literis tantùm eſt deſignatum, ac veluti carceribus incluſum ſed teſte Petro Apoſtolorū Principe, *ὅ τὶς ὑμᾶς εὐαγγελισθὲν*, quod vobis per Euangeliſtas & Euangelij præcones eſt annūciatum. Verùm hacde re copioſiùs li. 1. diximus. Vides igitur perſpicuum, Lector Christiane, iſtas Brentij voces non eſſe pro voce cęleſti agnoſcendas, quas pro voce, vti apparet, cæleſti fundere ipſe credit: ſed fallitatis Pſeudoapoſtolicæ pleniſſimas, ſubdolum ad imperi-

Euangelium Mathæi non fuiſſe ad Scripturas expenſum ſed ad non ſcriptam Apoſtolorum Traditionem

Vide libr. 2. cap. 4.

Pſeudoeuangelia olim dānata apocrypha non ſcriptis diſſentirēt Traditionibus.

Fidei regula quæ à Christo Eccleſiæ ſuæ præſcripta.

Math. vlti.

1. Petr. 1.

torum ac simplicium fraudem quàm perniciosum præstruere cuniculum, vt aditu occulto quidem, sed pernicioso in Lectoris minùs aut eruditi, aut vigilantis animum irrepat, cum isthac machinatione plus quàm exitiali, quæ fidei regulam persuadeat vnam selámque fuisse olim, ac modò esse Scripturam sacram.

Caput III.

Dissolutio argumentorũ Brentij contra scripta fidei dogmata.



Erùm ne istud dogma veteribus Scriptoribus incognitũ, ac recentioribus istius mundi suo præ senio propè delirantis hæresibus, ab orco reuocatum, ac iteratò recrudescens, sine Scripturarum testimoniis videatur secutus, tãquàm bonus Scriba in regno Dei doctus de thesauro suo proferre studet noua & vetera. Nam quod, ait, veteribus grauissimè dictum est: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facies Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Et: Non declines nec ad dexteram, nec ad sinistram: hoc idem nobis eadem grauitate dicitur, si nos, aut Angelus de cælo prędicauerit vobis Euangelium, præterquàm quod prædicauimus vobis, anathema sit.

Mirùm est homines alioqui nec ingenio infœlici, nec eruditione mediocri præditos, ita opinionibus anticipatis videre captos, imò veriùs excæcatos, vt nihil plùs pensi habeant, quid aduersus doctrinam Orthodoxam opponant, perinde quasi huius discipuli mentis aut iudicij habeant nihil. Hæc illa sunt certè argumentorũ capita quasi formidanda, quibus terrent infirmos aduersarij, & minùs quàm contra ipsos expedit sacris literis, ac veterum Scriptorum lectione munitos. Sed inanium verborum flumine conturbabitur nemo, qui firmiter modò super illam petram Euangelicam, vno totius Christianæ Ecclesiæ ore confirmatam atque consensu Patrũ, claróque Scripturarum suffragio corroboratam, est fundatus: sicuti nec sententiarum subtilitate, vbi vera est orationis siccitas, quam mox Deo adiuuante dabimus omnibus conspicuam. Isthæc igitur aduersariorum tela peruagata sanè & vulgaria, & si quid aliud alij maioris

adferunt roboris, quod validiori quasi ariete quatit atq; exagitat doctrinam, superiùs ex claro ac contestato Catholicorum Scriptorum iuxtà ac vetustissimorum consensu demonstratam verissimam, Non omnia scilicet Scripturis esse contenta, quæ fide credenda tradit Ecclesia Catholica, nunc agè ostendamus, esse prorsus inualida, imò vitrea, ac ficulnea, quæ illam nequicquam concutiant, nedum labefactent, aut euertant. Quod præcipio tibi, hoc tãtùm facias Domino, nec addas quicquàm nec minuas. Quàm istud aduersariorum iaculum nihil quicquam Catholicæ doctrinę Traditiones non scriptas amplexanti incutiat vulneris, hinc est liquidò perspicuum, quòd isthæc sententia initiò nihil omninò de fidei agat capitibus. Hoc tantùm facias, inquit Moyses: non ibi est de fide solicitus, sed de iis, quæ facienda erãt, hoc est, de ritibus sacris, quibus DeusMax. erat colendus in illa pędagogia Iudaica. Hoc enim ex ipsa Deut. ca. 12. lectione est manifestius, quàm vt vlla orationis nostræ luce habeat opus, aut commentatorum veterum suffragiis. E vestigio pręmonuerat suos Moyses: Caue, inquiẽs ne imiteris eos, gentes scilicet, quas Deus Opt. Maximus delebit, postquàm fuerint te introeunte subuersæ, & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Isti impio Iudæorũ consilio D. Propheta occurrit, præoccupans: Non facies similiter Domino Deo tuo, omnes enim abominationes quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & cõburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tãtùm facito Domino, nec addas quicquàm nec minuas. Viderit nunc æquus arbiter, quídnam illa Dei vox veteribus grauissimè dicta, nostris pugnet cum fidei Traditionibus, quæ de meris agit cæremoniis Iudaicis? Hoc tantùm facito, ait non addas quicquam, eorum scilicet rituum, quibus Ethnici suos coluêre Deos. Hoc illud est, quod cauendũ monet, Caue ne dixeris, Ita & ego colam. Sed faciamus & de fide accipiendum, quod tantùm de fidei cultu ac ritibus sonat, quid aduersus nos hæc facit sentẽtia, Nõ addas, nec minuas? Hoc sanè homini vetat addere aut demere quippiã. Istud & nos omninò senti-

Non addas quicquam.

Deut. 12.

Ecclesia Catholica nihil addit verbo Dei, sed per Christi Spiritum Scripturis addita piè suscipit ab Apostolis.

mus prohibitum, nihil posse ab hominibus fidei vel addi vel detrahi. Verùm si quid Catholici docemus non scriptum credendum, id omne à Deo eiusque Spiritu profitemur quidem nobis perscriptum ac traditum, sed hominum ministerio ac opera: sicuti & ipsa Euangelia. Nos igitur Dei verbo addimus nihil, Traditiones fidei non scriptas amplexantes: sed Christi Spiritu doctas, atque ad credendum Ecclesiis per Apostolos verbi Euangelici administros propositas, vti olim Iudæi per Apostolum Moysen, eadem suscipimus veneratione atq; fidei certitudine, qua ea vniuersa, quæ disertis verbis sacra præscribit Scriptura.

Porrò illud, quod attexuit Brentius, Non declines ad dexteram, nec ad sinistram, quàm est imprudentiæ, ne dicam impudentiæ plenum? Quid enim istud Scripturæ capitulum ad rem, de qua in præsens agitur? Certè vti verba dudum germano suo sensui ab adulterino, in quē detorsit Brentius, vindicata, hominis arguunt improbam fallendi cupiditatem, ita ista importunam eiusdem stoliditatem, cùm Iudæis præcipiant nihil omninò idololatrici cultus illi à se præscriptæ latriæ admiscendum.

Galat. 1.
Si quis euangelizauerit præter id qđ accepistis.

Sed Pauli ad Galathas capitulum imperitos faciliùs perturbet, atque à recta Catholicæ doctrinæ semita seducat. Eadem grauitate nobis, inquit Brentius, dicitur: Si nos aut Angelus de cælo prædicauerit vobis Euangeliū, præter id quod prædicauimus vobis, anathema sit. Qui vel mediocri est ingenio, vel tenui rerum experientiâ, videat hîc perspicuè aduersarios in luce plus quàm meridiana cæcutire, vtinam non prudentes scientes. Quid enim? An Pauli sententia cum Euangelica doctrina ab ipso Paulo vel Romanis, vel Occidentalibus Ecclesiis viua voce pòst tradita pugnat? an cum Ioannis Apostoli aut Apocalypsi, aut Euangelio? an denique cum ipsis D. Pauli epistolis, post illam ad Galathas datam indubiè scriptis? Hæç omnia, inquias, nihil habent præter id quod Paulus prædicarat. Sanè nihil præter quam id quod Paulus prædicarat. Nec quicquam est præter id, quod Paulus docuit, quod hodie Catholica Christi obtinet Ecclesia ab Apostolis Christi Euangelio imbuta.

Nam cùm ipsissima Apostolorum doctrina non tantùm consentiunt omnia (quod de Principibus fidei Christianæ capitibus hoc opere dudum est demonstratum) quæ ceu fidei articulos nunc temporis per orbem Catholici & credimus & prædicamus, & aduersus nouos Euangelij Pseudoapostolos tuemur, & propugnamus: sed ex eadem quoque nobis sunt prognata & propagata. Quicquid igitur cum illa doctrina liquidò Apostolica, & certò Catholica non congruit, non conspirat, non consentit, sed diuersum est, dissentit, aut pugnat, est præter illud Pauli Euangelium, est aliud Euangelium, est anathema. Talia erant vniuersa, quæ apud Galathas Cerinthus, si Epiphanio credimus, & alij illi Iudaizãtes Christiani de circumcisione vnà cum Euãgelio colenda ac retinenda docebant. Talia, quicquid posteà Ebion, Sabellius, Arrhius de Christo homine Deo finxêre, & istius fæcis plurima priscorum hæreticorum deliria.

Sed quia Diuum Augustinum magnopere iactant aduersarij, audiant hîc eum disertè contra ipsos pronunciantem. Hunc enim locum Tractat. 98. in Ioannem pertractans: Non ait Apostolus, plus quàm accepistis, inquit, sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalo- » nicenses, vt suppleat quæ eorum fidei defuerunt. Sed qui » supplet, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit. » Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit » in via, sed recedit de via. Quibus ex Diui Augustini verbis est Solis luce manifestius perspicere, ea omnia, quæ Apostoli tradidêre Ecclesiis suis siue sermone, siue per epistolas, non esse præter Euangelium, quod Paulus Galathis prædicarat: sed quædã fuisse ab Apostolis addita temporibus posterioribus, vti Thessal. Vt compleamus, quæ desunt fidei nostræ: & Corinthiis: Non potui vobis loqui tanquàm spiritualibus, sed tanquàm carnalibus. Item eisdẽ: Cætera cùm venero, disponam: quę ad ædificationem Ecclesiæ, ait Ambrosius in eum locum, pertinent, præsentia sua ordinare se promisit.

Apostolus ait non plus, sed præter id quod accepistis.


1. Thess. 3.
1. Cor. 3.
1. Cor. 11.

Apostoli sua viua voce cõpleuerunt, quod partim scripto docuerũt.

Verùm vniuersa hæc ab Apostolis semel tradita non

fuêre, ait Augustinus, præter id quod acceperant Ecclesiæ, sed plus quàm initiò acceperant. Istud Apostolicæ doctrinæ genus vniuersas complectitur fidei Traditiones, quas Catholica Christi Ecclesia indubiè Apostolis refert acceptas. Non ergo fidei capita Scripturis nõ apertè contenta, imò non scripta, sed tradita, præter Pauli sunt Euangelium: sed eiusdem sunt portio haud sanè minima, aut contemnenda: sed idem cum illo, vnúmq; sunt Euangelium: sed adeò ipsius etiam Euangelicæ Scripturæ fundamentum & basis: quod Brentius ipse cogatur agnoscere, vti hæc quatuor Euangelia esse verè Euangelia: hãc ad Galathas epistolam verè esse Pauli. Verùm hac de re ita diffusè suprà diximus, vt hîc repetendi non sit locus idoneus.

CAPVT IIII.



Ropulsatis iis telis, quibus vulgò doctrinam Euangelicam non scriptam audent impetere aduersarij: nunc illos producamus arietes ex Paulo & Esaia in aciem, quorũ vno impetu nihil dubitãt sese Traditiones non scriptas ita labefactare, vt vno concussæ motu concidant, atq; corruãt vniuersę.

Responsio ad locum illum 2. Timoth. 3. Omnis scriptura vtilis est ad docendum.

Omnis scriptura, inquiunt, diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus, aut vt Paulus loquitur, ἐξηρτισμένος vt homo Dei omnibus eruditionis gradibus perfectus, & ad omne opus bonum sit omnibus numeris absolutissimus. Volunt hinc aduersarij, Scripturam solam ita doctorem Euangelicum omnibus semel numeris absoluere, vt ad omnia Ecclesiastica munia obeunda, vno scripto Dei verbo informatus, abundè ad perfectionem sufficiat. Frustra igitur, inquiunt, Traditionum colluuie & decretorum pondere Euangelicus Ecclesiastes oneratur, qui vna Scriptura armatus, ad omnia functionum genera Ecclesię Dei necessaria redditur absolutissimus. Isthoc D. Pauli loco seu vinea quadam commentariorũ cratibus, velleribúsq; communita, aduersus omnem Catholicorum obnixũ sese victores euadere nõ dubitãt, ac iamdudum Traditiones fidei nõ scriptas sese

pessundedisse gloriantur. Sed caueant, ne triumphum ante victoriam. Si enim locus iste haud adeò magna difficultate implicitus euoluatur apertiùs, nullo fiat negotio perspicuũ, eos hominibus rudibus vanissimos verborum fumos pro rebus ipsis obtrudere. Nam vt pedem cum aduersario figamus, initiò Diuus Paulus de solo veteri testamento manifestiùs agit, quàm vt ea in re ostendenda multus esse debeam: Quia ab infantia, inquit, versu ab hinc superiore, sacras literas nosti, quæ te possunt instruere per fidem, quæ est in Christo Iesu. Desiderat itaque D. Paulus præter Scripturam, fidem in Christũ, quæ veteri Testamento accedat magistra. Vetus itaque Testamentum tot rerum futurarum typis præformatum, tot mysteriorum vmbris adumbratum, tot oraculorum nebulis atque inuolucris quasi obuelatum, Christi fide meridiano suo tanquàm Sole illuminatum, vtile demùm est ad docendum, & corrigendum, vt homo Dei perfectus sit, & àd omne opus Ecclesiasticum peragendum absolutissimus: sed per fidem, inquit, in Christo Iesu. Cæterùm aduertamus obsecro accuratiùs aureas Diui Pauli voces: Vtilis est, inquit, omnis Scriptura: non ait, Vetus Testamentum omnia Christiana fidei dogmata disertè explicat: non item, omnia Sacramentorum mysteria nominatim aperit: sed tantummodò, ad omnia ista vtile est. Nam & Diuus Paulus ad Ephesios 3. testatur, imperuestigabiles diuitias Christi sibi ad Euangelizandum creditas, id est, ingentia, adeóque immensa Christianismi beneficia non fuisse reuelata hominibus alterius ætatis, sicut nunc, inquit, reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in Spiritu. Cùm ergo D. Paulus plurima Christi beneficia etiam Prophetis ipsis, nedum populo Iudaïco, qui ex Prophetarum oraculis pro suo quisque captu Christi cognitionem hauriebat, ignorata fuisse testatur, quis non videat, Euangelicos istos extra Diui Pauli sensum eius verba obtorto quasi collo pertrahere? Rursus, quòd omnis Scriptura dicit Paulus, mihi equidem non leue habere videtur momentum, ad istam aduersariorum impudentem imperitiam redarguendam. Paulus hoc elogij non modò vni-

Locum hunc Pauli ad Timoth. nihil prorsus Traditionibus humanis aduersari.

Ephes. 3.

Aduersariorũ imperitia admodùm crassa in obijciẽdis Scripturarũ capitulis.

uersæ tribuit Scripturæ, quòd vtilis sit ad docendum, arguendum, & vt homo Dei sit perfectus: verùm singulis etiam partibus, singulis adeò libris, imò lineis. Nam nihil sacris in literis legitur, quod non istorum aliquò faciat. Quemadmodum igitur Pentateuchus Mosaïcus indubiè vtilis est ad docendum, ad arguendum, vt denique homo Dei perfectus sit: tamen idcirco Psalmos, aut Esaiæ vaticinia ceu superuacanea damnat minimè: ita nec vetus tota Scriptura nouum repudiat Testamentum ceu superuacaneum, quòd & ipsa hominem Dei perficiat, atque haud quaquam postremas hac in re conficienda ferat. Ideóque nec vniuersa noui & veteris Testamenti Scriptura respuit Traditiones Apostolicas non scriptas, quæ pleniùs hominem Dei perficiant: sed crassæ istius inscitiæ naturâ suâ præcipitis ac temerariæ iam dudum pertæsos pudet, credo, aduersarios, pigétque. Ideo & Paulinæ sententiæ, quæ de solo veteri Testamẽto agit, nouum subtexere sunt coacti: quibus duobus absolutissimum aliquem creari Euangelicum somniant.

Fides Christi veteri addita Testamento, absolutum præstat Theologum Paulo.

Verùm D. Paulus vtilem dicit esse veterem Scripturam, quæ absolutum reddat hominem Dei, sed per fidem Iesu Christi. Vides, vt præter Scripturam veterem Christi item fidem desideret, quæ inchoato velut operi per Scripturas colophonem addat? Fides ergo Christi veteri Testamento quasi coniugata, istas Theologi omnibus numeris absoluendi partes authore Paulo sortita est: quòd fides nimirùm Christi viuum illum aquarum viuẽtium, quæ magno fluunt impetu de Libano, Euangelicæ veritatis fontem singulariter aperit, ex quo omnia Christianæ religionis dogmata abundantissimè iuxtà ac suauissimè haurias: temerata suo ordini ac loco restituas: corrupta pristinæ integritati reddas.

Fides Christi veteris Testamenti verissim. sol. Ioan. 14. Esa. 29.

Fides enim Christiana in primis docet Christi verba Apostolis dicta, & Spiritus sancti dogmata, eadẽ omninò authoritate, qua Spiritus sancti per Prophetas loquentis oracula esse suscipiẽda. Cùm itaque Christus Apostolos suos quibusdã Christianismi rudimentis erudiisset, Spiritum sanctum abiturus pollicetur doctorem, qui abstrusiora fidei dogmata illis tunc nondum tempestiua, atque plus quàm illis

congrueret, vti ille prophetauerat, signata, post suum in cælos reditum resignaret, pleniùs edoceret, atque eruditionis lineamenta perfectiùs absolueret. Quod quomodo pro variis dogmatum in controuersiam vocatorum occasionibus sit à Christo Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ luculenter præstitum, nolumus dictorum repetitione esse molesti. Ex primo enim lib. quis hæc copiosiùs discat, vbi diffusiùs ex instituto ea sumus persequuti. Omnis itaque Scriptura vtilis est ad docendum, & ad omnia Ecclesiastica munia obeũda, modò fides in Christum Iesum accesserit magistra, quæ Christi Spiritũ non solùm in Prophetis loquentem ostendat, sed & in Apostolis, sed & in Conciliis, sed & in Petri successoribus, Christíque vicariis. Viderint itaque, quàm præclarè de verbo Dei mereantur, qui vt verbum Dei natiuis suis, vt ineptiunt, fontibus reddant, verbum Dei toto Euangelio sacrilegè mutilant. Hoc enim loco D. Paulum de veteri duntaxat Testamento esse loquutum, Solis est luce manifestius. Nec si Euangelium veteribus Prophetis accesserit, iã ex Pauli sententia omnibus eruditionis Christianæ numeris quispiam absoluatur: Sed si fides Christi, verus adeóque singularis Testamẽti tam noui, quàm veteris Sol, studiosorum pectora illustrãs, omnem semel Spiritus sancti doctoris Christianæ Ecclesiæ promissi veritatem vbicunque affulgentem eadem prorsus veneratione vbique suscipiendam persuaserit, siue eã, vt Paulus loquitur, per epistolas, atque scriptum Dei verbum, siue per traditam viua voce doctrinam, atque successorum Traditione transmissam Ecclesia Dei Catholica, vnica veritatis columna, proponat credendam.

Fides Christi docet Spiritũ Christi vbiq; audiendum, & in Scripturis, & in Conciliys, & in Ecclesia.

Paulino isto propulsato ariete, alterũ quoq; ex Esaia in aciem contra Traditiones non scriptas producũt, qui illi priori quasi succencuriatus indubiam ipsis reportet victoriam. Cùm dixerint, ait Esaias ca. 8. ad vos, quærite à Phitonibus, & à diuinis, qui strident incantationibus. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis à mortuis? Ad legẽ magis & ad testimoniũ. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina. Quæ verba vt summo orationis habitu efficaciter

Responsio ad locũ Esaiæ, qui contra » Traditio» nes non » scriptas op» ponitur. Esa. 8.

Isthoc loco Bucerus aliquando triũphum sese agere videbatur, sed planè ante victoriam.

Astarte fuit Venus Beelphegor Priapus hortẽsius.

Paraphrasis loci Esaiæ.

admodùm pro aduersariis stare videntur: ita si detracta larua genuinam Prophetæ sententiam penitùs contempleris, mirùm, quàm hîc Silenos verè præposteros agnoscas. Propheta namque Esaias suos discipulos, omnésque pios in synagoga Iudęos à vitio Israëlitis quasi gentili idololatria, velut antidoto pręseruaturus, docet, quónam argumento Pythia oracula ab impuro illo Beelzebub Accaronæo, aut ab Astarte, siue Venere Sidonia, aut à Belphegor Amorrhæo seu Priapo, aut Daghone Philistæo reddita possint illudere atque refutare, án ne populus non quilibet, sed ille populus Deo vero initiatus, inquit, falsa Dæmonum idola consulat? Quid stultius? mortuós ne, aut putrido ligno, aut stupido saxo dolatos roget de viuis? Quid insanius? Ad legem magis & ad testimonium. Eam pro indubitato respõso consulite, eam pro quouis oraculo Pythio requirite. Si vates, inquit, ac diuini non responderint iuxta doctrinam de vero Dei cultu à lege præscriptam, non erit eis lux matutina, id est, rerum veritas eorum oracula non illustrabit, sed perpetua mendaciorum nocte iacebant oppressa. Si quis, inquit, vos impiorum aut Ethnicorum, aut Iudæorũ adeò ad idola, aut diuinos consulendos inuitet, veniat vobis in mentem, án ne populus à Deo suo quærat visionem? quod est, án ne populus veri Dei religione initiatus, à Deo suo responsum petere debeat? quæ sententia multò apud Esaiam est apertior: הֲלֹא עַם אֶל אֱלֹהָיו יִדְרֹשׁ בְּעַד הַחַיִּים אֶל הַמֵּתִים. Nũquid populus Iudaïcus à Deo suo requirat oraculum? án ab alio Deorum aliquo Iudæi petant veritatẽ, quàm à Deo suo? án à mortuis illis Diis, ligno putrido, carioso saxo, aut eruginoso metallo fabrefactis responsum petat? In qua sententia apud Hebræos duo sunt, quæ luculenter ostẽdunt hanc Esaię vocem esse deterrentis Iudæos suos ab idolorum oraculis consulendis: cùm vocabulum עַם Scripturarum more ad solos Iudæos peculiariter pertineat, & vox יִדְרֹשׁ futurum, hîc modum expleat potentialem, q. d. an Iudæi ab alio quopiam quàm à Deo suo veritatem inquirere debeant? Quæ istnæc, inquit, fuerit insania, hominem Iudæum à Deo non suo futurorum euentum petere? quod

vt quosdam Iudæorum præ impotenti illa in idola rabiè minùs fortaſsis moueat, alterum abſurditatis adfert argumentum, quo illis animi ſtuporem planè ſemel excutiat, atque ſenſum aliquem priſtinæ in Deũ pietatis reddat. Pro viuis, inquiens, à mortuis? quod eſt, de viuorum negotio Deósne mortuos, omnibúſq; vitæ functionibus deſtitutos Iudæus aliquis vero Deo relicto conſulat? Si vos Ethnicorum quiſpiam ad ſua templa oraculorũ cauſa allectet, redeat vobis in mentem ſpectata toties Deorum iſtorum verè mortalium mendax in prędicendo vanitas, ignaua in liberando ab aduerſis infirmitas, ſtupida iniuriæ vel ſibi illatæ vindicandę impotẽtia. Notior vobis eſt Dagonis illius apud Philiſtæos omnes pro Deo Max. habiti, ſummáq; ſuperſtitione celeberrimi calamitas, quando ad Dei noſtri vel arcam ſolã teſtamenti pręſentem & concidit ipſe manibus miſerè mutilus, & ſuis cultoribus nec podices à ficubus, nec agros à muribus illæſos ſeruandi impos: niſi Deo noſtro Iſraël argẽteos & mures & podices pro anathemate ſimul cũ arca ſui idoli domitore ſuis ficubus expulſa obtuliſſent. Nõ igitur idolorũ oracula conſulite, non pro viuis à mortuis reſponſa requirite: Ad legem magis & ad teſtimonium. legem veſtrã à Deo vero vobis in tẽporũ difficultatibus, & negotiorũ anguſtiis conſulite. Quod addit, Et ad teſtimoniũ, 1. Reg. 5.

וְלִתְעוּדָה Hebraica lectio apud Hebræos multum habet epitaſeos atque acrimoniæ: Lex veſtra, inquit, vobis & pro Pythio & pro Sibillino oraculo eſſe debet. Nam ſi non reſponderint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina: quod eſt, niſi legi congruat, quicquid Pythones effantur, rerum veritas eorum oracula non illuſtrabit: ſed perpetua mendaciorum nocte iacebunt oppreſſa. Ad legem igitur magis & ad teſtimonium, id eſt, legem veræ Dei noſtri religionis teſtem magis conſulite, quàm aut idola mortua, aut Sacrificulos iſtos Bacchantes, aut Pythones amentia mendaces, & incertum nimis coniecturantes: quam ſententiam 70. aptiſſimè reddiderunt, vertentes: Nunquid populus Deum ſuum cõſulat? Quid enim mortuos rogent ſuper viuis? legẽ enim in auxilium dedit. Vult igitur Eſaias, vt legem ſuã Moſaïcam


Iudæi veræ religionis studiosi in auxilium consiliúmque adhibeant, non idolorum oracula, aut diuinorum responsa: quæ si non iuxta legis doctrinam de vero Dei cultu personuerint, non erunt veritatis luce illustria, sed cæca falsitatis nocte caliginosa. Non ergo docet Propheta, nihil pro verbo Dei suscipiendum, quod non sit in lege vel testimonio scriptum: sed idolorum oracula ad Scripturam expendendam, an cum vero Dei cultu à lege præscripto rectè conueniant & consentiant, nec ne. Et vt argumentum efficere demus, quod moliuntur aduersarij, cui dubium est, Euangelicas literas omnes isto Prophetæ oraculo ad istam Euangelicorum sententiam detorto, re vera esse proculcandas, atque semel abiiciendas? cùm non sint illius Mosaïcæ legis portio. Vt ergo Euangelia scripta cum illo Esaiæ oraculo nihil pugnant vel aduersariorũ adeò iudicio: ita nec alia Spiritus sancti veritatis magistri oracula, siue Apostolis, siue aliis sine scripto Dei verbo tradita. Simeon ille Euangelicus à Spiritu sancto responsum acceperat, se non moriturum, nisi viso Messia Deo desideratissimo; quo viso, ex isto corporis ergastulo dimitti iuxta verbum Dei nondum scriptum lætus exoptabat. Vt hæc ergo omnia sunt Dei verbum, ita quicquid Dei Spiritus per non scriptas Traditiones loquitur Ecclesiis.

Luc. 2.

Caput V.

Refutatio eorum quæ Caluinus aduersus Traditiones non scriptas commentatur.

In Inst. cap. 8. num. 142.



Vperest, vt nunc Caluini illis ventosis falsi nominis scientiæ oppositionibus inuictum veritatis Euangelicæ clypeum obiiciamus, cuius vi retundantur, ac profligatę semel deleantur. Volens igitur Caluinus Ecclesiæ potestatẽ certis quasi cancellis suo de cerebro fabrefactis esse inclusam, ne pro hominum, inquit, libidine huc atque illuc trahatur, non patitur eam extra Scripturam quicquam posse. Vbi Domino visum est (inquit cap. 8. Num. 142. vt eius verborum ampullas paucis reddamus) illustriorem Ecclesiæ formam excitare, verbum suum mandari scripto, ac consignari voluit, vt inde peterent Sacerdotes, quod populo traderent, vtque ad eam regulam om-

nis, quæ traderetur, doctrina exigeretur. Itaque post legis promulgationem cùm iubentur Sacerdotes docere ex ore Domini, sensus est, ne quid extraneum, aut alienum ab eo doctrinæ genere doceant, quod Deus in lege comprehenderat. Prophetæ noua publicarunt oracula, non sic tamen noua, quin ex lege manarent, & in ipsam respicerent. Verùm vbi demùm in carne manifestata est Dei sapientia, quicquid humana mente de Deo cõprehendi potest, & cogitari debet, pleno ore nobis edisseruit. Nũc itaq; ex quo illuxit Sol iustitiæ Christus, perfectum habemus diuinæ veritatis fulgorẽ, qualis in meridie claritas esse solet, cùm antè subobscura lux fuerit. Cùm enim Paulus testetur, Deum extremis his diebus nobis per dilectum filium suum loqui cœpisse, significat, imò apertè declarat, Deum nõ posthac vt anteà per alios subinde atque alios loquuturũ, nec Prophetias additurum Prophetiis, aut reuelationes reuelationibus: sed sic omnes docendi partes in filio compleuisse, vt hoc vltimum, æternúmque ab eo habendum sit testimonium. Itaque non temerè filium singulari prærogatiua nobis doctorem pater ordinauit, ipsum, non hominem quempiam præcipiens audiri, ab vno pendere, in vno hærere, denique (quod verba sonant) vnius voci auscultare. Et sic quidem loquutus est, & vt Dei sapientiam (quæ nulla ex parte hiulca est) & Messiam (à quo omnium reuelatio sperabatur) decebat; hoc est, vt post se nihil aliis dicendum reliquerit. Esto hoc firmum axioma, Non aliud habẽdum Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius verbi præscripto & norma. Hinc etiam colligimus, non aliud permissum fuisse Apostolis, quàm quod olim habuerant Prophetæ: nempe veterem Scripturam exponerent, ac ostenderent in Christo completa esse, quæ illic traduntur. Idipsum tamen non facerent, nisi ex Domino, hoc est, præeunte & verba, quodammodò dictante Christi Spiritu: hac enim lege eorum legationem definiuit Christus, cùm iussit, irent, ac docerent, non quæ temerè ipsi essent fabricati, sed

quæcunque ipsis præceperat.

Non perinde est iudicãdũ de lege noua cordibus credentiũ inscripta, atque de veteri tabulis & libris insculpta.

Quod Caluinus tanto hîc studio molitur, ne quem lateat, quorsum spectet, hoc est, vt nihil pro Dei verbo habeatur, quàm quod in Scriptura sacra cõtinetur. Hoc verò illud est, cui nos resistimus, atque libris hisce quatuor agimus, quo firmũ istud, quod dicit, axioma infirmaremus, destrueremus, atq; falsitatis cõuictum exploderemus, ne quis ei in piorum animis locus vllus sit reliquus. Quibus igitur firmamentis firmũ illud, quod iactitat, axioma sit conatus statuere, agedùm expẽdamus, ne quis in eius hallucinationẽ fucato verborũ lenocinio illectus, aut argumẽtis in speciẽ verisimilibus inductus, à regia veritatis Euangelicæ via aberret. Animus enim plena doctrina certò Euangelicæ persuasione imbutus, nec flumine conturbatur inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Quam ergo adfert homæosin de lege veteri ac noua, quasi vt illis verbũ suum Deus scripto mandari ac consignari voluerit: ita & in noua quoque: nos repudiamus non leuibus de causis: tum quòd lex vetus paruulis eius quasi pædagogia ad Christũ perducendis, & tanquàm elemẽtari ac rudimentaria institutione erudiendis sit præscripta. Ea propter & lapideis fuit tabulis inscripta, ne facilè puerulis de memoria excideret, sempérque eis viua diuinæ legis recordatio ob oculos versaretur: tum quòd lex noua Euangelica ex Christi iussu nõ describenda fuit, sed populo prædicanda, atq; viuæ vocis oraculo promulganda sit Apostolis tradita. Iam vt Caluino demus legẽ omnis doctrinæ fuisse quasi regulam à Deo Iudæis præscriptã, nihil ad nouam legem vniuersam scripto esse comprehensam demonstrandum facit: cùm hæc non eodem fine atque illa in literas sit relata. Pari modo & pro nostra causa stat, quod adiecit, Prophetas non noua legi addidisse oracula, nisi quę ex lege manarent. Nihil enim Catholica nostra fides tradit, quod non etiam ex quopiam nouæ legis loco tanquàm fonte dimanet, si hoc satis est ad verbum Dei angustis Scripturarum cancellis intercludendum. Quanquàm nondum mihi perspectum sit, quomodo ex lege illud Esaiæ fluat oraculum, Messiam

Matth. vlt.

Caluini captiunculæ sophisticæ rem, quã conãtur, nõ efficiunt, sed pro nobis stant potiùs.

Emanuelem ex Alma siue castissima simul & illibata virgine nasciturum: quod licèt vera vocis Alma loquatur significatio, quod disertissimè cap. 18. Geneseos demonstrat Moyses; adeò hac tamen non persuadentur Iudæi miseranda animorum percussi cæcutientia, vt ne Christianis quidem omnibus satis fidei faciat, quemadmodum apud eos videre est, qui Hebraica scripsere dictionaria. Hæc eò dicimus, vt prudens Lector videat, quàm sint omnis prorsus veritatis inania, quæ hîc tanto cum supercilio plùs quàm censorio, astúque Sophistico non philosophatur, sed nugatur Caluinus. Possent ista, si ad viuum quis resecare vellet, plurimis exemplis manifestissimæ conuinci vanitatis, sed nos breuitatis causa isthæc perstringentes, fusiore supersedemus oratione. Quod verò adiecit de ore Domini, inquiens, fuisse à Sacerdotibus respondendum populo, quis adeò absurdus sit, qui non videat multò istud patere latiùs, quàm scriptum Dei verbum? Siquidem D. Esaias de ore Domini haud dubiè respōdit suum Emanuelem Messiam Domini ex virgine nasciturum, quod tamen ex Dei verbo anteà scripto vnde statuat Caluinus? Similiter de certo ac definito Messiæ aduentu post hebdomadas septuaginta seu annos quadringentos nonaginta, Vbínam Daniel antè legerat? Qui duo tamen fidei articuli, vt alios silentio prætercam, non infirmiori fide, quàm cæteri omnes Iudæis piis ad vnum omnibus erant credendi.

Hîc pleriq; iudaizant præter Paguinum.

Cæterùm quò ea, quæ de Christo doctore adfert Caluinus, vt in speciem quidē pręclara (vtinam & Euangelij syncerè illustrandi causa adhibita) ita fallendi studio incautis periculosa auertamus, sedulò est eius machinatio cùm variis tum falsis structa & subornata antithesibus obseruanda, ne in fraudem illiciat imperitos. Quod itaque ex epistola primùm ad Hebræos cōcludere conatur, Deum non posthàc vt anteà, per alios subinde atq; alios locuturum, quis non videat esse alienū, & à D. Pauli scopo, & ab ipsa simul rei veritate? Nō enim D. Paulus Christum quasi alium Prophetis opponit, sed quasi Dei filiū, hæredem vniuersorum, cōditorem seculorum, Prophetis, & omnibus Dei seruis, Christi ipsius nunciis pręstare

Prophetæ veteres eodem fidei Spiritu afflati, quo Apostoli, ideóque à Christo non sunt alij.

demonstrat, & antecellere. Sicut igitur Christus à suo Spiritu, quando per Prophetas in veteri lege loquutus est, nõ potest sine certissimo sacrilegij crimine ceu alius separari, aut distingui: ita nec ab eodem Spiritu Apostolorũ doctore & ductore in nouo Testamento citra atrocem blasphemiam seiunctus esse censeri nequit, aut diuisus. Quare falsum est, quod ille ait, Paulus significat, imò apertè declarat, Deũ nõ posthàc vt anteà per alios subinde atque alios loquuturum Si propter Prophetiam Prophetæ illi veteres rectè alij à Christo sunt dicendi, qui eodẽ tamen fidei Spiritu loquuti prædixerunt, quod Christus docuit, rectè & Apostoli, Prophetæ alij sunt censendi. Quid? án non alius est censendus Ioannes Euangelista, qui rerum gerendarum historiam Ecclesiis per Prophetiam prædixit, sicut & Daniel Caluino alius à Christo? Quid ergo neget Caluinus Deũ subinde per alios atque alios, vt anteà loquuturum? Certè cùm per Ioannem diu posteà in Apocalypsi, & Paulum ad Timotheum futura prędicat, negari non potest, quin per alios subinde atque alios Deus in nouo Testamento loquatur: Sunt tamen alio quodam sensu cum Christo doctore vnus atque idem, quemadmodum & Prophetæ illi priores, si eundem fidei Spiritum, quo omnes simul fuêre afflati, cogites. Rursus cùm vna atque eadem veterum & nostra sit Fides, quónam obsecro pacto illi à Christo Domino alij sunt censendi? Quod verò subnectit: Sic omnes docẽdi partes Deum in filio compleuisse, vt hoc vltimum æternúmque ab eo habendũ sit testimonium, id superiorum locorum à nobis modò recitatorum testimoniis refutatum quisque intelligit, qui modò animum aduerterit. Quo modo enim vltimum Dei testimonium de sua voluntate, aut rebus in Ecclesia gerendis, Ecclesiam didicisse à Christo credendum est, quum per Apostolos suos Paulum, aliósque & in primis D. Ioannem Euangelistam nobis diuinæ suæ voluntatis testimonia pòst ediderit? Porrò quòd subiicit: Quin omniũ hominum ora clausa esse conuenit, postquàm semel loquutus est ille, in quo cælestis pater omnes scientiæ & sapientiæ thesauros voluit esse absconditos: & sic quidem lo-

2. Tim. 4. *Apoc. 1. & seq.*

Caluinus Christũ fingit Apostolos docuisse omnia, cõtra

dem loquutus eſt, vt & Dei ſapiētiam (quæ nulla ex parte hiulca eſt) & Meſſiam (à quo omnis reuelatio ſperabatur) decebat, hoc eſt, vt poſt ſe nihil aliis dicendum reliquerit. Iſthæc bellis verborum bullis veſtita, ac ſedulò culta quàm bellè cum ipſis Chriſti verbis cōgruant, nolo, mihi credas Lector, ſed tuis ipſe auribus. Audi igitur, quid Chriſtus hac de re pronūciet: Adhuc, inquit Chriſtus iamiam à ſuis receſſurus, multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: quum autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem: ſiue vt Auguſtini tempore erat in quibuſdam Latinis exemplaribus, & hodie in Græcis, in omnem ducet veritatem, & quæ vētura ſunt, annunciabit vobis. An ergo hominum ora clauſa eſſe conueniat, quæ Chriſti Spiritus ſua pòſt vnctione reddet diſerta? ſuo pòſt afflatu efficiet facunda? Si Chriſtus ita omnia loquutus eſt Apoſtolis, vt Dei ſapientiam, adeóque ipſum Meſſiam decebat, nēpe vt poſt ſe nihil ab aliis dicendum reliquerit, cur Spiritum ſuum Apoſtolis pollicetur doctorem, qui eos omnia illa doceat, quæ tum temporis nondum portare poterant? qui eos in omnem veritatem, quam nondum didicerant, deducat atque dirigat? Hæc enim verba, vti eſt apud Dydimum Alexandrinum lib. 2. de Spiritu ſancto, ad eos à Chriſto dicuntur, qui auditores verborum eius necdum fuerant omnia cōſecuti, Quæcunque enim ſufficere poterant tradens eis, in futurum tempus reliqua diſtulit, quæ ſine diſciplina Spiritus ſancti ſcire non poterant. Ad eundem ſenſum & D. Auguſtinus accedit ſuffragator: Adiicienda illis fuerunt, ait, hæc verba explanans Tract. in Ioann. 98. quæ neſciebant. Hæc igitur Chriſti verba: Ille vos docebit omnem veritatem: & illa, Quæ non poteſtis portare modò, id eſt, ſcire ac diſcere, vti Dydimus & Auguſtinus, vos docebit Paracletus, ſi falſa ſunt, vera eſſe Caluini verba oportet. Quare axioma illud (vt iactabat Caluinus) firmum, Non aliud habendum Dei verbum, quàm quod lege primùm & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur, validis argumentorum arietibus conquaſſatum, clarîſque Chriſti verbis labefactatum corruere, adeóque ſubuerſum eſſe

manifeſtam Christi promiſsionem. Ioan. 16.

Dydimus Alexādrinus Apoſtolos quedā didiciſſe à Spiritu S. quæ ſcire non poterant.

Caluini oratio vera eſt, ſi Chriſti promiſsio falſa.

palàm est, quod ei sua illa ex veteri lege & Christi præ Prophetis præstantia mutuata firmamenta funditùs sint subfossa, atque sublata.

Caluinus vt Apostolis authoritatē elevet, ad Etymon pueriliter confugit.

Ex quibus & illud similis redarguatur vanitatis, quod eodem loco à Caluino dicebatur, Apostoli, inquiens, suo nomine præ se ferunt, quantum sibi in suo munere permissum sit: nempe si Apostoli sunt, ne garriant, quicquid collibitum fuerit, sed mādata eius, à quo missi sunt, bona fide perferant. Et satis clara sunt verba Christi, quibus eorum legationem terminauit, cùm mandauit illis, irent ac docerent, quæcunque præcepisset. O Philosophum locis Dialecticis armatum, qui ministerium summæ dignitatis simul & authoritatis ex intimo vnius voculæ etymo captandum cēsuit. Quis ita rerum communium est imperitus, vt functiones publicas pleráque omnes suis nominibus latiùs patere nesciat? Si ab Etymo res veniunt æstimandæ, Imperator sese in castris tātùm cōtineat moderandis. Cæsar nihil sibi vsurpet, quod extra materni vteri sit incisionem. Cōsul dandis accipiendísque consiliis contentus, à regenda Republica abstineat. Et superintendēs (vt de noua religione nouā quoque dignitatis vocem veteribus admisceam, qua idem quód Catholici vocabulo Episcopi significatum volunt, sed nomen mutatum malunt, ne vel tantillùm cum veritate congruant) cur præter meram cognitionis causam vsurpat & docendi partes, & illius cœnæ prophanæ administrationem? Quum igitur isthæc præ absurditate plùs quàm ridicula à prudentibus non ferantur, cur in Apostolorū ministerio arctando inquiores simus, quàm aut Cæsaris, Consulis, aut Imperatoris, aut denique noui istius superintendentis? Falleris igitur Caluine, falleris, dum Apostolos ais suo ipsos nomine præ se ferre, quantum in suo munere sit permissum. Non solùm ergo legatorum munere, qui bona fide accepta tantùm auditorum referendorū mandata habeant, Apostoli sunt defuncti, cùm præter illa à Christo audita alia insuper à Spiritu sancto didicerant, quæ anteà fuerant vt inaudita, ita quoque incognita. Quod & Dydimus Alexandrinus, & D. Augustinus locis modò recitatis oratione So-

Magistratuum Reip. vocabula an ex etymo veniant metiēda.

lis luce clariore nobis ſunt conteſtati.

Quare vt Apoſtolorum authoritas hoc loco nimiùm iniquis, ac plùs æquo arctioribus limitibus à Caluino terminata, iuſtiſſimis diſtẽdatur ſpaciis, ſi breuiter Apoſtoli vocis apud Iudæos vſum explicaro, non mihi abs re videor facturus. Apoſtolus ex Græca origine legatum ſonat, ſed qui honoris cauſa aliquò cum claſſe, quæ & ipſa erat Athenienſibus ſtolus & Apoſtolus, aut militaribus copiis mittebatur. Verùm iſtam naturalem ſignificationem officij dignitas vbi acceſſiſſet, mirificè auxit, ac ornauit honorificè. Itaque Iudæus (qui ab Alexandri Macedonis temporibus Græca lingua vti paſſim cœpêre) Apoſtoli dicti, qui ad ſuos contribules alibi extra Iudæam commorantes, ſumma cum poteſtate à Synagoga Ieroſolymitana mittebantur. Huius rei teſtimonium certiſſimum eſt apud Epiphanium libr. 1. vbi de Ioſepho quodam ex Iudæo Chriſtiano illuſtri agens, narrat eum apud Iudæos præclaro fuiſſe loco: *εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν πατριάρχην ἀπόστολοι καλούμενοι. προσεδρεύουσι δὲ τῷ πατριάρχῃ. καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγονται διὰ τὸ συμβουλεύειν, καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον*: Sunt autem hi dignitate præſtantes apud Iudæos viri poſt Patriarcham Apoſtoli appellati, qui Patriarchæ ſunt aſſeſſores, & cum eo aſſidui nocte diéque agunt cõſilij dandi cauſa, vtque ei, quæ legis ſunt, referant.

Apoſtolorum officiũ apud Iudæos ante Chriſti aduentum.

Apoſtolus & ſtolus p claſſe, vti apud Sigebertum & alios.

Vide Epiph. Ebione.

Apoſtoli apud Iudæos primo dignitatis gradu poſt Patriarcham.

Quãta ergo Apoſtolis Iudaicis cõceſſa fuit poteſtas, tãta, imò amplior multò atque auguſtior, à Chriſto ſuis cõceſſa eſt Apoſtolis, quãtò illis hîc maior atq; negotiũ maioris momẽti atq; põderis. Iſta ex Apoſtolorũ literis nõ forẽt oſtẽſu difficilia, niſi Lectoris offẽſam ex ꝓlixitate veritus, vera colligerẽ, ad portũ properaturus. Cùm itaq; Chriſtus Apoſtolis pollicitus fuerit Spiritũ S. doctorẽ, qui eis nõ modò ſuggerat, quæ antè à Chriſto didicerãt, ſed qui & in omnẽ prorſus deducat veritatẽ, qui adiiceret, quæ neſciebãt, vti Auguſt. docerétq;, vt Dydimus, quæ ſine Spiritus S. diſciplina ſcire nõ poterãt; qui deniq; futura eis nũciet, fieri nequit, vt citra atrocẽ blaſphemiam Apoſtolorũ munus ipſo nomine, quod legatũ ſignificat, dicamus terminatum. Argumentis igitur iſtis

omnibus vt in speciem validis, ita re sanè ipsa euanidis ac verè inanibus, nihil Caluinum effecisse demonstrauimus, quin verè Ecclesia scripto Dei verbo non sit inclusa, vt Caluinus loquitur, atque annexa, sed alia addiscere potuit fidei dogmata, quàm quæ aut à Christo didicerãt Apostoli, aut saltẽ aperto Dei verbo scripto sint expressa, quemadmodum ex Conciliorum decretis paulò post hæc ostendendum erit. Verùm anteà euanidos Caluini colores diluamus, quibus rhetoricãdo efficere conatur, vt Ecclesia à scripto Dei verbo separari nequeat. Et quid mirum, inquit, si sponsa ac discipula Christi suo sponso maritóq; subiicitur, vt ab eius ore assiduè ac sedulò pendeat: hæc est enim domus benè compositæ ratio, vt mariti imperio vxor obtemperet: hæc scholæ benè moratæ regula, vt magistri solius doctrina illic audiatur. Atqui sponsa Christi, non adulteri sequitur vocem Caluine, si Spiritum sanctum audiat orphanis filiis datum patronum, atque tutorem: non vnici magistri repudiat magisterium, si Spiritus sancti à Christo doctoris promissi sequatur in rebus incognitis doctrinam: in obscuris, illustrationem: in controuersis, definitionem. Huius magistri doctrinam in quæstione illa perplexa admodùm de Mosaïcorum rituum obseruatione, quæ totum propè perturbarat Christianorum collegium sequuta est, quãdo intrepidè contra obmurmurantes illos Iudaizantes Cerinthum, & alios definiuit: Visum est, inquiens, Spiritui sancto & nobis. Callidè igitur Caluinus Ecclesiam suis vult promissionibus diffisam, sese inermem, nudam, atque omni tuitionis genere destitutam, hostium incursibus prostituere, dum eam conatur talem depingere, vt solo scripto Dei verbo cõtenta, ibi sapiẽtiæ suæ, ait, terminum statuat, vbi Christus eius & maritus & sponsus loquendi finem fecit: quod si misera semel in animũ induxerit suum, quid ei aut de Euangeliorum numero, aut toto denique Scripturarum Canone supersit reliquum, quod non eadem rima, qua alia nõ scripta dogmata, nõ dico callidè surripiatur, sed vltrò diffluat? elabatur? in aëra euanescat? Qua enim impudentia Caluinus ei audet Ecclesiasticum sublegere, Lutherus Iácobi episto-

Ratiunculæ Caluini confutatæ.

Quã inermẽ Caluinus fingat Christi Ecclesiam.

Act. 15.

Si Caluinũ audiat Ecclesia breui suis Scripturæ sacris libris spoliabitur.

Iam, & ad Hebræos Pomeranus, cras Phanaticus quispiam Apocalypsim, perendie acta Apostolorum, posteà etiam quatuor Euangelia cum Anabaptistis illis in Morauia. Qua enim Scriptura aduersus istos sacrilegos seipsa tutabitur misera, si nihil potest, vti ais, extra scriptum Dei verbum? Quod tamen vt persuadeat Caluinus, nullis sanè destituitur paralogismis hoc ipsum efficere in speciem conantibus, vt est in Sophistica mirificè acutus: sed attentè considerantibus præsentissimum simul & perniciosum Ecclesiæ Christi machinātibus venenum: Omnibus, inquit, suæ rationis commentis diffisa, promissionumque amplitudine confisa, habebit, vnde fidem suam præclarè sustineat: vt nihil addubitet, sanctum Spiritum sibi semper adesse optimum certæ viæ ducem: sed memoria simul tenebit, quē è suo Spiritu vsum percipi Deus velit. Spiritus, inquit, quem à Patre mittam, ducet vos in omnem veritatem: sed quomodo? quia suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis. Nihil ergo plus de suo Spiritu denunciat expectandum, quàm vt mentes nostras illuminet, ad percipiendā doctrinæ suæ veritatem. Catholicam suam Ecclesiam nunquàm in eam Christus venire passus est vesaniam Caluine, vt sibi quicquam fideret, aut suæ rationis commentis quicquam tribueret, quod tibi cogitatione fingis: sed suorum semper Magistrorum exemplum sequuta, quod Spiritui sancto & sibi videbatur, Christiano populo proposuit credendum: quem semper sibi optimum viæ ducem sciebat præsentem, non ignorans istam, quā fraudulenter prædicas, suarum promissionum amplitudinē, quare ista admonitione nihil Caluine, egebat Ecclesia, sed vt poculum teterrimo plenum veneno Lectori incautiori propinares blandis illis promissionum verbis, tanquàm melle oblitum porrigere studebas. Quod enim toxicum, aut præsentius, aut perniciosius noceat in viscera admissum, quàm verba isthæc tua (Nihil ergo plùs de suo Spiritu denunciat expectandum, quàm vt mentes nostras illuminet, ad percipiēdam doctrinæ suæ veritatem) in animum imperitum & incautum transfusa? Præterquàm enim, quòd à recto Euangelicæ veri-

Spiritus S. Ecclesiā solùm illuminat Caluino, non item docet.

Toxicū suum Caluinus blādis in speciē oblinit verbis.

ẽatis, sine qua nulla salutis spes est reliqua, tramite abducunt, etiam castissima Christi Iesu verba adulterino sensu corrumpunt.

Callidè dissimulat Caluinus Christi promissionē de Spiritus S. magisterio Ecclesiæ promissō.

Ioan. 14.

Sed memoria (inquis) tenebit Ecclesia, Spiritus quem mittam, ille vos ducet in omnem veritatem; sed suggerendo vobis omnia, quæ dixi: nihil ergo de Spiritu sancto expectandum denunciat, quàm vt mentes nostras illuminet. Istum quidem Spiritus sancti vsum haud lōgè à suauissimo illo cum Apostolis sermone habito Christus pollicebatur: verùm si alteram promissionem oratione Christi multò ampliùs insurgēte longè augustiorem dissimulare noluisses, istud certè commentum planè frigidum seipsum mendacij redarguisset. Quod igitur falsitatis serendæ studio tu frauduléter omisisti, ego veritatis docendæ officio candidè Lectoribus piis recitabo.

Ioan. 16.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Vt igitur tibi demus, loco illo abs te recitato idem planè esse, Docebit vos omnia, & quod adiecit, suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis: vt item concedamus & illud hoc loco pro eodem habendum, siue legamus, Docebit vos omnem veritatem, siue, Ducet in omnem veritatem: illud sanè quod subtexuit, Quæcunque audiet, loquetur, & ventura annunciabit vobis: án hęc eadem cum Christi dogmatibus quispiam existimet cēsenda? Quęcunque, inquit, audiet, loquetur. Quid hoc ad Christi dogmata dudum percepta? án non ea Spiritus per omnia diffusus, qui continet omnia, qui scientiam habet vocis, audierit? ad ea ergo pertinet, quæ Apostoli pro sua ingeniorum imbecillitate portare nondum poterāt, eius magisterio posteà primum discenda.

Sapien. 1.

Apostolos docuit Spiritus sanctus incognita & inaudita.

Quæ nesciebant, ait D. Augustinus hūc locum edisserens Tract. 96. ita erant adiicienda. Quæ nesciebant, inquit: noua ergo Apostolos docuit Spiritus sanctus. Suffragatur & Didymus: Nōdum, inquiens lib. 2. de Spiritu sancto, Apostoli omnia erant consequuti. Ad eundem modum altera illa Christi promissio, Quæ

ventura sunt, annunciabit vobis, an nihil præter Christi doctrinam habere sit existimanda? Refragabitur sanè Paulus electionis vas: refragabitur & Ioãnes Apostolus: Qui habet aures, inquiens, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Sed quò dolus iste nõ modò malus, sed planè pestilens incautis minùs suboleret, eum testimonio Chrysostomi fraudulenter quasi incrustatum obtrudere, non es veritus. Sed eius verba recognoscamus, quò clariùs appareat, sanctissimum patrem pro Catholicæ fidei veritate re quidem ipsa stare, licèt aliorsum, quàm voluerit, abs te detorqueatur. Multi, inquit Chrysostomus, Spiritum sanctum iactant, sed qui propria loquuntur, falsò illum prętendunt. Ita si quid præter Euangelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credas. Audin' illud Caluine, Qui propria loquuntur? Quorsum illud? an in Ecclesiam Catholicam Spiritus sancti discipulam dictum esse à Chrysostomo sit existimandum? Apagesis cum isthac insania: cùm enim magnificè adeò de publicis Ecclesiæ Catholicæ sentiat dogmatibus non scriptis, vt magnificentiùs possit nullus, Traditio est, inquit, ne requiras ampliùs: quis hoc Chrysostomi dictum, nisi violenter, contra Ecclesiæ dogmata non scripta torqueat? qui propria loquũtur, falsò illum prætendunt, quemadmodum Montanus & Manes, Arrhius & Sabellius propria loquebantur sub Spiritus sancti prætextu. Hîc certè locum habeat, est necesse, quod monet suos Chrysost. Multi Spiritum S. iactant, sed qui propria loquuntur, falsò eum prætendunt. Quotquot igitur vel Chrysosto. ætate, vel hac etiam nostra loquuntur propria, id est, quod ignorat hactenùs Catholica Christi Ecclesia, ij sanè vtvt Spiritum sanctum suum iactant magistrum: vtvt se summum illum sequi glorientur doctorem, falsò eum prætendunt.

1. Tim. 4. *Apoc. 3.* *Venenum suum Caluinus verbis Chrysostomi conatur obtegere.*

Porrò ex illa Chrys. sentẽtia extra suum locum non minùs contra ipsum Chrysostomum, quàm contra Ecclesiam Dei Catholicam detorta, istum in modum Caluinus argutatur, Iam colligere in promptu est, ait, quàm perperàm faciant nostri aduersarij, qui non alio fine iactant Spiritum S. nisi vt peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas eius titulo cõmendent: cum ipsam indiui-

Improba Caluini calumnia in Catholicos.

duo nexu cũ verbo Dei coniũctam esse velit. Vetuit autem, ne quid verbo suo Ecclesia adderet, ne quid ex eo detraheret. Istam calumniam non ita ieiunam atq; malitiosam quis nesciat ex illo natam Spiritu, qui dissensionum Deus est dictus? Nos perperàm facere iste calũniatur, qui amplissimæ Christi Domini promissioni de docenda per Spiritum Ecclesiæ doctorem omni veritate cum toto Sanctorum Patrum choro credimus, qui certissimis illis verbis Dei Opt. Maxi. fidimus, nos eo tantùm fine Spiritum sanctum iactare, vt peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas Spiritus sancti titulo commendemus. Sanè si te Caluine Spiritus ille veritatis Ecclesiæ Catholicæ promissus, qui non est dissensionis, sed pacis Deus, afflasset, non extraneas à verbo Dei diceres doctrinas, quas sanctissima Spiritus sancti organa, indubij Spiritus illius veritatis omnis discipuli D.D. Apostoli, totúsque veterum Scriptorum chorus lectissimus concordi voce consonant Euangelicas: Rursus non peregrinas subsannares, quas castissima Christi Iesu sponsa Ecclesia Catholica omnis adulterij & peregrinitatis nescia semel, à Spiritu illo suo Magistro Apostolorum opera didicit, posteris credendas proposuit, & tanquàm depositum, sponsique arrabonem fidissima in hunc vsque diem seruat, tuetúrque saluum, incorruptum, adeóque inuariatum: quod ex superioribus luce meridiana arbitramur demonstratum clariùs.

Ecclesiam nõ sequi doctrinam peregrinam, sed in omnibus fidei capitibus certò Apostolicam.

Non est igitur Caluine, quòd dogmata non scripta aut peregrinitatis infames nomine, aut tanquàm exotica & extranea traducas atque suggilles. Non sunt ea Caluine, non sunt peregrina, sed domestica à Christi Spiritu initiò per Apostolos in Ecclesiis per orbem satis plantata. Non sunt exotica aut extranea, sed patria, sed genuina, sed scriptis in Euangelio dogmatibus verè germana. Vnius enim Magistri Spiritus sancti sunt doctrinæ, vnius sponsi Christi Iesu voces, vnius Dei Max. Pat. Opt. εὐδοκίαι, & voluntates. Quod itaque annectis, Vetuit, inquiens, ne quid verbo suo Ecclesia adderet, ne quid ex eo detraheret: quàm est insulsum? quàm insidiosum? Ipsa quidem Ecclesia Dei verbo addit nihil, detra-

Ecclesia verbo Dei addit nihil, sed additum à Spiritu sancto suscipit.

hit nihil: Sed ipse Dei Spiritus, qui eam omnem docet iuxta Christi promissum veritatem, certis doctrinæ gradibus in altiorem fidei speculam subuehit, sublimiúsque diuinæ veritatis culmen attollit. Sicuti ergo cum illis Mosaïcis verbis pugnat nihil, quod posteà D. Esaias de suo docuit Emanuele, aut Daniel: ita nec quod pleniùs docuit Ecclesiam Christus, plenissimè verò ex Christi promissione per Apostolos Spiritus sanctus omnis veritatis Magister.

Superest, vt paucis retundamus Caluini responsionem, qua ad argumentum Catholicorum respondere conatur. Hîc iterum obmurmurant, inquit, oportuisse Ecclesiam Scriptis Apostolorum vel illos ipsos supplere posteà viua voce, quod minùs clarè tradidisset. Atque hæc esse, quæ sine Scriptura, vsu duntaxat & moribus recepta fuerunt. At quænam isthæc est impudentia? rudes adhuc fateor, & indociles erant discipuli, cùm audirent à Domino, Multa habeo, quæ non potestis portare: Verùm hácne tarditate tum etiam tenebantur, cùm doctrinam suam scriptis commendarent? vt posteà viua voce supplere necesse habuerunt, quod in scriptis suis ignorantiæ vitio omiserant? Si verò à Spiritu veritatis ducti in omnem veritatem sua scripta ediderint, quid obfuit, quò minùs perfectã Euãgelicæ doctrinæ cognitionem cõplexi sint illic, consignatámq; reliquerint? An tibi iusta de causa Caluine absurda videatur Catholicorũ responsio, iudicet æquus Lector atque candidus, quíque anticipatæ opinionis studio non sit clarissimæ veritati iniquus: cùm ea ipsis Apostolorum verbis nixa veritati respondeat. Quid Paulus suis Thessalonicensibus? Vt compleamus, quæ desunt fidei vestræ. Et D. Ioan. Nolo plura scribere per calamum & atramentum, sperans breui ad vos venire. Quanquàm & illud sine reprehensione non est prætermittendum, quod fraudulenter interseris, Quod minùs clarè tradidissent suis scriptis: cùm Ecclesia doceat, dogmata illa Apostolica non scriptis Apostolorum fuisse prodita, sed viua ipsorum voce tradita, vsu & moribus esse recepta.

Elusionis Caluini ad argumentum Catholicorũ refutatio.

Apostoli cõpleuerunt viua voce, quòd nõ planè scripserant.

2. Ioan. 1.

Cæterùm istæ duæ sycophantiæ Caluine, abs te indi-

Sycophantia Calui-ni in Catholicos, quasi Apostolos incusent tarditatis aut inscitiæ.

gnissimè in Catholicos sunt proiectæ, quasi Apostolos dicant eadem animorum tarditate fuisse oppressos, qua ante Spiritus sancti illustrationem: & quasi viua voce supplere sint coacti, quod in scriptis suis ignorantiæ vitio omiserant. Quis enim Catholicorum de Apostolis aliter vnquàm sensit, quàm eos post Christi in cælos reditũ mirabiliter iuxtà ac copiosè Spiritus sancti vnctione delibutos, magis magísq; in mysteriis regni Dei promouisse? vt tantò longiùs à pristina sua abfuerint tarditate, quantò illustriùs illorum animos cælestis illa lux illustrarat? Porrò quòd Catholicos insimulas, quasi ignorantiæ vitio Apostolos quædam omisisse asserant, quis non isthic præter modestiam, mentis quoque sanitatem desideret? Quis enim ita delirus extiterit, qui ignorantiæ vitio Apostolos quædam omisisse dixerit? Dicimus quidem, nec nos hodie tantùm, sed totus veterũ Patrum chorus, Scriptorúmq; omnium consensus, dicimus Apostolos quædam omisisse, ne in literas proferrẽt non ignorantiæ vitio, vti comminisceris, sed prudentiæ studio, sed occultandorum mysteriorum cautela, sed quòd non commoda sese offerret opportunitas ea omnia scriptis inferendi, quæ Christi Spiritus Ecclesias docebat credenda. Iam quidem à Spiritu veritatis in omnem ducti erant veritatem, dum sua ederent scripta, ita vt nihil eos latuisse credendum sit, quod ad fidei plenitudinem attinet, aut dogmatum cognitionem: quò tamen minùs perfectam Euangelicæ doctrinæ cognitionem suis illis scriptis sint complexi, atque consignatam reliquerint, obfuit in primis occasio, quæ non omnium dogmatum exposcebat explicatum: obfuit necessitas, quæ modò vnum, aut alterum dogma pertractatum postulabat: obfuit denique, quod Paulus ipse attestatur, quòd dogmata siue per epistolam, siue per sermonem eis prodita, constanter retinebant Ecclesiæ ab Apostolis ea semel edoctæ. Quorsum ergo attinebat, omnia fidei dogmata paucissimis literarum lineis plurima includere? angustísue sententiarum formulis latissima constringere? exiguis denique aliquot libellorum scriptis innumera consignare?

Calui. præ cõ nitiandi & calumniandi rabie sui non est compos.

Cur quædam Apostoli scriptis suis non mandarint.

2. Thess. 2.

Hæc si prolixiorem alicui videantur poscere respon-

sionem, ex primo lib. rectè repetantur, vbi causas attulimus, quibus factum esse docebamus, cur Apostoli ad scribendas vel Epistolas, vel Euangelia animum appulerint, non vt methodum vllam doctrinæ Christianæ suis scriptis informarent, aut summam fidei comprehenderent: sed vt præsenti necessitati consulerent, quæ aut verā gestorū Christi requirebat historiam, aut dogmatis explanationem, aut consolationem desiderabat. Itaque quod coronidis loco aduersus Catholicos assuit Caluinus, & nos corollarij vice superioribus attexamus. Sed agè, inquit, demus quod petūt: designent modò ea, quæ reuelari sine scripto debuerunt. Id si tentare audeant, agam cū ipsis Augustini verbis: hoc est, Quum Dominus tacuerit quis nostrûm dicat, Illa vel illa sunt: aut si dicere audeat, vnde probet? Nemò sanè Catholicorum adeò insanit, vt hoc vel illud fidei dogma fuisse illis reuelādū temerè affirmare amēs audeat: norūt enim Augustini modestiam non rectè modò legere, sed rectiùs quàm vos imitari. Ad istam itaq; Caluine quæstiūculam hoc tibi prorsus dicimus, quod ibidē D. respondet Augustinus. Non à nobis clarissimi expectetis audire, quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare: sed potiùs in charitate proficite, &c. Quod itaq; aduersum nos te ex Augustino recitare autumas, in ipsum August. imperitè torques, qui & ipse alibi non scriptis fidei nititur Traditionibus, vti Exorcismo, & puerorum Baptismo. Quāquàm nō in eum, nec in nos istud telum hęrere possit, neutri enim pronūciamus hoc vel illud fidei dogma à Spiritu sancto reuelādū fuisse Apostolis: sed cōmuniter fatemur, in omnem eos à Spiritu sancto perductos veritatem, cuius partem quidem vnam dicimus scriptis Apostolicis comprehensam: partem verò alteram viua ipsorum voce Ecclesiis omnibus consignatam, à quibus cùm te dissentire non pudeat, quid mirum, si ab Apostolicæ simul & Catholicæ fidei doctrina infœlix aberras? nec istud tibi contingeret, si tanto discendæ veritatis illius desiderio, quāto fallendi imperitos studio tenereris.

Captiosa Caluini quæstiūcula luculenter dissoluta ex August.

Apostoli in omnem perducti sunt veritatem, quā partim scripto partim viua voce Ecclesiis tradiderunt.

Maius in Caluino relucet fallendi imperitos, quàm veritatem discendi studium.

Quum enim D. August. hoc in loco partim abs te recitato (quem te perlegisse mihi equidem nō sit dubiū)

" apertissimis verbis doceat, fidei dogmata non scripta, sed
" viua voce Ecclesiis ab Apostolis tradita non esse præter
" doctrinam Apostolicam, aut præter Euangelion annun-
" ciatum (alioqui, ait, Paulus ipse sibi præiudicaret, si hoc
" diceret, putà, si quis plus Euangelizauerit, quàm acce-
" pisset) sed supplere quod defuerat, vti Paulus fidẽ Thes-

Caluinus fraudulenter dissimulat veritatem agnitam.

salon. & Corinthiorum, vidisti Caluine, vidisti indubiè hunc August. locum non tam ad propositum tuum facere, quàm inanem quampiam istius contradictionis inconsultò aduersus tuam matrem susceptæ speciem tibi præbere. Quàm igitur frustra nobiscum verbis Augustini agas, nunc te perspicere confido, qui cum August. & credimus & docemus, Apostolos quædam fidei capita docuisse, quæ scriptis non erant complexi, non quò Euangelium aliud docerent, sed dudum traditum supplerent, omnibúsque illud fidei corpus suis quasi articulis complerent, atque absoluerent. Quod igitur hîc dicit August. Quis nostrûm dicat, Illa vel illa sunt, quæ à Spiritu sancto erant Apostolis reuelanda, id sanè in Catholicos, vti diximus, torqueri nequit, cùm & ipse Augustin. & Catholici omnes multa credant hodie, & August. seculo, imò Apostolorum ætate crediderunt, quæ Scripturis non erant aut inclusa, aut comprehensa: nullus tamẽ ea fuit temeritate Catholicus, vt hoc vel illud fidei dogma, pronunciare fuerit ausus, quod tunc temporis Dominus Apostolos portare non posse affirmauit. Aduersus illos igitur istud telum iaculatur August. hæreticos

Caluinus in Catholicos sycophanticè detorquet quæ apud August. legit in hæreticos dicta.

Manichæos, & Montanistas phanaticos, & alios item cæteros, qui prætextu noui illius Paracleti deliri Montani, nisi insani mauis, obtentu nouas Christiano popello venditabunt Apocalypses, nouáq; fidei dogmata Catholicis Christi Ecclesiis à Christianorum memoria tam incognita, quàm inaudita. Quòd enim D. August. eo loco contra istas Ecclesiæ Christianæ pestes suos in Christo filios præmunierit, eius verba in eundem locum dicto Tracta. 97. clarissimè attestantur: Omnes insipiẽtis-
" simi hæretici, ait, qui se Christianos vocari volunt, au-
" dacias figmẽtorum suorum, quas maximè exhorret sen-
" sus humanus, hac occasione Euangelicę sententiæ colo-

rare conãtur, vbi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palàm docere, atque prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus. Rursus sub finem Tract. 98. Qua occasione, inquit, vani, quidam Apocalypsim Pauli quam sanè non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam stultissima præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse vnde dixerat raptum se fuisse in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ nõ licet homini loqui. Hinc liquet, quorum temeritatem plus quàm sacrilegam hîc reprehendat D. August. eorum videlicet, qui illius promissionis prætextu falsa & incognita Ecclesiis inuehebant dogmata, nouásque fingebant Apocalypses, quibus sua obuelarent nefaria impuráque flagitia. Quid igitur nobiscum egisti Caluine, illis August. verbis, dicant, qúænam illa sint, quæ Apostolis erant reuelanda? nos sané vt ea nos ingenuè cum D. August. profitemur ignorare: ita contrà nos profitemur multa cum August. ac omni illo veterum Patrum choro ab Apostolis didicisse, quæ tunc portare non poterant, sed pòst Spiritu sancto docti Magistro, partim scripto, partim nõ scripto Christianas docuêre Ecclesias. Quod vnus D. Paulus clarissimis verbis tam ad Colossenses, quàm ad Thessalonic. testatur. Qui cùm lacte, ait August. Tractat. 98. alerentur Catechizati non solidum cibum nondum ferebant. Quòd autem in lactis commemoratione posuit & doctrinã, ipsa est, quæ per symbolum traditur & orationem Dominicam. Sed huic lacti absit vt contrarius cibus rerum spiritualiũ firma intelligentia capiendus: qui Colossensibus & Thessalonicensibus defuit, & supplendus fuit. Quando enim suppletur quod defuit, non reprobatur quod fuit.

Apostoli viua voce Ecclesiis nõ præterquàm acceperãt, sed plus

Et clarissimè omnium sub eiusdem Tractat. finem, illam D. Pauli monens obseruandam Catholicis aduersus fraudulentas hæreticorum insidias admonitionem: Si quis vobis Euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit. Non ait, plus quàm accepistis, inquiens, sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse

quàm accẽ-perãt, euã-gelizarũt. « præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, « vt suppleret, quæ illorũ fidei defuerunt. Sed qui supplet, « quod minus erat, addit: non, quod inerat tollit. Qui au- « tem prętergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed « recedit de via. Concludens ergo prolixam admodùm di- « sputationem, addit: Quod itaque Dominus ait, Adhuc « multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare mo- « dò, adiicienda illis fuerunt, quæ nesciebant, non quæ di- « dicerent euertenda. Hæc aurea Diui Augustini verba Lector candide eò fusiùs recitauimus, vt natiuum Augustini sensum haurias pleniùs: tum vt Caluini fraudes, quas imperitioribus struit, minimum cuique adferrent noxæ. Liquet igitur, & Apostolos à Christi Spiritu quædam didicisse, quæ nesciebant, quod inficiabatur Caluinus: liquet & non scripta fidei dogmata ex August. sententia ab Apostolis post Epistolas ad Thessalon. scriptas fuisse addita eorum fidei. Qui supplet, inquit, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit.

Caput VI.

Responsio ad fragmẽta sententiarũ sanctorũ Patrũ, quibus Confess. Vuirtẽberg. oppugnat Traditiones non scriptas.



Ed naue locis ex confragosis atque vadosis educta, iam vela nobis essent colligenda, atque in portum rectà properandum, nisi manifestissimam hanc doctrinam de non scriptis fidei Traditionibus aduersarij inutilibus aliquot sententiarum sanctorum Patrum fragmentis studerent obruere: quæ vbi eis de manu excusserimus, ac in puluerem contriuerimus, sicuti tela ex Scripturis perperàm detortis iaculata modò confregimus, receptui erit canendum. Veniant igitur nunc in medium illæ veterum Patrum sententiolæ, quibus Confessio Vvirtembergeñ. manifestum efficere conatur, omnia, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in scriptis Propheticis & Apostolicis contineri.

Quod vt solidiùs confirmaret, illum adfert Pauli locum, Omnis Scriptura 1. Timoth. 3. cui quia suo superiùs loco satis supérque respõsum est, eum nisi de veteri Prophetica Scriptura non loqui, nihil hîc fusiori opus esse

arbitror oratione. Porrò quod illi assuit, Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis, Ioan.15. miror, quídnam aduersus non scriptas faciat fidei Traditiones? Iam vt demus, sine temporis enallage accipiendum, quod annotauit Augustinus Tract. in Ioan. tamen quod sibi sumit Confessio, ei sanè resistimus. Quæ Apostoli, inquit, acceperunt à Christo, ea vulgauerunt prędicatione sua in toto orbe terrarum, & tradiderunt ea posteritati scriptis suis. Vt igitur demus, quod cum omni semel pugnat antiquitate, atque Scriptorum omniũ veterum consensu manifestissimo, quæ Apostoli acceperãt à Christo, ea toto orbe vulgasse, cùm plurima mysticis arcanísque mystagogiis ceu religionis Christianæ cimelion atque depositum crediderint ceu thesaurum quempiam regium: vt hoc demus, inquam, aut veriùs in præsentiarum dissimulemus breuitatis causa, illud sanè est cui resistimus, vniuersa quæ à Christo acceperant Apostoli, ea posteritati suis scriptis tradidisse. Istud enim non euincunt Scripturarum loca, huc ab eis allata, nec Scriptorum veterum testimonia ab eis commemorata: quemadmodum statim efficiemus luce meridiana clarius. Vt igitur sit verum, Apostolos omnia à Christo didicisse, haud sanè continuò inde efficias, eos vniuersa scriptis suis posteritati commendasse. Nusquàm enim scripto mandatum est, Pauli epistolas esse Pauli, Ioannis Apocalypsim esse Ioan. Apostoli, quod tamen fidei caput, ac verè, vti demonstrauimus ex Brentiana istius Confessionis Apologia, fundamentum certum est, firmum est, indubitatum est. Sed nunc quibus istud, quod sibi sumit ceu manifestum Confessio, astruat veterum Scriptorum testimoniis expendamus. Omnia continet Euãgelion, ait Chrysost. Homil. 1. epistola ad Titum, & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusit. Meritò hîc Lector prudens miretur, homines doctos tam sine mente verba fundere: quis enim hîc non animi desideret iudicium in istius Confessionis architectis? Euangelion sanè omnia & vniuersa complectitur: sed Euangelij voce Chrysostomum Scripturam tantùm Euangelicam significasse,

Ioan.15.

Apostoli non omnia mandarunt scriptis, quę docuerunt.

Aduersarij se miseri suis iugulãt verbis.

Prædicatione Euangelij omnia sunt conclusa, sed non scripto Euangelio.

quis adeò bardus sit, aut stupidus, qui asserat, vbi disertè adeò profitetur, omnia prędicationis verbo esse cõclusa? Multò igitur latiùs Chrysostomi sententia funditur Euangelium, quàm Scripturæ lechitus queat continere: Prædicationis, inquit, verbo conclusit simul omnia. Atqui hanc vel ipse Paulus, vt Chrysost. taceam, clamat patuisse latiùs, quàm vt epistoliis, aut pusillo etiam toto Euangeliorum libro comprehenderetur: State, inquiens ad Thessal. & tenete Traditiones, quas didicistis siue per epistolam, siue per sermonem.

2. Thess. 2.

Alterum est D. Hieronymi testimoniũ, quod quàm nihil pro aduersariorum stet causa, nullo licebit negotio perspicere: Sine authoritate Scripturarum, ait cap. 1. ad Titum, garrulitas non habet fidem. Quanquàm hanc sententiam iugulasse sufficiat, quòd loco ab aduersariis recitato non existat: tamen ne hoc declinandi aut effugitandi teli istius causa dictum putetur, paucis ad eam est respõdendum. Verba enim Hieronymi, si modò sint Hieronymi, certè loco ab eis recitato non sunt Hieronymi, non grauem illam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam volunt esse reiiciendam, etiamsi quid sine Scripturarum authoritate adferatur: norat enim eam esse colũnam & firmamentum veritatis: sed quorundam superstitiosorũ & hypocritarum garrulitatem, qui citra Orthodoxę Catholicæque Ecclesiæ doctrinam suas in vulgus venditabant nugas: quales ætate Hieronymi erãt Iouiniani, Vigilantiani, Manichæi, Origenistæ, & Pelagiani.

Locus Augustini Catholicis obiectus nihil facit contra Apostolicas nõ scriptas Traditiones.

Porrò quod ex August. tanquàm istius dogmatis Achillem nobis opponunt, plus fortassis imperitos exerceat, & inexercitatos fatiget: Nam quum Dominus, ait Tract. super Ioan. 49. multa fecisset, non omnia scripta sunt, sicut idem sanctus Euangelista testatur, multa demùm Christum & dixisse & fecisse, quæ scripta nõ sunt. Electa autem sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.

Fragmentum hoc extra suum locum cogitatum haud parum sanè habeat verisimilitudinis: sed suo consarcitum corpori, vnde est diuulsum, nihil prorsus ad rem facere agnoscetur, quam magno hîc molimine conantur aduersarij

aduersarij efficere. D. Augustinus enim loco, vnde ista sententia est auulsa, cœperat sibi Lazari resuscitationem explanandam: Hanc non esse ita magnoperè, ait, admi- »
randam, si cogites, à quo sit facta, nimirùm ab eo, qui o- »
mnia creat, per quem omnia facta sunt. Quid igitur mi- »
rum, si resurrexit vnus per illum, cùm tot quotidie nas- »
cantur per illum? Plus est homines creare, quàm resusci- »
tare. Dignatus est tamen & creare, & resuscitare: creare »
omnes, resuscitare quosdam. Cuius dicti veritas, quòd »
videlicet quosdam resuscitauit, vt appareret liquidiùs: »
nam vnum aut alterum, ad summum tres legitur apud »
Euangelistas à morte in vitam reuocasse, attexuit ætio- »
logiam, quam contra non scriptas Traditiones obiicit »
Confessio: Nam cùm multa, inquit, fecisset Dominus Ie- »
sus, non omnia scripta sunt, sicut idem sanctus Euange- »
lista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fe- *Ioan.20.*
cisse, quæ scripta non sunt. Electa autem sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Quæ Augustini sententia iudicio expensa, in eundem prorsus est accipienda sensum, in quem D. Ioannis Euãgelistæ verba, quæ August. commemorat. Hæc scripta sunt, ait Euangelista cap. 20. vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credẽtes vitam habeatis in nomine eius. Hîc perspicuum videre est, cur Ioannes suum scripserit Euangelium, vt scilicet illud fidei caput sua confirmaret historia operum Christi, Iesum illum Nazarenum crucifixum esse Christum, aduersus Iudaïzantes: & eundem esse filium Dei, contra Ebionitas hæreticos, qui eum quidem Christum credebant, sed hominem merum. Huius autẽ vtriusque capitis firmamenta abundè sufficientia D. Ioannes sua est historia complexus, ita vt pluribus non fuerit opus. Quod D. Augustinus aliis dicit verbis, Electa esse quæ scriberentur, id est, miraculorum selectissima & conciones, quæ eius diuinitatem liquidò demonstrarent in vnum istum Ioannis libellum esse collecta. Itaque quod additur, Quæ saluti credentium sufficere videbantur, non eò esse additum est putãdum, quasi Augustinus hîc dicat, electa esse omnia, quæ ad omnia fidei Christianæ dogmata confirmãda suffice-

rent, aut quæ saluti credentium aduersus omnes hæreses præmunirent: sed quæ sufficerent saluti credentiū, quantū putà ad illud fidei caput, quod D. Ioannes sibi in præsentia sumpserat corroborandum, videlicet Iesum esse Christum, eundémque esse Dei filium. Hoc D. Ioannes loco commemorato disertè pronunciat, sed de istis duobus tantùm fidei articulis solicitum scripsisse Euangelij Christi & dicta & facta: Idem D. Augustinus se agere demonstrat, illum D. Ioannis locum recitando.

Liquet igitur, quàm sit manifestariæ falsitatis plenissimum, quod sibi hisce Patrum sententiis sumpserat cōfirmandum Confessio Vuirtembergensis. Manifestum igitur est, inquiens, omnia, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in scriptis Propheticis & Apostolicis contineri. Verùm ne quid sibi putet præsidij reliquum Confessio in aliis testimoniis, quæ ex Origine & D. Hieron. cap. de Ecclesia commemorat, agè & illa suo natiuo vindicata sensui demonstremus, nihil aduersus Traditiones non scriptas valere. Necesse est nobis, ait Origen. Homilia 1. in Ierem. Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem.

Certè quum interpres explanandis Prophetarum aut Apostolorum scriptis suum adfert sensum, necesse est, vt quod probabili affirmabat enarratione, certioribus confirmet Scripturarum capitulis, vnde liqueat à vero non abhorrere, quod in medium adferebatur. Proinde cùm istud Origenes non in vniuersum de omni doctrinæ genere, quod Ecclesia vsurpat Catholica ad sua fidei dogmata statuenda, pronunciarit, sed de vna commentationum in Scripturas atq; enarrationum tantùm specie, nihil contra Ecclesiasticas facit Traditiones nullo Apostolico scripto comprehensas. Quantæ enim authoritatis apud eum fuerint non scriptæ Traditiones, ex iis, quæ lib. 2. diximus, notiora confidimus, quàm vt hîc repetantur: quare consultò ea prætermittimus, inde cuilibet petenda. Hîc certè suffecerit illud in memoriam reuocasse, hæreticum Origeni esse, qui sese Christo professus credere, aliter de fidei Christi dogmatibus sen-

Vide lib. 2. cap. 5.

Hæreticus Orige quis. Vide Origenem in illud

tit, quàm pietatis regula atque Ecclesiasticæ obseruationis puritas exposcit.

ad Titũ, hæreticum hominem.

Sed ne diutiùs telulis istis aranearum perrumpendis pium fatigemus Lectorem, nunc illud postremũ Cõfess. Vvirtemberg. dissoluatur argumentum, quod ex D. Hierony. sententia est contextum : Quod sine Scripturæ authoritate dicitur, eadem facilitate cõtemnitur, qua dicitur. Quæ Hieron. vox, si eò referatur, quorsum ab eo dicta est, haud parum negotij facessere videbitur: agitur enim de veteris Traditionis non scriptę authoritate, quísnam ille in Euãgelio apud Matthæum Zacharias fuerit? Verùm nos pro virili dabimus operã, vt luce meridiana liqueat manifestius, eam cum Traditionũ fidei non scriptarum authoritate nihil minùs quàm pugnare.

Varia est Traditionũ variarũ authoritas.

Ea nanque Traditio, quæ Zachariam illum asserebat D. Ioannis Baptistæ patrem, non ex Ecclesiarum asserebatur doctrina, sed scriptis nitebatur apocryphis : quare nullam merebatur authoritatem, ideóq; eadem, quod ait Hieronymus, facilitate contemnitur, qua dicitur. Nec ea sola, sed quicquid est huius generis, hoc est, quicquid nõ liquidò certóq; Ecclesiarum consensu habetur, atq; olim fuit habitum Traditio Apostolica, eadem contemnitur facilitate, qua dicitur, nisi Scripturarum authoritate nixum demõstretur. Non igitur omnes in vniuersum non scriptas hac sententia D. Hieronymus dãnat Traditiones: sed eas duntaxat, quæ ex apocryphis libris aut natæ aut confirmatæ authoritatem putãtur habere certam atque indubiam : quale illud erat, Zachariam illum Euangelicum esse Ioãnis Baptistæ patrem. Talium Traditionum miscellaneas aliquot chiliadas liceat & hodie apud aniculas non paucas offendere, si cui accuratiùs libeat istud nugarum genus persequi: exempli causa de Iosephi asello & boue, de fictitia illa obstetrice Anastasia, de ridicula Christi pueritia, de ludicro apud ludimagistrum miraculo, & alia id genus sexcenta: quæ si quis affirmare audeat, ei sanè quod dudum D. Hieronymus, erit respõdendum, eadem facilitate hæc contemni, qua dicuntur. Vbi verò de illo Traditionũ genere agitur, quod publicis Ecclesiarum moribus atq; consensu est probatum, lon-

gè ſanè aliter hîc iuxta D. Hieronymi ad Luciniũ regulam eſt cenſendum. Vbi de Sabbathi ieiunio differens, quod per Hiſpaniam obſeruabatur, alibi ſecùs: Ego illud te breuiter admonendũ puto, inquit, Traditiones Eccleſiaſticas, pręſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à Maioribus traditę ſunt. Liquet igitur D. Hieronymum illis à Cõfeſſione Vvirtemberg. verbis obiectis, Traditiones non ſcriptas in vniuerſum nullius voluiſſe mométi eſſe, ſed quaſdam de apocryphorum nugis hauſtas, cum anicularum deliriis ſubmouẽdas, nec vllo apud nos aut dignitatis aut authoritatis loco habendas.

Caput VII.

Traditiones certò Apoſtolicæ qui ab apocryphis, aliiſque minoris authoritatis intercernantur.



NVnc qúænam Traditiones huius aut illius ſunt generis, in præſens perſequi non eſt locus: quod qui cognoſcere cupiat, vltimum caput lib. quarti conſulat, vbi congeſta varij generis Traditionum farragine, modum oſtendere ſtudioſis annitebamur, quo res adeò variæ cùm authoritatis tum antiquitatis aptè prudentérque intercernantur, atque diſcriminentur. Ex quibus qũi Traditiones liquidò certóque Apoſtolicas ab incertis minoríſque authoritatis Traditionibus poteſt diſcernere, haud exiguum ſanè retulerit, mea quidem opinione, operæpretium: quibus in diſtinguendis qui falli nolit, certius equidem ei non habeo conſilium, quàm vt hac in re vt maximi cùm primis momenti, ita obſcuriſſima quoq;, & humano ab ingenio longè collocata, vnam illam mecum ſequatur per omnia indubius Eccleſiam Chriſti Ieſu Catholicã, Spiritus ſancti ex illius promiſſo doctoris diſcipulam, & Apoſtolorum alumnam, atque veriſſimam ſcholam: quæ ſi vnquàm aliàs verè à Paulo dicta eſt ϛύλος καὶ ἑδραίωμα ἀληθείας, columna atque firmamentum veritatis, ſanè hac in re lõgè veriſſimè iſthoc ornatur elogio. Nullus enim eſt toto hoc in vniuerſo, quem cõſulamus ſecuriùs citra omnem erroris vel ſuſpicionẽ, ecqúæ nam illæ ſint Traditiones, quas Paulus Chriſtianis hominibus mandarit obtinendas, atque inuiolatas conſeruandas, quas ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolas accepiſſent Apoſtolicas,

Eccleſiæ Catholicæ indicium ſequẽdum in ſtatuendis Traditionibus Apoſtolicis.
1. Timot. 4.
2. Theſſ. 2.

quàm vna illa Christi electa sponsa, Ecclesia per orbem Catholica. Ea enim suggerente ex Christi promissis Spiritu sancto magistro, probè nouit, quíd nam de dogmatibus nunc tempestatis in controuersia positis sibi annunciarunt ab initio Apostoli, quid Petrus & Paulus Romæ per Italiam, quid Thomas † per Germaniã, quid Dionysius Crescens, & Irenæus per Gallias Euangelisauerint. Hanc qui non dedignabitur & audire & sequi magistram, securum erroris esse iubeo. Quod vniuersa enim, ait Augustinus contra Donatistas lib. 4. cap. 24. tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Eam enim vnam agnoscet, quod Paulus prædicat, veritatis columnam atque firmamentum. Nam verbum Domini, quod manet in æternum, ea vti accepit illibatum, purum, putum, integrum: ita fida thesauri huius sibi crediti custos, inter varias Diaboli artes, hæreticorum fraudes, hypocritarum denique oppugnationes seruat, æternúmque seruabit illibatum, putũ, purum, integrum, ei nec addens, nec minuens: sed quod suscepit ab initio, totum sartum tectum posteris tradẽs, in finem vsque istius pereuntis mundi duraturum. Non illud metiendum existimans vno Bibliorum, nedum noui Testamenti libello, cum istis heterodidascalis & peregrinarum, imò semi Euangelicarum doctrinarum magistris: sed tota illa doctrina Ecclesiis ab Apostolis semel initiò annunciata. Hoc illud est, quod Apostolorum caput Petrus, Ecclesiæ pastor à Christo sui loco præfectus nos liquidis docet verbis: Hoc est autem verbum Dei, inquiens, quod vobis est Euangelizatum. Hoc autem duabus contineri partibus, scripto & agrapho siue non scripto, nos nunc demonstrasse confidimus, vbique verbum Dei, iuxta Pauli præceptum ὀρθοτομεῖν rectè incidere, atque tractare studentes. Quòd si cuipiam à recto veróq; deuiasse videbimur, nec doctrinam verè Orthodoxam vbique tradidisse, is meminerit, nos quidem eam per omnia sequi voluisse: quòd si votis frustrati eam vbique non sumus assequuti, id demum nobis ex animo dolet. Sanè quicquid hîc aut alibi à nobis dictũ est,

†*Vide Catalog. Hiero. et Dorotheũ Tyrium.*

Esa. 40.

2. Thess. 2.

2. Tim. 2.

Verbum Dei author studuit ὀρθοτομεῖν rectè tractare iuxta Catholicæ Ecclesiæ doctrinam Orthodoxam.

id omne prorsus illius Catholicæ Orthodoxæque Christi Ecclesiæ volumus iudicio esse subiectum, nihil prorsus aut tenentes aut sentientes, quàm Ecclesia Catholica, cuius caput Christi loco est Petri successor Romanæ Ecclesiæ Episcopus Paulus quartus, iudicat atque præscribit suis filiis, inter quos me vel infimum accenseri mihi seriò demùm gratulor, credendum, atque ceu paternæ illius Apostolicæ doctrinæ depositum obtinendum. Eius enim fides, mea fides est, quia fides Catholica est. Quòd si quid alicubi exciderit, quod iustam piorum fratrum (nam impios aut spurios non moramur) mereatur offensionem, certè admonitus castigare non recuso: amo enim seueros veritatis iudices, & eorum vulnera longè blandientium osculis præstare opinor: tantùm meminerint illius, quod prudentissimè ille admonuit: Nam opere in longo fas est obrepere somnum: quem etsi peruigiliis plurimis certissima cum valetudinis huius iactura, indubióque ætatis vix dum adultæ detrimento studebamus effugere: tamen quia homo sum, humani nihil à me alienum reputans, errare mihi cum aliis commune esse ingenuè agnosco. Ego enim cum D. August. me ex eorum numero esse profiteor, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt, vnde & iudices veros, adeóque veritate seueros quæro, de illorum iudicio mihi ex animo gratulaturus: non quòd erratũ mihi sit, sed quòd meus error sit improbatus, atque Orthodoxè emendatus. Plurima enim inciderunt hoc in opere loca vadosa, quæ animus iusto nondum tantàm ad rem fœliciter conficiendam aut eruditionis aut iudicij robore instructus, peruadere valebat. Vnde si quid cespitatũ, aut aberratum videbitur, id non in illorum errorum album est referendum, quòd me ab vna illa Catholica Christi separet Ecclesia, aut Orthodoxi lædat opinionem: illos enim ex animo, si qui fortè deprehendantur, abominor atque anathematizans detestor, qui cum fide Orthodoxa aut Ecclesia pugnant Catholica; protestans eos me non agnoscere, nec pro dictis habere.

D. August. Epist.

Augustin. epist. 7.

Scopus totius huius panopliæ Euãgelicæ.

Quicquid igitur nobis totis hisce 5. Euang. Pano. lib. ellaborabatur, eò spectat tantũ, vt hoïes Euág. verè Chri

ſtiani atque Apoſtolici ſtudioſi in procinctu haberent, vnde cognitã in vna illa Christi Eccleſia Catholica doctrinam verè Euãgelicam tueri poſſent, illęſámque propugnare, poſteríſque ſartam tectã tradere: ne aliqua parte hodie inter tã varias hoſtis noſtri diaboli nunquã inſurgentis acriùs, nunquàm oppugnantis infeſtiùs, artes, fraudes, machinationes mutiletur, aut alium in ſenſum deprauetur, quàm illã ab initio à Christo eiúſque Apoſtolis accepit Eccleſia traditam. Quod vt fiat faciliùs, illud aduerſariorum axioma, quod omnem hanc peperit Tragœdiam, Nihil credendum, quod non eſt ſcriptum, initiò labefactauimus, funditúſque euertere ſtuduimus, quòd fidei regulam Chriſtus Dominus nõ Scripturam, ſed doctrinam Apoſtolis tum à ſe traditam, tum à Spiritu ſancto illa, quæ dudum ferre non poterant, docturo tradendam præſcripſerit. Eandem Apoſtolos Eccleſiæ per orbem Catholicæ tradidiſſe, vt germanum gniſiúmque Dei verbum, ſiue ea fuiſſet per epiſtolas, ſiue viua ipſorum voce annunciata. Hanc Apoſtolorum diſcipulos vbique gentium non modò pro vero Dei verbo agnouiſſe atque ſuſcepiſſe, ſed aduerſus hæreticos quoq; propugnaſſe, variis demonſtrauimus exemplis, ex illa Apoſtolorum & ſucceſſorum ætate Apoſtolica petitis.

Epilogus totius operis.

Libri primi epitome.

Libri ſecũdi epitome.

Libri tertij epitome.

Deinde explicatis verbi Dei partibus, ſcripto & agrapho, ſiue nõ ſcripto, Canone quoque ſacrarum Scripturarum perſtricto, ieiuniis, Sanctorum cultu, atque inuocatione, libero arbitrio, & operũ meritis, cum reliquis, doctrinam nunc temporis Eccleſiaſticam de Sacramentis & eorum ritibus ſacris, quæ totum per orbem Chriſtianum & obtinet Catholicè, & floret, annóſque ante quadraginta, priùs quàm immundus Lutheri & aliorum Spiritus eam perturbaret, vbique floruit, verè eſſe Euangelicam, veréque Apoſtolicam, liquidis ſcripturis, clariſſimíſque vetuſtiſſimorum Orthodoxorum Patrum ſententiis nos demonſtraſſe confidimus.

Libri quarti epitome.

Quod vt maiore pij cum Lectoris fructu faceremus, indefeſſam noſtra pro virili dedimus operã, vt dogmata propè omnia nunc tempeſtatis in controuerſia cùm primis poſita, aduerſus infeſtiſſima quæque hoſtium te-

la daremus inexpugnabilibus nõ tantùm Scripturarum sacrarum vallis obmunita: sed inuicto etiam vetustissimorum Patrum ante annos mille clarissimorum cõsensu, testimonióque ceu quodam antemurali confirmata.

Libri quinti epitome.

Cæterùm ne quid ad instruendum militem Christianum, qui aduersus grassantes istas hostium vndique castra Dei Israel adeò variè oppugnantium turmas ex animo constituit prodire in aciem, hac in Panoplia desideraretur, studebamus & fortissima quæque illorum hîc perfringere tela, quæ in speciem quidem tyronibus horribilia suis in Confessionibus, Augustana, Vvirtembergensi, Saxonica, Apologiis, & aliis ceu propugnaculis Catholicæ Dei Ecclesiæ hostiliter extructis congessisse videbantur: vt iis semel perfractis & de manibus excussis, armísq; parricidalibus, quibus suam in matrem, quæ ipsos & Christo regenerauit, & Fidei lumine, veráque Dei cognitione illustrauit, bis impij seipsi infœlicissimè armarunt, exuti, manus victrici illi tradant Euangelicæ Fidei, doctrinæque certò Apostolicæ, Catholicæ nostræ per orbem Christianum Ecclesiæ assignatæ, & perpetua successorum in Apostolorum locum opera per manus in hunc vsque diem, vti videre, si modò velint, queant, traditæ. Quòd si hac frustramur spe, vt suis ab erroribus, hîc à vero aberrare liquidò demonstratis, resipiscentes, ad vnam illam redire nolint Christi Ecclesiam Catholicam, certè non omnis tamen nobis spectatus perierit fructus. Plurimos enim fratrum infirmiorum in Catholica Ecclesiæ doctrina cõfirmatum iri bona nos spes habet, vbi viderint se hac ex Panoplia posse inuicta expedire arma, quibus ex verbo Dei instructi, insanas istas veteribus de hæresibus renouatas profligẽt, atque semel orco reddant impiorum hominum opiniones, peregrináſque heterodidascalias. Hoc saltem si vel apud paucos aliquot effecerimus, abundè immensos hac in Panopliæ apparandæ officina exantlatos Ecclesiæ Catholicæ tuẽdæ & propugnandę labores cõpensarit Deus Opt. Max. illa sua iustitiæ corona aliquando copiosissimè persoluturus iustus iudex. Sanè vtvt euenerit, nos euentus nihil minùs quàm soliciti, illud nobis conscij gratulamur, to-

Spes reuocãdi errãtes, et stabiliendi nutantes authorẽ immẽsos hos labores exantlare compellebat.

2. Tim. 4.

to in opere aliud ſpectaſſe nihil, quàm vt illam in vnius fidei, doctrinæque certò Catholicæ concordia perſuaderemus Chriſtianis omnibus ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, quam Apoſtoli Catholicæ per orbem initiò tradidêre Eccleſiæ. Hãc autem Spiritus vnitatem, qui varias peregrináſq; fidei doctrinas Eccleſiæ Orthodoxæ hactenùs ignotas inuehere conantur, quàm ſtudeant cõſeruare iuxta Pauli præſcriptum, res ipſa loquitur manifeſtiùs, quàm vt fuſiori ſit oratione perſequendum. Porrò hãc vnius fidei verè Euangelicæ doctrinæq; certò Catholicæ atque Apoſtolicæ cõcordiam vnà cum vita verè Chriſtiana, vt omnibus invniuerſum Chriſtiani nominis ex animo imprecamur hominibus: ita Catholicæ Chriſti Eccleſiæ matri dulciſſimæ nõ tam à piis omnibus optatam, atque neceſſariam exoptamus vitæ omnis propè generis reformationem, abuſuúmque non diutiùs ſanè tolerabilium caſtigationem: quam vt mecũ aſſiduis apud Deum Opt. Patrem ei impetrare ſtudeant pij omnes, precibus atque votis ardentibus ſupplex rogo, atque obteſtor: quò errantes ſemel omnes ad vnum illud Eccleſiæ veræ Chriſtianæ ouile concorditer reuocati, omnés vni Chriſto Ieſu ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, vt iſthoc ex miſerrimo exilio omnes quoque ad cæleſtem illam omnibus paratam tranſuolemus hæreditatem: quam nobis omnibus largiatur Deus in ſecula benedictus, Amen.

Vt ratio aliqua eſſet cõciliãdæ iſtius diſſidij de fidei capitib⁹ cõcordiæ ſpectauit toto hoc opere author.

Epheſ. 4.
1. Corinth. 1.
Philip. 3.

Votum pectoris verè Chriſtiani atq; Euãgelici piis omnibus ſtudioſè adiuuandum.

Finis Panopliæ Euangelicæ, ſiue quinque librorum de verbo Dei Euangelico.

TABVLAE GRASSANTIVM PASSIM HAERESEON ANASCEVASTICAE atq; analyticæ, authore D. VVILHELMO LINDANO Dordraceno, Doctore Theologo.

AD LECTOREM.

HAbes, hic studiose, Lector Tabulas vigentium nũc atque paßim grassantium hæreseon anasceuasticas atque analyticas, hoc est confutatorias & resolutorias: ex quarum intuitu errores fanatici de prisca hæreticorum sentina plerique omnes nunc hausti & renouati, facilimè redarguantur, & in suæ vanitatis fumos resoluantur.

Omnia sedulò atque diligenter emendata: vt his munitus, facilè poßis istorum pseudoeuangelicorũ telis virulentis resistere. Vale, & nostram hanc operam boni consule.

Quarum seriem, ac rationem apertiorem versa pagella indicabit.

TABVLA PRIMA.

Demonſtrat Lutheri & aliorum hæreſes atque errores, ex mera Euangelij ac doctrinæ liquidò Apoſtolicæ imperitia enatas.

Tabula Secunda.

Pugnam habet Lutheri ſecum ac mutuæ inter ipſos Euangelicos diſſenſionis planè ἀσπόνδου & irreconſiliabilis : vbi perſpicuè agnoſcas, non Chriſtum, qui pacis Deus eſt, in eis loqui, ſed Antichriſtum, illo diſſentionis ſpiritu in Angelum lucis ſeſe transformante.

Tabula Tertia.

Catalogus ſectarum ex vno Lutheri ſpiritu, nihil minus quàm vno, ſed maximé vario ac multiplici, mundo exortarum.

Tabula Quarta.

Index hæreſeon, quæ priſcorum ex hæreticorum, vel citra controuerſiam damnatiſsimorum lerna, Euangelij titulo interpolatæ & renouatæ, per Lutherum & eius ſyneuangelicos, nunc pro Chriſti Euangelio ſimplicioribus Chriſti ouiculis obtruduntur.

Tabula quinta.

Pſeudologiarum atque nobilium aliquot mandaciorum farrago, quibus iſti Euangelici ſuum ſtabilire conati pſeudoeuangelium, Catholicam iuxta ac Orthodoxam Eccleſiæ Chriſti vexant dilaniántq; doctrinam, congeſta ex ſcriptis infeſtiſsimorum Catholicæ fidei hoſtiũ Philippi Melanthonis, Brentzij, Caluini Buceri, &c.

Tabula Sexta.

Epitomen habet doctrinæ verè Euangelicæ (quod ad dogmata nunc tempeſtatis controuerſa attinet) liquidò ſcripturis & vetuſtiſsimorum Patrum teſtiſtimoniis corroboratæ atq; conteſtatæ.

Tabula Septima.

Chronologia affixa in piorum veri Euangelij ſtudioſorum gratiam, quæ Orthodoxorum PP. & Scriptorum vetuſtiſsimorum, qui ante annos mille floruerũt, quorum teſtimoniis tantùm hæc conficiuntur, habet Catalogum.

PIO SPECTATORI
EVANGELII VERI IVXTA ATQVE
Orthodoxi studioso, vnam in Christo fidem, vitámque Christianam.



Asce tabulas Christianæ F. nostræ Germaniæ, & Catholicæ imprimis Christi Iesu Ecclesiæ depictas, atque ex Panoplia Euangelica, siue de verbo Dei Euangelico libris quinq; clarissimi viri D.D. Vuilhelmi Lindani Dordraceni. S. Th. D. & Professoris in Achademia Dylingana, aliísque eiusdem scriptis iam in lucem editis à piis quibusdam collectas & delineatas tibi simul proponere voluimus contemplandas & perlustrandas: quo aut Catholicus videas, quibus cum errorum monstris tibi sit depugnandum, quid assiduè meditandum, quid pro sua cuique virili, vt bellum hoc sacrum fœliciter tandem conficiatur, moliendum, ac studio obnixo, aut precibus saltem ardentibus, connitendum: Aut quolibet de Euangelicorum adeó variorum grege aduersarius agnoscas solis luce clarius (ni oculos ipse tibi demẽs erueris) quàm dogmata secteris infœlix, nhil minùs quàm Euangelica aut Apostolica, nédum Catholica aut Orthodoxa, imò plusquàm δὶς διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε ab illis dissonantia. Tabulas igitur has, Lector, ceu velitationes ingrassantes variorum vt nominum, ita opinionum, hæreticas turmas nũc cãdidus accipe, atque beneuolus, Panopliã hãc Euangelicam quinq; libris de verbi Dei Euangelici natura, partibus scripti, & τοῦ ἀγράφου non scripti, & Traditionibus liquidò Apostolicis instructam videbis, iustam in aciem aduersus omnes omnium phalangum castris Dei Israël maledicentium hostes eductam. Vale pie Lector, & nostrum Euangelij Orthodoxi illustrandi studiũ gratus piis adiuuato precibus, Euangelióque instaurando, & à Pseudoeuãgeliorum iniuriis ac sacrilegiis vindicando, pro sua quisque virili collaborato.

VAria variis probantur remedia, quibus homines Christiani aduersus grassantes passim hæreseon pestes obmuniātur, & porrecto quasi antidoto præseruentur. Verùm inter omnia, illud haud postremū meretur locum, quod istorum in controuersia positorum dogmatum antiquitatem demonstrat, simúlque originem illam primæuam ob oculos ponit, quod prima hæc tabula maiori ex parte effectū dabit, quæ Lutheri & aliorū Pseudo euangelicorum opiniones ex mera veri Euangelij, doctrinæq; liquidò Apostolicæ imperitia ostendit enatas.

LECTORI CANDIDO.

HAEc Orthodoxorum Patrum & clarißimorum antè annos mille scriptorum testimonia hoc in vicino tabulæ dextro margine recitata esse vera, nisi ab impudentißimo negari non potest: Iam cum iis, qui hîc patribus vetustißimis de re item vetustißima fidem abrogant, disputādi non est locus: secuti nec eadem scripturarum capitibus confirmandi. Quæ si quis requirat, Tabulam sextam & cæteras consulat. Vbi pro eo atque instituti ratio tulit illa scripturarum locis obmuniuimus, & perpetuo Catholicæ Christi Ecclesiæ consensu corroborauimus. Si quid porrò ingenij moderatioris homines copiosiùs desiderent illustratum, & firmiùs comprobatum, id sua pro virili dabit breui nostræ Panopliæ Euangelicæ, siue de verbo Dei Euangelico lib. 3. & 4.

PRIMA TABVLA DEMONSTRANS Lutheri & cęterorum item iſtorum Euangelicorum errores & hæreſes, ex mera Euangelij veri ac doctrinæ liquidò Apoſtolicæ imperitia natas atq; propagatas.

DD. enim Apoſtoli à Chriſto eruditi, & eius Spiritu ſancto edocti, Eccleſiam Chriſtianam initiò docuêre, vti nobis Catholicis diſertè atteſtatur.

Diony. Areop. de eccle. Hiera. Cyp. ep. 12. lib. 1. & ſer. de ablutio. pedũ. Suffragatur. Aug. epi. 118. ad Ianuarium & aliis variis locis infrà recitandis Tabul. 5. Nu. 7. & tabul. 6. Nu. 2. & ſequẽt.	1. Sacramẽta eſſe plura quàm	1. Vnum.	negat	1. Lutherus, vnum tãtum aſſerens ſi iuxtà ſcripturas loquendum Capt. Babyl.
		2. Duo.		2. Luthe. an. 30. in Catechiſ. Melan. olim lo. Com. a. 12. Calui. Inſti.
		3. Tria.		3. Confeſſio Auguſtana. Philip. Melanth. Apol. an. 30.
		4. quatuor		4. Melan. loc. com. an. 52.
		5. Sex.		5. Vvilhel. Poſtellus in Panthenoſia, vbi ſe fingit Eliã Pãdocheũ

Orig. Periarchon & ad Rom. 6. Augu. epi. 28.	2. Infantes oēs naſci peccato originali infectos.	negat	Zuuinglius Caluinus Bucerus.	propriè peccatū eſſe maximè in Chriſtianorum filiis.
Aug. ſerm. 10. de verbis Apo.	3. Exorciſmum adhibendum ante baptiſma.	negat	Lutherus Zuuinglius. Caluinus.	
Dionyſi. Areop. de eccl. Hierony.	4. Abrenunciationem præmittendam.	negat	Lutherus Bucerus.	
Baſil. cap. 27. de ſpiritu ſanct.	5. Aquam fontis conſecrandam.	negant	Lutherani.	
Chry. ho. 24. in Io. Auguſt. epi. 28.	6. Baptiſmum requirere aquam neceſſario.	negat	Caluinus.	
Orig. ad Ro. 6. Augu. epiſt. 28.	7. Infantes eſſe baptizandos.	negat	Anabaptiſtarum colluuies varia.	
Auguſt. epiſt. 28.	8. Paruulos ſine Baptiſmo aquæ non ſaluari.	negat	Caluinus. Bucerus.	
Patres in conc. Nice. ex actis Græcis Conſentiunt. Baſil. Chry. Nazi. Hieron. Auguſtinus.	9. Baptiſmū Chriſti eſſe alium à Iohan. Baptiſta. Baptiſmo.	negat	Bucerus. Caluinus.	
Auguſt. perſæpe epiſt. 28.	10. Paruulos Chriſtianorum renaſci, non naſci filios Dei.	negat	Caluinus. Bucerus.	

Basil.cap.27.de ſpiritu ſancto. Dion. Areopa. Mich. Syngelus.	11. Baptizato oleo eſſe vngẽdos.	negãt	Lutherani Caluinus. Zuuinglius
Cypr.ſerm.de ablut. pedum & epiſtol. 12. libr. 1. Auguſt. libr. 5. contra Donatiſt. cap. 20.	12. Confirmationem eſſe ſacramentum.	negat	Lutherus Caluinus.
Cypr. vbi ante Flauianus cum ſynodo Michael Singelus.	13. Confirmationem habere chriſmatis illinitionẽ.	negat	Bucerus. Caluinus.
Fabianus martyr cum ſyno. Hierony.contra Lucif.	14. Epiſcopum eſſe huius adminiſtrum.	negat	Bucerus Reformat. Bonnenſi. Caluin. Inſtit.
Cypria.epiſto.3. lib.2. concil.6. Conſtant. & aliis.	15. Euchariſtiã fieri ex vino aqua permiſto.	negat	Zuuinglius.
Iuſtinus Apolo. 1. Baſil. de Spiritu ſancto. cap.27.	16. Euchariſtiã fieri verbis ſacerdotis nõ fide ſuſcipientis.	negat	Lutherus.
Iuſtinus Apol. 1. Irenæus lib.4.cap.32.Euſeb.lib.1.Euangel.Demonſtr.	17. Eucharſtiam eſſe veri ac præſentis corporis Dominici ſacramentum.	negat	Zuuingli. Caluinus.
Iuſtinus Apol. 1. Irenæus lib.4. cap.34.	18. Euchariſtiã non habere verũ panem & vinũ vnà cum vero corpore & ſangui ne Domini.	negat	Lutherus cum ſuis.

Iuſtinus. Apol. 1. Irenęus libro 4. ca. 32. & 34.	19. Euchariſtiã non eſſe tantũ corporis abſentis ſymbolũ aut ſignum.	negat	Carolſtadius. Zuuinglius Oecolampadius.
Irenæus lib. 4. cap. 32. & 34. Aug. ſer. 32. de verbis Apoſto.	20. Euchariſtiã non eſſe ſacrificiũ tãtum commemoratiuum.	negat	Philippus Melancht. in Apologia.
Chryſ. ho. 69. ad pop. Antiochenũ & cap. 1. ad Philip. Gre. Niſſe. Damaſc. Aug. ſer. 32. de verbis Apoſt.	21. Euchariſtiã eſſe ſacrificiũ propitiatorium pro mortuis.	negãt	Lutherus, & alij ad vnum omnes.
D. Hiero. Dial. 3. cõtra Pelag.	22. Ad ſacrificiũ corporis dominici recitandã orationẽ dñicã.	negãt	Zuuingliani. Anabaptiſtæ.
Leo mag. epiſtol. 90.	23. Pœnitentiam adhibẽdam, confitẽdáq; eſſe neceſſariò peccata ſacerdoti poſt lapſũ à baptiſmo.	negat	Zuuingl. Lutherus.
Canon Apoſt. Cõcil. Antioc. D. Leo Magn⁹ epiſtol. 90.	24. Satisfactionẽ ad peccata lapſorũ delenda eſſe adhibẽdam.	negat	Lutherus & alij.

Aug.lib.2.cont.epi. Perme.ca.13. li.1. de Bapt.cōt. Don.ca.1. Germanus Conſtantin. Coelfridus apud Bedam.	25. Ordinem eſſe veri nominis ſacramentum.	negat	Lutherus. Caluinus.
	26. Clericis geſtandas in vertice coronas.	negat	Lutherus & pleriq; omnes alij.
Cyp.in Orat. Dominica. Hieron.in Danielem cap.6.	27. Horis certis Deum orandum	negat	Lutherus & Zuuinglius.
Hie.epiſto. ad Marcellam. Theophilus Alexandrinus libr. Paſch.	28. Quadrageſimam eſſe ieiunandam.	negat	Lutherus & alij omnes.
Leo in ſermo. variis ternorum meminit, quæ Apoſtoli tradiderint ieiunanda.	29. Quatuor tēpora eſſe ieiunanda.	negat	Lutherus & alij omnes.
Orig.Periarch.29.	30. Hominem liberi eſſe arbitrij.	negat	Lutherus. Illyricus.
Origenes ibidem.	31. Operum piorum meritis reddendam mercedem.	negat	Lutherus Caluinus.
D.Baſil. epi. ad Iulianum Apoſto. Synod.2. Nicen.Ioan. Antiochenus Hiſto.	32. Sāctorū imagines rectè obſeruari & coli.	negat	Zuuinglius Caluinus.
Martialis epiſto. ad Burdegal. Prudētius hymno in D. Eulaliam.	33. Sanctorum ſacras reliquias eſſe venerandas.	negāt	Lutherani Zuuingliani

Orig. in Matth. cap. 1. PP. in Concilio Gangren. suffragatur. Origen. ann. 220. Vide Tab. 4. num. 4.	34. Dies sanctis festos celebrandos.	negant	Anabaptistæ.	
	35. Sanctos rectè ad auxilium inuocari.	negant	Lutherani Zuuingliani.	ad vnum oēs.
Chris. ho. 69. ad popu. Antioc. & Augu. de verbis Apo. ser. 32. Grego. Niss. Apo. docuisse orandum, & sacrificandum pro mortuis. Suffragatur Synodus Africana apud Cypr. libr. 1. Epi. 9. Tertul. de exhortatione castitat.	36. Purgari animas Christianorum hinc ad cælum euocatas, viuorúmq; suffragiis adiuuari.	negāt	Lutherani. Zuingliani.	ad vnū omnes
Orig. in nu. Homi. 5. Cypr. sermo. de Baptism. Aug. de Baptism. libr. 2. cap. 7.	37. Ritus quosdam sacramentis & cæremonias rebus sacris adhibendas.	negant	Lutherani Anabaptistæ.	
Epipha. Hæres. Apost. Aug. de Ciuita. Dei libr. 17. cap. 4. Aposto. vouisse paupertatem.	38. Vota virginitatis & paupertatis rectè Deo fieri.	negat	Lutherus Brentius.	

Epiphanius in Apoſtolicis.	39. Peccatum eſſe, poſt votũ continentiæ ad nuptias conuerti.	negat	Lutherus Bucerus Carolſtadius Brentius, & tota votifragorũ monachorum & ſacerdotum caterua.	
Auguſt. ſer. de Temp. Amb. in epiſt. 81. & ſer. 38. Rufinus in Symbolo. Baſil. ca. 27. de ſpiri. ſanct. hoc ex ꝓpoſito demõſtrat. Sic & Chryſoſtomus variè & alij PP. quos ad hoc euincendũ recẽſet lib. 1. Panopliæ Euangelicæ.	40. Symbolum Apoſtolorũ eſſe recipiendum, quod ab ipſis ſit conditum Apoſtolis.	negat	Brentius in Cathecïſmo magno. Caluinus in Inſtit.	
	41. Credẽda eſſe quę nobis ſunt euãgelizata, nõ ſolum quæ ſcripta.	negat	Lutherus Zvuinglius Caluinus Bucerus Brentius & omnis reliqua ſpiritus diſſenſionis ſchola.	

Quod iſtorum dogma quaſi omnis controuerſiæ caput, & errorũ omnium ſeminarium refutat, vanúmque demonſtrat totus liber primus Euangelicæ Panopliæ, argumentis variis adeóque ipſis ex verbis. — Lutheri, Philip. Melanch., Brentij, Buceri.

I. PETRI. I.

Verbum Domini manet in æternum, hoc est autem Verbum, quod vobis est Euangelizatum.

2. THESS. 2.

Itaque fratres state & tenete Traditiones, quas didicistis, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.

ROM. 16.

Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui διχοστασίας, dissensiones & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis.

HINC hinc oculos vel tandem recipiat Germania, & ad Germanam illam vnius fidei verè certóque Euangelicæ redeat puritatem, quam à D. Thoma Apostolo, & Apostolorum discipulis pridem ab initio didicit.

Secunda tabula.

PVGNAM HABET LVtheri secum & cum suis bellúmque inter Lutheranos & alios Euangelicos planè ἄσπονδον & irreconciliabile.

PRAEFATIVNCVLA in secundam tabulam.

CVm doctrina illa Apostolorum tabula superiore delineata hominibus nimis altùm dormientibus minus atque decuit, esset in vulgus nota, aut saltem euidens, non fuit illi inimico homini difficile, illa sua ziza-

nia bono Apostolorum semini superseminare: quæ vt bonum illud Euangelicum semen corrumpunt totum per orbem initiò sparsum: ita sui quoque degeneratione atque dissimilitudine seipsa perdunt: quod in potissimis aliquot fidei capitibus operæpretium duximus demonstrasse. Ab illa vna igitur Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ fide descendentes aduersarij, spiritibus illis iuxta Pauli prophetiam attendentes erroris, variè inter se ipsi de sua, quam quisque iactitat, Euangelica tumultuantur doctrina, vti

I
DE CONFESSIONE AVgustana Carolo V. Augustæ anno. 30. exhibita.

Veram esse } aiebat { Philip. Melancht. eius & author & exhibitor August. Vbi absente Luthero eam cõsarciebat. Brẽtius & alij tunc tẽporis suffragatores. } *negat* { 1. Philip. Melanchth. cum suis Saxonib. & Brentio aliisq; tunc tẽporis nõ paucis. Nam articulum confessionis illiusmet Carolo. 5. exhibitæ decimum de cœna Domini, hisce verbis scriptum, & exhibitũ: Docent, quod verum corpus

& ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpeciebus panis & vini in cœna præſens ſit: Hunc in modum anno conſequuto Vvirtembergæ permutarunt, imò verius mutilarunt, Quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini. Sic enim ad Verbum habet cõfeſſio anno. 31. Vvirtẽbergæ cum Apologia Philippi edita. Item anno 37. Haganoæ. Verum anno 40. & ſequentibus in hunc vſque diem omnes editiones, etiam Vvirtembergenſis contrarium habet primæ illi de panis viníque ſpeciebus profeſſioni, haud dubium (vt tunc temporis putabãt) Euangelicæ, hunc in modum. Quod cum pane & vino verè exhibeatur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in cœna Domini: quod nouelli iſti Lutheranæ doctrinæ diſcipuli pro Euangelio ignoranter arripientes, defendere audent doctrinam eſſe confeſſionis Auguſtanæ, cùm pluſquàm ex diametro cum illa prima, & ideò vera confeſſione Auguſtana pugnet.

2.

Bucerus & alij Zuuingliani, qui Auguſtæ anno 30. noluerunt Philipp. & Suffragatoribus eius ſubſcribere, inter quos fuêre { Argentinenſes, Conſtantienſes, Memmingenſes, Lindauienſes.

3.

Gaſpar Zuuenck feldius, qui ſcripto libello nobis Lauingæ, ad Danub. ſed nondum, quod equidem ſciam in lucem edito, eam refutauit, nominatim autem illum decimum confeſſionis. Auguſtanæ de Tranſſubſtantiatione articulum, admirans quónam pacto (nam Zuuinglium hîc ſequitur) dogma illud, ait, Papiſticum in confeſſionem Auguſtanam adeò propalam, & quaſi fidei indubitatæ, certíque Euangelij à Lutheranis ſit relatum.

2.

De sacramentorum numero.

1. Septẽ esse	ait	Lutherus initiò	*negat*	Lutherus Capt. Babylon. Zuuinglius.
2. Vnum esse	ait	Lutherus si iuxta scripturam loquendum.	*negat*	Lutherus anno 31. in Cathechis. & ad Vvaldenses. Philip. Melanc. Confess. August.
3. Duo esse	ait	Lutherus anno 30. in Catech. & ad Vvaldenses. Philip. anno 22. locis cõmunibus.	*negat*	Phil. an. 30. Cõfes. Aug.
4. Tria esse	ait	Philip. an. 31. in Apologia.	*negat*	Philip. an. 52. locis commu. vbi & Ordinem ostendit ex verbo Dei esse aliis sacramentis annumerandum.
5. Quatuor esse	ait	Philip. ann. 52. locis cõmun.	*negãt*	Saxones in Confess. Saxonica cui & Philippus ipse subscripsit.
6. Semper sex fuisse, & alicubi septem	ait	Vvilhel. Postellus in Panthenosia, vbi se Heliam Pandocheum fingit.	*negãt*	Lutherani Zuuĩgliani.

3.

De baptismo.

1. Peccatū originale eſſe in paruulis	ait	Lutherus cum ſuis	negat	Zuuinglius Caluinus Seruetus.
2. Aquam baptiſmi eſſe neceſſariam	ait	Lutherus cū ſuis	negat	Caluinus Inſtitu. Bucerus cōmē. ī Matt.
3. Abrenunciationem baptiſmo eſſe præmittendam	ait	Brent. in ordinatione Eccl. Vvir. f. 14	negāt	Lutherani & alij pleriq;.
4. Remitti baptiſmo peccatum vt non imputetur	ait	Luther us cū ſuis	negat	Bucerus cōmēt. in Mat. Caluin. in Antido. docētes nullum eſſe baptiſmi aquę effectū.
5. Concupiſcentiam peccatum eſſe	ait	Lutherus Bucerus	negat	Zuuinglius cum ſuis.
6. Pueros eſſe baptizandos	ait	Lutherus & alij	negant	Anabaptiſtæ.

4.
De Euchariſtia.

1. Panem conuerti in corpus Chriſti ſolis manētibus ſpeciebus	ait	Luth. lib. cōtra zuuingl. Trāſmutatur panis, inquit Melanch. Cōfeſſ. Augu. an. 30. Caro oblata, vbi ſcriptū erat ſub ſpeciebus panis & vini. vid. Ta. 2. num. 1.	negat	Luth. & Melāc. cōf. Augu. ann. 31. & nūc edita an. 56. Ioachim[9] Vveſtphalus cū tota illa cōiuratorū aduerſus Caluinū turba. Confeſſ. de Euchariſt.

2. Panem esse merum corporis signum.	ait	Zvuinglius Oecolampadius Caluinus Bucerus aliquando.	negat	Lutherus Confess. August. Bucerus post Lutherizans Cô. in Matth.
3. Panem esse verum vero cum corpore.	ait	Luth. posteà. Confess. Aug. adulterata Lutherani plerique omnes.	negat	Luth. initio Carolstaldius Zvuingli° Caluinus.
4. Vinum verũ in calice manere.	ait	Lutherus Captiuit. Babylon.	negat	Lutherus libro secundo cont. Zvuinglium.
5. Euchariſtiam esse adorandã.	ait	Luth. lib. de ador. Euchariſtiæ. Caroſtadius ad albe. Durerium. Bucer. actis. col. Ratiſpo.	negat	Brentius Confessio. Vvirtembergen. Lutherani.
6. Communionem vtriusque speciei esse necessariam.	ait	Lutherus confess. Saxon. Cõfess. Vvirtemb. plerique alij omnes.	negat	Luther. li. ad Bohemos, & de Ca. Babyl. & serm. de Euchariſtia.

5.

De libero arbitrio,

Quod nullum sit in homine	ait	Lutherus Capt. Baby. in assert. &. 3. lib. contr. Zvuinglium. Phil. Mel. locis commu. an. 22. Illyricus.	negat	Philip. Melant. locis commun. an. 52. mendaciũ dicens esse horribile, & furorem Manichæorum, hominem liberi negare arbit.

6.

De operibus,

1. Eſſe ad ſalutem neceſſaria.	ait	Luthe. vt oſtēdit Geor. Maior li. de Operib. Melanc. vt ibidem Georg. Maior.	negat	Luthera. vt apertè ex Con. ad Gal. demonſtrat. Illyr. contra Geor. Maior, Melanch. vt contra Maiorem ſcribens oſtendit Gallus.
2. Eſſe merita præmiorum in hac vita & poſt hanc vitam	ait	Melanch. in Apologia. Lutherus in Declaratione.	negat	Caluinus & alij.
3. Eſſe merita vitæ æternæ.	ait	Bucerus, ſed ex gratia omnimodo gratuita ad patres Cōcilij Tridentini.	negat	Apologia Auguſt. alij plerique.

7.

De ſanctorum inuocatione,

Sanctos eſſe inuocandos.	ait	Lutherus de præparatiōe ad mortem, & contra Taboritas.	negat	Lutherus Melanchthon Caluinus & alij omnes.

8.

De imaginibus,

Seruandas eſſe.	aiunt	Lutherus & pleri que Saxones.	negant	Luthera. per Bauariæ Palatinatum. Zvuingliani Caluin. & alij.

9.

De feſtis,

Celebranda eſſe.	aiunt	Lutherani in Ordinatione Eccl. Vvirtéberg.	negat	Luther. ad nobiles Germaniæ Luther. paſſim per Germaniam.

10.

De oratione pro mortuis,

Eam rectè fieri ac ſine peccato.	ait	Lutherus in capitibus fidei, ſub mortem editis An. 44.	negant	Lutherani Melãchthon. Caluinus, &c.

11.

De Purgatorio,

Poſt hanc vitam eſſe purgatorium animarum.	ait	Lutherus variis in locis, ſe certò ſcire Itẽ in capit. fidei an. 44. docens licere, vt quis ꝑ mortuo ſemel aut ſummũ bis oret. Bone Deus, ꝓpitius eſto animę huic, ſiquidem eo in ſtatu eſt, vt iuuari poſſit.	negant	Lutherani Melanch. Caluinus Zvuingliani.

12.

D. Petrum.	Romæ fuiſſe.	ait	Lutherus in Homilia.	negat	Sebaſt.Franch. Valenus.

13.

D. Petrũ Apoſtolum.	Fuiſſe epiſcopum & eccle. Romanæ præſediſſe.	ait	Lutherus Bucerus	negat	Caluinus Functius.

14.

Romanũ pontificem.	non eſſe Antichriſtum.	ait	Bucerus, negans locum ad Philippẽſes in eum quadrare.	negant	alij plerique.

15.

Hæreticum eſſe.	Lutherum Zvuingliũ	ait	Zvuinglius cũ ſuis libr. contra Lutheranos editis. Lutherus cũ ſuis libr. contra Zvuinglia. ſcriptis.	negat	Lutherus cũ ſuis, ſe iactãtes verè Euãgelicos. Zvuinglius cũ ſuis ſe iactantes verè Euangelicos.

Iſthæc adeò varia opinionũ inter ipſos, quos ſe quiſque magno cum ſupercilio dictitat, Euangelicos pugna vndenam ſit exorta, ſuis ipſe verbis docet veriſſimè (ſi quid aliud) Lutherus, iſtarum verè Euangelicarum ad vnum omnium viperarum parens, libr. 1. contra Zvuinglia. Iſtiuſmodi diſſenſionem (inquiens) & diuiſionẽ inter ipſos (Zvuinglianos) non eſſe à Spiritu ſancto, ſed à Sathana, quod ſpiritus ille vertiginis contradicit ſibiipſi quòd liberè cõcludendũ eſt, diabolũ omnis diſſenſionis patrem eſſe eorum (Zvuinglianorum) doctorem, & cæt. Hæc ibi Lutherus de Zvuinglianis. Sed quid ei aliud

Zvuingliani respondeant, quàm, hæc in te tuósque retorta Luthere de teipso tuísque plus inter se quàm nobiscum pugnantibus pronuncia, & verissimum dixeris. Quod ipsum tam de his, quàm illis aliísque ad vnum omnibus istis factionibus verissimè vna pronunciat Catholica Christi Iesu Ecclesia, vti & de istorũ auis & proauis magnis priscis illis hæreticis, à quibus fanaticos istos mutuati errores, bellum diaboli renouantes, afflictam Christi sponsam Ecclesiam diuexant. Certè vtvt Euangelicorum istorum quisque fortiter se inficietur hæreticum, isthoc tamen sua doctrina inconstantia, & adeò pugna verissimum declarat quod D. scribit Hilarius libr. 7. de Trin. Hæreticorum esse incerta omnia & vana, inuicem dissidere, non eadẽ de eisdem dicere, cùm sint vel duo, vel tres semetipsos arguere de eisdem verbis non consentientes differentia dicere, in idem tamen blasphemiæ concurrere propositum.

Isthinc Solis luce clarius liqueat, non Christi spiritum, qui pacis & concordiæ Deus est, in istis loqui Euágelicis, sed Antichristi spiritum τῆς ἀπειθείας & dissensionis authorem: qui se transfigurans in angelum lucis, Euangelicos sua mancipia istis antilogiis & contradictionibus variis exagitat variè, atque bello collidens intestino in varios transformat Chamæleontas: vt quemadmodum hi in omne conuersi colorũ genus nunquàm album, veritatis symbolũ mentiri queant: ita & illi præclaram sanè suam prodentes constantiam, modò hoc, modò illud, modò iterum, nec hoc, nec illud docturientes nunquàm verùm, quod deseruerunt, attingunt, sed semper in illud suum Choicum, terrenum, & verè Melãchthonicũ, id est, nigricãs illud falsum, varia sub specie reuoluuntur, nisi vbi ad deserta dudum Ecclesiæ Catholicæ castra refugiunt: quod ô vtinam de illis ad vnũ omnibus, vel tandem videre faxit Deus optimus, nunquam supplicare desinimus.

HIEREMIAE. 8.

Verè mendacium operatus est stylus scribarum, cõfusi sunt sapiẽtes, perterriti & capti sunt. Verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.

Tertia tabula,

CONTINET CATALOGUM ſectarum & factionum ex vno Lutheri Spiritu, nihil minùs quàm vno, ſed vario maximè ac multiplici iſthac tempeſtate nobis exortarum.

PARASCEVE IN tabulam tertiam.



CVm Euangelici inter ipſi de ſuo irreconciliabiliter adeò diſſentirent Euangelio, fieri non potuit, vt non in varias quoq; diſcinderentur ſectas. Vt enim quiſque aliquid aliquãdo ſibi apud ſuos meruiſſet nominis aut opinionis, ſe illius quaſi coloniæ fecit ducem. Vnde tam varias hodie videre eſt ſectarum noměclaturas. Cùm enim in Lutherum iſtius Tragœdie nimis motoriæ choragum ſibi permitterent diſcipuli, quod ſuo ſibi ille ſumpſerat iure, peſſima ſeductus magiſtra ſui præſumptione, tot hodie nobis peperêre vera illarum Euangelicarum viperarum genimina, quot prope extant capita. Quanquàm iſtud ex ſuperiori opinionum inter ſe tumultuãtium pugna ſatis ſupérque viri prudentes agnoſcant, quíſnam ſpiritus iſtam de illa Chriſti vna fide pariat diſſenſionem: quò tamen piis faceremus gratius, maximum videbamur nobis facturi operæpretium, ſi varias Lutheranorum, aut potiùs Euangelicorum (nam Lutheri denominationem non alij modò factionis alterius damnant & execrantur, ſed ipſi adeò Confeſſionis Auguſtanæ ſocij & coniurati abominantur) hîc proponeremus ſectas, quibus inter ſe diſſecti, ſibi quiſque vt arrogat, ita aliis ad vnum omnibus, verum derogat Euãgelium. Omnium iſtarum

noſtræ iſtius tempeſtatis multo omnium infeliciſſimæ factionum & ſectarum fons, aut, vt dicatur verius, ſentina Lutherus extitit, ante cuius Tragœdiam, vt nulla publicitus turbabat tranquillam Eccleſiæ Chriſti pacem diſſenſio religionis: ita poſt eius furioſas turbas Germaniæ per Anabaptiſtarum & ruſticorum ſeditionem datas, & eius diſcipuli ſuum in illum nō tam magiſtrum quàm oſtenſorem ſibi ſumpſere publicè, quod antè ab illo diſſenſionis ſpiritu ſimul didicerant. Sed nunc vide ſectarum caſtra, vt omnia aduerſus vnam Catholicam Chriſti Ieſu eccleſiam Syncretiſmo quodam coniurata, ita ſe mutuo inter ipſa diſſidio ad illius pacem iugulantia. Hæreticorum enim bellum, pax eſt Eccleſiæ, ait Hilarius.

Ab illo igitur religioſo monacho Auguſtiana, imo Chriſtiana, era palea exorti nominantur Euangelicorum, alij

Anno domini .17 pridie omnium Sanctorum affixit Themata contra indulgentias & alia.

LVTHERANI, qui impuram Lutheri doctrinam confeſſione Auguſtana non cōprehenſam, ſed quaſi adumbratam, aut abortientem verius, ſectantur. Ab ea enim nō ipſe modò Lutherus & quidam ſuffragatores, ſed ipſe adeò author & Hyperaſpiſtes Philippus Apologia eam tutatus, euariauit ſæpius, vt hîc taceam Confeſſionem ipſam in vno Euchariſtiæ articulo trifariam deprehendi variatam, vti & alibi. O præclarum conſtantiæ Euangelicæ ſpecimen. Vide Tabulam ſecundam, numero. 10. Atqui ſic quidem factum oportuit, ne quid verum cernere volentibus deeſſet ad germanam hęreſeos iſtam indolam deprehendendam. Fidem enim, ait ille, vt teſtamentum moriturus, mutant. Quam cōfeſſionem Auguſta. ſic ſua à prima ſpecie mutatam & adulteratā adeò, ſequuntur hodie iſti veri & germani (vti ſe iactitāt) Lutheri diſcipuli imprudētes, eam libellis editis (vt putāt) propugnantes aduerſus Caluinum, & Ioannem à Lasko, Ioachimus Veſtphalus cum ſua cōiuratorum turba: cùm vera confeſſio Auguſtana Carolo. V. anno. 30. exhibita,

ab iſta quæ hodie circunfertur, multis locis non ſolum fuerit alia, ſed δὺς διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε etiam diſſonãs, veréque adeò ex diametro repugnans. Vide Tabul. 2. num. 1. Cæterum ex iſtius Lutheri horum omnium (vti quidem aiunt verbis, ſed re ipſa longè diuerſum declarant) Patris reuerendi vtero, ceu viperæ, non aperto, ſed perrupto immunera per orbem proſerpſere viperarum certè Euangelicarum genimina.

Anno. 21.

CAROLSTADIANI, ab Andrea Carolſtadio pridem Vuirtembergæ Archidiacono Theolo. Doct. nominati, qui primum excitauit de Euchariſtia tumultum, ait Philip. Epiſtol. ad Fridericum Myconium: imagines ſuſtulit Vuirtembergæ, Miſſam abolebat, Luthero illa fictitia ſua Pathmo oppidulo Thuringiæ Alſtadio deliteſcente, ad Conflandam Cæſa. Maieſta. violatæ fidei inuidiam: ſed huius nomen obſcurarunt diſcipuli, à quibus nunc dicuntur.

Anno. 26.

ZVVINGLIANI, à Zvuinglio anteſignano, qui viuus ſuæ impietatis pœnas dedit, qui ab ſuis Heluetius in acie trucidatus, à Catholicis Cantonibus exuritur. Iidem & alicubi Oecolampadiani à Ioanne Oecolampadio Brigittano pridem Monacho. Alibi alia Sacramẽtarij à ſuæ quiſque factionis authore ſibi imponunt nomina: quæ tam variè diuulſa eſt, vt vel Luthero teſte, pluſquam in decem ſectas ſit diſſecta.

Anno. 24.

ANABAPTISTARVM monſtra varia non eſt cur hîc accenſeamus, quæ ſuis ipſis nominibus vt ſapiẽtibus omnino omnibus ſunt exoſa, ita publicitùs quoque exploſa. Etſi horum origo ex diſertis Lutheri ad Vvaldenſes verbis fluxerit, pòſt tamen homo conſtans eos nõ ſcriptis modò, ſed extremo etiam afficiendos voluit ſupplicio, vti per Saxoniam anno. 27.

Anno. 21. & 27.

ICONOMACHI per omnes ſectariorum ſpecies vagantur. De Carolſtadianis, anno. 21. & Zvuinglianis, ann. 27. notius eſt, quàm vt ſit rememorandum.

Lutherani item nō sunt pauci, maximè per Bauariæ Palatinum, qui eodem inclinarunt, anno superiore. 27.

Anno. 36.

ANTINOMI à Ioanne Islebio Agricola originem ducunt, contra quos Lutherus suos pridem discipulos scripsit damnās quod ipse docuerat prior. Hi dogma sequuntur, ait querela Lutheri, legibus diuinis cōtrarium, quod & nomen sonat: legem scilicet operum reiicientes, finguntque homines contra conscientiam fide iustos esse. Horum factio Vvirtembergæ ann. 38. plurimos excogitauit.

OSIANDRI, qui Andream Osiandrum sectantur, nos iustificari essentiali Dei iustificatione, hoc est, vt ait Querela Lutheri, quod nostra iustificatio est inexplicabilis cuiusdam iustitiæ, non gratiæ Dei in credentibus, sed naturæ. Horum antesignanos Funccium & Voghel scribunt anno. 56. publicè palinodiam cecinisse.

Anno. 45.

SVVENCKFELDIANI passim per Sueuiæ oppida grassati cœperunt anno. 45. à Caspare Suuinck feldio Slesiæ nobilitatis nomen ducentes, qui suos iactitās enthusiasmos afflatúsque diuinos, Fœtida de Manichæorū sentina euomuit, Christum non fuisse conceptū in vtero virginis Mariæ, ex natura & sanguine eiusdem, opificio Spiritu sancti, neque ex ea natū, sed aliunde à Deo creatum, hominem assumpsisse.

Anno. 45.

DAVIDICI siue Dauidgordiani ab errore quodē Mago trahūt originem, qui sub annum. 45. per Frisiam sua venenata dogmata de priscis illis fœdissimorum hæreticorum interpolauit lacunis, Sadducenismum inuehens, Angelos, Dæmones, Baptismum negat. Iudicium etiam extremum, carnísque salutem, etiam Apostolorū: omnes denique saluandos volebat secundum spiritum, cùm tamen vitam æternam in cælo neget futuram. Se illum esse tertium Dauid, qui in Christi regno super terram esset regnaturus, & alia impia plurima. Hęc lues per Hollandiam & Frisiam potissimùm obserpsit.

Anno. 45.

MENNONITAE, ducem ſequuntur quendam Mẽnonem, qui non ſecus à ſuis ſyneuangelicis, quàm à nobis Catholicis per varia opinionũ portenta diſſentiens, claudicat in varias partes. Zvuinglianis & Anabaptiſtis cum primis ſuffragatus, negat Chriſtum Ieſum ex virginis matris Mariæ ſubſtantia hominem factũ, quòd immunda ſit & peccato obnoxia, ſed ex Dei patris ſubſtantia, haud aliter, inquit Colloquio Vviſmariẽſi atq; meus filius qui meæ Ghertrudis filius dicitur, tametſi ſuã ſubſtantiam non ex ipſa, ſed ex me ſolo habeat. Item Chriſtum non fuiſſe à Deo patre alium perſona ante incarnationem: & iſtiuſmodi blaſphema plurima, quæ piæ aures abhorreant vel audire.

Habes hîc, clariſſimè lector, illa prima ſectarum iam diſſidio adeò pernicioſa tantum nobiliorum capita. In præſentiarum enim perlibenter omittimus illas obſcuras & conſopitas factiones, quibus inter ſe tumultuantibus conflictantur, nouúmque in dies bellum moliuntur inteſtinum, ſed quòd exoptatam Catholicis pariat Cataſtrophen. Hinc Georgius Maior ſuis cum Lipſenſibus bonorum operum tuetur neceſſitatem, illinc Illyricus ſuo cum Gallo eandem oppugnat. Sic Philippo Melanchthoni, Brentio, & aliis ſuæ ſunt opiniones atque dogmata, quæ Sneppius, Sarcerius cum Ienenſibus execrantur haud ſecus, atque à puro Lutheraniſmo (Euangelio dico) alieniſſima & ex diametro pugnantiſſima. Verùm iſtorum omnium caſtris Dei Iſrael aduerſantium, bellum tandem aliquando, Deo Optimo propitio, ſperamus, erit Eccleſiæ pax: quam Caſtrophen piis omnibus non tantùm ſperare iubeo, ſed obnexus etiam ſupplico atque obſecro, precibus aſſiduis, vt impetrent, ne deſinant vnquam (vtvt diabolus plurima quotidie iniiciat deſperandi argumenta) à Patre clementiſſimo contendere.

Anno. 55.

Anno. 57.

APOSTROPHE LECTOris Catholici ad Euãgelicos iſtos ad vnum omnes.

AD vos me refero Euangelici, quem ſequar? modò nequis illud tam abſurdum reſpondeat. Quemlibet, modò noſtrûm aliquem. Nihil poteſt dici inconſideratius. Quid enim verum ſequar, cùm veſtrum quenque aliis omnino omnibus, ipsíſque adeò ſuis Doctoribus verum derogare videam? Quæ igitur vera? inquam. Noſtra inquiet veſtrûm quiſque, ſola. Certè ſola, ſi vera. Plura vera diſcrepantia eſſe non poſſunt. Vtrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus: an vos arrogantes, qui mutua in vos cum iniuria, & præſentaneo adeò interitu vobis quiſque perſuaſum habetis, ſcire vos ſolos omnia, & ea quę omni cum Schola ætatum omnium pugnant Chriſtiana.

D. IRENAEVS DE MVtua inter Hæreticos diſcordia, qua & ſe mutuò iugulant, & vnam illam Catholicæ Chriſti Eccleſiæ fidem ſtatuunt lib. 4. cap. 69.

CVm inter eos conuenerit, de his quæ in ſcripturis ſunt, tunc & à nobis confutabuntur. Nõ enim bene ſentientes tamẽ ſemetipſos interim arguunt, de eiſdem verbis nõ conſentientes: Nos autem vnum & ſolum verum Deum Doctorem ſequentes, & regulam veritatis habentes eius ſermones. DE EISDEM SEMPER EADEM DICIMVS.

PARASCEVE IN TABVlam Quartam.



Starum factioſarum diſſenſionum authores & propugnatores cùm ſui ſuppuderet diſſidij quod ſua ipſorum conſciẽtia agnoſcebãt certiſſimum eſſe ſpiritus nihil minùs quàm Euangelici argumentum, magna omnes animi contentione ſuum quiſque, quod adlibuiſſet, dogma vtvt fœdum & abſurdum, Euangelij inſignire audebant titulo, quo incautioribus fucum facerent faciliùs, priſcámq; etiam illi adſerere purioris ac veteris etiam Eccleſiæ doctrinam, Patrum item vetuſtiſſimorum ſuffragio præiudicatam iactitare, ac pro ipſiſſimo denique, ſi ſuperis placet, Euangelio cęcutienti ac deliranti prę ſenio iſti mundo venditare atque obtrudere. Cæterùm tabula quarta magis, quod dudum diximus, dabit confirmatum atq; demonſtratum clarius, Euangelij videlicet titulo Dæmonem illum, mendaciorum patrem, hoc ęuo imperitis homunculis priſcas illas non minus fœdas, quàm horrendas obtrudere hæreſes: quas, vt magis noceant, ceu venenum melle prælitum, piæ veræque doctrinæ, adeóque Euangelicæ pallio veſtit, ne quis de facili fraudem aut percipiat, aut ſuſpicetur etiam. Quo igitur ſonticæ iſtę Euãgelicorum peſtes minus Chriſtiano gregi adferant noxæ, hæc tabula quarta Cacodæmonis illius veteratoris callidiſſimi detectas dabit præſtigias omnibus ſuæ ſalutis æternæ ſolicitis, vbi conſpicati, quàm tetras, quàm horrendas Euangelici iſti interpolent Euangelij prætextu, renouentque miſeris mortalibus hæreſes aliquando ad cor reuerſi agnoſcant verum eſſe Pſeudoeuangelium ac vti Paulus appellat, falſi nominis ſcientiam verámque heterodidaſcaliam & doctrinam, ab Apoſtolorum Euangelio non modò variam, ſed plus etiam quàm diametro tota diſſidentem, quicquid ab vna illa fide Catholica in hodiernum vſque diem obtinente diſſentit.

Quarta Tabula,

INDICEM EXHIBET HÆRE-reſeon, quas priſcorum ex hæreticorum vel citra controuerſiam damnatiſsimorum lerna, Euangelij titulo renouatas per Lutherum & Syneuangelicos, nunc tempeſtatis pro Chriſti Euangelio Diabolus Catholicæ eius Eccleſiæ conatur obtrudere.

Hæreſes ſuam ad originem reuocaſſe, eſt refutaſſe.
Hæretici olim damnatiſſmi docuêre hæc

Ann. 350. Manichęi, teſt. D. Hieronymo præfatio. in Dialog. Pelag.	1. Hominẽ non eſſe liberi arbitrij. } Sic	Lutherus Melãch. initio, ſed nũc contrarium. Lo. com. Ann. 52. Brentius. Illyric. Caluinus & alij ex dimidio.
Cerdoniani te. Auguſt. ad quod vult.	2. In nullo Prophetarum Chriſti ſpiritum requiuiſſe.	Michaël Seruetus teſte Caluino actis eius.
350. Manichæi	2. Legem Dei hominibus eſſe impoſſibilem. } Sic	Lutherus. Calui. in Inſtit.
390. Pelagiani teſte Auguſt. variis in locis.	4. Non ęſſe peccatum originale propriè in infantibus.	Zvuinglius Seruetus. Anabaptiſtæ.
Pelagiani Augu. lib. 3. cap. 3. contra Iulianum.	5. Non eſſe Chriſtianorum infantes peccato contaminatos, ſed mundos.	Zvuinglius. Caluinus. Bucerus.

Pelagiani Augu. ad Quod vult.	6. Chriſtianorum infantes naſci bonos & hæredes vitæ æternæ non renaſci.	Bucerus. Caluinus.
350. Maſſiliani, Damaſcenus in Hæreſib.	7. Baptiſmum hominum non perficere, τελεῖν & ſanctificare, nec diuina ſacramenta accepta animi ſordes expiare.	Lutherus. Zuuinglius.
Maſſiliani ibidẽ.	8. Peccatum originale in Baptiſmo non remitti, ſed manere non imputatum.	Lutherus.
Seleuciani & Herminiani apud Auguſt. ad Quod vult.	9. Non eſſe Baptiſmum aquę neceſſarium.	Caluinus in Inſtit.
210. Nouatiani teſte Theodor. in fab.	10. Confirmationẽ non habere ſacri olei illitionem.	Bucerus. Caluinus.
330. Donatiſtæ apud Optatum.	11. Chriſma conſpuẽdum & conculcandum.	Caluinus in Inſtitut. Lutherus.
1000. Berengarius.	12. Euchariſtiam tantum eſſe corporis dominici ſignum.	Zuuinglius. Oecolampadius, Caluinus.
1000. Berengariani teſte Guitmundo Aduerſano.	13. Euchariſtiam habere verum Domini corpus cum pane vero.	Lutherus cum ſuis.
330. Maſſiliani apud Thedor.	14. Euchariſtiam ſub panis ſpecie non habere ſanguinem.	Lutherani in Polonia ait confeſſ. Polonica.

	15. Euchariſtiam comeſtam nec prodeſſe, nec obeſſe.	Bucerus.
40. Neſtoriani apud Cyrillum epiſtol. ad Colobaſ.	16. Euchariſtiam non habere corpus Chriſti extra vſum Sacramenti.	Lutherani.
350. Aërius teſte D. Auguſtin. & Epiphan.	17. Pro mortuis non eſſe ſacrificandum.	Lutherani Zuuingliani.
310. Iouiniani teſt. Hier. lib. 2. contra Iouinianum.	18. Non poſſe iuſtos peccare, nec ſpiritum ſanctum amittere.	Anabaptiſtæ.
300. Audiani teſte Theodo. in Hæreſib.	19. Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam.	Lutherani. Zuuingliani
350. Maſſiliani, Damaſcenus in Hęreſib. 1250. & Albigenſes.	20. Ordinis ſacramentum non eſſe veri nominis Sacramentum, nec ordinationibus clericos fieri ſpiritus ſancti participes.	Lutherani. Zuuingliani.
450. Armeni, Cathari, Flagellatores.	21. Sacramēta omnia eſſe hominum figmēta. Sacramenta non conferre gratiam.	Lutherani. Zuuingliani.
780. Feliciani Vvaldenſes.	22. Imagines Chriſti & ſanctorum eſſe idololatricas.	Zuuinglius. Caluinus. Lutherani per Bauariam ſuperiorem.
350. Porphirius & Eunomius, Euſtathius Cōcilio Gangrenſi.	23. Miracula eſſe Dæmonis præſtigias.	Lutherus. Caluinus.

320. Vigilantius, teſte Hieronym.	24. Reliquias non eſſe venerandas.	Lutherani. zuuingliani.
308. Cathari apud Seb. Francum, & Guido.	25. Sanctos non eſſe ad auxilia inuocandos.	Lutherani. zuuingliani.
320. Vigilantius apud Hieronym.		
360. Iouinianus teſte Hieronym.	26. Virginitatem non præſtare matrimonio.	Luther. in Epitalamio. Confeſſ. Vvirtemb. Brentius.
350. Aërius apud Epiphanium.	27. Non eſſe ieiunandum certis diebus.	Lutherani. zuuingliani.
50. Simon Magus teſte Theodo. & Irenæo.	28. Nos per opera non ſaluari, ſed per fidem.	Lutherus. Illyricus.
450. Armeni Cathari.	29. Non eſſe animarum poſt hãc vitam purgatorium.	Confeſſio Vvirtembergenſis. Lutherani. zuuingliani
	30. Animas dormire vſque ad iudicium.	Anabaptiſtæ.
Armeni.	31. Carnis reſurrectionem eſſe fictitiam.	Seruetus Libertini in Gallia, vt ait Caluin. in Actis Serueti.
50. Simon Magus 90. Menander. 260. Sabellius.	32. Chriſtũ non perſona eſſe aliũ à patre.	Michaël Seruetus Ludouicus Hetzerus Anabaptiſtarum dux, teſte. Seb. Franco. Menno.

325. Arrhius	33. Christũ nõ esse æqualem Deo patri, nec eiusdem substantiæ	Hetzerus, test. Sab. Franco. Luther. modicum tenet de homousio, & Trinitatis vox in Teutonico ei non placet, ait, li. cõtra Lathomum.
50. Basilides 300. Manichæi	34. Christum nostram naturã ex virgine Maria nõ assumpsisse	Melch. Hofmã, ait forma Eccle. August. ann. 56. edita. Menno in Colloquio Vvismariensi.
	35. Christũ substãtiam secundũ animam habere æternam	Seruetus in Dial. Vvilhel. Postellus in claue absconditorum.
425 Nestorius	36. Christum in duabus naturis duarum esse personarum.	Adam Pastoris vt ait Georg. Cassand.
455. Eutyches	37. Christũ in vna persona vnius etiã esse naturæ	Seruetus Suuěckfeld. te. Georg. 2. Cass.
380. Origenistæ.	38. Dãnatos omnes, & Dæmones esse saluandos	Ioannes Denckius & Anaba. ait Seb. Franco. Dauid Ioris.
50. Chiliastæ & Cerinthus Iudaizans tẽpore Apostol.	39. Christi regnũ fore corporale annorum mille	Anabaptistæ quidã teste Sebast. Franco.

D. POLYCARPI IN hæreticorum blaſphemias Epiphonema ex D. Irenæo apud Euſebium lib. 5. cap. 20.

ὦ καλὲ θεὲ εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας ἵνα τούτων ἀνέχωμαι,

O Deus bone, in quænam ſeruaſti me tempora vt iſthæc blaſphema ſuſtineam?

SI hæc Apoſtolicus ille Polycarpus aures ſuas cõtinens ad illa Florini cuiuſdam à traditione Apoſtolica variãtis dogmata exclamabat, quid eum hodie & facturum & dicturum, imò exclamaturum credas, vbi omnis Apoſtolorum doctrina prophanatur, euertitur, proculcatur.

PARASCEVE IN Tabulam Quintam.



Sthæc atque id genus fanaticorum errorum monſtra Euangelici iſti renouãtes, & ab orco emortua pridem, atq; ſepulta in lucem reuocãtes, vbi variis Catholicorũ ſcriptis fuiſſent non tam oppugnati atque confixi, ſuæque vanitatis manifeſtò cõuicti, ne quid tamen fucorum omittere videantur, ſuis quod geminam oſtentaret doctrinam Euãgelicam audebant & ſe veterum Patrum ſententiis obmunire atque defendere, & ad priſcam illam ſynceriorẽ

Eccleſiam adeò quaſi proteſtantes prouocare. Verùm qua id fecerint fronte ipſi viderint, certè qua fide, nunc omnis iudicet orbis Chriſtianus ex hac noſtra tabul. 5. ſuperioribus ſuffixa. Porro quod hiſce pauculos, nunc demonſtratum damus exemplis, poſſet ſi tabula caperet, aliis plurimis, haud minùs illuſtribus comprobari. Hic enim non licuit proponere in theatro omnia atque vniuerſa fraudum & pſeudologiarum genera quibus ad ſimpliciorum & imperitiorum perniciem abutuntur, ſed illuſtriora modo mendacia, quibus quaſi nubeculis veritati oppanſis doctrinam Eccleſiæ Chriſti etiamnum Catholicè obtinentem conantur cum primis obſcurare. Alia autem id genus emblemata ſuo dabit tempore oratio illa ad Epiſcopos Catholicos de Eccleſia per ſcholas Eccleſiaſticas inſtaurandas reformanda: quæ ex aduerſariorum ſcriptis tanquàm angiæ ſtabulo innumera propè oſtendit, non modò illita impiè veterum ſcriptorum libris menda: ſed afficta etiam ſacrilegè mendacia, quæ iſtos nihil pudet pigétue mundo obtrudere, lectoribúſque imperitis & incautis pro Euangelio venditare. En tibi igitur L. Chriſt. indubia ſpiritus, qui iſtos in tuam piorúmque omnium perniciem exagitat Euangelicos, ſigna & ἀποδείξεις pluſquàm Euclidianæ, quæ iſtos demonſtrent pſeudologos, imò, vt dicam veriùs, pſeudoeuangelicos. Nam hiſce ſtigmatibus, aut (ſi malint) emblematibus inſigniti, illud quiſque ipſorum tam dicat verè, vt nihil vnquam veriùs, Signa Pſeudoapoſtolatus noſtri hæc ſunt. Sed ipſam nunc tab. 5. attentis contemplare mentis oculis non veritatis odio, aut anticipatæ opinionis præiudicio excæcatis.

Tabula quinta,

PSEVDOLOGIARVM atque nobilium aliquot mendaciorum luce meridiana clariorũ: quibus pſeudoeuangelici iſti ſuum ſtabilire conantes Euãgelium, Catholicam ac verè Euangelicam vexant doctrinam.

Indiculus mendaciorum ex plurimis aliquot, quibus iſti Euangelici ſuum ſtatuere conantur pſeudoeuangelium.

I.

Philippus Melanchth. in Examine ordinandorum, anno 54. & appendice locor. commu. anno 52. fuiſſe in Eccleſia veteri conſuetudinem, vt poſt diuortium liceret perſonæ innocenti coniuge ſuperſtite alteri nubere, annotat in Matthæum.

1. Origenes.
2. Euſebius Cæſarien. ex Iuſtini Apologia, fœminam Chriſtianam libellum dediſſe repudij.
3. Hieronymus recitat exemplum Fabiolæ, quæ alteri nupſit.

Falſum & fraudulentum.

1. Quia ſcribẽs in Matthæum Origenes ait, Epiſcopos quoſdam malum hoc peioris cauſa permiſiſſe.

1.	2.	3.
Contra ſcripturã dicentẽ: Mulier alligata eſt viro, &c.	Extra ſcripturam.	Aduerſus ea, quæ ab initio erãt ſcripta. Dico vobis, quicũq;, &c.

2 Euſebius Cæſarienſis eam quidem diuortium feciſſe, ſed Chriſtianam illam non ait nupſiſſe alteri priore ſuperſtite marito, quod tibi Philippe ex eo fuit probandum.

3 Hieronymus factum recitat Fabiolæ, quod extra controuerſiam eſt, quod & hodie videre eſt per Germaniã in veſtris paſſim Eccleſiolis: ſed in ſtatu iuridiciali res verſatur, an illa fecerit rectè atque legitimè, an ſecus. D. Hieronymus igitur adeò Fabiolæ factum nõ probat, nedum Euangelio dicit conſentaneum, vt eam diſertè profiteatur.

1 Feciſſe contra legem Pauli, imò Chriſti: quod ignorans Euangelij vigorem alteri nupſerit.

2 Ream peccati idcirco fuiſſe, ait namque,

3 Facilè culpam fatebor, &c. & iterum,

4 Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excuſare culpam, cuius Pœnitentiam (publicam) ipſa confeſſa eſt?

5 Ad hæc ſubtexuit: Non laudabo conuerſam, niſi prius ream abſoluero.

II.

Philip. Melancht. in Eccleſia ſua.

Sacramentis Euchariſtiæ oblationem pro mortuis non fuiſſe Auguſtini ætate.

Falſum.

Quia tota Africana Eccleſia in Synodo vetuerat pro quibuſdam offerri Euchariſtiam ante Cypriani ætatem, eodem teſte, lib. 1. epiſt. 9.

Tertullianus de exhortatione caſtitatis.

Ambroſius Orat, funebri in fratrem Satyrum.

Chryſoſtomus. Homil. ad Antioch. 69.

Auguſti-

Auguſtinus ſerm.32.de verb.Apoſt.
Enchiridij cap.110.ad Dulcitiũ quæſt.4.confeſſ.9.c.12.

III.

Philip.Melancht.ibidem.

Sanctorum inuocationem temporibus Gregorij primi irrepſiſſe in Eccleſias.

Falſum.

Quia Cypriani ætate anno.160.Virgo Mater inuocabatur vti ex eo recitat Naziãzenus Orat. in Cyprianum.
Nectarius Cõſtantinopolitanus inuocat D. Theodorũ.
Auguſtinus de cura pro mortuis cap.4.& ſerm.1.Diuum Laurentium.
Ambroſius de viduis.
Hieronymus Paulam in eius Epitaphio.

IIII.

Philip.Melancht.Apolog. Confeſſ. Auguſtanæ.

Neque reliqui veteres Scriptores ante Grægorium (primum)fecerunt mentionem inuocationis Sanctorum.

Falſum.

Quia Cyprianus libr.de ſua vita, teſte Nazianze. orat. in D.Cyprian. narrat, quòd virgo quædam Chriſtiana D. Virginem Mariam ἱκετεύουσα βοηθῆσαι ſupplex ad auxilium inuocarit. An.D.160.
Origines com.in D.Iob, inuocat Sanctos. An.D.220.
Nectarius Conſtantinopolitanus D.Theodor. Mart. ἵλεω, Chriſtum redde propitium. An.D. 350.
D.Nazianzenus Baſilium monodia. An.D.360.
Chryſoſtomus docet Sanctos inuocandos ad Philippenſes, cap.1. 370.
D.Ephrem D.Virginem inuocat. 370.
Ambroſius de viduis, obſecrandi ſunt Martyres.&c. 380.
Hieronymus D.Paulam in Epitaphio. 390.
Prudentius D.Laurentium, & alios. 360.

400. Auguſtinus ſerm. 1. in Diuum Laurentium.
420. Vigilius Tridentinus in vita D. Siſinnij.
430. Theodoretus D. Ephrem inuocat in vitis. SS.

V.

Ioan. Caluinus inſtitut.

Veteres, cùm de Sacramentis propriè loquuntur, tantum duo agnoſcere.

Falſum.

Quia Cyprianus plurium meminit quàm Baptiſ. & Euchariſt. lib. 1. epiſt. 12. & Serm. de ablutione pedum.
Tertullianus libro de pœnitentia. Hieronymus contra Luciferianos. Leo Magnus epiſt. 90.
D. Auguſtinus locis mox recitandis.

VI.

Ioannes Caluinus Inſtitut.

D. Auguſtinum tantum duo agnoſcere, Baptiſmum & Euchariſtiam.

Falſum.

Quia epiſt. 118. ad Ianua. Baptiſmum & Euchariſtiam, & ſiquid aliud, &c.
Lib. 5. contra Donatiſtas cap. 20. Confirmationis meminit.
Lib. 2. contra epiſtol. Perme cap. 13. ſacri Ordinis, diſertè ſacramentum appellans, & cum Baptiſmo conferens, & alibi.

VII.

Ioan. Caluinus ibidem.

Auguſtinum citra controuerſiã eſſe ſuum, hoc eſt Zuinglianum & Berengarianum.

Falſum.

Quia idem corpus Chriſti Domini docet adorari Aug. & manducari in myſteriis Chriſtianorũ, quod de vir-

gine natum & à Iudæis crucifixum, in Pſal. 98. Et quia »
in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnẽ nobis mã- »
ducandam dedit. Et cõcione. In Pſal. 33. Ferebat enim »
Chriſtus illud corpus in manibus ſuis. Et alibi perſæ- »
pe verbis diſertiſſimis.

VIII.

Ioan. Brentius cum ſuis in Confeſſ. Vvirtemb.

Veteribus ignotam fuiſſe Tranſſubſtantiationem.

Falſum.

Quia Cyprian ſerm. de cœna: Panis iſte non effigie, ſed » an. D. 230
natura mutatus factus eſt caro. »
Euſebius Emiſſenus Hom. 4. in Paſcha. » 250.
Terrena commutari & tranſire. Rurſus. »
Conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti creaturas. »
Chryſoſt. de Encæniis. Abſumi panem. Et in Liturgia. » 360.
Sacerdos ſacra illa benedicens manu atque conſecrans »
ait. μεταβαλὼν tranſmutans (ea Domine) ſpiritu tuo »
ſancto. »
Baſilius ſic ad verbum in Liturgia. »
Ambroſius lib. de his qui, &c. cap. 9. Non eſſe quod na- 350.
tura formauit, ſed quod benedictio cõſecrauit. Maio- 380.
rem enim eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia »
benedictione ipſa natura mutatur. »
Auguſtinus, Iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti. » 400.
Serm. 28. de verbis Domini. »
Ioan. Damaſcenus libr. 14. cap. 4. Panem & vinum με- » 410.
ταποιεῖσθαι ὑπερφυῶς, tranſmutari ſupernaturaliter in »
carnem & ſanguinem Domini. »
Heſichius lib. 6. in Leuit. cap. 22. Fieri tranſlationem & 410.
commutationem. »
Gelaſius, Tranſeunt in diuinam naturam. » 480.
Theophylactus in Marci. cap. 14. Transformari panem 700.
in carnem Domini.

IX.

Ioan. Brentius ibidem.

Euchariſtiam olim nõ fuiſſe ſacrificium propitiatoriũ.

Falſum.

Quia Eccleſia tota Africana ante Auguſtini & Cypriani ætatem pro mortuis obtulit, teſte Cypr. lib. 1. epiſt. 9.

Auguſtinus docet eſſe propitiationem pro mortuorum etiam peccatis. Enchirid. cap. 110. & ſerm. de verbis Apoſt. 32. Ad Dulcitium quæſt. 4. & alibi perſæpe.

Ambroſius pro fratre Satyro ſacrificat, Orat. funeb.

X.

Ioan. Brentius ibidem.

Nec quicquam certi definit Auguſtinus de Purgatorio.

Falſum.

Quia hac de reſcribens ait Auguſtinus.

" 1. Non dubium eſt prodeſſe precantis pro mortuis af-
" fectum iis, qui cùm in corpore viuerẽt, talia ſibi pro-
" deſſe poſt hanc vitam meruerint. De cura pro mor-
" tuis, cap. 4.

" 2. Non eſt dubitandum, mortuos adiuuari orationi-
" bus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari. Auguſtin.
de verbis Apoſt. 32. ſerm.

" 3. Nec omnino ambigendum eſt, iſta prodeſſe defun-
" ctis, ſed talibus; qui ita vixerint, & cæt. Auguſtin. de
cura pro mort. cap. 4. de ciuitate Dei 21. capitu. 15. & alibi frequentiſſimè.

XI.

Martinus Bucerus de cœna Dom. adminiſt. lib. 2. cap. 38.

Sacrificium cœnæ Dominicæ in aliis Eccleſiis adiungebatur (funeribus precibus) in aliis minus. In Auguſtini Eccleſia adhiberi ſolebat. Vnde de funere matris Con-

feſſionum ſuarum 10. cap.12.

Falſum.

Quia per omnes Africanas Eccleſias offerebatur pro mortuis vti ex Canone Conc. Africani docet Cypr. lib.1.epiſt.9.

Chryſoſtomus de Antiochena Eccleſia idē teſtatur Homil.ad popu.Antioch.67. Et de Cōſtantinopolitana, Homilia in primum caput ad Philip.Item Liturgia.

Baſilius de Armenica & Cappadoce in Liturgia.

Damaſcenus Orat. in defunctos de tota Græcanica.

Ambroſius de Mediol. Orat. funebri in fratrem Satyrū.

Auguſtinus hoc loco à Bucero mēdaciter recitato idem docet de Eccleſia Italica,quia de Oſtienſi agit diſertè, vbi eius mater eſt mortua:non autē de ſua Hipponēſi, quod cōminiſcitur Bucerus. Nondū enim Auguſtinus erat clericus,nedum Sacerdos aut Epiſcopus Hippoñ. Sed tu vide.10.Confeſſ.cap.12.& ſequent.

XII.

Lutherani ſuum ipſi Lutherū quem & patrem dictitant reuerendū & tertium adeò Heliā,mendaciis onerant:Vt

1. Paſtor ille N.ad vadum Hyeræ(Erdfordiæ)vſuras ſe exercere iactitans iuſſu Lutheri: quod ait falſum eſſe Querela Lutheri.

2. Plerique Lutheranorum , & ij paſtores ipſi ac ſuperintendentes:quod Lutherum hîc audis ſuis ipſum verbis conquerentem. Quinetiam ſermones (inquit Lu- »
therus in libello,cui Querela nomē factum eſt à Ioa- »
chimo Camerario,ait Stoltius , inter alia de ſuo diſci- »
pulorum mutuo inter ipſos diſſidio,ac ſacrilega in ip- »
ſum impietate peracerbè quæritans) à me cum amicis »
familiariter certis de rebus habitos annotarunt aliqui »
curioſi,& de illis cōmentariis ſæpe deriſionē grauiſſi- »
marū diſceptationū protulerunt,& mentionem rerum »
hominúmq; pro ſuo arbitrio his vel illis caſibùs accō- »
modauerunt. Ac cōpertum eſt in Lutherū, tanquā au- »
thorem nō pauca conferri quæ vel nunquam elocutus »
fui:vel aliter certè quàm cōmemorantur pronūciaui. »

3. Eundem in modum & Philipp. Melanch.de Nicolaò »

Gallo, Matthia Illyrico, & aliis noui istius intestini inter Lutheranos belli coniuratis scribit, queribundus de grauissima suorum discipulorum in se impietate, anno 57. ad superintendētes aliquot Saxoniæ. Sed in articulo, in-
" quit, epistola ad eos data, vestro præcedens membrum
" prorsus omitti volo, vbi in genere docetis de corrupte-
" lis, & me & alios accusatis quasi hactenus corruptelas de
" articulo iustificationis docuerimus & defenderimus.
" Hoc falsum crimen in me & in alias Ecclesias cōferri no
" lo. Scribit Gallus à nobis corruptam esse doctrinā de pœ
" nitentia, nec dicit vbi, in quo scripto, ac ne suspicari qui-
" dem possum, vnde sumat occasionem huius criminis.

4. Omitto in præsentiarum illam mutuam inter Lutheranos & Zuuinglianos de mendacij in se mutuò piectis, quibus se inuicem iugulare obnixè cōtendunt, criminationem multò infectissimam: nō illam modò pristinam, sed belli etiam istius recrudescentis repullulantem, Classicum canentibus Ioachimo Vvestphalo & Sneppio. Sed tria verba suffecerit adnotasse, Tragicè vociferatur Cal-
" uinus (inquit Ioachimus Vvestphalus in Confess. de Eu-
" cha.) me consensus nomen arripuisse ad renouādum in-
" cendium, tantoperè odisse pacem, vt non alia de causa
" effusum sit venenum, nisi quia ægrè tulerim Sacramen-
" tarios idem sentire & loqui. Videte grandia mendacia &
" astutiam, & cæt. Et paulò pòst. Adauget istam vanitatem
" alio insigni mendacio, cùm scribit (Caluinus) me hosti-
" liter impugnare eandem doctrinam, cui anteà faueram,
" Quib mirum, clarissimos viros D. Philippum, D. Cruci-
" gerum & Vitum Theodorum à Caluino pertrahi in Sa-
" cramentariorum societatem, quantumuis ex professo
" damnauerint eos scriptis suis, cùm me faciat fautorem
" sacramentariæ doctrinę, quem eundem persequitur tan-
" quam infensissimum illorum hostem? Quando verò fa-
" ui Sacramentariis? &c.

2. COR. II.

Nam istiusmodi Pseudoapostoli operarij sunt dolosi & fraudulenti, transfigurantes se in Apostolos Christi. Nec mirum, ipse enim Sathanas transfigurat se in angelum lucis.

SIGNA PSEVDOAPOSTOLATVS NOSTRI HAEC SVNT.

CANDIDO LECTORI AT-que veritatis ſtudioſo.



Anc pſeudologiarum vaniſſimarum, quibus ſuum iſtud nouum conſtabilire conantur pſeudoeuangelium aduerſarij: tabulam C. L. ex Oratione reuerendi D.D. Vvihelmi Lindani collegimus, vti & alias nonnullas, qua Epiſcopos Catholicos ad Eccleſiæ per ſcholas Eccleſiaſticas inſtaurandas hortatur reformationem, viam & rationem oſtendens longè facillimam (velint tantũ illi ex animo) qua vigentes nunc paſſim hæreſes euertantur & profligentur, per doctiorem videlicet Paſtorum pietatem. Vbi author ingenti congeſta mendaciorum, calumniarum, Sophiſmatum, ſtropharum, peruerſionum de Græco & Hæbraico corruptelarum & mendarum veteribus ſcriptoribus illitarum & afflictarum, ex Confeſſione Auguſtana Vvirtembergenſi, Saxonica, ex Melãchthone, Bucero, Brentio, Caluino, &c. farragine, huius cauſæ bonitate, plerophoria, & euidentia fretus, Euangelicos iſtos legis Corneliæ de falſis peragens reos, de ſcripturarum diuinarum & ſcriptorum veterum ſacrilegiis deprauationibus ac peruerſionibus profitetur ſe de horum omnium veritate audere talionis pœna experiri vel ipſis principibus proteſtantibus iudicibus.

Tabula Sexta,

EPITOMEN HABET DOctrinæ verè Euangelicæ, Catholicæ & Apoſtolicæ (quoad dogmata nunc tempeſtatis cõtrouerſa) liqui-

dò ſcripturis & vetuſtiſſ. Patrum ante annos. 1000. clariſsimorum teſtimoniis corroboratæ atque conteſtatæ, in gratiam piorum omnium, qui ſuæ ſunt tanto in hæreſeôn incendio vbique ferè accenſo ſalutis æternæ ſoliciti, quibúſve aliorum ſalus cùm erudiēda tum obmuniēda eſt credita, ſtudioſe admodum collecta atque concinnata.

Candido Lectori.

HVius quidem doctrinę Catholicæ ac proinde Euāgelicæ veritas multis ſanè voluminibus oſtenſa eſt atque confirmata: quod Panoplia noſtra Euangelica meliori ex parte expeditum dedit. In gratiam tamen fratrum infirmiorum inſeruimus locorum aliquot indicia pro Tab. anguſtiis, vnde illius petatur corroboratio. Quæ ſic num. ſignantur, te ad ſuperiores remittūt Tabulas numeris diſtinctas.

PARASCEVE IN
Tabulam Sextam.



NE caliginis aliquid ex vaniſſimis iſtis aliúſve innumeris, quibus ſcatent aduerſariorū ſcripta, mendaciorum hîc de plurimis commemoratorum fumis clariſſima Catholicæ fidei veritas contrahat: aut ex peſtilentiſſimis illis renouatis priſca de hæreſeôn execrandarum lerna venenis, ne quis contagij aliquid incautus hauriat, piis in Chri-

sto fratribus suæ salutis non oblitis, & serpentem illum antiquum studiose cauentibus operæpretium nos facturos speramus multò maximum, si Tabellam superioribus appendamus Colophoniam, vnde quasi de Narthecio salutare aduersus grassantes passim doctrinæ variæque Antichristianæ pestilitates petatur aut pharmacum, aut forte antidotum. Fuerit sane aliis Amuletum, aliis etiam Moly atque Panacea. Attexueramus doctrinam Catholicæ & Apostolicæ oppp ositã, vt Antithesis vtriusque doctrinæ Christianæ & Antichristianæ, Euangelicæ & Pseudoeuangelicæ plena esset, ac omnibus cõspicua. Verum piis quibusdam dessuadẽtibus aliud in tempus reponetur.

REGVLA FIDEI EST VERBVM DEI per Apostolos Ecclesiæ Catholicę initiò euangelizatũ. 1. Pet. 1. Vide infrà, nume. 32. Tab. 1. num. 40. 2. Thessa. 2.

1. QVicunque fide verè Christiana & Euangelica Deo placere studet, non solùm recipit symbolum, quod Apostolorum & est & dicitur, sed scripturam etiam vniuersam Canonicam, insuper & quæcunque per traditionem Apostolorum initiò accepit Catholica Christi Ecclesia. Inter hæc autem nunc enumerata ista ferè sunt hac tabula comprehensa, quæ aduersus hæreses nunc tempestatis passim grassantes animus verè Christianus tum constanter obtinere, tum tueri pro virili debeat, si modò fidem suam Christianam, sine qua salus æterna nulli constare potest, vult illibatã & incontaminatam.

Hebræor. 11.

SACRAMENTA.

2. Sacramenta esse septem: hoc est Sacra & efficacia diuinæ gratiæ & beneficij signa: quibus Christus Dominus nos sibi sacrat, sanctificat & sanat, ex Con. vniuersali. 8. Flo. ann. 1438. toto ex orbe Christiano cõgregato. Singula videbis suo quódque loco confirmata.

- Baptismum,
- Confirmationem,
- Eucharistiam,
- Pœnitentiam,
- Ordinem,
- Matrimonium,
- Extremam Vnctionem.

3. Eadem esse efficacia signa per quoscunque ministros, etiam malos publicè, adeóque Doctores

impios Augustinus contra epist.Perme.cap.2.

4. Infantes omnes nasci peccato originali infectos. Vide Tab.1.num.2.

5. Infantes sine Baptismo non saluari. Vide Tabul.1.num.8.

6. Exorcismum Baptismo præmittendum. Tab. 1.num.3.

D.Aug.lib.6. cõtra Iul.c.8. Ioan.3.Eph.5

7. Abrenuntiationem præmittendam. Tabu.1. num.4.

8. Aquam fontis consecrandam. Tab.1.num.5.

Ioan.3.

9. Baptismum requirere aquam elementum. Tabul.1.num.6.

Actor.19.

10. Infantes baptizandos. Tab.1.num.7.

Ioan.3.

11. Baptismum Christi esse aliud à Ioannis Baptistæ. Tab.1.num.9.

12. Paruulos renasci, non nasci Dei filios. Tab.1. num.10.

13. Baptizatos esse oleo vngendos. Tabul.1. num.11.

I. BAPTISMA. Ephes.5. Augu.de nup. & cõcu.li.1.c. 23.& 26. Vide.2.contr. Iul. & lib.6.c. 5.6.&.8.

14. Baptismum plenè tollere peccata semel omnia, ita vt non sint. 1.Corinth.6. Qui semel lotus est, non eget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus Ioan.13. Concupiscentiam igitur reliquam nõ esse peccatum propriè, sed eius effectum & causam ad peccatum inuitantem. Rom.8.

II. CONFIR. Actor.18.

15. Confirmationem esse Sacramentum. Concil.Florent. Tab.2.num.12.

16. Quod Chrismatis illinitione per Episcopos confertur. Tab.1.num.13.

III. EVCHARISTIA. Ioan.6.

17. Eucharistiam esse Sacramentum, quo vegetati in Christo manemus, fouemur, alimur & excrescimus in virum adultum. Ioann.6. Concil.Florent.

Lucæ 22.

18. Eucharistiam continere verum ac præsens CHRISTI Domini corpus, de virgine natum & in cruce passum. Tabu.1. num.17. 1. Cor.11.

Lucæ 22. 1.Corinth.11.

19. Eucharistiam non habere panem & vinum, sed meras eorum species, ac qualitates tantùm, non item substantias. Tab.1.num.18.

Lucæ 22.
1. Corinth. 11.

20. Euchariſtiam eſſe non ſolum alimentum, ſed & holocauſtum, hoc eſt, ſacrificium, non commemoratiuum tantum, aut Euchariſtiam etiam, ſed & propitiatorium, quod tam defunctis prodeſt, quam viuis. Sic Apoſtoli, teſtibus Chryſoſtomo Homilia 69. ad populum Antiochenum, & ad Philippenſes capit. 1. Damaſceno. Oratione in defunctos. Auguſtino, Sermone 32. de verbis Apoſtoli: & tota Africana Eccleſia, ante Cypriani ætatem, teſte ipſo epiſtol. 9. libr. 1. Tabula. 5. num. 2.

Cypria. lib. 2. epiſtol. 3.
Malachiæ. 1.

August. Enchri. cap. 110.

21. Euchariſtiam ſub vtraque ſui ſpecie verum ac totum CHRISTVM habere. Concil. Florent. Qui alterutram igitur accipit, totum etiam accipere CHRISTVM. Vnde non eſt neceſſarium Laicis vtriuſque ſpeciei communionem accipere. Concil. Vniuerſ. Conſtantien. Cùm olim apud priſcos liberum fuerit, vel vnam vel vtranque accipere. Clemens Alexandrin. 1. Strom. & cùm vigerent Manichæi Romæ. Item Hieronymi ætate, libr. contra Iouinianum, & aliâs. Vide Ambroſium de fratre Satyro, Oratio. funeb. & Bedam libr. 2. cap. 5. & lib. 4. cap. 24. de hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ. Non enim eſt omnibus à CHRISTO præceptum, vtranque ſpeciem ſumere, alioqui & infantibus eſſet ſic communicandũ: quod & aduerſarij negant. Vide Palladium Macario.

Vide Augu. epiſt. 118. Vnde ca. 6. validum petatur argumentum, & ad hanc rem tuẽdam atque conſtituendam mirificè idoneum.

22. Euchariſtiam rectè ſeruari, quia PP. priſci Apoſtolici ſeruabant. Irenæ. apud Euſebium lib. 5. cap. 23. Cõcilium Nicænum cap. 14. Hieronymus ad Iouinianum, & de Exuperio. epiſtol. ad Ruſtic. Adorandum eſſe ipſa poſtulat religio, quę Deum vbique agnoſcit Deũ, ſiue cum Magis in domuncula, ſiue in Euchariſtia cum Augu. epiſt. 120. cap. 17. & in Pſal. 21. ac D. Euſebio Emiſſeno. 4. hom. in Paſcha. Ge-

Adoratio.

ſtationem verò probet ipſe pij operis finis & vſus, in quem circunfertur: ſiquidem non ad theatricum geſtatur ſpectaculum, ſed ad excitandam fidelium & piorum ſpectatorum fidem & pietatem, vt pro ea neceſſitate, cuius aut depellendæ aut impetrandæ gratia circunfertur, orent ardentiùs, ac comprecentur confidentiùs maximum ſibi à Deo Opt. Patre per filium interceſſorem hîc præſentem, & illic pro nobis interpellantem polliciti patrocinium, & impetrandi auxilium. Vide Irenæum apud Euſebium libro 5. cap. 23. Solenniter tranſmittebatur Romæ Euchariſtia Epiſcopis Catholicis.

Geſtatio.

23. Euchariſtiæ myſteria ritè celebrari, ſi vel vnus de ſacrificio edat: fit enim, quod Dominus fieri iuſſit, Hoc facite. Tam enim fit per vnum, quàm per multos: quos nullus excludit, ſed ſua ipſi culpa ſuam animarum famem non communicãdo ſæpiùs augent. Sic olim infirmi ſoli. Sic & Chryſoſtomus conquerebatur, quod ſolus altari aſſiſteret.

24. Miſſam, id eſt, ſacram illam Apoſtolicam Actionem, cuius in fine populo dicitur. Ite miſſa eſt id eſt, dimiſſio, ritè pro quolibet fieri Chriſtianorum vſu ac neceſſitate. Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8. pro fuganda Cacodęmonum vexatione. Sic & Miſſa Baſil. & Chryſoſt. pro pace, fructibus, nauigantibus, &c.

Miſſa Latinis quod Chryſ. ἀπόλυσις, dimiſſio populi

25. Quia homo dum hac in vita degit per liberum ſuæ voluntatis arbitrium, tam in actionibus ſalutis, quàm ciuilibus, poteſt ex bono fieri malus, (ſicuti & contrà, gratia adiutus) ideò & pœnitentiæ Sacramentum eſt à Chriſto Domino omnibus à Baptiſmi gratia lapſis neceſſarium. Acto. 8. quod tres habet partes mox explicandas. Fides autem huius Sacramenti fons eſt, imò quaſi baſis, non pars, ſicuti nec Baptiſmi. Porrò illa fides, qua quis firmiter credit, & certò ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeſéque poſſeſſurum vitam æternam, non fides eſt, ſed temeritas: non Spiritus ſancti perſuaſio, ſed humanæ audaciæ præſumptio, ſcri-

IIII. PENIT. liberum arbitrium.

Fides iustificans adultos impios.

pturis aduersaria & Patribus Orthodoxis ignota: qui illa spe certa docent adultis expectanda per Sacramenta & pietatis opera. Sed illa fides ad pœnitentiam agendam est idonea in adultis, qua verbo Dei credimus tam comminanti quàm promittenti: potissimùm verò, Christum Iesum nobis propitiatorem propositum in sanguine suo, Act.8. Rom.3. Quanquam hæc fides, Symbolo Apostolico delineata, vti ad salutem non sufficit, ita nec ad impij iustificationem. Desiderat enim veram animi conuersionem seu contritionem, confessionem & satisfactionem, tres Euangelicæ Pœnitentiæ partes. Cõ. Florent. Acto.8. Io.20.

2. Cor. 7. Augu. homi. 50. de pœnitentia.

26. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi ac satisfaciendi.

Ioan. 20. Aug. hom. 50 de pœnitentia.

27. Confessio est diserta peccatorum (post legitimam & seriam conscientiæ inquisitionem) occurrentium, etiam occultorum, enumeratio, Sacerdoti ritè ordinato facta, vt ab eis per illum absoluatur. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata. Leo epi. 90. Tab. 1. nu. 22.

Tertul. de pœnit. Cypr. ser. de lapsis.

28. Satisfactio est persolutio pœnæ plerunque adhuc debitæ post remissam culpam, quam permanere interdum docet suo exemplo Dauid 2. Reg. 12 Huc faciunt Canones pœnitentiales Concil. Nicæ. & ætate Cypriani. Perficitur hæc per preces, ieiunia & similia pia opera, quæ Deo Opt. ita sunt grata, vt eius iram placare possint eúmq; reddere propitium 3. Regum. 21. Cyp. libr. 1. epist. 3. & 8. Serm. de eleemosi. 1. August. Enchirid. 71. & in Mat. 12. de Niniuitis. Hieronym. 2. contra Iouinianum.

V. ORDO. Hebræor. 5.

29. Porrò quia religio Christiana sua quoque habet mysteria & sacra coram Deo peragenda, non ea per quemlibet fieri voluit Christus noui testamenti Archipresbyter: sed eos quos ad illa ordinauit. Vnde & Ordo Sacramentum, quo vnà cum Spiritus sancti communione consecratis potestas confertur sacra illa ministeria peragendi. Hic porrò va-

1. Timot. 3. Vide Quest. vet. & noui testamen. qu. 9.

rios habet gradus, sed Clericorum pręcipui sunt Sacerdotes, quibus solis secundum Ecclesiæ ritum ordinatis data est à Christo potestas consecrandi verum eius corpus & sanguinem eadem offerendi, peccatáque dimittendi. Tab. 1. num. 25.

Lucæ. 22. Ioan. 20. Epiph. Aërio. Ambr. in 1. ad Timoth. 3. Hiero. epi ad Damas. Aug. libr. 2. cap. 51. cōt. lit. Petil. Cyp. li. 1. ep. 3

30. Inter hos quidem sunt Episcopi illis maiores & dignitate & potestate: sicuti inter eos præstāt aliis Patriarchæ: & iis omnibus, totíque adeò Christiano gregi Ecclesiæ Romanæ Episcopus, D. Petri Apostolorum principis successor. Vnde omnes ei obedire tenentur tanquam familiæ Christi seruo præposito, atque Christi vicario.

Actor. 15. Math. 19. 1. Corinth. 5.

31. Hunc Sacerdotum ordinem Christus Dominus duplici armauit authoritate, præter Apostolicū docendi ministerium, puta leges ferendi, & excommunicandi: qua suam gubernari voluit Ecclesiam.

ECCLESIA

Augu. cap. 4. con. epi. fundamenti. Hierony. contra Lucifer. Hiero. ad Damas.

32. Est autem Ecclesia visibilis hominum cœtus à Christo Domino & Apostolis collectus, in hunc diem perpetua successione continuatus in vna fide Apostolica sub Christo capite & eius in terris vicario, pastore, ac summo Pontifice agens. His enim notis ab omnibus Diaboli conuēticulis secernitur. Extra hanc vnam veram, Catholicam & Apostolicā Ecclesiam nulli speranda est salus. Sunt autem extra eam nòn modò qui excommunicantur (qua pœna mortifera nihil est atrocius aut formidabilius in omni terrarum orbe) sed etiam Hæretici omnes, id est quotquot aliquem fidei articulum pertinaciter aut non credunt, aut aliter credunt quam illa vna Christi Ecclesia siue hic in scripturam relatus sit, siue non. Fidei enim Christianæ regula est, Verbum Dei, siue per Apostolos euangelizatum, Math. 26. 1. Petr. 1. siue à Spiritu sancto aliàs Ecclesię reuelatum Ioan. 14. Vnde certa fide tenenda sunt, non solùm quæ scripturis expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quę definita sunt super fidei & morum negotiis per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata,

Augu. epi. 75.

HAERETICVS.

Origenes. Periar. August. de Ciui. 19. cap. 18.

Actor.15.
Augu.de hęr.
Aërio.

33. Cæterùm quod ad legislatiuam attinet potestatem Ecclesiæ pastoribus à Christo datam, obseruandum est, quicquid de festis, ieiuniis, litaniis, & aliis salutem promouentibus præcipiunt, quod neglectum, aut non obseruatum, conscientiam hominis facit ream, etiam extra casum scandali.

Aug.ep.118. cap.5.
Lib.19. cõtra Faustum.cap. 20.

34. Quadragesimam igitur, & quatuor tempora, vigilias vsitatas, & alia ieiunia, carnium abstinentia, & aliorum pro regionum varietate seruare debet Christianus cum opinione necessitatis: sicuti & sexta feria & sabbatho, & diebus Rogationum à carnibus abstinere, ac publicis Christianorum consuetudinibus se accommodare.

LibertasEuágelica.
Ioan.
Epiph. Aërio

35. Hæc atque id genus cætera libertatem Euangelicam adeò non impediunt, nedum tollunt: vt eam magis promoueant, atque eius finem faciliùs nobis concilient. Sicuti nec obedientia ciuilis Magistratus, aut voti, & iuramenti obligatio. Est enim à peccatis libertas, & iis omnibus, quæ animũ quoquo modo impediũt, quominùs Deo totus seruiat.

VI. MATRIMONIVM.
Ephe.5.
Marci.10.
1.Corinth.7.
Augu. de nuptiis lib.1.ca. 10. & de bo. con.cap.7.
1.Corinth.7.
Hier. contra Iouin. Augu. in Iouini.
Epiph.ī Apo.
Aug.ī Psal.75
De Ci. li. 17. cap.4.

36. Verùm quia post Baptismum in nobis manet carnis stimulus, & Ecclesia est propaganda, ne quis igitur illo victus à gratia excidat, institutum est à Christo Matrimonium, quo Sacramento Christi cum Ecclesia coniunctionem significante coniugibus gratia datur, qua adiuti, iura Matrimonij castè peragant, liberósque Christo Domino educent atque instituant: quod propterea tam est indissolubile, vt nullo casu post consummationẽ dissolui queat altero superstite, qualiscunque tandem fuerit: etsi ob fornicationem liceat dimittere, nunquam tamen alteram licet ducere, Concil. Milet. cap.17.

Apostolos vouisse paupertatem.
Amb. D.Vir. vouisse virginitatem.

37 Sed quia hoc vitę genere virginitas & cõtinẽtia Deo optimo gratior est, ideò rectè voto firmata sicuti & alia, Deo Opt. offertur: cuius tãta est obligatio, vt si quis pòst contrahat, nõ modò sit irritũ, sed incœstũ etiã cõnubiũ: quod & de Clericis maiori ordine initiatis est sentiendũ. VideEpiph. Apostolicis.

38. Quò denique fortiores mortis acerbissimæ

VII. EXTREMA VNCTIO.

agonem depugnemus ac peccatorum reliquiis expiati sponso nostro Christo Iesu hoc exilio liberati præsentemur, appositum est à Christo Domino Sacramentum quod Vnctione, quam dicimus extremam, confertur. De hac loquutum esse D. Iacobum testatur Chrysostomus lib. de Sacerd. Innocent. ep. ad Eugubinum.

Iacobi. 5. Concil. Flor.

Securitas salutis nulla.

39. Quanquam interim nemo nostrum sine peccatis viuit, sed quæ Dei iram, vt non merentur, aut à regno non excludunt, ita oratione Dominica, eleemosynis, ieiuniis, &c. purgantur assiduè. Cæterum quandiu inter hostes infestissimos Diabolos versamur, nullam nobis esse securitatem, sed cum timore ac tremore incolatus nostri tempore salutem esse operandam, vt per bona opera vocationem nostram certam ac firmam faciamus, semper soliciti, ne qui stamus, concidamus, peccati fallacia decepti. Porrò dum cadimus, ac scelere nos polluimus, peccatóue mortali offendimus, non fidem semper nisi infidelitate amittimus: semper verò Spiritum sanctum à nobis expellimus, irámque Dei sempiternã commemoremur.

1. Ioan. 1. Aug. Ench. c. 70. 71. & 76. 2. Petri. 1. 1. Corint. 10. Hebr. 3. Sapient. 1.

OPERA.

40. Hisce septem Catholicæ Christi Ecclesiæ Sacramentis adiuti & instructi, vitam viuimus Christianam: quæ cùm actuosa sit, fieri non potest, vt bonorum operum sit sterilis. Hæc autem opera bona Deo non modo grata sunt, eiq; per se (quia ex Christi spiritu, imò in Deo sunt facta) placita, veríque cultus, Luc. 2. sed merita etiam tam premiorum hac in vita, quam postea, vitæ adeò ipsius æternæ. Sunt enim ita iusta & perfecta, vt eis legem Dei pij impleant, Roman. 12. Imò vt seuerum Dei iudicium sustinere queant. 1. Timot. 4. 1. Ioan. 4. Augustinus epistol. 106.

Philip. 1. 1. Cor. 15. Ioan. 3.

Merita. Aug. epi. 106. Legis impletio.

41. Adhæc non suis modò prosunt authoribus, dum ira Dei placant, ne nos iudicet ac puniat: sed & aliis quoque, pro quibus ea pij aut suscipiunt, aut Deo offerũt, ad peccatorum adeò expiationem tam mortuorum quàm viuorum: vt Deus videlicet misericordiùs

1. Corinth. 11. Aug. Ench. c. 61.

ſericordiùs cũ eis agat, quàm alioqui erat acturus. Hæc Augu. verba vide ſer. 32. de verb. Apo. Enchi. cap. 110. Vide de Ciuit. Dei, lib. 21. cap. 27.

INDVLGENTIAE.

42. Quinetiam priſca illa Apoſtolica Eccleſia propter aliorum piorum opera pœnitentibus olim ex more mitigabat pœnam alioqui luendam, teſte Cypria. lib. 3. epi. 15. 16. & 18. Tertullian. de pœniten. Imò illi Corinthio incæſto aliquid pœnitentiæ agendæ remiſit & ordinauit Paulus, ait Theod. & Oecume. & Theoph. 2. Cor. 2. propter Timothei preces & aliorum collugentium triſtitiam. Quare indulgentiæ, quæ pœnarum ſunt remiſſio & imminutio, ſalutares ſunt, ac verè, quod ſonant, efficiũt. Concil. Lateran. Viennen.

2. Corinth. 2.

PVRGATORIVM.

43 Quia verò Chriſtianorum hac vita exuli defunctorum tria ſunt genera: 1. Beatorum, cum Chriſto regnantium. 2. Damnatorum, infinitate tormentorum miſerum. 3. Purgandorum à peccatorum reliquiis: ſicut primum nullo noſtro eget auxilio, & ſecundum nullo iuuari poteſt patrocinio: ita tertium variis modis iuuari, & à pœnis, quas pendit, poteſt liberari, non viuorum tantum precibus, eleemoſynis ac ieiuniis, &c. ſed ſalutari etiam Dominici corporis ſacrificio, ait Auguſt. ſer. 32. de verb. Apoſt. De Ciuit. Dei. 21. cap. 13. Enchir. 110. Tab. 1. num. 21. & 36. Imò ipſi Apoſtoli pro mortuis offerendum docuêre, ergo & Purgatorium agnouerunt, teſte Chryſoſt. homil. 69. ad Antioch. Auguſt. loco iam commemorato. Gregorio Niſſeno, & tota totius Africanæ Eccle. ſynodo. Cypria. lib. 1. epiſt. 9.

2. Machab. 12

Vide Tab. 1. nu. 36.

SANCTORVM imagines & reliquiæ.

44. Beatos autem homines rectè veneramur ac imaginibus colimus, atque feſtis, ex Traditionibus Apoſtolorum. Ta. 1. nu. 32. & ſequ. Eorum reliquias honoramus, quas & peregrinationibus cohoneſtamus. Auguſt. epiſt. 103. cùm apud eas Deus per ſanctos miracula operetur: quos ritè ad auxilium ferendum aut mala deprecanda inuocamus, vt eorum meritis & interceſſione adiuuemur. Auguſt. de Ci-


uit. Dei, lib. 22. cap. 8. & contra Faustum lib. 20. ca. 21. Vide & D. Hieronymum in Threnos.

Philipp. 1. Ambro. in Lucam, 22. ca. Aug. in Psal. 119. Actor. 1. Marci. 13. Ioannis. 11. Aug. de Ciui. Dei, lib. 18. c. 53.

45 Porrò illæ purgandorum animæ à pœna peccatis debita suo absolutæ tempore non dormiũt vsque ad iudicium, sed cum Christo suo Domino regnant in cælis beatæ: quò vt & omnes pios transferat Dei filios suos fratres, venturus est ad iudiciũ. Sed quò demùm anno aut mensæ, omnibus est incognitum, vt credentibus & viuentibus in eo reddat vitam æternam: qui verò non crediderunt, aut credentes malè egerunt, ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.

Augustinus. Hylarius. Ambrosius in Lucam. 9.

Augustinus. Hæc mea fides est, quia fides Catholica est. Hylarius. Veritatis autem ministros vera decet profiteri. Ambrosius. Christum enim negat, qui non omnia, quæ Christi sunt confitetur.





PIIS LL. FIDEIQVE VE-
rè *Euangelicæ Studiosis*, *VVilhelmus Lindanus*, *S.Th. Doct.*

HAsce Tabulas à piis FF. aliquot fideíque Catholicæ ſtudiſiſsimis & accurata ſimul diligentia noſtris ex ſcriptis quæ in iſtius tempeſtatis parturimus hęreſes & Eccleſię deformationes, collectas in veſtri gratiam in lucem edere voluimus, quo Chriſtianæ fidei integri boníſque operibus exornati vitam capeſſatis æternam. Rogo autem vos FF. vt obſeruetis eos qui διχοστασίας diſſenſiones & ſcandala contra doctrinã quam vos didiciſtis, gignunt, vtque ab illis declinetis. Huiuſcemodi enĩ Domino noſtro Ieſu Chriſto nõ ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per χρηστολογίας blãdiloquentias & εὐλογίας aſſentationes decipiunt ſimpliciorum corda. Valete in vna Chriſti Ieſu fide incolumes.

INDEX LOCVPLETISSIMVS EORVM QVAE IN HAC PANOPLIA


verè Euangelica continentur, & vel probantur velut Catholica, vel improbantur tanquam hæretica, secundum Aphabeti seriem digestus.

Cuius primus nu. foliū, Alter verò folii faciem indicat.


Christia-

rum

FINIS.



EXCVDEBAT IOANnes Le blanc, impenſis Guilielmi & Michaelis Iulian, anno Domini mileſimo quingẽteſimo ſexageſimo quarto.


ROMA



